№ 2
6-7-8

3-3-6 10

A
27
443

3
26 - 55

3-6-705

Del Colegio dela Compañia de Jesus de Granada



# CHRISTIANVS ADRI-CHOMIVS CHRISTIANO ET PIO LECTORI.

*TERRA promiſsionis, quam S. Biblia & Ioſephus à Chanaã filio* Geneſ.10. Pſal.73.
*Cham, qui cum ſuis filijs hãc olim inhabitauit, terram Chanaan* Ezech.28.
*ſiue Chananæam vocant, Ptolomæus autem, alijqúe coſmographi* Hieron.in Ezech.5.
*Palæſtinam, & vulgò Terram ſanctam appellant, regio eſt nobi-*
*liſsima Syriæ, in vmbilico orbis cõſtituta, quæ ab Oriente Syriam*
*& Arabiam, à Meridie deſertũ Pharan & Aegyptũ, ab Occidente mare ma-*
*gnum ſeu mediterraneum, à Septẽtrione verò Libanum mõtem pro finibus ha-*
*bet. Eius longitudo ab Aquilone à ciuitate Dan ad radicem montis Libani ſi-* Num.34
*ta (quæ poſtea Cæſarea Philippi & Paneas dicta eſt) verſus meridiem porri-*
*gitur, & vſque ad Berſabee ciuitatem in tribu Simeonis contra deſertum ma-* Brocard. itin.7.
*gnum ſitam, plus minus ſexaginta ſeptem conficit miliaria, quæ ſingula vnius*
*horæ itinere commenſuranda ſunt. Hoc autem diligens Lector attendat, me,* Dimenſio.
*ex omnibus ſecutum eſſe maximè Brocardum, ideóque nemini temerè ferẽdum*
*eſſe iudicium, cùm Hieronymi & aliorum miliaria plurimùm ab hac ratione*
*diſtent, quæ tamen ipſa à quouis paullo accuratiore ad huius noſtræ deſcriptio-*
*nis conſonantiam redigi facilè poſſunt. Quantuli enim ingenij eſt, horæ ſpaciũ,*
*ad quæuis minima, mediocria, maxima miliaria accommodare? Longitudo i-*
*gitur hæc erit, ſi oculatis, & quidẽ diligentiſsimis teſtibus credendũ eſt. Latitu-*
*do verò, quæ ab Occidẽte à mari magno in Orientem ad Iordanẽ vſque ſumẽ-*
*da eſt, quibuſdam locis ſedecim, quibuſdam octodecim miliaria complectitur.*
*Quod autem D. Hieronymus in epiſtola ad Dardanũ regionem hanc à Dan*
*vſque Berſabee 160. miliũ in longum ſpacio tendi, ab Ioppe autem vſque Bethle-*
*hẽ quadraginta ſex milia eſſe, atque Idumæos à meridiana plaga 75. ab Hiero-*
*ſolymis millibus ſeparatos ſcribat, Italica hic, vt & in alijs ſuis locis Hebraicis,*
*miliaria intelligit, quorũ ferè tria vnius horæ miliare abſoluunt. Ob ſingularem* Deuter.8.
*autem cæli temperiem, aëris ſalubritatẽ, ſoli vbertatem, pecorum, auium, piſci-* Ioſeph.5. antiq.3.
*um, frumẽti, vini, olei, ſaccari, balſami, ficuum, malorum granatorum, herba-*
*rum, florum, frugum omnis generis copiam, Dei ore lacte & melle fluere, ſæpenu-* Exod.3. & alib.
*merò dicta eſt. vt partim propter hæc, partim propter inſignium montium, cam-*
*porum, fontium, fluuiorum, nemorum, vrbium, caſtellorum, pagorum & homi-*
*num frequentiam, ob rerum denique omnium abundantiã, ceu paradiſus Do-* Ezech.26
*mini, ac figura cæli reliquas ſub cælo mũdi partes lõgè excellere dicẽda ſit. Qua-*
*propter non immeritò à Deo præ cæteris totius orbis regionibus fuit electa, quæ*
*patri fidei noſtræ Abrahamo, & ſemini eius promitteretur, atque eiectis inde*
*Chananæis in typum cœleſtis patriæ vnico & electo Dei populo poſsidenda tra-*
*deretur. Et præterquàm quod Patriarcharum fuerit colonia, Prophetarum ſe-*
*des & domus, quis eius valebit exprimere dignitatẽ, quòd Deũ Opt. Max, & à*
*Prophetis promiſſum Saluatorẽ, in carne naſcentẽ exceperit, natum aluerit, cũ*
*hominibus conuerſantem portauerit, quod ſedẽti ſolium, oranti ſcabellum, dor-*
*miẽti culcitra et ceruical fuerit. Quid, quod ſola anguſtiarum eius arbitra, di-*



*uinis*

uinis eius lacrymis, & ſanguineo ſudore rigari, & auguſtiſſimis quinque vul-
nerum fontibus ſanctificari meruerit. Magna ſunt hæc, at maius longè, quod,
quem viuũ ſemper portauerat, mortuum ſuis viſceribus triduò amplexari, &
viuum hominibus reſtituere, denique & Angelis glorioſum triumphatorẽ red-
dere datum ſit. Non eſt, quod Apoſtolos memorem, qui hic, ceu in Euangelicæ
prædicationis theatro ſtupenda miraculorũ virtute innumeram languentium
multitudinem optatæ & incorruptæ ſanitati reſtituerũt. atque nulla vi & po-
tentia præditi, ſupra tria hominum millia vno die, imò hora, & aliàs infini-
ta Iudæorum millia ſub ſuaue Chriſti iugum diuini duntaxat verbi prædi-
cationis gratia pertraxerunt. Et quis enumerandis alijs ſufficiat? Hæc nónne
Iud. 6. vel ſola fateri nos cogunt, vt olim area manẽte ſicca ſolum Gedeonis vellus cœ-
leſti rore maduit, ita, toto terrarum orbe deſerto hãc ſolam regionem omni gra-
tiarum benedictione excelluiſſe? Floruerunt quidem, & vel maximè, Perſiæ,
Ægypti, Græciæ & Italiæ populi, ſed neſcio, an quiſquã ſit, qui rebus ipſis ve-
rè æſtimatis, aliam vllam regionem huic comparãdam putet? Non iam loquor
de rebus diuinis, quæ ſine cõtrouerſia gentis Iudaicæ propria ſunt & hæredita-
ria, ſed de ijs omnibus, quæ in hac vita ſplendoris aliquid, vtilitatis, aut neceſ-
ſitatis habent. quæ ipſa quoniam & ſtatim, & toto poſtea libro demonſtraturi
ſumus, ad cauſſas ſuſcepti huius operis tranſeamus.

Videlicet, cùm omnes tam noui, quàm veteris Teſtamẽti libri, locorum hu-
ius terræ, quæ & re & nomine ſancta eſt, iugem ac pene perpetuam celebrẽt me-
moriam, eorum abſque oculari intuitu, aut ſaltem topographica imagine, nul-
Epiſt. ad Domn. & Rogat. la poteſt eſſe cognitio: nam teſte Hieronymo; quomodo Græcorum hiſtorias ma-
gis intelligunt, qui Athenas viderint, & tertium Virgilij librum, qui à Troa-
de per Leucatem & Acroceraunia ad Siciliam, & inde ad oſtia Tyberis naui-
gauerint; ita ſanctam ſcripturam lucidius intuebitur, qui Iudæam oculis con-
templatus ſit, & antiquarum vrbium memorias, locorumq́ue vel eadẽ voca-
bula, vel mutata cognouerit. vnde & ipſi Hieronymo vel ob hoc ſolùm curæ fu-
it, cum eruditiſſimis Hebræorum hunc ſubire laborem, vt totam hanc circumi-
ret prouinciam, quam vniuerſæ Chriſti Eccleſiæ ſonant: Si vir ille ſummi inge-
nij antiquitatum, hiſtoriæ tum Eccliſiaſticæ tum profanæ pertiſſimus, qui inu-
ſitata memoria & incredibili diligentia, poſt Scripturæ Sacræ & tot linguarũ
cognitionem, omnes omnium auctorum libros euoluerat & perceperat, tamen
ſibi pene repueraſcendum exiſtimauit, vt huius terræ limites, veſtigia, valles,
rudera, augendæ pietati & parandæ doctrinæ præſens contemplaretur; quid no-
bis ſtatuẽdum eſt? nolo dicere qui ſimus, in comparatione illius viri, cui parem
tot ſæculà non habuerunt.

Bocatius In decad. Referunt hiſtorici Sultanum quendam Ægypti, cùm bellum à Chriſtiano-
rum populo expectaret, abuſque Alexandria non ſine ſummis periculis in Jta-
liam cõtendiſſe, & ibi maiore etiam metu, necubi deprehenderetur, noſtrorum
apparatum, ſtudia, vires, conſilia, ſumma arte & audacia conſideraſſe, atque
ea vna peregrinatione tantum fiduciæ concepiſſe, vt de victoria non dubitarit.
neque eum ſpes fefellit. nam cùm noſtri eò contẽdiſſent, paucis omnino menſibus
eiecti, pulſi & victi ſunt. Maiorum noſtrorũ memoria Carolus V. cùm in me-
dia Germania Saxonis & Lantgrauij arma ſuſtineret, iuſſit ſibi à Coſmogra-
phis &

PEÆFATIO.

phis & locorum illorum peritiſſimis accuratiſſimã tabulam fieri, in qua mon-
tes, valles, itinera, vrbes, &c. depicta cùm quotidie oculis ſubijceret, ipſos tan-
dem Germanos Germaniæ poſſeſſione depulſos, Imperio ſubiecit. neque arbitror
expectare quemquam vt hæc pluribus cõprobemus, quoniam ſatis cõſtet, quem-
admodum ſine locorum cognitione victoria ex hoſte parari non poteſt, ita ne-
que ad Bibliorum cognitionem ſine harum rerum cognitione quiſquam perue-
niet, quorum tamen lectio, meditatio, ſcientia, ſuccum nobis alimentum &
robur præſtat ad vitam æternam. Iccirco ad Dei T. Opt. Maximi gloriam &
clariorem S. Scripturæ intelligentiam, ex intimis eiuſdem ſcripturæ viſceribus
& medullis, ex probatiſſimis quibuſque Auctoribus, ex Ioſepho, Hieronymo,
Egeſippo, Plinio, Ptolomæo, Strabone, Brocardo, Breidenbachio, Saligniaco
& multis alijs, qui hanc terram inhabitarũt, perluſtrarunt, ac oppidatim ſunt
dimenſi, verum & germanum eius ſitum, ſicut ſummè floruit, maxima cum
induſtria, ac diuturna diligentiq́ue triginta annorum labore geographicè deli-
neaui, obſeruata vbique iuſta, quoad fieri potuit, locorum ſymmetria & com-
menſuratione.

Et quidem inter reliquos diligentiſſimus & exactiſſmus terræ huius perlu-
ſtrator & deſcriptor, vt iam dixi, viſus eſt Brocardus, qui quoniam eam ocu- Brocardus.
lis, eo maximè fine, & (quãtum apparet) incredibili quadam diligentia ad
ventorum rationem exegit, eum ferè ſemper ſecutus ſum, quod perſuaſiſſimum
haberem, non fuiſſe vnquam, qui voluerit magis, aut verò etiam potuerit me-
lius, perfectam & ſimplicem quandam ad huius rei cognitionem viam ſter-
nere. Neque pudet me imitari, qui ſciam hoc optimum quemque & facere;
neque ſanè aliter poſſe, quoniam ſcilicet nihil dictum eſt, quod non ſit dictum
prius. Nam cuius ſtuporis ſit, ſi vel ea ipſa loca iam viſitaſſem, & quanta poſſe
diligentia perſcrutatus fuiſſem, ob hoc quicquam mihi præ cæteris vendicarem,
aut nouam quandam indignam & ridiculam commentationem ex meo cere-
bro conſtituerem, quæ à veterum ſententia & rationibus δὶς διὰ πασῶν diſcre-
paret.

Jgitur doctiſſimos & diligentiſſimos viros ſecuti ſumus, eorum ſæpe verba,
ſæpius ſententias bona fide retulimus, multa interim de noſtro, vt cuiuis patet,
adiecimus: nolo hic labores noſtros metiri, metiti ſumus terram illam, & ſatis
ſuperq́ue ſudatum eſt. Et quod te imprimis tenere velim, candide lector, caui
ſemper ab aſſeueratione, niſi graues auctores haberem, nam in tam vaſto
opere (quod ſanè pro foliorum multitudine æſtimari nolim, ſed pro rerum pon-
dere & grauitate, probè mihi conſcius, quantum in eo ſumptuum, moleſtiarũ,
laborum exantlarim (ſæpe ſuſpiciones ſequimur, pugnantes, aut diſſidentes
aliorum ſententias referimus, aut certè vt ab alijs relata ſunt, bona fide poni-
mus, non alia ratione, mi Lector, niſi vt ex hac collatione veritas tibi illuceſ-
cat, & doctioribus quibuſque occaſio detur ex his quaſi dubijs quibuſdam
ad plenam aliquando & perfectiſſimam rerum illarum cognitionem pene-
trandi. ſed de his quæ doctrinæ ſunt & ingenij, iam ſatis. quod potiſſimum hoc o-
pere quæſiui pietas fuit, & vt fomenta pararem ſanctiſſimis quibuſque & di-
uiniſſimis cogitationibus. Refert Beatus Hieronymus, Paulã ægram & fati- In epitaph. Paulæ.
ſcentem, tanto tamen ardore ſingula paſſionis dominicæ veſtigia, Apoſtolorum


Martyrum,

*Martyrum, & V. Teſtamenti patrum, tū ipſius B. Virginis percurriſſe, in eorum contemplatione tanto gaudio perfuſam, tanta ſuauitate delinitam, vt illos quaſi coram oculis cernere & complecti videretur. an nō hoc idem nobis hîc planè integrum eſt, longè minori moleſtia, ſumptu minimo, vtilitate incomparabili, ſiue ſtudiorum fructum quaeras, ſiue meditationis materiā & pietatis. Vtrūque te ſequi velim, magis tamen hoc; ad hoc enim nati ſumus, vt meditatione paßionis & meritorum Chriſti, Chriſto commoriamur, & in æternum viuamus. Quem ego tam præclarum finem & mihi ex hoc labore precor & ſpero, & alijs, vt adipiſcantur, omni opere & conatu laborandum eſt. Scilicet hæc Terra illius Promiſsionis figura eſt, quam in cœlis expectamus, eò ſi huius cognitio nō refertur, doctrinæ fortaßis aliquid, fructus nihil habet. Sed iā ad Paleſtinæ noſtræ deſcriptionem redeamus.*

Nomina. *De nomine iam ante diximus, ſed quoniam inter ipſa nomina quædam poliſema ſunt, de ijs iam dicamus. Eſt igitur notatu dignum, quod quemadmodū nomē generis tribuitur ſpeciei, ita & hîc fiat, niſi quis malit potius è contrario.*
Cananæa. *Nam Cananæam putarim propriè & primitus eam partem fuiſſe, quæ diſtinguitur à Phereſæis, Jebuſæis & cæt. poſtea verò totam eam terram id nomen indigetaſſe. De Palæſthina certius dici poteſt, fuiſſe terram Philiſtijm, ſiue Phi-*
Palæſthina. *liſtinorum, quorum frequens mentio eſt in libris Regum, & omnino paucis tribubus, Iuda ſcilicet, Dan, & Simeon concludebantur. Tertiū nomen Judææ e-*
Iudæa. Hieron. in Loc. Act. *rit, nam quod dicitur Promißionis & Sancta terra, rectißimè quidem iam & veriſsimè ſemper dictum fuit, ſed præterquam quod in S. S. eorum mentio non ita fit, neſcio quomodo mihi videtur potius myſteria eſſe & Prophetiæ rationem habere quàm nominis. Igitur Iudæa, quæ maximè communis eſt hui⁹ terræ ſignificatio, aut pro tota terra Sancta accipitur, quam Palæſthinam appellari iam diximus, aut pro eiuſdam terræ parte tertia, Iudæa in ſpecie dicta, & tunc complectitur duas potentißimas tribus Iuda & Beniamin, quæ itidem duæ ſub vno Iudæ, aut etiam aliquando Beniamin nomine intelliguntur. Et quidem Iudæa in hoc ſenſu dicitur ad diſtinctionē Samraiæ & Galileæ, in quas tres partes ab Auctoribus eam terram diuidi videmus. Quod ſi ita eſt, neceſſarium eſt, vt ſub Iuda etiam Simeon & Dan comprehendantur, cogente videlicet ratione diuiſionis, & ipſa hiſtoriæ conſequentia, qua traditur Simeon & Dan portiones ex Juda accepiſſe, atque ideo etiam ſeparatas veteri nomine cēſeri. Jgitur tota Judæa, quæ eſt intra Jordanē, erit vel Galilæa, vel Samaria, vel in ſpecie Judæa.*
Samaria. *Neque tamē ignoramus hanc diuiſionē poſteriorem eſſe illam quæ ſequitur, ſed eò nos traxit nominis etymologia, & alioqui in Nouo Teſtamēto hæc vſitatior eſt, vt ſequēs in Veteri. Et ſanè B. Hieronymus docet, ꝙ apud hiſtoricos Judæa ad Palæſthinā, Samaria verò & Galilæa ad Phœnicem referatur. Quod qui-*
Galilæa. *dē, ſi ratio loci & propinquitatis habeatur, veriſsimū eſt. nam & hoc dici poteſt propter multas in ijs locis gentiliū vrbes, Tyrum, Sidonē, &c. perpetua bella, victorias, ſciſma demū ipſum Jſraëlis à Juda, hoc cōmodè defendi poſſe. Jgitur, quid Iudæa ſit, & quomodo à reliquis partibus ſecernatur, ad hūc modū à nobis explicatū ſit: nam ꝙ ad fertilitatē & cultū attinet, multū alias partes excelluit, propter ipſam Sacerdotij & regni Metropolim, fidei conſtantiam, promißiones de Chriſto. &c. quæ omnibus in promptu ſunt. de Samaria & Galilæa ſpeciatim ſuo loco agemus.*

*ſequi-*



*Sequitur altera diuiſio, & vt paullo acutius diſtinguamus origine prima illa, quam vocant, duodecim tribuum. Sed vt cumq; ſit, non tam poteſt accōmo-* Tribus
*dari terræ, quā ipſi populo, qui iuxta tribus diuiſus fuit, priuſquam illā terram introiſſet. Nam Ruben, Gad, & dimidia Manaſſe nō funiculis, ſed toto Iordane diſtinguūtur à reliquis: & quod potißimū eſt, dimidiæ Manaſſe, quaq; pro ſe, non video, cui tribui cedant; & cū funiculis nullo modo coniūgi poßint, propter Iordanē medium, qui pro funiculo eſt, & illud interuallū quod ab hac dimidia ad illam eſt, tum etiam propter præproperam earū duarum & ſemis tribuū à reliqua Iudæa diſtractionem fit omnino vt hæc neque tum ſtatim primo ingreſſu, neque etiam poſtea ita præcisè intelligi poßit, niſi ſimpliciter ad populū abſq; vllo reſpectu ad terram ipſam referatur, eſſent enim tribus tredecim, at nouem. Sed hæc latius perſequi, plus fortaßis argutiarum quàm fructus adferat. Igitur populariter agendo, erit hæc maximè vſitata diuiſio iuxta duodecim tribus ſeu ſortes, quas vſurpauit Ioſue iuxta præſcriptū Dei. Quod vt rectè intelligamus, accipimus duodecim filios Iacob, demptis mox Leui & Ioſeph, quorum locum,* Ioſu. 12.
*vt duodenarius impleatur, Ephraim, & Manaſſe duo Ioſeph filij ſupplebunt.* Deuter. 7.
*quod an benedictionis rationem habeat in Ioſeph, an nō, quandoquidē ipſe excluſus eſt, iam nihil intereſt; certè in Leui benedictio fuit: habuit enim propriam & ſingularem rationē, extra hanc ſortium computationē. Conſtitutis ad hunc modū tribubus duodecim, diuiſio iure ſtatim obtinuit, non itē effectu, & certe nunquam plenè præſcriptas ſortes tribus obtinuère. Erūt igitur in intellectu ſemper tribus duodecim, & duæ Manaſſes intelligentur quaſi ſubdiuiſio; ita nihil obſtabit, quo minus hanc rationem quibuſuis tēporibus intelligamus. Nam Ioſue ſemel diuiſit in duodecim partes, & iterū Manaſſem in duas, quod nihil impedit diuiſionē primā: diuiſit, dico, occiſis triginta & vno regibus, ac deletis ſeptē terræ Chanaan gentibus, Amorrhæis, nempe, Gergeſæis, Iebuſæis, Chananæis, Æthæis, Euæis & Phereʒæis. quam terrm diuiſionē ita, vt ab Ioſue facta eſt, funiculo diſtributionis ſeparaui atq; ſeiunxi, & omnes ac ſingulas vrbes, caſtra, pagos, vicos, mōtes, fontes, fluuios, ſyluas, cæteraq; huius S. Terræ loca. quorū in Biblijs, Ioſepho, Hieronymo, alijsq; fit mētio, ſuo quæq; loco collocaui. Neq; tamē, quia omnia ea loca diligētißime à me obſeruata & notata ſunt, quæ apud probatos inueniri potuerūt auctores, exiſtimare quis debet, non plures fuiſſe huius regionis ciuitates, & vicos, aliaq; loca, quàm in tabula delineata ſunt; cùm lōge plures extitiſſe, etiā ipſi auctores, quib⁹ vſi ſumus, licet non nominēt, ſatis inſinuēt. Nam Iſraelitarum dux Ioſue, vt ex ipſius libro ſatis patet, in ſortiū diuiſione eas tantùm deſcribit ciuitates, quæ limites erant, & tri-* Ioſu. 15. 16.
*buū termini, mediarum autem, quæ multò plures erāt, nullam fecit mentionē.* 17. 18. 19.
*Idem teſtatur, ꝙ ſingulæ ciuitates certos ſub ſe habebant pagos, vicos & villas, & Michæas Propheta, Bethlehē in millibus Iuda fuiſſe ſcribit. Neque enim alia in toto orbe regio eſt aut prouincia, quæ tā paruo ſpacio tā egregia, magna, & multa cōplectatur oppida, caſtra, pagos, ꝙ vt vno ſemel exemplo comprobemus, adferam⁹ in mediū regias ciuitates. Fuerūt in* ASER: *Achſaph, Sidō, Tyr⁹.* BENIAMIN: *Bethel, Gabaa, Jeruſalē, Jericho.* DAN: *Accarō, Geth, Lachis. E-*

★ 4 *PHRA-*

*Ciuitates regiæ* PRAIM: *Gazer, Samaria, Saron, Taphua.* GAD: *Rabba.* ISACHAR: *Aphec.* IV-
DA: *Arad, Bezec, Eglon, Hebron, Lebna, Maceda, Odolla, Taphua.* MANASSE
*1. Dor, Galgal, Iezrael, Mageddo, Tanac, Therſa.* MANASSE 2. *Aſtaroth, Da-
maſcus, Edrai, Geſſur, Machati, Soba, Theman.* NEPTALIM: *Aſor, Cedes, E-
math.* RVBEN: *Eſebon, Madian, Petra.* SIMEON: *Dabir, Gerara.* ZABVLON: *Ie-
conam, Semeron. Vides in tãtillo ſpacio quantum numerum regiarum ciuita-
tũ? quarum pauciſſimæ fuerunt quas non ille populus occuparit, occiſis vel eie-
ctis earum Regibus. Adijciemus eodem ordine ciuitates Epiſcopales, erit enim
hoc cum magno fructu lectoris, & ita melius introſpici poterit huius terræ præ-
ſtantia. Conſtituti autem ſunt his locis Archiepiſcopi, Epiſcopi, Suffraganei,
quorum omnium plenior explicatio è noſtris deſcriptionibus peti debet, nos vno
*Vrbes Epiſcopales.* *nomine oẽs Epiſcopos, et vrbes Epiſcopales dicim⁹* IN ASER. *Ptolemais, Sarepta,
Sidon, Tyrus.* BENIAMIN: *Ieruſalem, Iericho.* DAN: *Azotus, Iamnia, Ioppe.* E-
PHRAIM: *Lidda, Sichem.* GAD: *Aroer, Rabba.* ISACHAR: *Caiphas.* IVDA: *Beth-
lehẽ, Emaus, Hebron.* MANASSE 1. *Antipatris, Bethſan, Cæſarea Dor.* MA-
NASSE 2. *Adrach, Boſra, Damaſcus.* NEPTALIM: *Cæſarea Ppilippi, Cedes Nep-
*Ioſeph. 14. antiq. 11.* *talim, Neptalim.* RVBEN: *Petra.* SIMEON: *Aſcalon, Gaza.* ZABVLON: *Legio, Na
*Curiæ.* *zareth, Sephoris, Tabor, Tiberias. Docet etiã Ioſephus Iudæam habuiſſe quin-
*M.ſ in Chron* *que curias, quas in quinque locis conſtituerit Gabinius præfectus Romanorũ
militum, cùm attribuiſſet ſingulis, ſingulas metropoles. Hieroſolymam, Gada-
ram, Amathunta, Hierichum & Sepphorim Galilææ. Enumerat etiam vnde-
*Toparchiæ.* *cim Toparchias idẽ Ioſephus, quaſi dicas totidem præfecturas. hoc ordine: Hie-
roſolyma, Lebna, Acrabata, Thamna, Lidda, Ammaus, Pella, Idumæa, En-
gadda, Herodiũ, Hiericus. Vrbes Refugij & Leuitarũ ſuo loco in Leui expri-
memus. Erant & Iudææ partes quædam, vt Gamalitica, Gaulanitis, Bata-
næa & Trachonitis. erãt, quæ finitimis præerant, vt Iamnia & Ioppe. Erant
*Satrapiæ.* *ſatrapiæ Philiſtinorum quinque Accaron, Aſcalon, Azotus, Gaza, Geth. &
lõgè celeberrimæ Decapoleos vrbes: Aſor, Bethſaida, Bethſan, Cæſarea Philip-
pi, Capharnaũ, Cedes Neptalim, Corozaim, Iotopata, Sephet, Tiberias. & de
*Decapolis.* *diuiſione quidẽ totius & partium hactenus. Igitur annotata à me loca omnia
inſcripſi nouis & veteribus nominibns, miliaria collocaui, quæ vna hora com-
modè cõfici poſſunt, vt ea quaſi generali quadã ratione ad omnes alias hæc no-
ſtra deſcriptio aptari poſſit. Vrbes hac ferè nota depinxi: caſtra hoc modo
: pagos aut vicos tali : de quibus autem incertum eſt, ciuitateſne, an pagi,
vel caſtra fuerint, hoc modo ſignaui. Porro quod in generali totius Paleſtinæ
tabula propter ſpacij anguſtiã fieri nõ potuit; præclariora quælibet loca vt cui-
uis inſpiciẽti ſtatim eſſent obuia in ſingulis ſingularum tribuũ tabulis ſuis notis
inſigniui: Vrbes regias regio diademate, mitra Epiſcopales, aſteriſco Leuiticas,
ſigno crucis ciuitates refugij. Curias autem & Toparchias ſuis capitalibus C.
& T. litteris diſtinxi. Satrapias denique & ciuitates Decapoleos ſui numeri
notæ: illas quidẽ V. has X. demõſtrant. Nouerit etiã lector, ſi quãdo al. fl. m. n. o.
p. occurrãt, legendũ eſſe alias, fluuius, mõs, nunc, olim, poſt. Aduertat porro de-
ſertũ illud ampliſſimũ, in quo filij Iſrael duce Moyſe ex Ægypto in promiſſionis
terrã tranſeũtes annis quadraginta morati ſunt, cũ itinere manſionib. eorũ, &
parte Ægypti ſimul & finitimas circũquaq; regiones ne iſtius ſolitudinis ac re-
gionum*



*gionum amplitudine tabula ſupra modum excreſceret, anguſtiori ſpacio, mino-
riq; figura, quàm huius tabulæ proportio exigebat delineatum eſſe. Vrbes exte-
ras, quæ tabulæ commodè adijci potuerunt, adiecimus circumquaque. Loca ve-
rò, quorum origo, nominum varietas, & forma tabulæ inſeri commodè non po-
terant, geſtorum etiam memorabilium maximeq́ue inſignium epitomen ſeorſim
in hoc commentario delucida breuitate cõſcripſi, appoſito cuique loco ſuo nomi-
ne, ac literarum, cyfrarumq̀ue numero, qui in qualibet tribu locum deſignatum
indicent, quos ob hoc adiecimus, vt eſſent paragraphi quidam, Indici videlicet
& memoriæ lectoris plurimùm conducturi, tum vel maximè ad intelligendas
hiſtorias & loca illa, quibus in charta aſſignantur. Quin etiam vt fides dictis
habeatur, loca originalia, vnde hæc deſumpta ſunt, in margine plerumque ad-
ſcripſi. Diſtributum eſt totum opus in partes tres: neque putaui alia methodo in
harum rerum traditione vtendum, quàm ſimpliciſſima, non tantùm doctis, ſed
omnibus omnino, qui aliquem modo ſcientiæ guſtum habeant, apertiſſima. Pri-
ma pars complectetur tribus omnes, hoc ordine, cum deſerto Pharan: Aſer, Be-
niamin, Dan, Ephraim, Gad, Iſachar, Iuda Leui, Manaſſe 1. Manaſſe 2. Ne-
ptalim, Pharan deſertum, Ruben, Simeon, Zabulõ. Habebũt tabulam genera-
lem, reliquæ omnes etiam ſpeciales, præterquam Leui. Secunda pars complecte-
tur deſcriptionem Ieroſolymæ, cum Tabula. Tertia habebit Miſcellanea quæ-
dam locorum. Sequetur poſtremum index eorũ Auctorum, quibus vſi ſumus.
Atq; ita, Lector optime, ſi his lectis & intellectis iterum te ad Biblia conferas,
videbis multa, impedita antea, obſcura, inuia, apertiſſima tibi eſſe, & quaſi
manu ad cognitionem eorum omniũ deduceris, collatis videlicet tábulis noſtris
ad ipſam deſcriptionem, quæ tibi per ordinem Alphabeticum, vel per numeros
ſtatim aperitur, ne vſquam labi vel errare poſſis, vt hæc ocularis inſpectio loco
multorum & magnorum commentariorum tibi eſſe debeat. Tu verò, ſi hìc
maxima diligentia, fide, ſtudio, ſumptibus, & laboribus immẽſis nihil peperci,
vt tibi ſatisfacerem, & quod poſſum cum paupercula in gazophilacio
Chriſti deponerem, memento mei in precibus tuis apud Domi-
num, vt mihi pro tot ſudoribus & vigilijs, quietem
& gloriam tribuat in cœ-
lis. Amen.*

## EPIGRAMMA AVCTORIS
### in Palæſthinam.

*Melle fluit terra hæc promiſſa, & lacte redundat:*
*Aſt ea quæ ſurſum eſt, nectare & ambroſia.*

IN

# IN THEATRVM TERRÆ SANCTÆ, CARMEN

IORDANI LOVFFII, I. C.

*Si vacat à curis aliquot, grauioribus, horis,*
*Hoc videas præſens munere lætus opus.*
*Omne tulit punctum commiſcens vtile dulci,*
*Ipſius vt melior lectio teſtis erit.*
*Si veteris guſtare iuuet ſecreta Moyſi,*
*His velut indicibus multa retecta patent.*
*Nā ſacra quæ celebrāt monimēta, vt flumina, mōtes,*
*Vrbes, hîc oculis omnia nuda tuis.*
*Et Pharaonis iter, Iudæ per ſicca phalanges,*
*Singula ſunt, poſitis hic manifecta notis.*
*Hîc arces Solymæ, montis iuga ſancta Sionis,*
*Scandere nc pigeat quo licet illa pede.*
*Hîc etiam quæ Diua parens Montana petiuit,*
*Quasq́ aliâs legitur nobilitaſſe vias.*
*Hîc venerēre lubens etiam veſtigia Chriſti,*
*Illius & roſeo ſparſa cruore loca.*
*Sed numerum vincunt, ſtricti magè carminis vſum,*
*Quæ ſubit errantem dum reuocaret ouem.*
*His tamen accepta recreantur luce tabellis,*
*Quæ præeunt inſtar lampadis, atq́ ducis.*
*Ipſaq́ nos veterum ſtimulant exempla fideles,*
*Quosq́ monet Chriſti nominis altus honor:*
*Vertere & in melius fugientes temporis horas,*
*Atq́ pares caſtis moribus eſſe viris.*
*Sin ſecus & noſtras maculemus ſordibus oras,*
*Lucida nec poterunt numina ferre diu.*
*Noſtis vt Hebræos, gentem magis omnibus vnam,*
*Ipſe pater quondam fouerit æthereus.*
*Fit comes, alloquitur, ſua per miracula firmat*
*Pandit eis imi pectoris alta ſui.*
*Protegit, exornat templo rituq́ ſacrorum,*
*Et facit, hæc ſumma eſt, omnibus eſſe ſuper.*
*Hos tamen ingratos nimium, nimiumq́ rebelles*
*Deſerit, & gentes ad ſua dona vocat.*
*Queis ſubitò Graias, Aſiæq́ repleuerat vrbes,*
*Munera fortunans ſancta, fauore Deus.*
*Quiſquis enim certat propria feritate ſubacta,*
*Barbara manſueto ſubdere colla iugo.*
*Rurſus vbi pereunt honor & reuerentia diuum,*
*Hic & opus fidei, fasq́, piumq́ iacet:*
*Peſtifer irato ſubmiſſus munere Mahum,*
*Quod ſupereſt recti, viribus, arte, petit.*
*Pellitur ad gelidas Europæ deniq́ fines*
*Alma fides, aliquo tempore culta ſatis.*
*Poſt (dolor) inuadens proceres aliosq́ verternus,*
*Facit vt incultum ſeuerit hoſtis agrum.*
*Nec mora læthiferis ſe prodit fertile ramis*
*Infælix lolium, tritica ſana necans.*
*Impia ſacrilego moueat quæ ſecta furore,*
*Fas & iura premens, quid refricaſſe iuuat?*
*Exigit innocuos, terrasq́ latronibus implet,*
*Se ſocians paribus, ſceptra Iouemq́ quatit.*
*Fit iocus (heu) veterum peſſundare dogmata, ritus,*
*Senſa patrum, ſummo cuncta ſacrata Deo.*
*Hæc igitur ſecum recolens & fata priorum,*
*Corripitur iuſto (mens niſi læua) metu.*
*Haud poterit mergi (fateor) tua Petre carina,*
*Nec tamen eſt ſtabili ſola refixa loco.*
*Aſt modò nos fido placemus pectore numen,*
*Illius haud fuerit debilitata manus.*
*Quin ſolet afflictos, etiam commiſſa luentes,*
*Robore de cælo ſæpe iuuare. Vale.*

## Index eorum quæ hoc volumine continentur.


*Præfatio in Palæſthinam.*

*Deſcriptio Terræ Sanctæ iuxta duodecim Tribus Iſraël, cum deſerto Pharan, omnia ordine alphabetico, adiectis tabulis geographicis, vniuerſali videlicet totius Terræ Sanctæ, & ſingularum tribuū particularibus, ac deſerti quoque Pharan.*

*Deſcriptio vrbis Hieroſolymæ, cum ſua quoque tabula topographica.*

*Miſcellanea quædam locorum.*

*Chronicon generale quidem: ſed breuiſſimum ad noſtra vſque tempora.*

*Chronicon alterum, vtriuſque Teſtamenti hiſtorias, ab ipſo mundi initio per Patriarchas, Iudices, Reges, Prophetas, Macchabæos,* D. N. IESVM CHRISTVM, *& Apoſtolos deductum ad mortem vſque D. Ioannis Euangeliſtæ, Apoſtolorum vltimi, annotatis vbique diligentiſſimè temporum rationibus.*

*Catalogus Auctorum, quibus auctor in toto opere vſus eſt.*

*Index denique vniuerſalis verborum & rerum memorabilium.*

# SITVS TERRÆ PROMISSIONIS SS BIBI



IORVM INTELLIGENTIAM EXACTE APERIENS: PER CHRIS




IANVM ADRICHOMIVM DELPHV
ARABIÆ PETREÆ PARS
Amalecitæ et regio quæ hinc ad Ægyptum extenditur
Amalec
Euila solitudo
Elath
DESERTUM ZIN QVOD ET CADES
Phunon
Salmona
Palma Cades
Petra
Cades
Sepulcrum Mariæ
Aquæ contradictionis
Via maris rubri
Sepulcrum Aaron
Hormons
AMORRÆUS MONS
Sepher mons
Remmonphare
Ressa
Lebna
Ceelata
Arada
Thaath
Maceloth
Thare
Methca
Esmona
SINAI mons
OREB mons
Sepulcrum S. Catarinæ
Core
Desertum Sinai
Moserots
Asiongaber
Hebrona
Iabata
SER
Terra Madian
Amalec
Raphia
Daphca
DESERTUM SIN
Elim
Castra ad mare
Sepulcra concupiscentiæ
Via montis Amorrei
Pharan
DESERTUM PHARAN
Thamna
Æsimon
Aseroth
PHARAN
Campestria seu planicies
PHARAN MONS
CEDAR REGIO Ismaëlitarum seu Agarenorum quos nunc Saracenos vocant
SUR DESERTUM
Desertum Etham
Traianus flu.
Ramesse
Terra Gessen
Phiton
Delta
Nilus fluvius
Desertum Thebaidis
Thebais Regio
Thebe
Beelsephon
Magdalus
Phairoth
Babylonia n. Cairus
Memphis
Pyramides
Etham
Heliopolis
Sinus Arabicus
Ptolomeus flu.
ÆGYPTI PARS
Nitria
Ieremias
Tanis
Via terræ Philistijm
Magdalum
Sirbonis lacus
Palude
OCCIDENS
Manasse
Ephraim
Beniamin
Simeon
Gerso nitæ
Aser
Tabernaculum
Ruben
Dan
AQUILO
MERIDIES
Dispositio castrorum quibus Israëlitæ in deserto singulis mansionibus vsi sunt a monte Sinai vsq. in terram promissionis. Num. 2. et 3.
Gad
Zabulon
Isachar
Iuda
Via Sur
Templum Iouis
Ostracina
Nain
Daron
Torrens et fluuius Ægypti
Via Ægypti
Cedar Regio
ORIENS
Sepulcrum Pompeii
Casius mons
Facidia
MARE ÆGYPTIACUM
ALEXAND
Mareotis
Ostium Nili
Quid, amice lector, in hac generali terræ sanctæ descriptione in suburbanis vrbis Hierosolymæ desideres; id in propria eius vrbis descriptione accuratius ac perfectius inuenies. quæ cyfris notata vides, plenius in descriptionibus nostris explicata habes vale et fruere.


TRIBVS ASER
id eſt, portio illa Terræ Sanctæ, quæ Tribui Aſer in diuiſione regionis attributa fuit
PARS TRIBVS NEPTALIM
PARS TRIBVS ZABVLON
Tabernaculum Aber Cinei
Naaſon
Aſor
Cariathaim
Cabul . 28
Nehiel . 61
Bethemec 26
Abdon . 2
Aſſedim
Abran 3
PARS GALILÆÆ SVPERIORIS SEV GALILÆÆ GENTIVM.
Roob . 69
Gabala . 40
Cydoeſſa 36
Rama . 68
Hethalon 48
Baca . 18
Aphec . 15
Giſcala . 43
Caſtrum Regum 34
Chali . 35
Cades . 29
Thoron 83
Gadare 41
Ooli . 62
Alab . 7
Georgia 42
Amon . 12
TRIBVS ASER.
Gabaragana . 41
Anathon
Enoch 39
Planicies Libani . 64
Bathme . 19
Amma . 11
Hacoc 44
Meroth . 57
Amaad 10
Bethdagon . 24
Bethebem . 25
Hermon mons 47
Phœnicia
PHOE
NICI
AE PARS 63
Terra Chabul . 82
Cana Galilææ
Heuæi 47
Cana maior . 31
Aniel . 13
Montes Tyri . 60
Elmelech 38
Indi . 52
Vallis Aſer fertiliſs . 87
Sior . 80
Campus Libani . 64
Baalgad mons . 17
Alcath al. Elcath . 9
Via Ituræa 88
Jeptael vallis . 51
Terra Maſpha . 30
Belfort . 21
Bethen 27
Achſaph . 4
Baalgad
Labanath . 53
Cateth
Adonis fluuius . 6
S. Georgius
Campus Maſphe . 30
Antilibanus mons foecudus vineis
Caſtru nouum 33
Hoſa . 50
Mons Fortis 59
Cendeuia Palus . 22
Beſara . 23
Eleutherus fluuius 37
Saron mons 73
Bedar . 20
Aquæ Maſerephot . 16
Maara Sidonis p. Cauea Tyri 54
Horma 49
Helba . 45
Tyrus antiqua . 86
Acziba p. Ecdippa . 5
Scala Tyriorum . 74
Memnonis Sepulcrum 56
Silua Pinea 79
Sidon 77
Helbacer 46
Sarepta 71
Silua . 71
Via Sidonis . 89
Puteus aquarum viuentium
Sandalium
Sida . 76
Caſtrum Lamberti 32
Pons Beli flu. 65
Miſſal 58
Zabulon
Scopuli . 75
Albium promontorium
Via Tyri . 90
Ptolemais n. Acon 66
Tyrus 84
MARE SYRIACVM ET PHOENICVM 63
MARE MAGNVM
Miliaria vnius horæ
1 2 3 4 5 6

# TERRAE PROMISSIONIS, ET SINGVLARVM TRIBVVM, LOCORVM, AC FINITIMARVM REGIONVM EIVS, INSIGNIORVMQVE RErum

*rum ibidem geſtarum ſuccincta & accurata deſcriptio: opera & induſtria Chriſtiani Adrichomij Delphi ex ſacræ Scripturæ medulla, ipſiſq; antiquitatibus eruta, & in lucem prolata: per omnia cyfrarum numeris ſuæ nunc æditæ, & ad viuum expreſſæ topographicæ delineationi conformis ac reſpondens.*

## A.

## Tribus Aſer & confinia eius.

### I.

ASER, octauus filius Iacob, qui
*Gen. 30.* & Iſraël, filij Iſaac, filij patriar-
chæ Abraham, natus ex Zel-
pha ancilla Liç vxoris eius, ſe-
men Abrahæ in Aegypto ita
multiplicauit, vt de eius tri-
bu, exceptis paruulis & mulieribus, ad montē
*Num. 1.* Sinai numerati & inuenti ſint à 20. anno & ſu-
prà, viri ad pugnam apti quadraginta millia
& mille quingēti. Quibus omnibus iuxta Dei
ſententiam in deſerto mortuis, eorum filij, vi-
*Nu. 14. 16.* ri bellatores numero quinquaginta tria mil-
lia quadringēti terram promiſſionis ingreſſi,
in ſortium diuiſione citra Iordanem ad mare
*Ioſue 19.* magnum eam, quam in topographica noſtra
tabula delineatam ac funiculo protractam vi-
*Iudic. 5.* des, terræ acceperunt poſſeſſionem: totam oc-
cupantes regionem à Sidône magna, vſque ad
*Ioſe. 5.* Carmelum maris, quæ in longitudine viginti
*ant. 3.* miliariorum continet ſpatium: in latitudine
*Brocard.* verò à mari magno tum vſque Aſor, tum vſ-
*itin. 7.* que Naaſon, per nouem miliariorum ſpatiū
extēditur. Terra huius tribus pinguiſſima eſt,
ac vino, oleo, & præſertim optimo tritico fœ-
cūdiſſima: in qua Prophetia hæc benedictiōis
*Gen. 49.* Iacob ſecūdum literam impleta eſt: Aſer pin-
guis panis eius, & præbebit delitias Regibus.

## Loci tribus Aſer.

### 2.

ABDON ciuitas tribus Aſer, quæ cū ſuburbanis ſuis, Leuitis ſperarata eſt, de qua Ioſue 21. 1. Paral. 6. Hieronym. tomo 3. de locis Hebraicis, litera A.

### 3.

ABRAN, aliâs Acram ſiue Achran, ciuitas in tribu Aſer. Ioſu. 19. Hieron. in loc. Hebr. lit. A.

### 4.

ACHSAPH, quæ aliâs Axab, ſiue Axaph, Hieronymo Aciſap dicitur, regalis & potens vrbs in tribu Aſer: cuius Rex contra Ioſue ad aquas Meron pugnans, occiſus eſt. Ioſ. 11. 12. 19. Hieron. de loc. Heb. lit. A.

### 5.

ACZIBA, quæ & Achazib, Hieronymo *Ioſ. 19.*
Achziph: maritima & robuſta vrbs tribus *Iudic. 1.*
Aſer, quam filij Aſer initio expugnare non *Hieron. de*
potuerunt. Hæc, teſte Hieronymo, poſtea Ec- *loc. Hebr.*
dippa vocata eſt, ſita in nono miliario Ptole- *lit. A.*
maidis, pergentibus Tyrum: cuius etiam Pto- *Ptol.*
lemæus meminit, & Ioſephus, qui eam Ecdip- *Ioſe. 1.* *bel. 11.*
pon nominat.

### 6.

ADONIS fluuius, qui ex Libano monte
profluit, contra Aquilonem tribus à ci- *Plin. 5. nat.*
uitate Beryto, & totidem cōtra Auſtrum à Bi- *hiſt. 20.*
blo miliaribus mare magnum ingreditur. No- *Ptol.*
men Adonis ſortitus, ab Adonide Bibliorum
& Cypriorum regis filio, quem ob formæ ex-
cellentiam Venus in delitijs habuit. Quo, dū
in nemore venatur, primo ætatis flore apri
dente ſub inguine percuſſo & occiſo, quotan- *Ezech. 8.*
nis à Gentilibus in menſe Iunio, tum in Biblo *Hiero. ibi.*
Phæniciæ vrbe, in qua & templum habuit, tū
alibi gentium, ſolenni ritu anniuerſaria occi-
ſionis eius dies ingenti planctu celebrabatur:
quo die, ſi Luciano credimus, fluuius hic in-
ſtar ſanguinis rubeſcebat. Idem fluuius Chri- *Tyr. bell.*
ſtianorum tempore, Canis vocatus eſt: ad *ſacr. lib. 10.*
quem Hieroſolymitanum regnum, ac Patri- *ca. 5. 19. &*
archatus terminabantur; & Antiochenus Pa- *lib. 14. cap.*
triarchatus & Comitatus Tripolitanus inci- *14. & li. 16.*
piebant. In huius fluuij oſtio excelſi, aſperi, & *cap. 29.*
prærupti attolluntur montes, qui Climax, id *Vitriac.*
eſt, gradatio ſiue aſcenſio vocātur: penes quos *ca. 33. 34.*
Lycus fluuius in mare prorumpit. Hi cùm *Brei. itin. 1.*
iter facientibus, iuxta mare aditum negarent, *Domin.*
Imperator Anthonius difficultatem iſtam *Mari.*
tollere cupiens, montes incîdi iuſſit, ac angu- *Niger geo-*
ſtam inter montes viam aperuit: quod epi- *grap.*
gramma in ea exciſione, hoc modo inſcul- *Aſiæ con. 4.*

ptum indicat: Imper. Cæſ. Anthonius pius, felix, ſemper Aug. Brit. Max. Parth. Max. German. Max. Pont. Max. montibus imminentibus Lyco flumini cæſis, viam dilatauit per Antonianam ſuam. Quæ quidem via ob anguſtiam & imminentes montes periculoſiſſima, ac pene imperuia eſt, vt pauciſſimi viri facili negotio numeroſo exercitui hîc tranſitum impedire poſſent. Nā latitudinis vix habet cubitos duos, at longitudinis ſtadia quatuor. Nomen hiſce anguſtijs à Cane fluuio, cui tranſitum præbet, à quibuſdam Paſſus Canis inditum eſt: ab alijs verò ob frequenter paganorum Chriſtianis hunc tranſitum prohibentium excurſiones, Paſſus pagani dicitur. Quem Chriſtianorum exercitus aliquoties non ſine ingenti periculo tranſijt.

7.

ALAB, aliâs Ahalab, Hieronymo Chalab, vrbs valida. De hac etiam cultores priſtinos tribus Aſer primis annis expellere non potuit. Iudic. 1. Hieron. in loc. Heb. lit. C.

8.

ALBVM promontorium, vbi inter prominentes montes, & æſtuoſum mare arctus & periculoſus tranſitus eſt. Tyr. 7. bel. ſac. 22. Bonauent. Mercat. Stell.

9.

ALCATH, aliâs Elcath, & Elrath, Hieronymo Elehath, ciuitas, quæ cum ſuburbanis ſuis de tribu Aſer data eſt Leuitis. Ioſ. 19. 21. Hieron. de loc. lit. E.

10.

AMAAD, Hieronymo Amath, ciuitas tribus Aſer. Ioſ. 19. Hieron. in loc. Hebr. lit. A.

11.

AMMA, Hieronymo Amna, ciuitas fortis Aſer. Ioſ. 19. Hieron. de loc. Heb. lit. A.

12.

AMON, ſeu Hamon, ciuitas in tribu Aſer. Ioſ. 19. Hieron. de loc. Hebr. lit. A.

13.

ANIEL, aliâs Anee, in tribu Aſer. Hieron. de loc. Heb. lit. A. & B.

14.

ANTILIBANVS mons fœcundus, & optimis vineis abundans, ad Orientem à Sidone vno miliario diſtat. Qui verſus Auſtrum à fluuio Eleuthero ſumens initium, & contra Aquilonem vltra Tripolim ad ciuitatem Archis vſque vergens, triginta miliariorum ſpatium abſoluit. Nec à mari magno vltra duo miliaria recedit, niſi iuxta Tripolim, vbi ferè tribus ab eo miliaribus ſeiungitur. In quibuſdam autem locis mari tam propinquus eſt, vt ipſum contingat, & ab eo alluatur. Broc. itin. 1. Breid. ibid.

15.

APHEC, aliâs Afeg, munita vrbs fortis Aſer: cuius etiam habitatores priſtinos Aſeritæ initio delere nō potuerunt. Ioſ. 19. Iud. 1. Hieron. de loc. Hebr. lit. A.

16.

AQVAE Maſerephot, aliâs Maſſerephot, Hieronymo Maſrephoth maim. Salinæ ſunt iuxta mare magnum, vbi tempore exceſcentis & inūdantis maris, aqua in alueos quoſdam fluit: & aut ſolis feruore, aut igne in ſal excoquitur. Ad has vſque aquas filij Iſraël duce Ioſue perſecuti ſunt Chananæos.

*Ioſ. 11. & 13. Hieronym. in lo. Hebr. lit. M. Lir. in Ioſ. 11.*

17.

BAALGAD, aliâs Baalgath, mons: item & vrbs in Campo Libani ſub monte Hermon ſita: fortaſſis mons hic erit, cuius ſub nomine Ahalach meminit Hieron. in loc. Heb. Ioſ. 11. 12. 13. Bonau. Bened. in interpret. nom. Hebr. Mercat.

18.

BACA vicus, vnde Galilæa ſuperior incipit: terramque Tyriorum dirimit. Ioſe. 3. bel. 2.

19.

BATHNE, in tribu Aſer. Hieron. de loc. Hebr. lit. B.

20.

BEDAR municipium, ſitum in Territorio Acon, quod cum ſuis agris Balduinus 1. Rex Ieruſalem Bethleemitico Epiſcopo cū hæreditario iure dono dedit. Tyr. 11. bell. ſacr. 12.

21.

BELFORT, aliâs Belcifort & Bellofort, à ſua pulchritudine ſimul ac fortitudine, vt æſtimo, nomen habens: munitiſſimum eſt caſtrum militiæ templi iuxta Horma ad Eleutherum fluuium in montanis ſitum: quod cùm Saladinus Aegypti, Damaſci, totiuſque Syriæ Rex obſideret, aduenienti valido Chriſtianorum exercitu, ſoluta obſidione, cum eis confligens, multis ex ſuis occiſis, terga dare compulſus eſt. Tyr. 21. bell. ſacr. 29. Herold. contin. bell. ſacr. libr. 2. cap. 4. Vitriac. cap. 95. Breid. itin. 1.

22.

BELVS, aliâs Beleus, fluuius exiguus, ſed profundus, quem & Pagidā vocant, duobus à Ptolemaide ſtadijs diſtat. Qui è proximis montibus ſcaturiens, rotundam quādam centum cubitorum præterlabitur vallem, admiratione digniſſimam. Plinio Cendeuiam paludem appellatam: vbi primò compertum fuiſſe vitrum, idem autor ſcribit: vitreā enim

*Ioſ. 2. bel. 9. Plin. lib. 5. al. 6. c. 19. Tyr. bel. ſac. lib. 10. ca. 26. & li. 13. ca. 3. & lib. 20. cap. 14. Vitriac. cap. 25. & 84.*





habet arenam, ex qua igne liquefacta vitrum conflatur: quàm cùm exhauſerint multæ naues, pariter accedentes, locus idem rurſus impletur. Venti ſiquidem quaſi dedita opera, conuehunt illuc de circumiacentium montium ſupercilijs arenam iſtam, vtique communem: locus autem mirabili quadam natura, tum ipſam arenam, tum alia quoq;, quæ ſuſceperit metalla, in vitrum ſtatim mutat. Mirabilius quoque illud videtur, quod iam conuerſæ arenæ in vitrum, quæcunque pars ſuper margines loci ipſius fuerit iacta, in vulgarem arenam denuò conuertitur: meminit huius fluminis etiam Tacitus.

23.

BESARA, oppidum in Ptolemaidis ſitum confinijs, quod vigeſimo à Gaba ſtadio abeſt. Ioſephus in vita ſua.

24.

BETHDAGON, ciuitas in tribu Aſer. Ioſ. 19.

25.

BETHEBEM, vicus in octauo miliario Ptolemaidis contra Orientem. Hieron. de loc. Hebr. lit. B.

26.

BETHEMEC, aliâs Bethemeth: ciuitas fortis Aſer in valle ſita, vnde & nomen habet. Ioſ. 19. Hieron. in loc. Hebr. lit. B.

27.

BETHEN, ſiue Beten, ciuitas in tribu Aſer. Ioſ. 19.

28.

CABVL, Hieronymo Chabol: ciuitas, quę tribus Aſer terminus eſt. Ioſ. 19. Hieron. in loc. Hebr. lit. C.

29.

CADES, quam Ioſephus Cedaſam, aliâs Cedeſſam nominat, vrbs eſt Tyriorum agro & regioni Galilææ propinqua, vbi Ionathas Machabæus Demetrij principes, validūque exercitum debellauit. 1. Machab. 11. Ioſ. 13. ant. 8. & 2. bell. 19.

30.

CAMPVS Maſphe. Huc vſq; Ioſue Chananæos perſecutus eſt. Ioſ. 11.

31.

CANA ſiue Chana maior, ciuitas eſt in tribu Aſer. Eſt quippe, inquit Hieronymus, & altera Cana, quæ minor appellatur, vbi Chriſtus aquam mutauit in vinum: ad cuius diſtinctionem maior hæc dicitur. Hinc erat mulier illa Chananæa, Syrophęniſſa genere, cuius filiam Dominus à Dæmonio liberauit. Sunt tamen, qui Chananæam dictam putant, quod ex poſteritate Chanaan ſuperſtes eſſet.

*Ioſ. 19. Hiero. in lo. Heb. lit. C.*

*Matth. 15. Marc. 7.*

32.

CASTRVM Lamberti, ſiue Lamperti: verſus Aquilonem à Ptolemaide quatuor, contra Auſtrum verò à Sandalio caſtro tribus diſtans miliaribus, ſub monte Saron iuxta mare ſitum, vineis, hortis, aquis, atque fluminibus abundat. Broc. itiner. 1. Breid. ibidem.

33.

CASTRVM nouum. Chriſtianorum præſidium in montanis, quæ Tyrenſi vrbi ab Oriente adiacent, ſitum: in quo nobilis Baro Hemfredus de Torono, Hieroſolymitani regni Conſtabularius, qui id ædificauerat, defunctus eſt. Poſt cuius mortem ſequēti ſtatim menſe Saladinus rex prædictum caſtrum obſedit, crebriſque inſultibus & denſo ſagittarum nimbo præſidiarios Caſtri milites fatigauit. Quo in opere cùm vnus ex intimis eius ſagitta occideretur, eius morte conſternatus, ſoluta obſidione diſceſſit. Tyr. bell. ſac. lib. 21. cap. 27. & lib. 22. & cap. 5. & 24.

34.

CASTRVM Regium, quondam dominorum Teutonicorum: quod contra Vulturnum à Caſtro Indi tribus, contra Africum autem à tabernaculo Aber Cinæi quatuor miliaribus in valle ſitum, optimis quibuſque fructibus abundabat. Broc. itiner. 3. Breid. ibid.

35.

CHALI ciuitas, quæ tribus Aſer terminus eſt. Ioſ. 19.

36.

CYDOESSA: in ſuperiori parte ciuitatis Giſcalæ mediterraneus & validiſſimus eſt Tyriorum vicus, Galilæis ſemper exoſus: vbi Titus, cùm Giſcalam obſideret, caſtra poſuit. Ioſ. 4. bel. 4.

37.

ELEVTHERVS fluuius: qui ex Libano monte in Ituræa prorumpit: & per regionem Emath & Roob, atq; Galilæam gentium fluens, Velanam vrbem ac caſtrum Belcifort alluit: tandemque iuxta ciuitatem Horma, tribus ferè à Tyro Aquilonem verſus, duobus autem à Sarepta contra Auſtrum miliaribus, mari magno miſcetur. Hic fluuius teſtudinibus abundat: de quo Plinius ſic ſcribit: Leſtudines Phœnicio mari vltro veniunt ſtato tempore anni in amnem Eleutherum effuſa multitudine. Ad hunc vſque fluuium Ionathas Machabæus Ptolomæum Philo-

*Broc. itin. 1. Breid. ibid. Poſtell. Tyr. 7. Bell. ſacr. 22. & 13. bel. ſa. 9. Plin. lib. 9.*

*1. Mach. 11. & 12. Ioſ. 13. ant. 7. & 8. Item 15. ant. & 1. bell. 18.*

metora Aegypti Regem comitatus eſt. Per eundem fluuium Demetrij principes ac milites à facie Ionathæ in Amathite regione caſtrametantis, ſibi timentes, incenſis noctu caſtris, clam fugam cœperunt. Huius fluuij Ioſephus, Plinius, Ptolomæus, alijque aliquoties mentionem faciunt.

38.

ELMELECH, aliâs Elmeleth, Hieronymo Alimelech: ciuitas in tribu Aſer. Ioſe. 19. Hieron. de loc. Heb. lit. A.

39.

ENOCH ſiue Henoch, Ioſepho Eenoſa, aliâs Henochia dicta: ciuitas omnium in toto Orbe prima: quam Cain in Libano monte ædificauit, muriſque communiuit: atque ex nomine Enoch ſeu Henoch primogeniti ſui, Enoch vocauit. Genſ. 4. Ioſe. 1. ant. 4. Poſtell. Enos al. cuius etiamnum maxima, & ingentis molis fundamenta videri ait Io. Viterbien. apud Naucl.

40.

GABALA, mediterranea vrbs Galilææ, quam Herodes Aſcalonita inſtaurauit. Ioſ. 13. ant. 21. & 15. ant. 10. Ptolom.

41.

GABARAGANA, & Gadare, oppida iuxta Giſcalam, quorum populi Gabaraganæi, & Gadareni dicti, vnà cum Tyrijs, collectis validis copijs irruentes, ciuitatem Giſcalam expugnauerunt: qua incenſa atque diruta, domum ſe receperunt. Ioſephus in vita ſua.

42.

GEORGIAS. Georgij caſtrum, in quo ipſe natus eſt, à Ptolomaide directè contra Orientem quinque miliaribus, à Naaſon autem verſus Occidentem quatuor miliaribus, in valle pingui tribus Aſer, in montanis ſitum Breid. itin. 4. Bonauent. Mercat.

43.

GISCALA, Galilææ ciuitas firmis portis, & muris munita, ac populo frequens: patria ſeditioſi illius ac nequitia nobiliſſimi Ioannis Leuię filij. Quā Veſpaſiani tempore primò (vt & ſupra memini) vicini populi Gadareni, Gabaraganæi, & Tyrij expugnauerūt, incenderunt, atq; diruerunt. Quę Ioſephi fortiſſimi ducis Galilææ, & poſtea hiſtoriographi, iuſſu per prædictum Ioannem Leuiæ filium inſtaurata, ac mœnibus cincta: propter rebellionem ab eiuſdem Ioſephi militibus eſt direpta. Eadem poſtea à Tito Cæſare per deditionem capta eſt. Huius ciuitatis frequens in Ioſepho fit mentio. Ioſe. in vita ſua, & 2. bell. 25. 26. 27. & 4. bell. 1. 4. & cæt.

44.

HACOC, quæ aliâs Hucoc, Hucac, Acoc, Acuc, & Aſach dicitur, ciuitas eſt Leuitarum in tribu Aſer. 2. Paral. 6.

45.

HELBA, Hieronymo Elba, ciuitas fortis Aſer, de qua tribus Aſer accolas priſtinos expellere nequiuit. Iudic. 1. Hieronym. in loc. Hebr. lit. E.

46.

HELHACER, præſidium in territorio Sidonienſi ſitum: quod à quibuſdam prædonibus occupatum, cùm anno reparatæ ſalutis milleſimo centeſimo vigeſimo octauo Guaremundus Patriarcha Hieroſolymitanus obſideret, contracta ægritudine, Sidonem deportatus, obijt. Tyr. 13. bell. ſacr. 25.

47.

HERMON mons, Hieronymo Aermon: ad cuius radices in terra Maſpha Euæi, ſiue Heuæi, aliàs Acuæi habitabant: quorum regionem Ioſue obtinuit. Ioſ. 11. & 13. Iudic. 3. Hieron. in loc. Hebr. lit. A.

48.

HETHALON vrbs: quæ terræ promiſſionis ad Septentrionem terminus eſt. Ezech. 47. 48.

49.

HORMA: ciuitas in tribu Aſer, iuxta Eleutherum fluuium in colle ſita. Ioſ. 19. Breid. itin. 1.

50.

HOSA, ſeu Oſa: ciuitas in tribu Aſer. Ioſ. 19. Hier. de loc. Hebr. lit. O.

51.

IEPTAEL, ſiue Iephthahel, Vallis, & torrens, qui fluit contra Ieconam: atque tribuum Aſer & Zabulonis terminus eſt. Ioſ. 19. Hieron. in loc. Hebr.

52.

INDI, ſeu Indin, caſtellum fratrum Teutonicorum, verſus Vulturnum à Ptolemaide quatuor, contra Africum autem à Caſtro regio, tribus miliaribus, in montanis Saron ſitum. Broc. itin. 3. Breid. ibid.

53.

LABANATH ciuitas, quæ tribus Aſer terminus eſt. Ioſe. 19. Hieron. de loc. Hebr.

45.

MAARA Sidoniorum, latinè ſpelunca Sidoniorum, cuius in libro Ioſue fit mentio: quæ poſtea cauea Tyri dicta eſt: ſpelunca eſt inexpugnabilis, atque Chriſtianorum municipium in Sidonienſi territorio ſitum, quod anno poſt natum Chriſtum milleſimo *Ioſ. 18.*



ſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo præſidiarij milites pecunia corrupti Saracenis tradiderunt. Tyr. 19. bel. ſacr. 11.

55.

*Num. 34. Ioſ. 1. 5. 9. 15. 16. &c.*

MARE magnum, ſic dictum, quod cæteris terræ promiſſionis maribus amplius ac ſpatioſius ſit, diuerſa habet nomina. Nam & Mare Mediterraneum, item nouiſſimum, atq; Occidentale appellatur. Mediterraneum quidem, quòd per medias terras diffunditur, atque Aegyptum ab Aſia minore, & Africam à noſtra Europa ſeparet. Nouiſſimū, reſpectu maris mortui dicitur, quod ad Oriētem Iudææ ſitum, primum vocatur. Occidentale verò, quòd Palæſtinæ regio ita ſita ſit, vt hoc mare in Occidentis plaga habeat: nam totum Occidentale latus eius alluit. Quapropter & D. Hieron. admonet, mare hoc in ſcriptura ſacra ſemper pro occidenti poni. Præter dicta, & alia plura, ſecundum regiones quas alluit, ſortitur vocabula. Quidam etiam volunt per Tharſin nonnunquam mare hoc ſignificari, apud Ionam Prophetam, & Pſal. ſeptuageſimo primo.

*Deut. 11. Zach. 14. Hieron. in Ioel. 2. & Zach. 14. Hier. queſt. Heb. in Ge. cap. 13. & in Eze. c. 46. Io. Bened. in interpreta. Hebr. nom. in dictione Tharſis. Ionæ 1. Pſalm. 71.*

Huius maris talis eſt natura, vt fluxu & refluxu parum creſcat aut decreſcat: cùm Oceanus locis quibuſdam ſurgat ad octonos cubitos, præſertim apud Septentrionales. Aquæ eius ſalſæ ſunt: ac piſcibus abundant. Illic enim reptilia, quorum non eſt numerus: animalia puſilla, cum magnis, draco, cete, & plurimæ ſpecies, imò (vt Hieronymus ait) genera piſcium multitudinis nimiæ: vbi tanta ſolet piſcium capi multitudo, vt non ſolùm finitimis, verū etiam remotis vrbibus vberrimas, & inauditas præſtet commoditates.

*Vitri. ca. 33. Pſalm. 10. Ionæ 2. Matth. 12. Ezech. 47. Hieron. ibi. Tyr. 20. bel. ſacr. 15.*

56.

MEMNONIS ſepulchrum: quod prope Belum fluuium, & Cendeuiam paludem ſitum eſt. Ioſ. 2. Bel. 9.

57.

MEROTH: terminus ſuperioris Galilææ verſus Occidentem. Ioſ. 3. bel. 2.

58.

MESSAL, quæ & Maſal, & Maſan dicitur, ciuitas in tribu Aſer iuxta Carmelum ad mare, ſeparata Leuitis. Ioſ. 19. 21. 1. Par. 6. Hieron. in loc. Hebr.

59.

MONS fortis, aliàs mons feret: caſtrum fratrum Teutonicorū, verſus Boream, à Ptolemaide quatuor, contra Africum verò à caſtro Thoron totidem miliaribus diſtans. Brocar. itin. 2. Breid. ibid.

60.

MONTES excelſi, qui Tyrenſi vrbi ab Oriente adiacent, in quibus dominus caſtri Thoron, ſiue Torono, magnas & ampliſſimas habebat poſſeſſiones. Tyr. 13. bel. ſac. 13. & 17. bel. ſa. 14. & 22. bel. ſa. 24. Vitri. cap. 43.

61.

NEHIEL, ſiue Neiel ciuitas, quę terminus eſt tribus Aſer. Ioſ. 19.

62.

OOLI, ciuitas in tribu Aſer, Hieron. de loc. Hebr.

63.

PHOENICIA, ſiue Phœnice & Phœnix, inclyta Syriæ regio eſt, tam in ſacris literis, quàm apud hiſtoricos celebris: quæ ab Aquilone à Valanio fluuio ſumit initium: & in lōgitudine verſus Auſtrum vltra Carmelum montem, vſque caſtrum peregrinorum, iuxta Doram ciuitatem extēditur: in latitudine verò à mari magno Orientem verſus vltra Libanum montem, vſque Damaſcum porrigitur. Magnę & egregię in hac prouincia ſunt ciuitates: nempe Tyrus, Ptolemais, Sidon, Paneas, Berytus, Biblus, Botrus, Tripolis, Antaradus, Archis, & multæ aliæ. Teſtatur D. Hieronym. quòd apud Hiſtoricos etiam Galilæa & Samaria ad Phœnicen pertineant. Quin & Mare Phœnicium ab ea nomen habet. Ipſa verò, vt Phœnicia diceretur, à Phœnice rege, Agenoris filio nomen ſortita eſt: qui cū Cadmo fratre de Thebis Aegypti in hanc regionem profectus, ei primus imperauit: Tyrumq; inſtaurans, eam huius prouinciæ conſtituit metropolim. Idem excellenti ingenij acumine primus Phœnicibus Græcas quaſdam tradidit literas, artemque ſcribendi docuit. Præterea vermiculum inſtituit: vnde & color ille Phœniceus dictus eſt: qui poſtea vna mutata litera, dicitur puniceus, id eſt, purpureus, vel rubeus: qui ex inciſorum conchyliorum colligitur cruore, quo lanæ, panni, & veſtes in Tyro tinguntur. Huius Phœnicis frater Cadmus fraterni æmulus ingenij, vt ipſe quoque ſibi æternum nomen pararet, quas frater Phœnicibus literas tradiderat, è Phœnicia in Græciam detulit. Vnde Ioſephus Phœnices Græcas literas inueniſſe ſcribit. Quod & Lucanus deſignans, dicit:

*Gen. 14. 3. Eſd. 2. 2. Mach. 3. Acto. 11. 15. 21. Ioſ. 15. ant. 12. Tyr. 11. bell. ſacr. 17. Vitr. ca. 96. Bro. in præf. deſcri. loco. terræ ſanct. & itin. 1. Breid. ibid. Hier. in loc. Acto. Apoſt. lit. 1. Plin. lib. 5. cap. 12. Euſeb. in Chron. tempore Ioſue ducis Iſrael. Tyr. 13. bel. ſac. 1. Vitr. ca. 43.*

*Phœnices primi (famæ ſi creditur) auſi*
*Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.*

64.

PLANICIES Libani, ſiue campus Libani ſubter montem Hermon. Ioſ. 11. c.

65.

PONS Beli fluuij: quem, cùm eo loco, qui inter Ptolemaidem & pontem interiacet, anno Chriſti milleſimo centeſimo nonageſimo, in eiuſdem vrbis obſidione Fredericus Frederici Sueui Imperatoris filius, cum Germanis defendendum ſuſcepit. Venetis & Genuenſibus ad Ptolemaidis Orientem, Flādris autem, Hollandis, & Friſijs ad eius Septentrionem, ſtationem habentibus. Herold. conti. bel. ſacr. lib. 2. cap. 7. *Luca. lib. 3.*

## 66.

*Hier.to.1. epiſt. 27.ad Euſtoc & to.3.in loc. Heb. lit. A. et in lo. Act. Apoſt. lit. P. & to.6.in Amos.ca.1. Broc.iti.1. & 6.b. Breid. iti.1.*

PTOLEMAIS, aliâs Ptolemaida, à Ptolomæo quodam Aegypti Rege ſic dicta, quæ prius Accho ſeu Aco, & Cod ſiue Coth appellabatur; Plinio quoq; Colonia Claudij dicitur, nunc autem Acon & Accon vocitatur, maritima & celebris Phœnices vrbs eſt: verſus Septentrionem à monte Carmelo quatuor, verſus Meridiem à Caſtro Lamberti totidem, à Hieroſolyma verò triginta ſex miliaribus diſtans.

*Iudic.1. Broc.iti.1. Breid.ibid. Ioſ.2. bel.9.*

Hæc in diſtributione terræ tribui Aſer ſorte aſſignata, nunquam ab Aſeritis, aut filijs Iſraël fuit poſſeſſa: quod priſtinos habitatores eius expellere nequiuerint. Inſignis enim & munitiſſima vrbs eſt, mirabilib. cincta muris & antemuralibus, portis, turribus, foſſis, & caſtris fortiſsimis: triangularem in modum clypei habens formã, cuius duo latera mari magno iunguntur, tertium verò planiciem terræ reſpicit. Nam ab Oriente magnus, atque planus, latitudinis duorum miliariorum ciuitati adiacet Campus, fontibus irriguus, fertilis valde, & ab optimis paſcuis, agris, vineis, amœniſſimiſque hortis, ex quibus diuerſi generis habentur fructus, commendatus. Hic olim Fulco Hieroſolymorum rex, dum leporem venatur, à ſupinanti equo ruens, oppreſſus eſt.

*Tyr. bel.ſac. lib.7.ca. 22. & lib.10.ca. 26. & li.15. cap.27. Vitr.ca.93.*

Huic planiciei ad Orientem continui ſuccedunt montes, per ſexaginta ſtadia ab vrbe diſparati, ſed ad Galilæam pertinẽtes. Ex quibus fluuius quidam ſcaturit, qui agros, cãpos, & hortos irrigando fœcundans, atque vrbem ipſam præterfluens, tandem à mari abſorbetur. Ab Auſtro commodiſſimus atque multarum nauium capax portus eſt: qui partim intra vrbis mœnia, partim inter littus, & mare ſitus, nauibus tutam & tranquillam ſtationem, ciuitati verò maximum lucrum præbet. In cuius medio inſignis turris eſt, quæ quod Beelzebub olim fanum celeberrimum fuerit, Turris Muſcarum vocatur: quam etiam pharum fuiſſe Heroldi videtur eſſe opinio, quòd nempe eius vſus fuerit, tempore nocturno, nauium curſui ad prænuncianda vada ignes oſtendere. Huius vrbis frequẽs in Machabæorum libris fit mentio: in qua Ionathas Machabæus purpura indutus, latus regis Alexandri ſponſi in nuptiarum ſolennitate clauſit. Eandem poſtea ingreſſus, perfidè ac proditoriè à Ptolemenſibus captus eſt: atque mille Iudæi, qui cum eo intrauerant, gladio interfecti. In hac vrbe Paulus Apoſtolus à Tyro veniens, vnam diem apud fratres egit.

*Monachus Florentinus Acconenſis Epiſ.lib.de recuperata ptolemaide. Herold.con. bell.ſa.lib.2. ca.7.9.& l. 4.ca.13. 1.Mach.5. 10.11.12.13. 2.Mach.13. Actor. 21.*

Cùm à Chriſtianis Ptolemais poſſidebatur, Epiſcopali ſede, quæ Tyrenſi Archiepiſcopo ſuberat, clarebat. Cuius Epiſcopatus titulum etiamnum vſurpat, qui vices gerit Epiſcopi ciuitatis Monaſterienſis in VVeſtphalia. Inſigne hîc fuit templum S. Crucis, & alterum S. Sabbæ, atque hoſpitale dominorum Teutonicorum. Nec non munitiſſima caſtra & turres, inter quas illa, quam maledictam appellant, excellebat. Aedes tum publicæ, tum priuatæ, magnificæ atque pulcherrimæ.

*Tyr.bel.ſac. li.10. ca.26. et l.12.c.27. & li.13.c.2. & li.14.ca. 12.13.14. Herold.con. bel.ſac. lib.*

Hanc ciuitatem anno à natiuitate Domini ſexcenteſimo trigeſimo ſexto, Saraceni duce Haomaro Chriſtianis eripuerunt. Eandem anno Domini milleſimo centeſimo quarto, Chriſtiani duce Balduino primo, Hieroſolymorum rege, Genuenſium claſſe ſeptuaginta nauium roſtratarum, quæ vulgò galeæ vocantur, adiuti, terra marique per dies viginti continuos oppugnando, expugnauerunt. Genuenſibus autem pro data opera, tertia redituum pars, quæ ex maritimo vectigali in portu Ptolemaidenſi colligeretur, in ciuitate verò Eccleſia, & in vico quodam plena iuriſdictio in perpetuum conceſſa eſt: & iuxta ſingulorum merita poſſeſſiones & domicilia à Rege aſſignata ſunt.

*Tyr.10. bell. ſac.28. Vitr.ca.25.*

Deinde anno Chriſti milleſimo centeſimo octuageſimo ſeptimo, Ptolemais à Saracenis duce Saladino Aegypti & Syriæ rege recepta eſt. Rurſum anno Salutis milleſimo centeſimo nonageſimo primo à Philippo Adeodato Francorum, & Richardo Anglorum Regibus tertio obſidionis anno, eſt recuperata, & à Chriſtianis centum annis poſſeſſa fuit.

*Vitria.c.95. & 99. Herold continuat. bel. ſacr.li.1.ca. 7.& li.2.ca. 11.& li. 5.6. 6.7. & li.6. ca.7. & 10.*

Poſtremò autem anno Domini ſupra mille ducentos nonageſimo primo, à centum quinquaginta millibus Saracenorum violenter expugnata, incenſa, ac funditus ita euerſa eſt, vt ne quidem vllum vrbis monumentum relictum fuerit; ſed ruinarum materie ac ruderibus expurgato loco, ad arandum & ſerendum ager commodus fuit. Poſtea per Aegyptios Saracenos reſtaurata, & à quindecim millibus Turcarum diu obſidione cincta, expugnari non potuit. Tandem verò longo pòſt tempore, anno nimirum Domini milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo in Turcarum Imperatoris poteſtatem redacta, eius nunc acerbiſſimum ſeruitutis iugum experitur.

## 67.

*Cant.4. Tyr.7 bell. ſa.22.& 13. bel.ſa.3. Broc. itin.1. Breid. ibid. Sal.tom.9. cap.10.*

PVTEVS aquarum viuentium, cuius in Canticis Salomonis fit mẽtio, iuxta viam, quæ Tyrum ducit, ſitus egregius eſt, & admirabilis: atque verſus Aquilonem à Sandalio caſtro paulò ampliùs quàm miliari, verſus Auſtrum verò, à Tyro paruo miliario diſtat. Quamuis autem ſingulariter, puteus dicatur, ſunt tamẽ quatuor fontes quadrati; quorum ille, qui pręcipuus eſt, in vnoquoque quadrati latere, quadraginta; reliqui verò vigintiquinque cubitos habent. Omnes muris fortiſſimis, de duriſſimis lapidibus inſolubili opere obfirmatis, concluſi: vnde varij deducuntur aquæductus & riui: qui totam Tyri planiciem omneſque eius hortos irrigant & fœcundant. Diſtant hi fontes à mari magno paulò ampliùs, quàm arcus iacere poteſt: in quo tantillo ſpatio, ſex molas agunt: & deinde ſe mari miſcent.

## 68.

RAMA in tribu Aſer. Hiero. de loc. Heb. lit. R.

69. ROOB,



## 69.

*Ioſ.19. 21. Iud.1. 1.Para.6. Iudic. 18. 2.Reg.10.*

ROOB, ſiue Rohob, Hebraicè Rechob & Bethrechob dicta, potens vrbs eſt tribus Aſer, Leuitis cum ſuis ſuburbanis ad inhabitandum data: à qua & circumiacens terra, quę Cæſaream Philippi vſque extenditur, Regio Roob nominatur.

*Num. 13. Hieron.in lo.He.lit.R.*

Miſſi à Moyſe de Cadeſbarne duodecim exploratores terræ Iſraëli promiſſæ perluſtrãdi gratia, totam in longum peragrati Palæſtinam in hanc vſque regionem progreſſi fuiſſe leguntur.

## 70.

*Tyr.11. bell. ſacr. 30. & 13.bel.ſac.3. 9.13.& 18. bel.ſac.15. Vitri.ca.29. & 43. Broc.itin.1. Breid. ibid.*

SANDALIVM, munitiſſimum caſtrum, quondam ab Alexandro magno, Macedonum Rege, cùm Tyrum oppugnaret, in Iſthmo & littore maris iuxta limpidum & ſalubrem fontem ædificatum: quod à ſuo nomine Alexandrium vocauit. Vulgus verò, qui Arabicè Alexandrum Scandarum, & Alexandrium Scandarium dicit, Euphoniæ cauſa, r. in l. conuerſa, id Scandalium, alij autem corrupto prorſus vocabulo, Scãdalido & Laudaleon vocarunt. Situm verò eſt in agro peramæno, fontibuſq; ac riuulis irriguo, frumento, paſcuis, ficetis, & oliuetis, omniſq; generis fructibus feraci: à Caſtro Lamberti & monte Saron verſus Aquilonem tribus; à Puteo autem aquarum viuentium verſus Auſtrum paulo ampliùs, quàm vno miliari diſtans. Anno Chriſti milleſimo centeſimo decimo ſeptimo, idem hoc caſtrum Hieroſolymorum Rex Balduinus primus, cùm & ipſe Tyrum expugnare vellet, collapſum inſtaurauit; ac quibuſdam è ſuis nobilibus, qui ab eius appellatione nomen ſuum nobilitârunt, poſſidẽdum defendendumque tradidit.

## 71.

*Lir.in 3. Reg.17. Ioſe.8. ant. 13. Hier.de loc. Hebr. lit.S. Tyr. 7. bell. ſacr.22. Vitr.ca.44. Fretel. Broc. itin.1. Brei.ibid. Herold. 2. cont.bel. ſa. 17.*

SAREPTA Sidoniorum ciuitas, cuius ruinæ, quæ adhuc cernuntur, antiquam eius magnificentiam teſtantur, Hebraicè Sarphath dicta, à ſilua iuxta eam exiſtẽte nomen habere ſcribitur. Sita eſt, quaſi media inter Tyrum & Sidônem, in via publica, non procul à littore maris: & ab Eleuthero fluuio verſus Aquilonem duobus; à Sidone autem verſus Auſtrum totidem miliaribus diſtat. A generoſo vino hæc ciuitas à poëtis commendata eſt: vnde Sidonius.

*Vina mihi non ſunt Gazetica, Chia, Falerna,*
*Quæq; Sareptano palmite miſſa bibas.*

*3.Reg.17. Luc.4. Hiero.præf. in Ionam Proph. Auguſt.de mirabil.ſac. ſcripturæ li. 2.cap.17.*

Hic quondam Diuinus vates Elias apud mulierem viduam hoſpitio exceptus, eſuriẽs à paupercula paſtus eſt; eſurientemque cum filio pauit: cuius hydriæ farina Prophetæ beneficio non deficiebat; & lecythi oleum non minuebatur. Idem & filiũ eius paulò pòſt mortuum, in cœnaculo, vbi ipſe manebat (quod etiamnum oſtenditur) oratione ſua vitę reſtituit: de quo tradunt Hebræi, quod fuerit Ionas Propheta, quem à Cete deglutitum, tertio die Deus liberauit. Cùm Sarepta à Chriſtianis incolebatur, Epiſcopali ſede nobilitata, (cuius titulo nunc Tornacenſes ſuffraganei vtuntur) Tyrenſi archiepiſcopo ſubiecta erat. Hanc hodie Saphet vocari perſuaſus eſt Poſtellus.

*Tyr.14. bel. ſa.12.& 14.*

Porrò in Abdiæ prophetia ſecundum ſpiritualem intelligentiam, Sareptam pro Gallia ſeu Francia, & Boſphorum pro Hiſpania ſumenda eſſe, Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid, Liranus, Pagninus, alijque teſtantur. Chriſti enim ſalus à Chananęa vſque in Galliam, Hiſpaniam, & Germaniam trãſmigrauit, totumque per Orbem diuulgata eſt.

*Abdiæ 1. Lir.ibid. Pag. in libr. interpreta. nomi. Hebr. Io Bened. Pariſ.ibid.*

## 72.

*Breid. iti.1. 3.Reg.17. Vitri.c.44. Hier.to.1. epiſt. 27. in epitaph. Paulæ.*

HOC loco ante Auſtralem Sareptæ portam, Elias olim ad Sareptanam viduam duo ligna colligentem venit, & cum ea locutus eſt: vbi poſtea Chriſtiani ſacram ędiculam cum turri erexerunt. Quam Hieronymi ætate Paula nobilis vidua Romana, cùm ſacra Palæſtinæ loca peragraret, ingreſſa, Dominũ Saluatorem, vt idem Doctor teſtatur, in ea adorauit.

## 73.

*Iſa.33.35.*

SARON mons, aquis, fluminibus, hortis, & vineis abundans, iuxta caſtrum Lamberti, non longè è mari ſitus eſt: atque verſus Aquilonem à Ptolemaide quatuor, verſus Auſtrum verò à Sandalio caſtro tribus miliaribus diſtat: cuius iuga vſque ad caſtrum Indi ſe extendunt. Broc. itin. 1. & 3. Breid. ibid.

## 74.

SCALA Tyriorum. Mons eſt altiſsimus, qui verſus Septentrionem à Ptolemaide ſtadijs centum abeſt. Ioſe. 2. bel. 9.

## 75.

SCOPVLI, qui inter Sidonem & Sareptam ſunt. Tyr. 7. bell. ſacr. 13.

## 76.

SIDA maritimus Phœniciæ vicus, qui viginti ſtadijs à Tyriorum vrbe diſtat, ex quo Zoſimas vir Sanctus & Prophetię dono & miraculis illuſtris, oriundus; in monaſtico tugurio, quod ad vicum hunc ſitum, à Cæſarea Paleſtinæ ſtadijs prope quingentis diſtabat, ſolitariam degit vitam. Nicephor. Hiſt. Eccleſi. libr. 17. cap. 4.

## 77.

*Ioſ.11.19. Hier. in.lo. Heb.lit.S. & in lo.act. Apoſt.lit. S.*

SIDON, corruptè Sydon, perantiqua, opulenta, & celebris, Phœnices vrbs atque inſigne emporium: cuius magnitudinem etiam num ipſæ eius ruinæ docent. Chananæorum olim ad Aquilonem reſpiciẽs terminus fuit, poſtea verò regionis Iudææ.

*Gen. 10. Hiero. ibid. Ioſ.1.an.12.*

Quam Sidon primogenitus vndecim filiorum Chanaan iuxta Libani montis ortum condidit, eique nomen dedit, à quo in præſen

tem

*Iuſtin. hiſt. lib. 18.*

tem fere diem Sidon vocata eſt: nunc verò Said vocari Niger & Poſtellus teſtantur. Alij à piſcium vbertate, Sidona appellatam ſcribũt: nam piſcem Phœnices ſidon vocant.

*Broc. itin. 1. Breid. ibid. Vitriac. cap. 27. & 44.*
*Ioſ. 5. ant. 7. Tyr. 7. bell. ſacr. 22. Sal. tom. 9. cap. 10.*

Commodiſſimum hæc ciuitas ſitum habet: diſtans enim à Sarepta verſus Aquilonem duobus, contra Auſtrum à Beryto quinque, & verſus Occidentem ab Antilibano monte vno; à Cæſarea autem Philippi vndecim miliaribus; ab Occidente mari magno alluitur, tutoque ac tranquillo portu ditatur: atque ab Oriente magnus & fertilis illi adiacet campus, qui aquarum fluentis fœcundus, optimis vineis, cannis mellis, fructiferis arboribus, ſiluis & pratis abundans, multam ciuibus pręſtat commoditatem.

*Hiero. in la act. Apoſt. l. t. S. 2. Reg. 5. 3. Reg. 5. 1. Para. 14. 22. & 2. Par. 2. 1. Eſdr. 3. Ioſe. 8. ant. 2. & 11. ant. 4.*

Ipſa verò vrbs aëre ſaluberrimo fruens, ſolida in rupe ſuper littus maris in longum ædificata, ab Aquilone in Auſtrum tendit: cuius vtrumque cornu duobus caſtris natura & arte validis munitur. Quorum vnum ad vrbis Aquilonem in rupe, & corde maris ſitum quondam à dominis Teutonicis defendebatur. Alterum verſus Auſtrum firmo in colle exſtructum, à Templarijs cuſtodiebatur. Præter quæ & aliud caſtrũ in meditullio ciuitatis conſtitutum erat. Incolarum plerique vitri & purpuræ artificio viuunt: atque olim in cædendis Libani montis lignis & lapidibus præſtabant: quorum opera tam Iudæorum Rex Salomon, quàm Dux Zorobabel in templi ædificatione vſi ſunt.

*Ioſ. 19. Iudic. 1. Hiero. in lo. Heb. lit. S.*

Quamuis vrbs hæc olim in ſortem tribus Aſer ceciderit, Aſaritæ tamen eam nunquam poſſederunt: quòd eius incolas expellere non valuerunt. Vnde Sidonij ad Chriſti vſque tempora in gentium permanentes errore,

*Hier. tom. 6. in Oſee 8.*
*3. Reg. 11. 4. Reg. 23. 3. Reg. 16.*

Baal & Aſtaroth deos, & Aſtarten deam coluerunt. Quam & glorioſus Iudæorum Rex Salomon gentilium vxorum ſuarum inſtinctu adorauit, & à Deo reprobatus eſt. Iſraelitarum quoque Rex Achab, cùm Ethbaal Regis Sidôniorum filiam Iezabel duxiſſet vxorem, per eam ſeductus, & ipſe idôlum Baal coluit: ſuiſque ſceleribus Dominum Deum Iſrael irritauit ſuper omnes reges, qui fuerant ante eum.

*Ierem. 47. Ezech. 28. Ioel. 3. Hiero. in Ezech. 28. Io. 11. ant. 8. Q. Curtius de geſtis Alexan. li. 4.*

Quamobrem propter incolarum ſcelera, prout Diuinus ſermo per Ieremiam, Ezechielem, & Ioêlem prædixerat, Sidon primùm à Nabuchodonoſor Babyloniorum rege capta, & fame ac peſtilentia, gladioque conſumpta eſt: & deinde ab Alexandro magno Macedonum rege expugnata.

*Marc. 3. Luc. 6. Matt. 11. Luc. 10.*

At verò licet in idololatria nati, cùm materno lacte idololatriam ſuxiſſent, ipſis tamen Iudæis, qui in vero Dei cultu tanto tempore per Moyſen & Prophetas edocti erant, ad recipiendum IESV Chriſti Euangelium longè fuiſſe paratiores, ipſe Dominus his verbis teſtatus eſt: Væ tibi Chorozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sydône factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent. Veruntamen dico vobis: Tyro & Sydoni remiſſius erit in die iudicij, quàm vobis. Vnde & idem ipſe Saluator Iudaicam infidelitatem pertœſus, &

*Matth. 15. Marc. 7.*

veluti præſagium quoddam ædens Euangelij à Iudæis ad gentes transferendi, Tyri & Sydonis confinia, ſua præſentia viſitare dignatus eſt.

*Actor. 27.*
*Tyr. 14. bell. 12.*

Atque Sidonios ſtatim poſt Chriſti aſcenſionem Chriſtianam fidem obuijs vlnis recepiſſe inde argumentum duci poteſt, quòd Iulius cohortis Auguſtæ centurio, cùm Paulum Apoſtolum vinctum Romam abducens Sidônem appuliſſet, eum humaniter tractare volens, ad amicos, quos in ciuitate habebat, ire, & curam ſui agere permiſit. Nam quòd multis ſæculis in Chriſtiana religione floruerit, & Epiſcopali ſede, quæ Tyrenſi Archiepiſcopo ſubiecta erat, fuerit dotata, hiſtoriographorum autoritate cuiuis ſatis notum eſt. Porrò titulum Epiſcopalem ab hac ciuitate nunc gerit ſuffraganeus Archiepiſcopi Moguntini.

*Tyr. 11. bel. ſacr. 14. Vitri. ca. 27.*

Cùm anno à Chriſti natiuitate ſexcenteſimo trigeſimo ſexto Sidon in Saracenorũ manus perueniſſet, Hieroſolymorum Rex Balduinus primus anno Chriſtianæ ſalutis milleſimo centeſimo vndecimo inſtructa Danorum & Noruegiorum (qui ſacra loca viſitandi gratia apud Ioppen appulſi erant) nauium claſſe ciuitatem mari cingens, ac ſuo exercitu terra obſidione vallans, eam menſe Decembri cœpit: ac captam cuidam ex magnatum ſuorum numero, Euſtachio videlicet Gremer iure hæreditario poſſidendam donauit. Danos autem & Noruegios, pro nauata belli opera præter victum nihil exigentes, donarijs honorauit.

*Herold 4. cont. bel. ſa. 8.*

Anno verò partus virginei milleſimo ducẽteſimo quinquageſimo Chriſtianiſſimus Gallorum Rex D. Ludouicus cùm pietatis cauſa quadriennio in Palæſtina hæreret, collapſam Sidônem reſtaurauit, ac ex Chriſtianis præſidiario militi tuendam tradidit. Cuius ſanctiſſimi regis eximia pietas in eo plus ſatis eluxit, quòd cùm ad inſtaurandam Sidônem, iter faciens iuxta viam aliquot Chriſtianorum inſepulta, ac iam putrida cadauera offendiſſet, licet eorum grauiſſimum fœtorem Rex ferre vix poſſet, proprijs tamen ſuis manibus ea ſepeliuit.

*Herold. 5. cont. bell. ſacr. 4.*

Denique anno à natiuitate Chriſti milleſimo ducenteſimo octuageſimo nono à Saracenis Sidon hæc capta, etiamnum à Turcis poſſidetur.

## 78.

*Matth. 15. Marc. 7. Breid. iti. 1. Sal. tom. 9. cap. 10.*

HOC loco ante Orientalem Sidônis portam, in via, quæ verſus Ituræam & Cæſaream Philippi ducit, mulier Chananæa pro filia ſua dæmoniaca, Dominum orans, quòd poſtulauit impetrauit. Vbi poſtea à Chriſtianis ſacellum exſtructum eſt.

## 79.

SILVA pinea, Berythenſium ciuitati vicina: quæ Chriſtianis eandem oppugnantibus vrbem, ad componendum ſcalas, ligneas turres, arietes, & alias quaſlibet rei bellicę machinas, copioſam & idoneam pręſtabat materiam. Tyr. 11. bel. ſacr. 13.





## 80.

SIOR, ſiue Sihor, aliâs Syor. ciuitas in tribu Aſer. Ioſ. 19. Hieron. de loc. Heb. lit. S.

## 81.

*Ianſen. comment. in concor. Euangel. cap. 61. Marc. 7.*

SYROPHOENICIA. ea regionis Phœniciæ pars eſt, quæ ad Boream Libani montis ſita, Syriæ potiori coniungitur. atque ob huiuſmodi confinium, voce compoſita Syrophœnicia dicitur; & habitatores eius, Syrophœnices.

Ex hac prouincia mulier illa Cananæa oriunda fuit: quæ in Euangelio Syrophœniſſa genere fuiſſe ſcribitur.

## 82.

TERRA Chabul, ſiue Cabul, Ioſepho Chabalon, Chabelon, Chabulon, & Zabulon dicta, regio eſt Galilææ gentium, Tyriorum finibus vicina. Cuius viginti ciuitates non procul à Tyro diſſitas Tyriorum regi Hiram Salomon gratitudinis ergò dono dedit, quod magnam auri vim, maiorem argenti, & de Libano monte ligni lapidiſque copioſam materiam in templi atq; palatij ædificium contuliſſet. quę cùm perluſtratę regi Hiram, ob hoc quod graminis plenæ erant (vt inquit Hieronymus) diſplicuiſſent, Salomoni renunciauit ſibi ciuitatibus opus non eſſe, appellauitq; eas terram Chabul, quę vox, Ioſepho teſte, id quod diſplicet, Phœnicum lingua ſignificat. Hebraicè verò, vt ait Rabbi Salomon, & plures alij, tenacitatem ſonat: terra quippe agri illius pinguis, argilloſa & vliginoſa erat, atque ambulantium pedibus facilè adhærens. Salomon autem ſpretas ab Hiram reſtaurauit ciuitates, & Iſraëlitis inhabitandas dedit. 3. Reg. 9. Ioſeph. 8. antiq. 5. & cont. Apion. Hierony. in loc. Hebr. & Amos 1. Liran. 3. Reg. 9. 2. Paral. 8. & ibi Hieron.

## 83.

*Tyr. bell. ſacr. lib. 1. ca. 5. & l. 13. c. 13. & li. 17. c. 14. & lib. 21. cap. 27. 28. & libr. 22. cap. 5. 24. 28. Vitriac. cap. 43. & 95. Brocard. itin. 2. Breid. ibid.*

THORON, aliâs Toronum, corruptè Choron. amplum & nobile caſtrum eſt, naturali ſitu & artificio munitiſſimum. quod in montanis tribus Aſer, quæ Tyro ab Oriente adiacent, ſitum: verſus Boreã à caſtro Montis fortis quatuor; contra Africum à ciuitate Aſor, totidem; verſus Eurum verò à Tyro ſeptem miliaribus diſtat. Aedificatum autem eſt anno nati Saluatoris milleſimo centeſimo ſeptimo, cùm Tyrenſium ciuitas adhuc à Saracenis detineretur, ad frequentes eorum cohibendum eruptiones, à nobili & magnifico viro Hugone de ſancto Abdemaro, vrbis Tiberiadis domino, in mõte excelſo admodum & cacuminato, in loco cui nomen priſcum Tyberim erat. Vnde ex inopinato prædictis ciuibus crebras intulit moleſtias: ac circumiacẽtem regionẽ ab hoſtium incurſu defendit.

Eſt autem caſtrum hoc inter Tiberiadem, Tyrum, & Cæſaream Philippî quaſi in medio conſtitutum, & cum grata aëris temperie, ſolum habet optmum, vinetis & arborib. prorſus conueniens: ſed & frugibus & agriculturæ commodiſſimum.

*Vitriac. cap. 98. & 100. Herold. contin. bel. ſacr. lib. 2. ca. 4. 5. 13. & 17.*

Ab hoc caſtro domini de Torono hæreditario iure nomen ſuum & nobilitatem trahebant: atque in eiſdem montanis fœcundas habebant poſſeſſiones. In inſigni eiuſdem caſtri eccleſia, quæ beatæ Dei genitrici & ſemper virgini ſacra erat, præclarus & potens Baro Hemfredus de Torono, Balduini tertij Hieroſolymorum regis Conſtabularius, Regiæq; militiæ prefectus, qui in Caſtro nouo obierat, debita magnificentia ſepultus eſt. Ibidem & Guido Hieroſolymitanus rex cùm Ptolemaidem à Saracenis occupatam triennio obſideret, ſedem habuit. Iuxta idem caſtrum poſtea Romanorum Imperator Hẽricus ſextus cum ſuis Germanis caſtra metatus fuit.

## 84.

*Hieron. in Ezech. 26. Ioſ. 19.*
*Brocard. itin. 1. & 7. Breid. itin. 1. Hieron. in loc. Act. Apo. lit. T. Tyr. 11. bel. ſacr. 5. Sal. tom. 9. cap. 10.*

TYRVS, qui Hebræo Syroque ſermone צור Sor, Zor, Tſor, vel Tzor appellatur, Gellio & alijs Sarra, vulgari autem vocabulo hodie Suri dicitur; vrbs omnium, quas Phœnicia habet, maxima & munitiſſima eſt, ac vniuerſæ Phœnices metropolis, domina maris, totiuſq; Orbis emporium; quod propter negotiationem, opulentiam, ac populi frequentiam, nedum in profanis, verùm & in ſacris literis longè eſt celeberrimum. Diſtat verſus Aquilonem à Puteo aquarum viuentium paruo miliari, contra Auſtrum ab Eleuthero fluuio tribus, contra Occidentem verò à ciuitate Aſor, nouem miliaribus. Secundum Hieronymum autem à Cæſarea Philippi viceſimo propè miliario, & à Tiberiade quaſi trigeſimo diſtare ſcribitur.

*Q. Curtius de reb geſtis Alexan. Mag. li. 4. poſt initiũ Plin. lib. 5. cap. 19. Hiero. vbi ſupra, et in Iſa. 23 & Ezech. 26. & 27. Eze. 27. 28.*
*Tyr bell. ſacr. lib. 12. c. 6. et l. 13. ca. 5. 15. & lib. 19. c. 3. Broc. iti. 1. Breid. ibid.*

Aedificata autem eſt circuli inſtar in rotũdam formam ſuper rupem duriſſimam, ac quondam, prout in Græcis Latiniſq; & barbaris hiſtorijs legimus, inſula fuit: quæ nullum habens de terra acceſſum, præalto mari, iuxta Q. Curtium quatuor ſtadijs, Plinio autem & D. Hieronymo ſeptingentis paſſibus à continente diuiſa, tota marinis fluctibus vndique ambiebatur. quamobrem in corde (hoc eſt, in medio) maris ſitam eſſe ſcribit Ezechiel. Sed opera primùm Nabuchodonoſor Chaldæorum regis, deinde Macedonum regis Alexandri magni, vt melius expugnaretur, multis in breui freto aggeribus cõiectis, cõtinenti ab Oriente adiuncta, ex inſula facta eſt peninſula, qualis etiamnum cernitur. Verum is à terra aditus, cuius latitudo iactu lapidis æſtimatur, poſtea quadruplici muro, eoque fortiſſimo & alto, ac vigintiquinque pedes ſpiſſo clauſus eſt. atque ſolidiſſima inſuper porta, & quæ propugnaculi loco erant, duodecim fortiſſimis miræque altitudinis turribus ſibi penè contiguis conſeptus eſt. Cui tam forti ædificio ab Auſtro Arx adhæret in rupe & capite maris ſita, inexpugnabilibus propugnaculis & turribus munitiſſima, egregijſque palatijs ornata. Ex parte maritima per circuitum vrbs tota duplici muro ac robuſtiſſimis portis, & iuſtæ altitudinis turribus æqua inter ſe proportione diſtãtibus cincta eſt. inter quas ea quæ portæ ciuitatis Orientali imminet, ſicut & quæ viridis dicitur, nec non & illa quæ turris Tanariæ vocatur, præ cęteris eminebãt,

*Hieron. in Ezech. 26. & 27.* A Septentrionali vrbis parte præſtantiſſimus iuxta ac tutiſſimus intra ciuitatis mœnia Portus eſt geminas inter turres cõcluſus: qui nauibus de alto venientibus tranquillam præbet ſtationem. Regio vrbi adiacens, quæ in *Ioſe 8. ant. 5. & 9. ant. 15. Tyr. 13. bel. ſacr. 3.* Auſtrum tribus, in Septentrionalem verò totidem miliaribus protenditur; atque in latitudine alibi duobus, alibi tribus miliaribus metitur, pinguis eſt glebæ, atque ab inſigni vbertate & amænitate commẽdata, multam præſtat incolis commoditatem. Limpidiſſimo enim fluuio, & Putei aquarum viuẽtium riuis, aliorumque plurimorum fontium aquis irrigua & fœcunda, hortis, varijsque generis arboribus ac frugibus ſcatet; atq; cannarũ mellis, vnde ſaccarum colligitur, copiam habet.

Ipſa autem vrbs magnificis columnis Pyramidibuſque marmoreis, nec non tam priuatis, quàm publicis ædificijs intrinſecus admi- *Ezech. 27.* rabilis fuit. vnde & hęc eius de ſua magnificentia apud Prophetam gloriabũda vox eſt: Perfecti decôris ego ſum, & in corde maris ſita. Cuius quidem priſtinæ iſtius gloriæ etiamnũ plurima viſuntur veſtigia.

*Hieron. in loc. Act. Apoſt. lit. T. Plin. 5. na. hiſt 19.* Omnis vrbis huius nobilitas, Hierony. & Plinio teſtibus, conchylio atq; purpura conſtat. Nam incolarum plerique ex rubro marinorum inciſorum muricum ſiue conchyliorum ſucco, qui & oſtrum dicitur, nobili artificio purpureos pannos ac veſtes conficiunt. vnde & præſtantiſſimus iſtius generis color etiam hodie vrbis trahens nomen, purpura Tyria & Sarrana vocatur. Virg. lib. 4. Aeneid.

*Tyrioq; ardebat murice læna.* Idem.
*Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat oſtro.*

Et Germanica noſtra lingua purpureus pannus *Scarlaken*, quaſi *Sarlaken* vocitatur. Arabes enim, ſeu Syros, apud quos nomẽ hoc originẽ ſumit, pro San, Scan: & ſimili modo pro Sar, Scar pronũciare: item colorẽ hunc à regione *Sub num. 63. & 70.* etiam Phœniceum, atq; vna mutata litera puniceum vocari, ſupra, cùm Sandaliũ, & Phœniciam deſcriberemus, indicauimus: Quia verò purpuræ color, colorum omniũ nobiliſſimus & ſplendidiſſimus eſt, hinc purpura antiquitus Cæſarum, Regum, & Romanorũ magiſtratuum inſigne erat. vnde & Ionathas Ma- *1. Machab. 10.* chabæus ab Alexandro rege Syriæ, regio munere corona & purpurea ſtola donatus eſt: *Math. 27. Marc. 15. Ioan. 19.* qua in feſtiuitatibus & nuptijs induebatur. Et Chriſtus Saluator noſter, quòd ſe Regẽ cõfiteretur, purpurea chlamyde rex illuſus eſt. Hinc & Agrippina Colonia Romanæ Reipub. & filia & æmula, ſuos conſules in ſolennitatibus purpureo habitu honorat. Præter purpuræ artificium, in cędendis Libani montis lignis & lapidibus Tyrij quoque excellebant: atq; in re & pugna nauali peritiſſimi & maris maximè *3. Reg. 9. 2. Par. 8.* gnari erant. quorũ opera, ſicut ſacra Scriptura teſtatur, Iudæorum Rex Salomon non in templi ſolùm ſtructura, ſed & in Indicis, pro adferendo auro, nauigationibus vſus eſt.

Preterea, quod ad magnũ huius vrbis ſplendorem facit, in Tyrum velut in mercatorum omnium commune quoddã receptaculum, ex omni orbis parte continua nauium claſſe precioſiſſimæ quæque merces conuehebantur: in celeberrimis ac quotidianis eius nundinis in longè diſſitas mundi partes diſtrahẽdæ. Nam, quod præsẽtia tempora etiamnum probant, omnium propemodum gentium in illa exercebantur commercia. cuius magnificas negotiationes Ezechiel propheta lato ſer- *Ezech. 27. Hiero. ibi. & in Iſai. 23. Adam. Saſbout in Iſai. 23.* mone deſcribit. ſecundum cuius deſcriptionem Venetorum, Pariſienſium, & Antuerpienſium mercatus cum Tyriorum collatus, ne comparari quidem poteſt. His negotiationibus Tyrus diuitijs luxurioſa, ciuium multitudine, ac rerum omnium abundantia gaudebat: eiuſq; plateæ puerorum ac puellarum caterua, iuuenum ac virginũ luſibus perſtrepebant. Hæc de Tyri ſitu & ædificijs dicta ſufficiant, cuius ſi munitionẽ ſpectes, arx magis quàm vrbs dicenda eſt: ſi negotiationẽ, mundi totius forum eſt: ſi magnificentiam & gloriam, regia quadam maieſtate fulgens, velut Regina inter cęteras vrbes eminet: ſi opes denique, faſtum, & luxum attendas, orbis potius quàm vrbls nomen meretur.

Quod verò ad Tyri originem attinet, certum eſt iuxta veterum traditiones atq; Bero- *Geneſ. 10. Beroſ. Tyr. 13. bel. ſacr. 1. Bro. itin. 1. Breid. ibid. Sal. to. 9. cap. 10. Iſai. 23. Euſeb. in Chronic. Ioſeph. 8. ant. 3. Iuſtin. hiſt. lib. 18. Benedic. in 1. Par. 14. & Iſa. 23. Iſai. 23. Hiero. ibi. Plin. lib. 5. cap. 19. Ioſep. lib. 1. con. Apion.* ſum, quòd Tyras ſeptimus filiorum Iaphet paulò poſt diluuium eam condiderit; illique à ſuo ſumptum vocabulo nomen indiderit. atque hinc Tyrus ab Iſaia à diebus priſtinis in conditionis ſuæ antiquitate gloriata fuiſſe deſcribitur. Tempore Ioſue Iſraëlitarum ducis à Phœnice rege, vt & ſupra memini, inſtaurata, Phœniciæ meruit fieri metropolis. Quod autem Ioſephus ducentis quagraginta annis antequam Salomonis templum extrueretur, hoc eſt, ſub Gedeone iudice Iſraël; Iuſtinus verò ante annum Troianæ cladis, id eſt, ſeptennio ante Samſonis iudicis tempora, Tyrum à Sidonijs conditam ſcribunt, id potius de eius reſtauratione atque renouatione intelligendum eſſe reor. ideoque duntaxat filia & colonia Sidônis appellatur. ſicut viciſſim potens illa Africæ vrbs & Romani æmula Imperij Carthago à Tyris condita, Tyriorum eſt colonia. vnde illud Virgilij.

*Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuêre coloni.*

Ideoque & Carthaginenſe regnum à Tyrijs ſiue Phœnicibus Punicum, quaſi Phœnicum nominatum fuit.

In Iſraëlitica terræ promiſſionis diuiſione *Ioſ. 19.* Tyrus ſorte ducta tribui quidem Aſer obuenit: verùm quia Aſaritæ habitatores eius expellere non potuerunt, eam filij Iſraël nunquam poſſederũt. Quamobrem Tyrij ad Euangelij vſq; promulgationem in gentili per- *Hercules Tyriorum. præſes. Ioſeph. 8. ant. 5. & lib. 1. con. Apion.* ſeuerantes errore, Iouem, Saturnum, Aſtarten, & Herculem (cuius numini vrbem dicauerant) pro dijs adorauerant. eorumque rex Hiram pro deorum ſuorum honore auream Tyri in Iouis delubro dedicauit columnam, idque aureis donarijs exornauit. Idemque maiores ſuos religione in deos prælucere cupiẽs, Herculi & Aſtartæ, antiqua demolitus, noua templa condidit, ac Herculi inſuper ſtatuam erexit, ſacerdotiaq; ac ſacerdotes inſtituit. ex quorũ numero poſtea Ithobalus Aſtartæ ſacerdos Phelleten Tyri Regem peremit. Ad hos etiam Tyriorum venerandum deos Iudæorũ pſeudopontifex Iaſon, cùm quinquennalis agon ſiue certamen Tyri celebraretur, ab Hieroſolymis trecentas argenti didrach- *2 Mac. 4.* mas, in ſacrificium Herculis erogandas Tyrũ miſiſſe, in Machabæorum libris ſcribitur.

*3 Reg. 9. Amos. 1. Hiero. ibi. 2. Reg. 5. 3. Reg. 5. 1. Par. 14. & 22. 2. Pa. 2. 8. 9 Ioſe. 7. ant. 3. & 8. ant. 2. & 5. 3. Reg. 9. 2. Par 8 Ioſeph. 8. ant. 5. & lib. 1. cont. Apion.* Quamuis autem Tyrij proprium olim habuerint Regem, qui gentium idololatriæ erat implicatus, atque à Iudaica religione alienus, cum Regibus tamen Iuda amicitiam, ſocietatem, & fraternitatis fœdus ſemper habuiſſe leguntur: atque Hinc Tyrij Iudæorum dici fratres meruerunt. Qua de cauſa prædictus Tyriorum rex hiram, Iudæorum non ſolùm amicus, ſed & benefactor, Dauidi, eiuſq; filio Salomoni in palatiorum & Templi ædificationem artifices, & de monte Libano ligna cedrina ratibus per mare in Ioppen vſq; tranſmiſit. In cuius compenſationem eum Salomon frumento, vino, oleo, ac viginti oppidis Galilææ non procul à Tyro diſſitis donauit. Vt taceam quòd literis, nec non ænigmatibus explicandis, multiſque donarijs vltro citroq; miſſis ſeſe mutuo honorauerint.

Quæ Tyri & Hieroſolymæ inter ſe amicitia in perpetuum firma durauit. Nam & Iu- *1. Eſdr. 3.* dæorum duci Zorobabeli ad templi inſtaurationem cedri materiam à Tyrijs miſſam: & *2. Eſdr. 13.* Neemiæ tempore Tyrios Hieroſolymis habitaſſe, ibique vendidiſſe piſces, aliaque exercuiſſe mercimonia in Eſdra legimus.

Verùm cùm Tyri Rex gloria elatus in tantam cordis veniſſet ſuperbiã, vt Propheta teſte diceret: Deus ego ſum, & in cathedra Dei *Ezech. 28.* ſedi in corde maris; ac populus propter opũ *Iſa. 23. Ierem. 47. Ezech. 26. 27. 28. Ioel. 3. Amos. 1. Zach. 9.* abundantiam in nulla non ſcelera diffluerét Dominus exercituũ, qui iuſtus peccatorum? vindex eſt, per Prophetas ſuos Iſaiam, Ieremiã, Ezechielem, Ioelẽ, Amos, & Zachariam, inclytam & inexpugnabilem hanc vrbem ab exteris Regibus, qui Diuinæ iuſtitiæ forent executores, obſidendam, enſe igneq; vaſtandam, ac, funditus deſtruendam, atque ſeptuaginta annis deſolatum iri prædixit.

Quam, vt in publicis Phœnicum hiſtoriarum, quæ in archiuis Tyri diligentiſſimè ſeruabantur, annalibus ſcriptum inuenitur, pri- *Ioſe. 9 ant. 15, et lib. 1. con. Apion. Tyr. 13. bel. ſacr. 4.* mò Salmanaſar Aſſyriorum Rex cum ſexaginta nauibus; in quibus octingenti erant remiges, mari obſedit. qua claſſe à duodecim Tyriorum nauibus deuicta, & quingentis ex ea captiuis abductis, Rex Aſſyrius cuſtodes ad Tyri fluuium & aquæ ductus diſpoſuit, qui aquari Tyrios prohiberẽt. quod cùm per continuos quinq; annos fieret, Tyrij quò aquam *Hieron. in Iſai. 23. & Ezech. 26. 27. 28. & 29. & in Amos 1. Ioſeph. 10. ant. 13. Tyr. 13. bel. ſacr. 4.* haberent, humanis vſib. neceſſariam, puteos fodere, atq; inde haurire coacti ſunt.

Deinde potentiſſimus Babylonis rex regum Nabuchodonoſor, poſt excidium Hieroſolymitanum cum magnis equorum, curruum, equitum & peditum copijs Tyrum, iuxta nouam Ioſephi ex Græco tranſlationem, tredecim annis obſedit. At cùm arietes, vineas, aliaſq; bellicas mahinas, eò quòd mari cincta eſſet, muris non poſſet admouere, infinitam exercitus multitudinem iuſſit ſaxa & aggeres comprotare, & impleto quod inter ciuitatem & continentem maris, imò anguſtiſſimi fretri erat medium, vicinum littus inſulæ fecit continuum. Quod cùm Tyrij iam iamque viderent perfectum, & percuſſione arietum murorum fundamenta quaterentur, quicquid precioſum in auro, argento, veſtibuſque, & varia ſuppellectili nobilitas & potentiores quique ciues habebant, impoſitum nauibus in Cyprum, Carthaginem, & ad alias Ionij Aegæique maris inſulas auexerunt, vrbem fermè vacuam relinquentes. Itaque Tyrus milleſimo ſeptingenteſimo penè à fundatione ſua anno à Babylonijs capta, ac Rege populoque occiſis, direpta, combuſta, & tota ad ſolum vſque ita euerſa eſt, vt ſeptuaginta annis deſolata in deraſæ vrbis Planicie piſcatores retia ſua expanderint ac ſiccauerint. Quia verò Nabuchodonoſor in Tyri expugnatione cũ ſuo exercitu maxima Deo Optimo Max. fidelitate ac ſeruitute ſeruierat, eiuſque contra Tyrum impleuerat voluntatem, ita vt geſtantium lapides, & cophinos terræ, omne caput decaluatum, & omnis hume- *Ezech. 29. Hiero. ibi.* rus depilatus fuerit; nec tamen capta vrbe vel ipſe, vel exercitus eius quicquam opere ſuo dignum inuenerat in Tyro; idcircò iuxta Ezechielis vaticinium, decimo ſexto poſt deſtructionem Ieruſalem anno pro mercede laboris eius dedit ei Deus regnum Aegypti, *Ezec. 29. & 32. Ioſeph. 10. ant. 11* atque exercitui eius in prædam vniuerſas tradidit Aegypti opes. Vnde intelligimus, inquit Hieronymus, etiam ethnicos, ſi quid boni fecerint, non abſque mercede Dei iudicio *Hieron in Ezech. 29. Hieron. in Iſai. 23. & Ezech. 26. 27. 28. 29.* præteriri. Nam licet bona in ſtatu peccati facta, remuneratione æternæ gloriæ non ſint digna, ſæpè tamen ea temporali aliquo compenſat Deus.

*Q. Curtius de rebus. geſtis. Alexand. mitgni lib. 4. paulò poſt principiũ. Ioſep. 1. ant. 8. Tyr. 13. bel. ſacr. 4. Diodorus in vita Alexandri anno 4.* Cæterùm poſt ſeptuaginta deſolationis annos Tyrus iterum ædificata, & in antiquũ ſtaſum reſtituta, ducẽtis fermè annis floruit: Deinde per Magnum illum Alexandrum Macedonum regem ſeptem menſibus oppugnata fuit, & tãdem expugnata. Qui & ipſe (vetuſto Nabuchodonoſoris opere iam vel maris illuuie, vel Tyriorum induſtria deſtructo) ad vrbis expugnationem à multis hominum millibis ingenti vndiq; ſaxorum, (quæ Tyrus vetus præbebat) arborum cum ingẽtibus ramis. aggerumq; congerie comportata, maris voraginem oppleuit, ac vrbem denuo ab ortu continenti contiguã reddidit quam formam in hodierum vſque diem retinet.

*Hieron. in loc. Act. Apoſt. lit. T Plin. lib. 5. cap. 19. Io. Bened. in Ez. e. 26. Tyr. 13. bel. ſacr. 7. Vlp. Digeſt. tit. de Ceſ. Tyr. 13. bel. ſacr. 1.* Poſt hanc expugnationem Tyrus in priſtino flore & errore ad Chriſti vſque tempora annis pluſquàm trecentis: ac deinde ſub ſuaui Chriſti iugo ſexcentis circiter annis florentiſſima claruit. ac fœderis, quod tunc cum Romanis totius orbis dominis ferierat, obſeruãtiſſima, ob egregiam in Rempublicam Imperiumque Romanum, fidem (vt hinc oriũdus vir legum peritiſſimus Vlpianus teſtatur) Italici iuris priuilegio atque immunitate ab Imperatoribus dotata fuit.

Porrò licet Tyrij, ſicut Sidonij, in idolorum cultura ac vitijs à cunabulis fuerint enutriti & educati, eos tamen ipſis Iudæis, qui præter naturæ & Moyſi legem, Chriſti etiam prædicationem audierant, & miracula conſpexerant, ad recipiendam Euangelij gratiam fuiſſe paratiores, hinc liquet, quod copioſam Tyriorum & Sidoniorum turbam Chriſtum prædicantem ſecutam fuiſſe Euangelium doceat. *Marc.3. Luc.6. Matt.11. Luc.10.* Cui & iſtud Chriſti accedit teſtimonium; Si in Tyro & Sidône facta fuiſſēt ſigna, quę in Chorozaim & Bethſaida: quòd in ſacco & cinere ſcelerum ſuorum pœnitentiam egiſſent. Quā animi promptitudinem ipſorum fines viſitās, *Matt.15. Marc.7.* ſua præſentia probaſſe videtur.

Chriſti autem Euangelio per Apoſtolicam prædicationem iam Mundo coruſcante, Tyrios promptis animis Chriſtianæ lucis veritatem ſtatim fuiſſe amplexos, vel ex diſcipulis, hoc eſt, Chriſtianis illis deprehendere eſt, qui *Act.21.* Paulum Apoſtolum ex Aſia Hieroſolymam petentem ac Tyrum appulſum ſeptem diebus apud ſe retinuerunt: atque Diuino ſpiritu de perſecutione, quæ in ipſum Hieroſolymis mouenda erat, edocti, diſſuaſerunt ei, ne Hieroſolymam proficiſceretur. Quorum ſanè ardentiſſima fides in hoc ſe manifeſtauit, quòd omnes vnà cum vxorib. & liberis abeuntem *Hieron.to. 1.epiſt.27. ad Euſtoch* Paulum extra ciuitatem vſque ad littus deducentes, ibi nequaquam ſuam religionem pudendam duxerunt. poſitis enim in littore genibus omnes ſimul orauerunt. deinde Paulo cum ſuis Ptolemaidem nauiganti vltimum vale precati ſunt.

Sicut autem ipſi in littoris arena intrepidè Chriſtianam religionem confeſſi ſunt, ita & eorum poſteri in media eiuſdem ciuitatis arena, cùm in alijs Chriſtianorū perſecutionibus tū maximè in grauiſſima illa, quæ ſub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus facta eſt, fortiſſimos ſe Chriſti exhibentes confeſſores, illuſtri martyrio & Chriſti nomen glorificauerunt, & vrbem hanc ſuo effuſo ſanguine ſacrarunt. *Euſeb.li.8. hiſt.eccl. cap.7. Nicep.l.7. hiſt.eccl. cap 7.* Nam, vt Euſebius Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopus, qui præſens ſuis oculis ea dum Tyri gererentur ſe ſpectaſſe teſtatur, in Eccleſiaſtica ſua Hiſtoria fusè deſcribit, plurimi Chriſti cultores flagris per omne corpus prius lacerati, nudi multis inſpectantibus in medio arenæ loco leonibus, vrſis, pardis, apris quoque, ſed & tauris, alijſq; immaniſſimis feris expoſiti ſunt. At feræ carnibus humanis veſci ſolitæ, & longa fame efferatæ, ſtridore & impetu multo è repagulis in ſtadium, imò in Chriſtianos proruentes, vbi eis appropinquauerunt, derepentè tanquam Diuina quadam vi repulſæ, à pijs Deoque charis hominibus retrò reſilierunt. Quas dum ferro & igni, variaque arte & incitamentis ad maiorem feritatem & furorem inſtigarēt, ipſos primùm ſuos inſtigatores, deinde obiectos ſibi alios verè criminoſos incredibili velocitate diſcerpſerunt: Dei autem cultores (quorum multi adhuc impuberes erant) qui in medio carnificinæ nudis corporibus, læto & hilari vultu, extenſis ad cælum palmis & oculis, ac mente toti cum Deo conuerſabantur, ſæpè religiosè quodā modo circumierunt, attingere verò non ſunt auſæ. Cæterùm cū feris his abductis, aliæ multò ſæuiores in Chriſti athletas emitterentur, atque ipſæ quoque Dei virtute repreſſæ, nihil moleſtiæ ſtrenuis Chriſti martyribus inferrent, ad extremum homines, qui ſoli immanitate beluas, crudelitate feras, atrocitate beſtias ſuperabant, in ſacroſanctos athletas miſſi, ferro crudeliter omnes iugularunt: eorumque corpora marinis fluctibus ſepulcri loco mandauerunt.

Cùm itaq; perſecutores illi hoc modo truculenti animi in Chriſtiani ouilis gregem omnem ſæuitiæ expleſſent libidinem, tandem in ipſos quoq; duces atq; paſtores eorum impius animus exarſit. inter quos illuſtriſſimus iuxta ac ſanctiſſimus Tyri Epiſcopus Tyrannio, tyrannico martyrio martyrum choris ſociatus eſt. *Euſeb.hiſt. eccl.l.8.ca. 14 aliàs 25 Niceph.7. hiſt.eccl.16.*

Cùm enim Chriſtiana religio iam altiores radices agere inciperet, Tyrus ſicut opum magnitudine, ſic etiam pietate cæteris excellens, Archiepiſcopali cathedra (cuius poſt Patriarchatum Hieroſolymitanum proxima erat dignitas) nobilitata fuit. *Tyr.bell. ſacra li.11. ca.17.& l. 13.c.2.23. & lib.14. cap.16.* Cuius diæceſis olim a Valania fluuio vſq; ad Caſtrum peregrinorum ciuitati Doræ conterminum patebat. atque ſubiectarum quatuordecim ciuitatum ſibi ſubiectos habebat vicarios Epiſcopos, quos ſuffraganeos vocant. Caiphæ nempe, quæ & Porphiria dicitur, Ptolemaidis ſiue Aconis, Sareptæ, Sidônis, Paneadis, quæ eſt Cæſarea Philippi, Beryti ſeu Baruti, Biblij, Botrij Tripolis, Orthoſiæ, Archis, Aradi, Antaradi ſiue Tortoſæ, & Maracleæ.

Sed, proh dolor, cùm Tyrus annis plus minus ſexcentis; vt dixi, in ſalutari Chriſti cultu floruiſſet, tandem anno partus virginei ſexcenteſimo trigeſimo ſexto vnà cum alijs Paleſtinæ ciuitatibus in Saracenorum poteſtatem lapſa, annis quadringentis octuaginta octo infidelitatis iugum paſſa eſt.

Quam Balduinus primus Hieroſolymorum Rex anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo duodecimo ex infidelium manibus extorquere ſatagens, eam tam nauium claſſe, quàm peditum ac equitum copijs terra marique continuis penè aſſultibus, & murorum ac turrium quaſſatione, telorumque imbre plus quatuor menſibus oppugnauit. ſed incolis animosè ciuitatem defendentibus, obſidionem ſoluere coactus eſt. *Tyr.11.bel. ſacra.17.*

Anno verò Chriſtianæ ſalutis milleſimo centeſimo viceſimo quarto, Patriarcha Hieroſolymitanus Guaremūdus Balduini ſecundi Hieroſolymorum regis à Saracenis capti obiens vicem, cęterique Chriſtiani principes, ſimul & Venetiarum Dux Dominus Michaêlis, vnà cum inſtructiſſima Venetorum claſſe terra marique acerrimè hanc vrbem impugnantes, quinto obſidionis menſe ciues extrema fame preſſos compulerunt, vt vita, & bonis ſaluis ciuitatem noſtris dederent. *Tyr.bel.ſa. li.12.c.24. 25.& l.13. c.4.5.6.7. 5.10.11.13. 14. Vitriac. cap.43.*

Itaque Tyrus Chriſtianæ reſtituta libertati, in tres claſſes diſtincta fuit. quarum duę Regi Hieroſolymitano, tertia verò iure icti fæderis Venetis ceſſit. rurſumque Archiepiſcopali ſede decorata, centum ſexaginta quinque annis claruit. cuius Archiepiſcopalis iuriſdictio tātùm à Cane fluuio vſque Caſtrum peregrinorum extendebatur. atque infra ſcriptis præerat Epiſcopatibus. Caiphenſi ſeu, Porphirienſi, Ptolemaidenſi ſiue Aconēſi, Sareptano, Sidonienſi, Paneadenſi, quæ & Cæſareæ Philippi, & Berytenſi, ſeu Barutenſi. Cæteros enim, qui olim illi paruerant, Antiochenus Patriarcha, eò quod eorum ciuitates diu ante Tyrum expugnatæ erant, in ſuam poteſtatem receptos, retinuit. *Tyr li.14. bel.ſacr.c. 13 & 14. Broc.iti.1. Breid.ibi.*

Anno deinde poſt Chriſtum natum milleſimo centeſimo octuageſimo octauo, Saladinus capta iam Hieroſolyma, ac vniuerſa Paleſtina in ſuam poteſtatem redacta. Tyrum, quæ ſola reſtabat, Alexandrina claſſe, innumerabiliq; exercitu accerrimè oppugnauit. At Chriſtiani non tantùm ſtrenuè vrbem defenderūt, verùm etiam incēdiaria ſcapha in hoſtes miſſa, totam eorum claſſem combuſſerunt: atque vrbe erumpentes, Barbarum victum, caſtriſq; exutum, in fugam verterunt. *Herold. contin.bel. ſacr.lib.2. cap.2. Vitriac. cap.9.*

Biennio poſt hanc victoriam Imperatoris Frederici Barbaroſſæ Sueui corpus (qui tum in recuperatione Palæſtinæ dum fuſos inſequitur hoſtes, in flumine, quod traijcere volebat, ab equo lapſus, ac armorū onere oppreſſus, paulò pòſt inter manus ſuorum mortuus erat (Tyri in cathedrali eccleſia celeberrimis exequijs, omniumque luctu ſepultum eſt. *Herol. cont.bel. ſacra.lib.2. ca.6.& 7.* Vbi & illuſtre Origenis ſepulcrum (qui ante annos nongentos quadraginta Tyri mortuus erat) in eccleſia ſancti ſepulcri inſigni titulo in marmorea columna auro gemmiſq; ornato, etiā tum viſebatur. *Hieron.to. 2.ep.21.ad Pammac. & Ocean. Ty.13.bel. ſacr.1. Brei.iti.1.*

Poſtremò anno reparatæ ſalutis ſupra milleſimum ducentiſſimum octuageſimo nono, Tyrus à Saracenis Aegyptiorum claſſe ac terreſtribus copijs mari terraq; tertium iam mēſem oppugnata, per deditionem (tali lege vt Chriſtiani cum rebus, quas iumentis aut nauigijs poſſent auferre, omnes incolumes abirēt,) in Saracenorum manus deuenit. atque etiamnum à Turcis poſſidetur. *Sal.t.9.c.10. Brei.iti.1. Sal.tom.9. cap.10. Herold.5. cont.bell. ſacr.4.*

85.

HOC loco, ab Orientali Tyri porta quàm procul arcus bis iacere poteſt, magnus in medio arenæ quidam oſtenditur lapis, ſuper quem Chriſtum ſtetiſſe ac prædicaſſe aſſerūt. vbi etiam mulier quædam extollens vocem de turba, Domino dixiſſet; Beatus venter qui te portauit: & vbera quæ ſuxiſti. *Luc.11. Croc.iti.1. Breid.ibid.* Qui quidem lapis ob honorem Domini nunquam arena ſeu puluere aut niue tegi dicitur: quamuis aſſiduo penè ventorum afflatu arena ibi agitetur. *Fretel. Sal.tom. 9.cap.10.*

86.

TYRVS antiqua, Græcè Palætyrus dicta, vrbs eſt triginta ſtadijs à prædicta Tyro diſtans Ioſ.9.ant.15. Strabo, Mercat. Ortel.

87.

VALLIS Aſer, quæ in ſorte tribus Aſer ſita, etiam Vallis pinguis dicitur, quinto ab Orientali Ptolemaidis parte miliario ſumit initium; & verſus Orientem vergens, ciuitatem Sephet ab Auſtro præterit: ac ſe vlterius vſque ad mare Galilææ extendens, plus decem in longitudine miliaria complectitur. Eſt autem agri huius ſolū pinguiſſimum iuxta ac fœcundum, vini ac tritici delicatiſſimi feraciſſimum, vt & meritò Vallis pinguis dicatur, ac tota tribus in ea benedictionis Iacob virtutem (ſi literam ſpectes) experta putetur. *Geneſ.49.* Nunc à S. Georgij caſtro, quod in ea ſitum eſt, Vallis ſancti Georgij appellatur. Broc.itin.4. Breid.itin.3. & 4.

88.

VIA Ituræ. qua à Sidône in Ituræam, & inde ad Cæſaream Philippi iter eſt. Brei. itin 1.

89.

VIA Sidônis. quæ à Sidône per Sareptam Tyrum ducit. Hieron. de loc. Hebr. lit. S. in dictione Sarepta.

90.

VIA Tyri. quæ à Tyro Ptolemaidem tendit. Hieron. de loc. Hebr. lit. A, in dictione Achziph. Brocardus itiner.1. Breid. ibidem.

91.

HOC loco, qui ab incolis Cappadocia appellatur, non longè à Beryto memorant inclytum Chriſti militem D. Georgium Regis filiam ab immaniſſimo dracone aſſeruiſſe, eamque mactata belua, parenti reſtituiſſe. In cuius rei memoriam ibidem eccleſia poſtmodum fuit ædificata: quæ nunc vetuſtate exeſa ſqualenſque iacet. Ludouic. Roman. Patric. nauigatio. lib.1. c.3, Breid. itin.5.

## B.

# Tribus Beniamin.

I.

*Gen.35. Num.1. Num.26. Rom.11. Philip.3. Ioſ.18.*

BENIAMIN duodecimus filiorum Iacob, ex Rachel vxore ſic generationem ſuam auxit, vt de tribu eius iuxta montem Sinai recenſiti & inuẽti ſint à XX. annis & ſupra viri bello apti triginta quinq; millia, & quadringenti, quibus omnibus in deſerto mortuis, eorum filij XLV. millia ſexcenti terram Chanaan ingreſſi in diuiſione terræ Sanctæ obtinuerunt partem citra Iordanem in meditullio ſitam. huius tribus longitudo & latitudo eſt omnium anguſtiſſima, ſed bonitate telluris compenſans breuitatem. Sig.

2.

*Hieron. in loc. Hebr. Ioſ 15. & 18.*

ABEN BOEN. à filio Rubem ſic appellatus, eſt terminus filiorum Iudæ. iacet in valle contra Orientem in via regia de Adomin, magnus in modum Clibani, & videtur eſſe marmor. Breidenb, itin. 6.

3.

ACANTHO·LAVLONA. hîc primò caſtra poſuit Titus obſeſſurus Ieroſolymam. Ioſe. 6. bel. 2.

4.

*Ioſ. 7. 15. Iſai. 65. Oſee. 2. Bre. itin. 6.*

ACHOR vallis. Hîc lapidatus eſt Achan ſacrilegus propter furtum anathematis. eſt ad ſeptentrionem Iericho, & vſque hodie à regionis accolis ſic nominatur. quidam putant vallem Achor, ab Achan, qui lapidatus ibi eſt, ita nuncupatam. Hierony. in locis Hebr. lit. A. & E. quod ex nominis etymo videtur: eſt enim vallis turbarum, ſi ex Hebræo interpreteris, quod ille furto turbaſſet populum Iſrael. VVeiſſenb.

5.

*Ioſ. 15. & 18.*

ADDAR ciuitas fortis Beniamin. Hier. in loc. Hebr.

6.

*Hier. in epitap. Paulæ. Broc. iti. 6. Breid. ibi. Luc. 10. Breiden. In lo. Heb. Salign. to. 9. cap. 4.*

ADOMIN. locus ſanguinarius, frequentibus homicidijs & latrocinijs infamis etiam poſterioribus temporibus, & rem & nomen retinuit; Mons, & portio montium Engaddi. Sig. aſpectu terribilis, & valdè periculoſus, quemque ſine conductu nemo temerè tranſeat. Eo loci homo ille, qui de Ieruſalem in Iericho tendebat, curatus eſt à Samaritano cùm incidiſſet in latrones, ab ijsq; vulneratus eſſet, quod etiamnum multis contingit. Diſtat à Iericho contra Occidentem quatuor leucis. Quondam villula, nunc caſtrum, vt Breid. & Brocard. vt Hieron. ruinæ in ſorte tribus Iudæ. græcè ἀνάβασις πύῤῥων, id eſt, aſcenſus rubẽtium, propter ſanguinem, qui ibi à latronibus funditur. Hebr. Maledomim eſt confinium tribus Iudæ & Beniamin. vbi & caſtellum militum ſitum ob auxilia viatorum. Videtur hîc cauerna profunda, ſuper quam olim erectum fuit ædificium.

7

AFFARA ſiue Aphara, ciuitas tribus Beniamin. Ioſ. 18.

8.

AGER robuſtorum. vbi duodecim ex parte Iſboſet, & totidem ex parte Dauidis mutuis ictibus conciderunt, vnde & nomen loco inditum eſt, in Gabaon, 2. Reg. 2,

9.

ALMATH cum ſuburbanis ſuis, ciuitas data Leuitis de tribu Beniamin. 1. Par. 6.

10.

ALMON ciuitas, cum ſuburbanis ſuis data filijs Aaron. Ioſ. 21. Hieron. in loc. Hebraic.

11.

*Ioſ 22. Hier. in lo. Hebr.*

ALTARE teſtimonij, quod præaltum filij Rubem, Gad & dimidia tribus Manaſſe in teſtimonium legis Moſaicæ ſuper ripam Iordanis in tribu Beniamin exſtruxerunt, iuxta locum Heliloth, qui Hieron. Galiloth eſt, vbi noſter textus tumulos Iordanis habet.

12.

AMAENIAM. in tribu Beniamin. Hieron. in loc. Herb

13.

AMMONI ciuitas Beniamin, ita Benedictus in interpr. nom. Heb. ex 2. Reg. 23.

14.

AMOSA ciuitas filiorum Beniamin. Ioſ. 18. Hieronymo in locis Amſa.

15.

ANANIA ciuitas. 2. Eſdræ 11. ita Bened. in nom.

16.

*Ioſ. 21. 1. Par. 6. Iere. 1. 11. 26. 32. 2. Reg. 33. 3. Reg. 2. 1. Para. 11. 12, 27. Iſai. 10. 2. Eſd 11. Hier. de lo. & in Iere. cap. 32. Breiden. Brocard.*

ANATHOT, maximè celebris natali Ieremiæ Prophetæ, vbi & agrum emit à patrule ſuo. Sacerdotibus ſeparata ciuitas in tertio ab Aelia miliario. eſt nõ longè à Rama Beniamin viculus Sacerdotum modicus, vt auctor eſt Breidenbach. Turrim Anathoth nominat Hieron. in Ierem. cap 32. quæ ipſius tempore appellata ſit Ieremiæ ante dicta Hanameel patruelis, à quo agrum emerat Ieremias.

17.

ANIM in tribu Beniamin. Hieronymus in loc.

18.

APHIN Hieron. in locis.





19.

APHRA, qui tempore Hieron. vicus erat, vide in locis.

20.

ARATH villa ad Occidentem AEliæ. Hieron. in locis.

21.

ARBI, patria Pharai, vnius ex fortibus Dauid. 2. Reg. 23.

22.

ARIM in Beniamin. 1. Eſd. 2. Hieron. de locis. An idem hic cum eo loco, qui poſt Arem, vt alij Harem?

23.

ASOR. 2. Eſdræ 11.

24.

ATAROTHADDAR ciuitas tribus Beniamin. ſunt autem duæ haud procul ab Aelia. Ioſ. 18. Hieron. in loc.

25.

AVIM ciuitas. Ioſ. 18.

26.

AZMOTH. 1. Eſdr. 2. alij Azmaueth. 2. Eſdr. 7. dicitur Bethazmoth.

27.

BAALTHAMAR vicus, vbi filij Iſrael aduerſus tribum Beniamin certamen iniêre. ætate Hieronymi appellabatur Bethamari. Iud. 20. Hieron. in loc. Hebr.

28.

*2. Reg. 3. 16. 17. & 19. & 3. Reg. 2. Brocard. Breid.*

BAHVRIM oppidum & caſtrum ſatis pulcrum in monte alto ſitum. Hucuſque Phaltiel flens proſecutus eſt Michol vxorem ſuam, cùm reduceretur ad Dauidem, atque inde in patriam Gallim conceſſit trans Iordanem. Hic etiam Semei lapidibus impetebat & maledicebat Dauidem, fugientem â facie Abſolon. Eſt ſita ab Adomim vna leuca contra Occidentem, vt autor Brocardus, & ad borealem partem montis Olìueti.

29.

BALILOTH in tribu Beniamin. Hier. in locis.

30.

BENIAMIN, nomen loci. 3. Reg. 4.

31.

BEROMI, aliâs Baurami ciuitas. 2. Reg. 23. & 1. Paral. 11.

32.

*Ioſ. 9. Ioſ. 18. 2. Reg. 4.*

BEROTH vrbs olim Heuæorum, poſtea tribus Beniamin. occupata à Dauide, qui inde tulit æris vim magnam, ad vſum templi. Inde Berorhitæ. 2. Reg. 23. 1. Paral. 11. 1. Eſd. 2.

33.

*Gen. 50. Ioſ. 15. & 18. Hier. in lo. Hebr. Brocard. Breid.*

BETHAGHLA nunc, qui olim Areaatad, locus trans Iordanem, vbi Ioſeph & filij Iſraël reliqui planxerunt Iacob patrem ſuum quando eum tulerunt de AEgypto. vnde etiam Bethagla, hoc eſt, locus gyri dictus eſt, eò quod ibi more plangentium circumierunt in funere Iacob. Hoc loco monachi græci nunc habitant ex ordine D. Baſilij, quorum cœnobiũ diſtat à Iordane duobus miliaribus, autor Salignìac. tom. 9. cap. 5. quos tamen ibi quondam fuiſſe refert Breid.

34.

BETHAIM eſt in tribu Beniamin iuxta Gai & Bethel contra Machmas, licet plerique eandem putent eſſe Bethel, Hieron. in loc. Hebr.

35.

BETHALLA. Hieron. in loc. Heb.

36.

BETHALON. pro qua Symmachus interpretabatur in campeſtribus. Hieron. in loc.

37.

BETHAN. meminit Hieron. in loc.

38.

BETHARABA ciuitas. Ioſ. 15. & 18.

39.

BETHASAN, vicus vſque hodie permanens, ait B. Hieron. in locis, ad Aeliam pertinens in decimo quinto ab ea miliario.

40.

*Oſe. 4.*

BETHAVEN, ciuitas alia à Bethel, vbi caſtra metati ſunt Philiſtæi cõtra Saul 1. Reg. 13. confunditur à pleriſq; cum Bethel, de quo videndus Hieronymus in loc. Iuxta hanc ſaltus, vbi Ionathas cũ mel commediſſet, quod voto vetuerat Pater, zelo Saulis pene perijt. 1. Reg. 14. Deſcribitur etiam ſolitudo Bethauẽ; fortè quod vrbs ipſa adiacenti deſerto vel ſaltui nomen dederit.

41.

*1. Mach. 9. Ioſeph. 13. Antiq. 1.*

BETHBESSE vicus in deſerto ſitus. Ioſepho Bethalaga, quem mœnibus & turribus muniuit Ionathas Machabæus, aut, vt in Machabæ. legimus, diruta eius extruxit & firmauit.

42.

Ioſ.18. Gen.12.28. 35.48. Hieron.in loc.Hebr. Brocard. Breiden. Gen.35. 3.Reg.13. Ioſeph.8. Antiq.9. Ioſ.12. 3.Reg.12. & 13. 4.Reg.23.

BETHEL vrbs in alto monte ſita, quæ primus Luza vocata fuit, diſtat vna leuca ab Hai contra Aquilonem. Hic Iacob cùm fugiens à facie fratris ſui pergeret in Meſopotamiam, ſuppoſito capiti lapide humi dormijt ſub dio, & vidit in ſomnis ſcalam de terra vſq; ad cælos extenſam, & Angelos Dei aſcẽdentes & deſcẽdentes per eam, ac Deum deſuper ſcalæ innixum, promiſſa ipſi ſancientẽ, ſibiq; benedicẽtem. vnde experrectus loco Bethel, id eſt domus Dei nomen impoſuit, ipſumq; lapidẽ erexit in titulum; vbi tempore Hieronymi Eccleſia erat ædificata, ipſeq; lapis etiamnũ iuxta Bethel oſtenditur, vnà cum ſepulcro Deboræ nutricis Rebeccæ, quæ ibidem ſepulta eſt ſub quercu ſeu ilice fletus. Hanc ciuitatem Ioſue expugnauit, eiuſq; regem occidit. Attributa tribui Beniamin ab Ephraim proditione capta eſt. Frequentabatur cauſſa orationis. At poſteaquam Ieroboam rex Iſraël poſuit in ea vnum ex vitulis aureis pro Deo ab Iſraelitis, hoc eſt à decem tribubus adorandum, ex eo tempore vrbs ipſa vocata dicitur Bethauen, hoc eſt domus idoli; cuius deſtructionem prophetat Amos ca. 3. & quidem altare maximo zelo optimi regis Ioſiæ in partes comminutum eſt. Eſt autem hodie villa in ſiniſtra parte viæ de Neapoli pergentibus Aeliam, vt autor eſt in locis Hebr. Hieron. & in commentarijs ſuper Oſee.

43.

Ioſ.16.18. 1.Reg.13. Cant.2. 4.Reg.23. 4.Reg.2.

BETHEL ſeu Bether montes ſunt fœcundi, nemoroſi & arboribus conſiti, gramine & herbis aromaticis pleni, & ideo cerui, capreæ & hinnuli illorum cacumina frequentant, de quibus in Canticis. Puluerem combuſtorum idolorũ iubet deferri in Bethel Ioſias. Aſcendenti Bethel Helizeo illudentes pueri XLII. lacerati ab vrſis ſunt.

44.

BETHERA, Bithera Nicephoro, vrbs munitiſſima, non ita longè diſtans ab Hieroſolymis, quam Romani occuparunt, fame & ſiti obſeſſis intus perduellibus ad extremam neceſſitatem adactis, ſub Aelio Adriano. Euſ. 4. hiſt. Eccl. 6. Nicep. 3. hiſt. Eccleſ. 24.

45.

Ioſ.10.16. 18. 1.Reg.13. 1.Paral.7. 3.Reg.9. 2.Paral.8. 1.Mach.7. Brocard. Breiden.

BETHORON inferior, ciuitas ædificata à Sara filia Ephraim, quam Solomon reſtaurauit.

46.

IVXTA Bethoron via, qua Ceſtius dux Romanus duxit exercitum, eſtque à Lydda euntibus Ieruſalem. ibi multæ rupes & valles, vt ex Ioſ. colligere eſt 2. Belli ca. 23. & 24.

47.

BOON. Hieron. in loc. Hebr.

48.

BOROOTH. Hieron. in loc. Heb.

49.

BOSES & Sene petræ ſeu rupes contrarijs frontibus ſemet inſpicientes. Hic Ionathas proſtrauit Philiſtæos 1. Reg. 14.

50.

CAMPESTRIA deſerti. 2. Reg. 15. & 17. per hanc ſolitudinem cùm fugeret Sedecias rex Iudæ, comprehenſus eſt à Caldeis, cùm aſſecuti illũ eſſent in planitie Iericho. 4. Reg. 25.

51.

CAMPESTRIA Iericho, terminantur in Segor. Deuter. 34. vide infra in Iericho.

52.

CAPHIRA, quæ & Caphara, Hieronymo Cephira, vicus, vt alij ciuitas, pertinens ad ciuitatem Gabaon. Ioſ. 9. & 18. Eſd. 1. cap. 2. 2. Eſdræ 7.

53.

CARIATH vicus Hieronymo, qui ſub Gabaon metropoli fuit, in locis.

54.

CARNEA viculus in nono ab Aelia miliario. Hieron. in locis.

55.

CHASLON villa pergrandis in finibus Aeliæ. Hieron. in loc. Hebr.

56.

CHEPHRI, in tribu Beniamin. Hieron. in locis.

57.

CHVZICA caſa fuit monachi Ioannis, ſita ad torrentem in parte Septentrionali viæ publicæ, quæ Hieroſolymis egreſſos Hierichuntem defert. Niceph. 17. hiſt. Eccle. ca. 4

58.

CLAVTOMON, Hieronymo Clauthmõ, locus flentium. Iud. 2. à planctu nomen accepit. Hieron. in loc.

59.

2.Reg.2. Hieron.in locis.

COLLIS-AQVAEDVCTVS, Hebr. & Hieron. dictus Anima, Ioſepho autem Mathon, ex aduerſo vallis Giah, iuxta Gabaon, vbi Aſaël frater Ioab confoſſus fuit ab Abner.

60.

CYPRVS, caſtellum natura tutum, ab Herode cõditum & egregiè communitum, pulcris & amænis domicilijs inſtructũ, quod de nomine matris ſuæ ita appellauit. Ioſ. 1. belli 16. & 2. belli 20.

61.

EDOMIA, in tribu Beniamin, vbi tempore Hier. oſtendebatur villa Eduma. in loc.

62.

ENSEMES, id eſt, fons Solis. Ioſ. 15. & 18.

63. FONS



63.

Brocard. itiner. 6. Breiden. 4.Reg.2. Ioſeph.5. bell.4.

FONS Eliſæi, ſcaturiens è pede montis Quarentanæ, fluuium generat vberrimum, & amœniſſimum: cuius aquas inſalubres ante & amaras, ad preces ciuium Iericho, lagenam fictilem ſalis plenam, ait Ioſephus, in profluentem aquam mittens, ſanauit & ſaluberrimas fecit Eliſæus. Illius aquas Archelaus toparcha Herodis filius diduxit in riuos plures, ad irrigationem campi, pratorum, palmarũ, cannarum mellis, & hortorum Iericho. Illius aquæ fluunt, ait Brocardus, iuxta locum Galgalæ, & illico in tantum ſuccreſcunt, vt impellant magna molendina, ſed poſtea in riuos ſecretæ hortos & prata irrigant, vſque Iericho, & infra, & ibi tandem influit in Iordanem: permeat planiciem longã quidem ſtadijs ſeptuaginta, latam verò viginti, vt Ioſephus narrat 5. bell. Iud. cap. 4. vbi plura de huius fontis virtute, & efficacia. Propè hunc fontem arbores creſcunt inſtar prunorum, ſpinoſæ tamen, in quibus flores naſcuntur, quos roſas Hiericuntinas vulgus appellat, mirandi effectus. Nocte enim natalicia noſtri Saluatoris paulatim hiant, atque inde ſe recludunt, licet ſiccæ ſint & aridæ, in teſtimonium virginei partus, vt credere licet. Salig. to. 9. ca. 6.

64.

1.Reg.20. Hieron.in loc. Heb. lit. E & L.

LAPIS Ezel, quem Hieronymus alibi Lamathara nominat, pro quo Aquila interpretatur ad ſignum, Symmachus, ad conditum. Vocatur etiam ab Hieronymo Ergab. dicitur lapis Ezel à viatoribus, ſeu deambulatione: diſtat à Ieruſalem 150. ſtadijs, & ab Iordane ſtadijs 60. vt Ioſep. autor 5. ant. 4. Hic latuit Dauid, expectans reſponſum Ionathæ: atque in eum locum ſagittas direxit Ionathas, militaribus iaculis ſe exercens, Saul patris animũ Dauidi indicauit, oſculatuſque poſt fœdus initum flens flentem dimiſit.

65.

Hieron. in loc.Hebr. Ioſ.18.& 21. 1.Paral.6. 4.Reg.23. 3.Eſd.5. Iſai.10. 2.Eſd.7. 11.12. Iud.19.20. 21. 1.Reg.10. 11.14. Brocard. Breiden. 2.Reg.21.

GABAA, quæ Gaba, Gabae, Gabatha, Gabe. Gabee & Gaba, ciuitas Leuitarum & poſtea Saul regia. Hic vxor Leuitæ nimio concubitu necata eſt: propter quod ſcelus tota tribus Beniamin, inſurgente in vindictam toto populo Iſraelitico ab ſtirpe pene interijt, ſexcentis duntaxat reliquis. Hic natus eſt & habitauit Saul, primus rex Iſrael, vnde & Gabaa Saul aliquando appellatur: ibidem poſtea à Dauide ſepultus eſt. Hanc reædificauit Aſa rex Iuda. 3. Reg. 15. 2. Paral. 16.

66.

MONS iuxta Gabaa, contra viam publicam, vbi ſeptem filij Saul crucifixi ſunt, permittente Dauide. 2. Reg. 21.

67.

Ioſ.24. Hieron.in locis, & in Epitaph. Paulæ.

GABAATH, quæ & Gabaad, & aliâs Gebeeth, ciuitas Phinees filij Eleazari, in tribu Beniamin: in qua ſepultus eſt ipſe Pontifex Eleazar, filius Aaron, primi Pontificis, cuius ſepulchrum etiamnum tempore Hieronymi venerabantur Chriſtiani. Hinc Gabaathites. 2. Reg. 23. 1. Para. 12. & Iſai. 10.

68.

Io.9.10.11. 18 & 21. Gen.10.15. Ioſeph.7. Antiq.11. & 2.bell. 23.24. Brocard. Breid. Hier.in co. Hebr. Ierem.18. 1 Paral.9. 12.16. 1.Eſd.7. 2.Reg.21. 3.Reg.3.9. & alibi.

GABAON, metropolis olim & regia vrbs Heuæorum, qui orti ab Heuæo filio Chanaan: diſtat ab Ieruſalem ſtadijs plus minus quinquaginta in monte Silo ſita, vt autor eſt Broc: vnde & ibi dicitur fuiſſe excelſum maximum. Habuit ſub ſe ciuitates Caphira, Beroth & Cariathiarim: poſt verò attributa eſt filijs Aaron, Leuitis. Nunc verò ait Hie. oſtenditur villa eodem nomine in 4. miliario Bethelis, contra Orientalem plagam, iuxta Rama & Remmon, vbi Salomon obtulit victimas. Huius incolæ Gabaonitæ induti veſtibus triſtis, & vetuſtatem præ ſe ferentibus, in dolo ſupplices ad Ioſue venerunt in Galgala, & callidè fœdus inierunt: deprehenſa fraude in aquarios & lignarios templi perpetuò mancipati ſunt, dicti Nathinæi, id eſt, dati vel donati ad ſeruiendum templo: quos cùm Saul poſtea delere voluiſſet, ob hoc tota terra tribus annis fame afflicta eſt. Hic Salomon in tabernaculo Moyſi (erat quippe hic tabernaculum. 1. Para. 16. 21. & 2. Par. 1.) immolatis ſuper altare æneum mille hoſtijs, ſapientiam à Deo petijt & impetrauit.

69.

FONS iuxta Gabaon, & aquæ multæ. Iere. 41. erat & Lapis grandis in Gabaon; vbi Ioab occidit Amaſã. 2. Reg 20. 21. & Montes iuxta Gabaon & Bethoron. Ioſeph. 2. bell. Iud. 24.

70.

FONS & piſcina Gabaon. Hic duodecim pueri ex parte Dauid, & totidem ex parte Iſboſeth pugnauerũt, & mutuis ictibus ad vnũ ſe confecerunt: vnde loco nomen inditum Ager robuſtorum 2. Reg. 2. vt ſupra dictũ eſt.

71.

Ioſ.4.5. & 15. Brocard. Breid. Hier.in.lo. Oſee 9. 2.Eſd.12. Amos 4. & 5. Ioſeph.5. Antiq.1. 1.Re.7.10. 11.13.15.& alibi. To.9.ca.5. Hieron. in loc.Heb.

GALGALA, quæ & Gilgal, Galgal, & Galgalis, Hieronym. Golgol, ciuitas inclyta: diſtat à Iordane ſtadijs quinquaginta, à Iericho ſtadijs decem. Hic tranſito Iordane caſtra poſuerunt filij Iſrael, ibique Ioſue ſecundo circumcidit cultro omnes maſculos in deſerto natos, celebrauit Paſcha, & deficiẽte manna, primùm comederunt de fructibus terræ promiſſionis. Hoc eodẽ loco tabernaculum teſtimonij fixum multo tempore fuit: & Saul corã arca Domini & Samuele ſecundò vnctus eſt in regem. Locus inſignis memoria lapidum, quos de alueo Iordanis translatos ibi ſtatuerunt Iſraelitæ. Hieronymi ætate oſtendebatur locus deſertus in ſecundo Ierichus miliario, ab illius regionis mortalibus miro cultu habitus; Saligniaci tempore vix pagus erat. Sed & iuxta Bethel quidã aliã Galgalam ſuſpicãtur.

72.

GISCALIS oppidũ Iudææ, patria S. Pauli Apoſtoli, quo à Romanis capto, cum parentibus ſuis Tarſum Ciliciæ commigrauit. Hieron. in catal. Script. Eccl. & in commentarijs ſuper epiſtolam ad Philemonem.

C 73. GRA-

73.

GRANATVS malus, arbor, ſub qua morabatur Saul, cum ſexcentis viris, iuxta Gabaa. 1. Reg. 14.

74.

HADID ciuitas, 2. Eſdræ 11.

75.

HAI, quæ & Chai, & Ioſepho Ada vel Aina, Hieronymo Agai, & Ai, ciuitas quondam pulcherrima: & in montanis, vt ait Brei. capta à Ioſue ſuccenſa, Rege ſuſpenſo, & cæſo populo. In Iſaia Aiath appellatur (vt notat Benedictus) per quam Sennacherib rex tranſijt oppugnaturus Ieruſalem, Iſai. 10. fit eiuſdem mentio Ierem. 49. 1. Eſdr. 2. 2. Eſdr. 7. eius, Hieronymi tempore, vix paruę ruinæ reſidebant, & locus tantummodo monſtrabatur: eſt ad Occidentalem plagam Bethelis, nō multum ab ea diſtans.

*Ioſe. 5. anti. Iudaic. 1. Breidenb. Hieron. in loc. Heb. Ioſe. 7. 8. & 12. Bened. in indice Biblio. Hier. in loc. Hebr.*

76.

DESERTVM Hai. Ioſ. 8. cap. Ioſep. 5. anti. Iudaic. 1.

77.

HELAM ciuitas. 1. Eſdr. 2. 2. Eſdr. 7.

78.

HELEPH ciuitas. Ioſ. 18.

79.

HEMONA ciuitas. Ioſ. 18.

80.

IAREPHEL, ciuitas in tribu Beniamin. Ioſ. 18. Hieronymo in loc. Hebr. Ierphel eſt. Benedictus ponit in Manaſſe.

81.

IERICHO, vrbs olim magna, populoſa, quæ & Oza Ioſepho, & Ptolemæo Hiericus, vna ex vndecim toparchijs Iudææ, & forte vltima in ordine, ſita in regione campeſtri, & pinguiſſima. Ibi Balſamum prouenit, nuſquā alibi; abundat roſetis, cannis mellis, palmetis, vnde & ciuitas palmarum appellata eſt. Cùm muris eſſet firmiſſimis, quos nec ferrum, nec aries penetraret, Ioſue dux populi Iudaici illā cum arca circumijt, & ſacerdotaliū clangore tubarum muris corruentibus ingreſſus, ferro ac flamma eam ſubuertit, regē ſuſpendit, eiuſque reædificatori maledixit: quā cùm poſt annos aliquot Ahiel de Bethel ex tribu Ephraim reſtitueret, dum fundamenta ponit, moritur primogenitus, ac deinde eius filij alij, vt ipſa portarum conſtitutione moreretur vltimus. Diſtat ſecundum Ioſe. ab Hieroſolymis CL. ſtadijs, à Iordane LX. procul ab Aelia m. p. 34. à Iordane plus minus VII. communis limes tribuum Ephraim & Beniamin, ager vndiq; circundatus montibus in theatri formam, vergentibus in cōuallem Iordanem verſus. Sieg. Campus Iericho terminatur in Segor. In hac vrbe hoſpitatus eſt, & habitauit Heliſæus. Ibidem Chriſtus Zachæum è ſycomoro vocauit: apparet arborem adhuc monſtrari ſolitā ętate Hieronymi. Contra Iericho Chriſtus illuminauit cœcos. Erat ibi amphiteatrum, & aula regia; curia item, vt Ioſephus autor eſt 14. Anti. 10. Tempore obſidij Ieroſolymitani deſtructa à Veſpaſiano: reſtaurata poſtmodū ab Adriano, quæ tertia eſt, & tēpore Hier. perdurabat, cùm vtriuſq; vrbis veſtigia oſtenderentur. Salig. vnā ſuo tempore turrim ſuperfuiſſe narrat. Breid. vix octo domos, & villæ viſtigia, monumentis ſacrorum penitus deletis. Fuit Eccleſiaſticæ ditionis & patrimonij, & habuit epiſcopū ſuffraganeum, vt autor eſt Vvil. Ty.

*Ioſ. 15. ant. 5. & 5. bel. 4. 4. Reg. 2. Eccl. 24. Deut. 34. Iud. 1. 3. 2. Par. 28. Ioſ. 6. Ioſeph. 3. bell. 2. 3. Reg. 16. Ioſ. 5. bel. 4. Sal. to. 9. c. 5. Deut. 34. 4. Reg. 2. Luc. 19. Hier. in epi. Paulæ, & in loc. Hebr. Matth. 20. Ioſ. 17. anti. 11. & 1. bell. 21. & 17. an. 15. 19. et 14. ant. 7. Num. 22. Ioſe. 2. Deut. 34. Tom. 9. c. 5. Brocard. 11. bel. 15. & 14. bell. 12.*

82.

CAMPESTRIA Iericho: in his Sedecias Rex Iuda captus à Chaldęorum exercitu, in Reblatā ad Nabuchodonoſor regem perductus eſt. Notat hāc planiciem Salig. quæ inter Iericho & Iordanem lata 10. miliarib. longa 20. ſit. Putauerim hæc campeſtria non alia eſſe à deſerto; cuius meminit Iere. c. 52. nam c. 39. eūdem locum vocat campum ſolitudinis: erat & circumiacens regio montoſa, vnde & mōtes circa Iericho. Ioſe. 1. bel. 12. 13. celebrantur, & apud hiſtoricos Roſæ Hiericho, de quibus ſupra ex Salig. diximus in Fons Helizæi.

*Deut. 34. Ioſe. 15. 4. Reg. 25. Ierem. 39. 1. Mach. 16. Tom. 9. c. 15.*

83.

HIC ad Eliæ & Heliſæi imperium ſtantibus ex vtraque parte aquis, iter vnda præbuit. 4. Reg. 2. Vitr. cap. 53.

84.

HIC Chriſtus cœco mendico viſum reſtituit. Luc. 18.

85.

HIC Chriſtus duos cœcos illuminauit. Matt. 20. Marc. 11.

86.

LOD ciuitas, quam ædificauit Samad & villas eius. 1. Par. 8. 2. Eſdr. 11.

87.

LODADID ſiue Lodhadid ciuitas. 1. Eſd. 2.

88.

MASPHA, quæ & Maſphat, & Maſepha, & Meſphe, ciuitas in monte conſpicua. & quoniā alibi in Iuda, alibi in Beniamin ponitur, fortaſſis videatur in confinio vtriuſque trib. ponenda. Erat ibi olim arca teſtamenti, eoq; conueniebat ad orationē populus Iſrael: nam & Samuelis erat ibi iudicij locus. Hanc ædificijs muniuit Aſa rex Iuda, inque ea poſt deſtructionem Ieruſalem habitauit Godolias dux, & Ieremias Propheta. Dicit illam in tribu Iuda poſitam Hieronymus, apud quam habitauerit Iephte contra Cariathiarim.

*Ioſ. 15. et 18. Iud. 20. 21. Ioſ. 6. ant. 2. Hier. in loc. Hebr. 1. Reg. 7. 10. 22. 1. Mach. 3. 4. Reg. 25. Iere. 40. 41. 2. Eſdr. 3. 2. Par. 16.*

89.

MEGBIS ciuitas. 1. Eſdr. 2.

90.

MONS diaboli, diſtat duobus miliaribus à Quarentana: eſt à latere Bethel & Haij auſtrali: in eū deductus fuit à Satana Chriſtus, cùm oſtenderet & adpromitteret illi omnia regna mundi, ſi procedens adoraret ſe.

*Matth. 4. Luc. 4. Breid. Salig. tom. 9. cap. 7.*





91.

NEBO ciuitas. 1. Eſdr. 2. & 2. Eſdræ 7.

92.

NEPHTOA fons. Ioſ. 15. & 18. meminit etiam Saligniacus, apud quam via ſit montoſa.

*Tom. 10. cap. 6.*

93.

NOBE, quæ & Nob & Gob, vrbs in via, quę ducit Dioſpolim & Ramatham, ſita. conſpici ex ea poterat Hieruſalem, vt autor eſt in comment. ſuper Iſaiam Hieron. Sacerdotum ciuitas. Ibi Dauid ab Abimelech ſacerdote accepit gladium Goliath, & comedit panes propoſitionis: ea propter Saul occidit 85. ſacerdotes Nobe, ciues omnes, etiam mulieres, pueros & beſtias trucidauit, ciuitatemque euertit funditus. Breidenba. refert Bethnopolim nunc dici, VVilhelm. Tyrius Betteniable. fortaſſis rectius poneretur in tribu Ephraim

*1. Reg. 21. 22. Iſai. 10. 1. Eſdr. 11. Brocard. Breidenb. Tyr. 14. beſa. 8.*

94.

OFFORA, aut Ophora ciuitas. Ioſ. 18.

95.

OFNI, ſiue Ophni ciuitas. Ioſ. 18.

69.

ONO ciuitas in campo ſita & valle artificum, & hanc ædificauit Sadad, & villas eius. 1. Paral. 8. 1. Eſdr. 2. 2. Eſdr. 7. 11.

67.

QVARENTANA deſertum inter Ieruſalem & Iericho. incipit iuxta Anathot, & extenditur ſupra Galgala, vſque ad deſertum Thecuæ & Engaddi iuxta mare mortuum. Hîc commoratus eſt S. Ioan Baptiſta, inibique in eius memoriam extructa fuit Eccleſia & monaſterium, quod Græci monachi inhabitabant, ſed temporibus Breidenbac. erat deſolatum. Ibi venientem ad ſe, vt baptizaretur, Chriſtum digito demonſtrauit Ioannes: Ecce Agnus Dei. In hoc Chriſtus ieiunauit 40. diebus & noctibus, agens & habitans cum beſtijs.

*2. Reg. 15. 16. 1. Mac. 13. Breiden. Brocard. Vitriac. c. 52. & 53. Matth. 4. Marc. 1.*

98.

QVARENTANA mons altus & aſcenſu difficilis, in quo tentatus primùm eſt Dominus à Satana. In huius montis cacumine ſacellum eſt ruinoſum, ieiunio & oratione Chriſti venerabile.

*Matth. 4. Brocard. Breidenb. Salig. to. 9. cap. 6.*

99.

QVERCVS fletus, eſt ad radices Bethel, vbi Debora eſt ſepulta nutrix Rebeccæ. Hieronymo Balanus eſt.

*Geneſ. 35. in loc. Heb.*

100.

RAMA nobilis ciuitas in monte ſita, ciuitas Saulis vocatur ab Hieronymo. Sunt eiuſdem nominis plures in alijs tribubus, vt ait Breid. Reædificauit illam Baaſa rex Iſrael, vt exitum & introitum clauderet tribui Iuda, & inde infeſtaret Iudæos. De hac creditur dictum illud Ieremiæ: Vox in Rama audita eſt, &c. Hodie villa eſt, ait Brocardus, ſita ad ſiniſtram montis ducentis in Ieruſalem, diſtatque ab ea ſtadijs quadringentis, vt tradit Ioſephus

*Hieron. in loc. Heb. Brocard. Breidenb. Ioſ. 18. Iud. 4. 19. 1. Reg. 22. 3. Reg. 15. 2. Par. 16. 2. Eſdr. 11. Iſai. 10. Ierem. 40. Oſee 5. Ioſeph. 8. ant. 12.*

101.

SEPVLCRVM Rachel. vbi in partu Beniamin obijt Rachel vxor Iocobi. quo loci monumentum hoc cum pulcra piramide erexit Iacob in titulum, ſicut & ſancta ſcriptura, & titulus adhuc teſtantur. & eſt ſub quercu. Superpoſuerat ſuper tumbam Rachelis duodecim lapides pro numero filiorum Iſraël, qui temporibus Briedenbachij ibi erant. Inueniuntur iuxta ſepulcrum lapilli quidam omnino nigri, quos colligūt peregrini: dicuntur enim conducere mulieribus ad faciliorem partum. Eſt in quinto miliario ab Hieruſalem, in eo loco, qui à ſeptuaginta vocatur hippodromus.

*Geneſ. 35. & 48. 1. Reg. 10. & 15. Ierem. 31. & ibid. Hieron. Briedenb. Salig. tom. 10. cap. 2. Hieron in loc. Hebr. Paſch. die 233.*

102.

VALLIS Raphaim, id eſt Gigantū, ampliſſima & potentiſſima iuxta Ieruſalē incipiens in Septentrione, & verſus Auſtrum longè lateque ſe extendens, optimi tritici, vini, olei, frugumque omnium feraciſſima: in qua Dauid Philiſtæos bis ſe inuadētes, fudit & profligauit.

*Ioſ. 15. & 18. 2. Reg. 5. & 23. 1. Par. 11. & 14. Iſai. 17. Ioſeph. 7. ant. 4.*

103.

RECEM ciuitas. Ioſ. 18.

104.

REMMON. Ioſep. Roob vocat, petra & vrbs diſtat, à Ieruſalem 15. miliaribus non longè à Gabaa contra Orientem, in qua continuerunt ſe ſexcēti viri in exterminio tribus Beniamin, ex quibus tota reparata eſt.

*Ioſeph. 5. antiq. 6. Iud. 20. & 21. Hieron. in loc. Heb. Benidic. in interpret. nominum Hebraic.*

105.

SABARIM. in monte, vbi cæſi ſunt Iſraëlitæ poſt anathema. Ioſ. 7.

106.

SALEM. villa oſtendebatur ætate Hieronymi iuxta Aeliam contra Occidentalem plagam, quam tamen illam vult eſſe Ioſephus vbi regnauit Melchiſedec, poſt Ieroſolyma.

*Hieron. in loc. Heb.*

107.

SAMARAIM ciuitas. Ioſ. 18.

108.

SELA ciuitas. Ioſ. 18. Hier. in loc. Heb.

109.

SEMRI in tribu Beniamin. Hieron. in loc. Hebr.

110.

SENAA ciuitas. 1. Eſd. 2. & 2. Eſd. 7.

111.

SENE, Hieronymo Senna, petra ſeu rupes, vbi Ionathas proſtrauit Philiſtæos.

*In lo. Heb. 1. Reg. 14.*

112.

*Genſ.38.* SEPVLCRVM Deboræ nutricis Rebeccæ, ſub Quercu fletus, ſupra.

113.

*4.Reg. 2.* SILVA iuxta Bethel, ex qua immiſſi à Deo Vrſi, deuorarunt pueros 42. qui illudebant Helizæo Prophetæ.

114.

SOLITVDO Bethauen. Hîc Abraham primo tetendit tabernacula. Gen.12.

115.

THEREBINTHVS medio miliario ab Ieruſalē, ſub qua quieſcere ſolebat beata Virgo, vt autor eſt Saligniac.to. 10. c. 2. nominatur & in regnorum libris Therebinthus iuxta Bethel, 3. Reg. 13. vbi requieſcebat vir Dei, qui maledixerat Ieroboam ſacrificanti idolis.

116.

THARELA ciuitas. Ioſ.18.

117.

*Ioſ.3. & 4.* TRANSITVS Iſrael, quò loci per ſiccum Iordanis alueum, aquis à dextra ingredientium conſiſtentibus, cùm quæ à ſiniſtris erant, in mare mortuum omnes defluxiſſent, latiſſima via, magno Dei miraculo, in terram Promiſſionis tranſierūt Iſraelitæ. Vbi *Vitria.c.35.* & duodecim lapides, de fundo ſublatos, ſtatuerunt in memoriam ſiccati Iordanis (ad quos reſpexiſſe videtur Ioan. Baptiſta, cùm diceret: Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ) cùm etiam totidem alios in Iordanis alueo poſuiſſent mox aquis inuo*In loc. Heb.* lutos. Locus, vbi lapides ſtatuerūt, dicebatur Galgala, vt refert Hier.

118.

VALLIS Caſis ciuitas. Ioſ.18.

119.

*Gen.35. & 48. Paſcha.d. 233.* VIA BETHLEHEM, amæna eſt valde, vineis, roſis, herbis odoriferis & aromatibus conſita.

120.

*Paſ.d.234. Breiden.15. Iulij. Saligniac. to.10.ca. 4.* AD duas leucas de Ieruſalem, inter Emaus & Ieruſalem, eſt caſtrum ad s. Crucem appellatum, quod Græci monachi inhabitant: in quo iuxta maius altare, ait saligniacus, arbor quædam dicitur ſtetiſſe, de cuius ligno crux Chriſti facta fuerit. Eſt cænobium munitiſſimum propter incurſus infeſtantiū Arabum.

121.

*Matth.3. 10.9.ca.6. Breidenba. 19.Iulij.* HIC Chriſtus à Ioanne baptizatus eſt, qui locus ruinoſo ædificio nunc inſignis eſt, atq; ibidem peregrini in memoriam baptiſmi filij Dei, ſeſe abluere ſolent, cum oratione ad Deum, vt pro ſua ille miſericordia & Chriſti meritis peccatorum omniū ſordes abſtergat & eluat. Atque hîc poſtea ſacellum extru*Broc.itit.6. Breid.iti.6. Niceph. 8. hiſto. Eccle. cap.30.* ctum eſt in honorem Ioan. Baptiſtæ. Alij contra Salim volunt baptizatum Dominum; quibus contradicit ſolemnitas Eccleſiæ.

122.

HIC Ioſue contra quinque Reges Amorræorum dimicans, iuxta Aialon & Gabaon ciuitates finitimas, imperauit Soli & Lunæ, quæ ad eius vocem ſubſtiterunt immoti, exaudiente Domino, Ioſ.10.

123.

*Salig.to.9. cap.5. Brocard. Breiden.* VIA Iericho, quæ ducit Ieruſalem per mōtana, iter 12. miliarium, quantum apparet ex Breidenbach. per montana. Saligniacus dicit iter eſſe difficillimum, & lapidoſum, quo loci incidit in latrones vir ille, cuius in Euangelio Chriſtus meminit, Lucæ 10.

# D.
## Tribus Dan.

1.

*Gen.30. Num.1. Num.6.* DAN quintus Iacobi Patriarchæ, ex Bala ancilla Rachel vxoris ſuæ filius, ita progeniem ſuam ampliauit, vt de tribu eius ad montem Sinai numerati ſint viri bellatores LXII. millia, ſeptingenti, quibus omnibus in deſerto mortuis, eorum filij LXIV. millia. quadringenti terram promiſſam ingreſſi pro hæreditate & poſſeſſione ſua cis Iordanem de terra tribui Iudæ prius aſſignata ad mare magnum poſſeſſionem conſecuti ſunt. Quāobrem nom te mouebit Lector, ſi quandoque *Ioſ.19.* inuenias in hac tribu, vel etiam in tribu Simeonis, quæ prius tribui Iuda fuerant aſſignata, facta enim prima terræ citra Iordanem diuiſione tribui Iudæ & filijs Ioſeph, miſit Ioſue *Ioſ.13.14. 15.16.17.* viros, qui reliquam terram luſtrarent, & deſcriptam pro reſiduis tribubus in VII. partes diuiderent, at vbi comperit non ſufficere, his duabus tribubus Dan & Simeoni aſſignatę, & datæ ſunt partes in medio poſſeſsionis filiorum Iuda. Ioſ.18.19.

2.

*Ioſ.13.15. 19. Iud.1. 1.Reg. 5.6. 7 17.18. 4.Reg.1. Ierem.25. Amos.1. Sopho.2. 1.Mac.10. Breiden. Brocard.* ACCARON, quę & Acharon, & Achrō, & Acron vrbs inclita, vna de quinq; ſatrapijs Philiſtinorū, & habebat Regulum, expugnata fuit à Iuda, in eaque cæſis ducentis Philiſtæis, eorum præputia Dauid attulit Sauli in dotem pro nuptijs Michol filiæ ſuæ. In hac vrbe pro Deo colebatur idolum Beelzebub, quod cùm ſuper ægritudine ſua cōſuluiſſet Ochoſias rex Iſraël, ab Elia mortis prænūcium accepit; eſtque frequens vrbis huius in ſcriptura mentio. Breidenbach. ait modicum ſuis temporibus fuiſſe Caſale, retento tamen antiquo nomine. Dicit eam verius in tribu Iu*Hier.in lo. Hebr.* da poni Hieronymus, eæque tribui decretam, non tamen poſſeſſam, quia habitatores priſtinos nequiuit expellere. Alij putant Accaron turrem Stratonis, poſtea nuncupatam Cæſaream. Plinius vocat Apolloniam: à Veſpaſiano Colonia dicta eſt, vt annotat Benedictus. Sed & vſque hodie grandis Iudæorum vicus *Vitriac. cap.41.* Accaron inter Azotum & Iamniam in Oriētem reſpiciens. Propè mare Accaron non lōgè ab Azoro ſitam ait Vitriac.

3.

ADIADA vrbs, in monte ſita, quam portis & muris exædificatam, muniuit in Sethela Simon Machabæus. 1. Machab. 12. non longè diſſita ab Eleutheropoli.

4.

*Salig.to.10 cap.4. Hier.in lo. Heb. & in ephitaph. Paulæ, & epiſt.ad Paulin. Actor.8.* FONS Aethiopis, eſt in medio itinere, quo itur ab Hieruſalem in Gaza, contra Bethſuram 20. ab vrbe lapide ad eadices montis ebulliens, & eadem qua gignitur, ſorbetur humo, in quo Philippus Apoſtolus Eunuchum Aethiopem baptizauit, qui dum in curru vetus inſtrumentum relegeret, fontem reperit Euangelij.

5.

*Ioſ.21. Iud.1. 2.Par.11. 28. 1.Reg 14. Ioſ.10.19. Hieron.in epita.Paulæ & in lo. Hebr. 1.Par.8.* AIALON, quæ & Ahialon, & Hailon. vrbs ſeparata Leuitis, quam muniuit Roboam, ceperunt Philiſtæi. Eſt & Aialon, iuxta quam orante Ioſue Luna ſtetit. Eſt & hodie vicus alius, haud procul Nicopoli. Fuit & altera ciuitas Aialon, vt Iudicum 12. ex Hebraico notat Benedictus.

6.

ARECHON ciuitas. Ioſ.19.

7.

*Ioſ.11.13. 15. 1.Reg.5.6. 2.Par.26. 2.Eſdr.4. 13. Ioſ. 11. Iud.10.16.* AZOTVS, quæ & Aſdod, vrbs inſignis, potentiſsima, & ex præcipuis quinque Philiſtæorum vrbibus, in qua habitabant Enachim gigantes, quos Ioſue capta vrbe delere nequiuit, diſtat ab Aſcalone CC. ſtadijs. In hac vrbe celeberrimum erat templum Dagon idoli Philiſtinorum, quod habebat caput quaſi piſcis, & ſub forma piſcis colebatur, iuxta quod, cùm arca Domini à Philiſtæis collocata fuiſſet, idolum ſemel atque iterum concidit, capite, manibuſque truncatis. Huius in *1.Reg.5. Ierem.25. Amos 1.4. Soph.2. Zach.9. Iſai.20. & ibi. Hiero. 1.Mach.9. 10. 11.* ſcriptura ſæpè fit mentio. Hanc Sargon Rex Aſſyriorum, miſſo duce exercitus ſui, Tharesſam expugnatam tenuit. Iuxta Azotum occiſus eſt Iudas Machabæus à Bacchide, & Alcimo principibus militiæ Demetrij Regis, eāq; captam, Ionathas Machabæus incendit, & quæ erant in circuitu ciuitates, quo impetu Beth-dagon. i. templum Dagon, & omnes qui fugerant in illud, concremauit, iuxta eandem vicit Apollonium. In hac Philippus à ſpiritu *Actor. 8.* raptus, & collocatus, prædicauit Chriſtum: & eſt vſque hodie, ait Hieron. non ignobile municipium, vt Breide. ait, villula. Erant Azotij *Hier.in lo. Hebr. Brocard. Ioſ. 13. VVilh. Ty. 4.bel.c.12.* populi in terra Chanaan. Poſt habuit Epiſcopum, qui nunc eſt ſuffraganeus Treuirenſis. Habuit & propinqua montana, vnde Mons Azoti, 1. Machab. 9. 10. nominatur & Torrens iuxta Azotum, Ioſeph. 13. antiquit. 6. Turres in agris Azoti, 1. Macha. 16. Via iuxta Azotum 1. Machab. 11.

8.

*In lo.Heb. 3.Reg.9. 2. Par. 8.9* BAALATH, quæ & Baalad, fortè & Baleth Hieronymo, vrbs firmiſſima, quam muniuit & reſtituit Solomon.

9.

BALA mons vel promontorium, Ioſ.16.

10.

BANE ciuitas. Ioſ. 19.

11.

BARACH ciuitas Ioſ. 19. vſque hodie prope Azotum Barecca viculus appellatur Hieron. in loc. Hebr.

12.

*6. Antiq.2.* BECHCHAR vrbs vel locus in agro Bethſames. huc vſq; (Ioſephus Correos vocat) filij Iſraël à Maſpha perſecuti ſunt, & percuſſerunt Philiſtęos. vbi & Samuel erexit lapidem victoriæ, vocans eum Lapidem adiuto*1Reg.7.* rij, quod eò vſq; auxiliatus eſſet eis Dominus.

13.

*Iud.9. Hieron. in loc.Heb.* BERA vrbs, in qua habitauit Ioathan, cū fugiſſet à facie Abimelech. vicus, ait Hieronymus, diſtans ab Eleutheropoli octo milibus ad Aquilonem.

14.

*Ioſ 15.21. Brocard. Breidenb. 1.Iudic.* BETHSAMES, Bethſemes & Bethſemis, i. domus Solis, dicebatur Iuda, ad differentiam Bethſames, quæ in tribu Neptalim eſt, cùm reuera eſſet in tribu Dan. Vult Benedictus Theologus tres fuiſſe huius cognomines, in Neptalim, Iuda & Iſachar. Hieronymus ponit quintam in tribu Beniamin, niſi pro hac ipſa accipiamus. Fuit autem vrbs hęc ſacerdotalis ad tribum Iuda pertinens, in ſorte Dan, quæ poſtea Leuitis eſt aſſignata. Vſq; hodie oſtenditur, ait Hiero. de Eleutheropoli pergentibus Nicopolim in decimo miliario contra Orientalem plagam. In huius agrum reduxerunt duæ vaccæ arcam Domini de Accaron, quam cùm Bethſamitæ curioſis oculis inſpexiſſent, diuinitus percuſſi ſunt, & occiſi ſunt ſeniores 70. & quinquaginta mil*1.Reg.6. Hie. quæſ. Hebr.in 1. Reg. 3.Reg.4. & alibi.* lia plebis. vnde Abel magnū vocata eſt, quæ antea Bethſamis vocabatur, propter magnum luctum ſuper Bethſamitas ibi occiſos à Domino. Quantum apparet ex alijs, fuit hæc ciuitas propinquior Ieroſolymæ.

15.

CAPHARSORECH. Sorech, ait Hier. nomen torrentis eſt. ſed & vſq; hodie ad Septentrionalem plagam Eleuteropoleos vicus oſtenditur nomine Capharſorech. iuxta villam Saraa, vnde fuit Sampſon.

*In lo. Heb.*

16.

CAPHERDAGO, grandis vicus inter Dioſpolim & Iamniam demonſtratur.

*Hier. in lo. Hebr.*

17.

CARIATHIARIM. i. vrbs ſiluarum, quæ & Cariathbaal, & Bala, Baala, interdum Baal, & Pharaſim, & coniunctim Baalpharaſim. Hieronymo etiam Iarim. Eſt de Ieruſalem ad quatuor miliaria & dimidium cōtra Occidentem euntibus Dioſpolim. Hiero. ait miliaro vno. Vrbs prius Gabaonitarum, poſtea tribus Iudæ, in ſorte Dan; eſtque terminus tribus Iudæ & Beniamin. ſita in colle. In hac manſit arca Domini, annis 20. in domo Aminadab, quæ erat in Gabaa, id eſt, in excelſo, donec à Dauide transferretur Hieroſolymam. De hac fuit Zacharias F. Ioiada, quem occiderunt inter templum & altare. De hac fuit Vrias propheta, quem interfecit Ioacim rex in Ieruſalem.

*Ioſ 9, 15. 18 Iudic. 18. Breiden. Brocard. 1. Reg. 6. 2. Reg 6. 1. Paral 13. 2. Paral. 1. Matth. 23. Ierem. 26,*

18.

CASPIN, ſeu Caſphin, ciuitas pontibus & muris munita, quam cepit Iudas Machabæus, & tot eius habitatores occidit, vt adiacens ſtagnum, duorum ſtadiorum latitudinis, ſanguine interfectorum fluere videretur. videtur diſtare à Iamnia contra Orientalem plagam ſtadijs plus minus nouem.

*2. Mac. 12. & ibi. Benedict.*

19.

CASTRA Dan, locus eſt poſt tergum Cariathiarim, vbi ſexcenti viri de cognatione Dan pernoctarunt.

*Iudic. 18.*

20.

CHESLON, prius Iudæ, in qua tamen tribu ponitur ab Hieronymo in loc. Heb & Bened.

21.

ELTECE, & Elteco, & Eltecon, vrbs Leuitarum, antea Iuda. Ioſ. 15. 18. 19. 22.

22.

ERECCON terminus tribus Dan iuxta Ioppen. Hier. in loc. Heb.

23.

ESTHAOL, quæ & Aſtaol, ciuitas prius aſſignata Iudæ, poſtea data tribui Dan, ſita in campeſtribus; iuxta quam natus & ſepultus eſt Samſon. Permanet & vſque hodie villula Aſto inter Azotum & Aſcalonem.

*Ioſ. 15. 19. Iud. 13. 16. 18. 1. Paral. 2.*

24.

FATVRA villa iuxta Eleutheropolim euntibus Gazam. Hier. in loc. Heb.

25.

GABATHON, quæ & Gabbethon, Gibbeton & Iebton, vrbs Leuitarum in tribu Dan, poſtea occupata à Philiſtæis, quam recuperare volentes reges Iſrael obſederunt.

*Ioſ. 19. 21. 3. Reg. 15. 16. Hieron. in loc. Heb.*

26.

GALLIM vicus Accaron. Hieron. de loc. Hebr.

27.

GEBNEEL, & Iebneel ciuitas. Ioſ. 15.

28.

GEDOR, quæ & Gador, ciuitas tribus Iuda in ſorte Dan, ſita ad Orientem vallis in terra paſcuali & vberrima. Hanc tempore Ezechiæ Regis occupauerūt Simeonitæ, pulſis inde quibuſdam Chananæis, quod terra hæc aptiſſima eſſet gregibus, quibus Simeonitæ abundabant. Poſtea hæc ciuitas vocata eſt Cedro, quam ædificijs muniuit Cendebæus dux Antiochi aduerſus Iudæos, iuxta quam & deuictus eſt à Machabæis.

*Ioſ. 15. 1. Paral. 4. & ibid. Bened. & 12. 1. Mac. 15. 16.*

29.

GETH vrbs regia, ſita in colle, vna ex V. principalibus Philiſtinorum, quondam immanium gigantum alumna. de qua fuit Goliath à Dauide occiſus; & alij, quorum nonnullos Dauid expulit. Ab hac vrbe propriè incipit terra Philiſtinorum. Eſt in 14. miliario ab Eleutheropoli euntibus Dioſpolim, de Ioppe quatuor leucis, non longè à mari ſita. Hanc vrbem Dauid diripuit, Roboam inſtaurauit, Aſaël rex Syriæ expugnauit, Ozias murum eius deſtruxit. ætate Hieronymi vocabatur Diocæſarea. Aliâs Anthedon. & Agrippia dicitur; nunc Zaph, vel Ibelis, Hibelis, Ybilyn, & cæt. appellatur à Guliemo Tyrio in libris de bello ſacro. Habuit tum comitem ſuum, vt idem autor eſt 21. lib. cap. 18. Quod Anthedon cum Geth confunditur à Volaterrano, putat nulla ratione factum VVeiſſenb. Fit item alterius Geth mentio 4. Reg. 14. quam γέναχ vocant Græci, in Opher, patria Ionæ, vbi & ſepultus fertur; vicus exiguus & ignobilis iuxta Sephorim. VVeiſſenb.

*Ioſ. 11. 13. 1. Reg. 5. 6. 7. 17. 27. 2. Reg. 1. 6. 15. 18. 21. 2. Reg. 21. 1. [illegible] 3. 2. [illegible] 4. Reg. 12. 2. Par. 16. Hieron. in Matha. & Ionam. Volaterra. lib. 11. Brocard. Breiden.*

30.

GETHREMMON, aliâs Iethremmon, ciuitas Leuitarum. eſt autem nunc villa prægrandis in 12. miliario Dioſpoleos pergentibus ad eam de Eleutheropoli.

*Ioſ. 19. 21. Hieron. in loc. Heb.*

31.

HAIRSEMES, aliâs Heirſemes, ciuitas Solis. Ioſ. 19.

32.

HELON ciuitas, Ioſ. 19.





33.

IAMNIA, quæ & Gabnia, ciuitas maritima, ſita in Campeſtribus. Breid. portum fuiſſe putat, quem Iudas Machabæus captum ſuccendit cum nauibus, ita vt flamma ex Ieroſolymis conſpiceretur ab ſtadijs 240. Huius murum deſtruxit Ozias. Neque longè ab Iamnia pugnauit Iudas cum Arabibus. Numerat Iamniam inter Toparchias Ioſephus, eamq; finitimis profuiſſe dicit. Docet etiam VVil. Tyr. habuiſſe illam poſterioribus temporibus Epiſcopatum, qui fuerit ſub metropoli Cæſarea. Ioſeph. hanc terminum facit Daniticæ tribus, ex confinio Iudæ ad Meridiem, vnde quoſdam ductos opinor, quod eandem Iabneel diceret, quæ eodem ferè loco recēſetur à Ioſue, ſed in tribu Iuda: eſt & alia Iabneel in tribu Nephtali VVeiſſenb.

*2 Mach. 12. 1. Mach. 4. 5. 10. 15. 2. Par. 26. 2. bel. 4. & 3. bell. 2. Vvil. Tyr. 14. bel. c. 12.*

34.

IARIM, quod interpretatur ſaltus vel ſilua, Mons. Inter Cariathiarim & montem Baal ſita eſt ſilua, à qua vrbs & mōs nomen habent, vnde mons Iarim dicitur.

*Ioſ. 15.*

35.

IELON in tribu Dan. Hieronym. in loc. Hebr.

36.

IERICON in tribu Dan. Hierony. in loc. Hebr.

37.

AQVAE Iercon, aliâ Meiaiarcom, ciuitas iuxta aquas. Ioſ. 19.

38.

IETHELA ciuitas. Ioſ. 19.

39.

IOPPE, quæ & Iapho, & Iaſpha dicitur. i. pulchritudo aut decor, vrbs antiquiſſima à Iaphet filio Noe ante diluuium condita, ſita ad mare, in edito promontorio, littore ſaxoſo, alto & arduo, adeò, vt Hieroſolyma conſpici poſſit. VVeiſſ. arce ac mœnibus munita valdè. Eſt portus Ieroſolymæ & Iudææ totius, ad quem ligna & lapides pro templi ſtructura de Libano ratibus transferebantur, atq; hinc terreno itinere curribus peruehebantur Ieroſolymam. Portus autem impetuoſiſſimus eſt, ob id ad excurſus pyraticos commodus: in quem vſum Machabæorum tempore ſæpe eſt occupatus. Hîc Ionas nauem intrauit, cùm fugeret à facie Domini in Tharſis, hoc eſt Ciliciam. Hanc Machabæi ſæpe occuparūt & munierunt. In hac D. Petrus Tabitam à morte ſuſcitauit: hîc hoſpitatus apud Simonem Coriarium (cuius domus erat ſub rupe poſita iuxta mare, quo loci poſtea ſacellum S. Petro conſtitutum eſt) recepit viros de Cæſarea, à Cornelio centurione ad Angeli monitum eò tranſmiſſos. In huius littore monſtrantur ſaxa, ad quæ catenis religata fuiſſe dicitur Andromeda, deuoranda à belua marina, niſi Perſeus illam liberaſſet. Hæc breui tempore à Romanis bis capta, interfectis multis ciuiū millibus, incenſa & funditus exciſa. Fuerat ex toparchijs vna, & finitimis vrbibus præerat. Cinxit eam anno 1250. Lodouicus Francorum rex turribus & muris. Tempore Hieronymi vocabatur Iapho, nunc Iaffa appellatur, inque eam peregrini primùm applicant. Chriſtianis Palæſtinam occupantibus à principio ſtatim adhæſit: habuit & ſuffraganeum Epiſcopum, & Comitem. Iuxta Ioppen 200. Iudæi à Ioppitis ſubmerſi ſunt, 2. Mach. 12.

*Ioſ. 19. 2. Par. 2. 1. Eſdr. 3. Num. 21. Ioſ. 1. 2. Para. 2. 1. Eſdr. 3. 3. Eſdr. 5. 3. Reg. 5. Ionæ 1. & ibid. Hiero. 1. Mach. 10. 12. 13. 14. 2. Mach. 12. Acto. 9. 10. Hie. in epit. Paulæ, & ad Euſt. & in Ionæ 1. & de loc. Heb. de Actis lit. I. Ioſ. 2. bel. 22. et 3. bel. 15. & 2. Hier. in loc. Heb. Sal. 10. 6. c. 2 Brocard. Breiden. Vvil. Tyr. 10. bel. 7. 18. 21. 14. bel. 12 14. bel. 15. 18. & 17. bel. vltimo & alib. 4. cont. 8. Fretell. Vitriac. ca. 22. 58. 99. 100.*

40.

IVD ciuitas. Ioſ. 19. Hieron. in loc. Hebr.

41.

LAchis, vrbs fortiſſima & munita tribus Iudæ, in ſorte Dan. Breid. ponit illam in tribu Beniamin. Hieronymus in Iuda. Huius Regem occidit Ioſue, vrbemq; cepit: quam Roboam cum pleriſque alijs muniuit, muro circumdatam. In hac occiſus eſt Rex Amaſias, eamque obſedit & cepit Sennacherib rex Aſſyriorum temporibus Ezechiæ regis Iuda. Eſt nunc villa, ait Hieron. in ſeptimo miliario ab Eleutheropoli euntibus Daromam: diſtat de Cariathiarim ad duas leucas, contra Occidentem.

*Ioſ. 10. 12. 15. 4. Reg. 14. 18. 19. 2. Par. 11. 25. 32. 2. Eſdr. 11. Iſai. 36. Ierem. 34. Mich. 1. Brocard. Bred. in loc. Hebr.*

42.

LAPIS adiutorij, per anticipationē 1. Reg. 4. 5. ita dictus, poſt enim à Samuele id loco nomen inditum eſt, vt patet 1. Reg. 7. locus in agro Bethcar, de quo ſupra, non longè à Maſphat, Hieronymo dictus Abenezer: quo loci, cùm caſtra haberent Iſraelitæ, profligati à Philiſtæis, arcam teſtamenti adferri voluerant, tanquam tutiores futuri Deo præſente, ſed mox & ipſi cæſi, & arca capta eſt. Atqui cū ab ea clade reſpiraſſent, magna victoria ad preces Samuelis potiti in Maſpha, hucuſque Philiſtæum hoſtem perſecuti, priſtini doloris memoria nouo hoc & grato nomine obliterata eſt. Eſt inter Aeliam & Aſcalonem, cōtra villam Bethſamis, vt proinde ſitus eius prope Bethſames ciuitatem cōſtituendus videatur; niſi, quod potius videtur, Bethſamis coniungenda ſit huic lapidi.

*1. Reg. 4. 5. 7. Hier. in loc. Heb. in Abenezer.*

43.

LECHI, id eſt, maxilla, quæ & Ramath Lechi, hoc eſt, eleuatio maxillæ. Hîc Samſon maxilla aſini occidit mille Philiſtæos: vnde & loco nomē impoſuit, quod & in hodiernum vſque durat.

*Iud. 15. Ioſ. 5. an. 10.*

44.

MODIN, mons & ciuitas, ſita in monte Iuda, ex qua orti ſunt Machabæi principes fortiſſimi: quo loci eorum memorabilis ſepultura ex marmore polito, & candido oſtenditur, ſeptem pyramides marmoreæ præaltæ, ex quadrata mole ſurgentes, tantæ altitudinis, vt ſint etiam nauigantibus in mari conſpicuæ, quæ durant ad noſtra vſque tempora: deſcribi-

*1. Mach. 2. 9. 13. 16. 2. Mach. 15. 10. 13. Ioſ. 13. an. 11 Brocard. Breiden.*

*Hieron. in loc. Hebr. Salig. tom. 10. cap 6.*

deſcribitur in ſcripturis, Campus iuxta Modim 1. Mach. 16. & Deſertum iuxta Modim, & ſpeluncæ, vbi occiſi mille Iudæi. 1. Mach. 2. & Montes iuxta Modim. 1. Mach. 2.

45.

*Nu. 13. 32. Deute. 1. Brocard. Breid. Salig. tom. 10. cap. 4. Vitriac. cap. 85.*

NEHEL-ESCOL, hoc eſt, torrens & vallis botri. Hîc abſciderunt botrum miræ magnitudinis exploratores, quos miſerat Moyſes, quem in teſtimonium terræ fertiliſſimæ in vecte duo viri portabant in Cadeſbarne; quemadmodum de malis quoque granatis & ficis loci illius: diſtat hinc riuus Sorec medio miliario.

46.

*Hieron. in quæſt. in Gen. in Iſ. 2. & 4. Amos 1. Ezech. 26. Geneſ. 10. 21. 26. 2. Par. 17. & alibi. Ioſ. 1. an. 12. Vuilh. Tyr. 13. 2. Brocard. & Breid. in deſcr. præf. Num. 13. Ioſ. 11. In Iud. 3. 2. Reg. 8. in loc. Heb. de act. Apo.*

PHILISTIIM, Philiſtæi, Philiſtini, corruptè Palæſtini, à 70. interpretibus & Sulpitio græcè ſemper Allophyli, hoc eſt, alienigenæ vocantur: olim Caſloim, quemadmodum interpres noſter habet, appellati: à Meſraim filio Cham progeniti, regionē inferiorem ad mare mediterraneū, quæ rectiùs Philiſtina ſeu Philiſtæa dicitur, à Caſtro peregrinorum, ſeu Dor aut Cæſarea Paleſtinæ, vel turre Stratonis vſq; ad Gazam aut torrentem Aegypti poſſederunt. Inter quos erant Enacim, hoc eſt, gigantes fortiſſimi. Habuerunt aliquando reges quinque, vt Liranus docet, dominatique ſunt Iſraeli, eumq; ſibi fecerunt tributarium pluſquam centum quinquaginta annis: quos coërcuit Samſon, & Samuel; Dauid autem iugum tributi abſtulit, fecitque eos ſibi tributarios. Eorum multa mentio eſt in libris hiſtoricis veteris Teſtamen. Notat B. Hier. apud hiſtoricos Iudæam referri ad Palęſtinam, Galilæam verò & Samariam ad Phœnicem.

47.

*Iud. 15. Hiero. in epiſt. Paul.*

FONS Sampſon. Hîc ſitiēti Sampſoni produxit Deus fontem aquæ è dente molari maxillæ Aſini, vnde locus nomen retinuit, & oſtendebatur.

48.

*Iud. 16.*

SEPVLCHRVM Sampſonis, inter Saraa & Eſthol, vbi etiam ſepulchrum patris Manue.

49.

*Ioſ. 15. 19. Iud. 13. 16. 18. 1. Par. 2. & 2. Par. 11. & 2. Eſdr. 11. Hier. in loc. Hebr.*

SARAA, quæ & Sara, & Sarea, vt alij Sarga, ciuitas in planicie poſita, patria Sampſonis. Hieronymi ætate vicus erat, in finibus Eleutheropoleos, contra Septentrionem pergentibus Nicopolim, quaſi in decimo miliario, in tribu Dan ſiue Iuda.

50.

SACHRONA ciuitas Ioſ. 15. fortè eadem; quam Hieronymus collocat in tribu Iuda.

51.

SARAIM, & Saarim, Sarim, ciuitas Ioſ. 15. 1. Reg. 17.

52.

SARARA ciuitas pergentibus Edom: Hie. in loc. Heb.

53.

SEIR mons, tertius eius nominis iuxta Cariathiarim, in finibus Azoti & Aſcalonis, aſſcriptus tribui Iudæ in diſtributione terræ. Habitatores loci illius, quemadmodum alij poſteri Eſau ab Edom Idumæi dicti ſunt. Ioſ. 15. Breid. itin. 4.

54.

SELAB. Hieron. in loc. Hebr.

55.

SELEBIN ciuitas. Ioſ. 19.

56.

*1. Mach. 12. Hier. in loc. Hebr. Breiden.*

SEPHELA regio campeſtris, fructifera & amœna iuxta Eleutheropolim, extendens ſe ab Emaus vſq; ad Rhinocoruram & mare. In hac Simon Machabæus Adiadam vrbem condidit. Vſque hodie, ait Hier. omnis illa regio campeſtris, & plana iuxta Eleutheropolim Sephela dicitur.

57.

*Hier. in Iſa. 5. & Mich. 1. Broc. Breid. Pag. in Bib. Iud. 16.*

SOREC, Soreth, Zored, torrens. huius vineæ & vites erant electę & optimæ, faciebant fructus pulcerrimos, vberes & perpetuos; quorum vuæ non habebant acinum, vt teſtantur Hebræi. vinum eius loci rubens, delicatiſſimum. vinum Cos, id eſt, optimi odoris, coloris & ſaporis. Hîc habitauit Dalila, quam adamauit Samſon. In hoc riuo narrat baptizatum à Philippo Eunuchum Breidenb. Interſecat autem Dan & Simeon tribus. diſtat à Neheleſcol medio miliari.

58.

*Gen. 18. Ioſ. 15. 19. Iud. 14. 15. Ioſ. 13. am. 1 2. Par. 28. 1. Mac. 9.*

THAMNA, Thamnas, Thamnata, & Themna; eſt in via inter Prolemaidem & Gazam; & eadem via progrediendo venitur in Accaron & Geth. Hîc oues ſuas totondit Iudas. Ciuitas Philiſtinorum, iuxta quam Sampſon diſcerpſit, & lacerauit leonem; atq; inibi duxit vxorem ex Philiſtæis, quam ceperunt Philiſtæi: munita eſt poſtea hæc vrbs à Bacchide.

59.

*1. Reg. 17. 3. Reg. 4. 1. Mac. 16. Ioſeph. 13. Antiq. cap. 8.*

TORRENS fluuius terræ Philiſtijm, ortus è Iudæę montanis, fluit per vallē Therebinthi, alluēs Modin apud Sechrona effunditur. Eſt autem inter Azotum & Ioppen; quò loci, cùm inſidias Ionathæ Iudæiſq; poſuiſſet Apollonius, deprehenſis ijs longè lateq; profligatus eſt. Ex hoc eodem Torrente elegit ſibi quinq; limpidiſſimos lapides Dauid; quib. in paſtoralem peram repoſitis, progreſſus eſt in Monomachiam cōtra Goliath Gethęum. Apud hunc Torrentē fuſus à Machabęis Cendebæus eſt. 1. Mach. 16.

60.

ZANOE ciuitas. Ioſ. 15. fortè in Iuda ponetur rectiùs.

61.

ZARED iuxta Sorec & Capharſorec, vt Merc. in charta Europæ & Palæſtinæ.


TRIBVS EPHRAIM, BENIAMIN, ET, DAN,
iste videlicet Terræ Sanctæ tractus, qui in regionis partitione istis tribus tribubus datus est.
Miliaria vni: us horæ
PARS TRIBVS GAD.
PARS TRIBVS RVBEN.
PARS MARIS MORTVI
PARS TRIBVS IVDÆ.
PARS TRIBVS SIMEON.
PARS MARIS MAGNI.
TRIBVS EPHRAIM.
TRIBVS BENIAMIN.
TRIBVS DAN.
SAMARIA.
Jordanis flu.
PARS VALLIS REGIÆ
DESERTVM QVARENTANÆ.
REGIO CAMPESTRIS.
SEPHELA
Campestria Saronæ Regionis fertilissima.
PALESTINI QVI PHILISTIIM PHILISTÆI ATQ3 PHILISTINI.
Vallis Terebinthi
Montana Ephraim 39
Montes Ephraim
Via Jerusalem 99
Via de Silo in Sichem 98
Via Philistiim Gazam Ægyptum et Æthiopiam
Via Bethsames
Gophnitica Toparchia. 49
Thamnitica Toparchia. 96
Campestria Jericho. 51. et. 82
Campestria Deserti
Lacus Samariæ siue piscina 82
IVSALEM
Bethoron superior
Torrens Carith. 32
Torrens Sorec 57
Torrens 59
Ioppe nunc Iapha 29
Antipatris ô Capharsalma p. Arsur
Ascalon
Macherus
Dabir
Bethara
Bezech
Balaam
Magmata
Narbata
Endor
Galgal
Galgulis
Abelmea
Pars Acrabatenæ Toparchiæ
Sarathasar
Abila
Liuias
Sichem
Gibeon
Gaas mons 44
Gophna 49
Amalec mons
Pharaton 76
Hircanium 53
Geba 47
Adara 2
Sanir 84
Manath
Aphæci 10
Sarona
Saron mons
Selaba 88
Apollonia 12
Saphoni 85
Aditha
Lidda p. Diospolis 64
Arim 17
Gebneel 27
Geth 29
Betchar 12
Accaron. 2
Gallim. 26
Barach 11
Azotus. 7
Thamna et Thamnata. 58
Vinea
Sepulcrum Samsonis 48
Sepulcra Machabæorum. 44
Modin 44
Jethela 38
Elon. 35
Gabathon 25
Esthaol 23
Lebaoth
Bola
Asernachim. 46
Seir mons. 53
Helon. 32
Selab. 54
Baalath 8
Sarim 51
Gethremmon 30
Jericon 36
Amarkabob
Saarim
Asar
Sarara 52
Fons Samsonis. 47
Selehim 55
Lechi 43
Zanoe. 60
Nehelescol torrens et vallis Botri. 45
Elthece 21
Gadar
Gideroth
Adithaim
Bera 13
Adada 3
Jecdel
Bethdagon
Maspha 88
Bethel 27
Jesleti 58
Addus 5
Thamnath sare 96
Sepulcrum Josue
Gaser 46
Bethoanaba 28
Ozensara 73
Lebna 61
Ruma 80
Phanuel 75
Sepulcrum Joseph
Prædium Joseph 59
Fons Jacob
Garizim mons
Hebal mons 50
Selmon
Jscarioth 60
Luza 65
Fanum Baal 43
Cana 31
Gethremmon 48
Ephron 41
Naioth 70
Camsarim 30
Ennon. 38
Benith 25
Thanathselo 97
Jecmaam 57
Asor 19
Asa. 18
Mello. 68
Archelais 13
Sareda 86
Bethauen 26
Japhua 95
Atarothaddar 21
Eduma 37
Agaba 7
Doch 36
Petra Oreb 74
Phaselum
Magdalsenna
Noran 72
Elias. 32
Ephrem 40
Archiataroth 14
Terra Ethim 42
Palma Deboræ 35
Domus Leuitæ 63
Naaratha 69
Ataroth 20
Janoe. 55
Aorabi 9
Vallis Arundineti 16
Galgala
Mons Quarantana 98
Fons Elisæi 63
Desertum Jericho
Jericho
Lod
Hadid 74
Ono
Samaraim 107
Vallis casis
Bethalon 39
Aduram
Asarenam
Bethalla 35
Betharaba 38
Abenboen
Chephri 56
Sela 108
Heleph. 78
Debera
Ensemes
Carnea 54
Ammoni
Aphim 48
Chusica
Borsoth 48
Bethphage
Bethlem
Cisterna
Betec
Sepulcrum Rachel. 101
Domus Zachariæ
Emmaus n. Nicopolis
Apadno
Naama
Arath. 20
Sochot
Cariath 53
Nobe 93
Balloth 29
Anim 17
Helam 77
Amecmam 12
Lebn
Maceda
Spelunca Maceda
Azalon 5
Lapis adiutorij 42
Cheslon. 20
Bane 10
Boon 47
Nebo 91
Aphra 59
Ramatha 79
Sophim mons
Caspin 18
Jercon 37
Sachrona 50
Scopuli
Ereccon 22
Judi 40
Baal mons 34
Israel
Philistæa
Spelunca 44
Fatura
Ziclag
Bethsames 14
Anath 8
Machmas 66
Gabaa
Rama
Silo
Anathot
Bethauen
Ofni 95
Gesealis 72
Adomin
Abula
Hemona. 79
Senaa 110
Beniamin 30
Arim. 22
Aser 23
Ofera
Ophra
Deboræ
Sepulcrum Deboræ
Beroth 32
Anania
Bethasa 39
Recca
Bethania
Bahurim
Emoth
Emmaus
Auim
Sabarim 105
Thecoa
Montes Bethel
Petra Remmon 104
Mons Oliueti
Aenam
Vallis Rapham
Chason 55
Castra Dan
Beromi
Ceriathiarim 17
Japhia 57
Helaph
Nephtoa
Chalsiat
Jesrael
Amosa. 14
Megius 89
Caphira 52
Gerrhon
Lechoron
Montes Antip.
Ascalon

# E.

## Tribus Ephraim

### I.

Gen.41.48. 1.Paral.6. Ioſ.3.an.11. Ezech. 47. & ibi Lir. Num.1. Num. 26. Ioſ.16. 1.Par.7.11. Hieron. in Iere. 31. & in Gen. 49. Deut. 33. Breidenb. Iſai.7.& 9. Oſee.5. Pſalm.59. 78.108. 2.Par.25.

EPHRAIM ſecundus Ioſeph filius, adoptatus in numerum filiorum Iacob, (habuit enim duplicem funiculum Ioſeph, vt filij eius duo Manaſſes & Ephraim duas in terra Promiſſionis tribus obtinerent) ita ſemen Abrahę multiplicauit, vt de tribu eius ad montem Sinai inuenti ſint, virorum, qui geſtandis armis eſſent idonei, 40. millia, quingēti, quibus omnibus, excepto Ioſue, in deſerto mortuis, eorum filij 32. millia, quingenti terram promiſſionis ingreſſi, pro patre Ioſepho citra Iordanē poſſeſſionem ſortiti ſunt. Erat tribus hæc valdè montoſa, & propter diuitiarum magnitudinē, & terræ fertilitatem affluebat, atq; ætate etiam Hieronymi quaſi luxuriabat. Et quia maxima erat, & inſtar lapidis durioris inuicta, aliquoties decem tribus Iſrael dictæ ſunt Ephraim, & ſumitur pro decem tribubus, ſiue regno Iſrael.

### 2.

ADARA villa in finibus Dioſpoleos, iuxta Thamnaticā regionem, quę à Thamna villa vſque hodie ſic vocatur. Hierony. in loc. Heb. eſt & ciuitas tribus Ephraim, eodem teſte.

### 3.

ADARSA, Græcè Adaſa, ciuitas, iuxta quam Iudas Machabæus cum tribus millibus proſtrauit Nicanorem. 1. Machab. 7.

### 4.

ADITHA villa iuxta Dioſpolim. Hiero. in loc. Hebr.

### 5.

1.Mach. 13. Ioſ.13.an.9. ADDVS ciuitas, ſita in monte; vnde patebat longè proſpectus in ſubiectū campum. In hac caſtra metatus eſt Simon Machabæus contra Triphonem.

### 6.

Hier in loc. Hebr. AENAN, euntibus Thamnam, locus nūc deſertus, & proximus Thamnæ vico grādi, qui ſitus eſt inter Aeliam & dioſpolim. Eſt & fons in ſupradicto Aenan loco, vnde & Aenan, id eſt, fontis nomen accepit: in quo ſtans idôlum maxima illius loci veneratione colitur. Porrò Hebræi ſignificant Aenan non locum, ſed biuium ſignificare.

### 7.

AGABA, aliâs Gabatha, caſtellum, quod Ariſtobulus occupauit. Ioſ. 13. ant. 24.

### 8.

Ioſ.3.bel.2. ANVATH, vicus, qui etiam Borceos appellatur, limes ac terminus Samariæ, & Iudææ à Septentrione: eſt & Anua villa, Hier.

### 9.

AORABI terminus Iudææ prouinciæ, reſpiciens ad Orientem Iudææ. Hieron. in loc. Hebr.

### 10.

APHAECI, turris munita, cui vici circūpoſiti. Ioſeph. 2. bel. 23.

### 11.

APHERIMA, vel Affererema, ciuitas cum præfectura, quam Samaritis ademptam, Iudææ attribuit Rex Demetrius 1. Mac. 11. Ioſeph. 13. ant. 7.

### 12.

APOLLONIA vrbs. Ioſeph. 13. ant. 21. & 1. bel. 6.

### 13.

ARCHELAIS vicus, quem Archelaus Herodis filius Rex Iudææ condidit, & à ſe denominauit: conſitus eſt plurimis palmetis, quorum fructus eſt præſtantiſſimus. Ioſep. 17. ant. 19. & 18. ant. 4.

### 14.

ARCHIATAROTH ciuitas Ioſ. 16.

### 15.

ARVIR, villa in monte ſita eſt hodie, vbi quondam dimicauit Iephte, viceſimo ab Aelia lapide ad Septentrionem. Hieron. in loc. Hebr.

### 16.

VALLIS Arundineti, ſeu Arundinetum; ſic dictum, quia ibi creſcant arundines in copia: quo fortè & in Pſal. reſpicit Dauid: Increpa feras arundinis. Ioſ.16.17. Pſalm.67.

### 17.

ARIM villa iuxta Dioſpolim, quæ tempore Hieronym. appellabatur Betariph. Hieron. in loc. Hebr.

### 18.

ASA, & Aza, id eſt, cumulus, ciuitas. 1. Par. 7.

### 19.

ASOR. 2. Eſdr. 11.

### 20.

ATAROTH, ciuitas in tribu Ephraim. Hierony. in loc. Heb.

### 21.

ATAROTH-ADDAR ciuitas. Ioſe. 16. Hieronymi ætate Atarus dicebatur. In loc. Hebr.

### 22.

BAALASOR locus eſt iuxta Ephraim, vbi Abſolon oues tondebantur; quò euocatos regis filios fratres ſuos magnoperè perturbauit, occiſo Ammon, ob ſtuprum Thamar ſororis ſuæ. 2.Reg.13. Hieron. in loc. Hebr.

D 23. BAal-

23.

*Iud.8.9.*

BAALBERITH. Hîc filij Iſrael extruxerunt fanum Baal, ibiq; iurarunt, & fœdus inierunt cum Baal, vt eſſet ipſorum Deus.

24.

*Hieron.in loc.Heb. 4.Reg.4.*

BALSALISA, Bethſaliſa, ciuitas ſita in planicie in finib. Dioſpoleôs, quindecim ab ea miliaribus diſtans contra Septentrionem in regione Thamnitica; vnde venit homo cum muneribus ad Eliſęum Prophetam.

25.

BENITH, conſtructa à Samaritanis ciuitas. Hieron. in loc. Hebr.

29.

BETHAVEN vrbs. 1. Reg. 13.

27.

*Brocard. Breidenb.*

BETHEL mons, de Samaria ad duas leucas contra Auſtrum, iuxta viam, quæ ducit Sichem, in monte alto ad dexteram eſt; in quo Ieroboam filius Naboth poſuit vnum de vitulis aureis, quibus peccare fecit Iſrael. Eſt & Bethel vrbs. Iud. 21.

28.

BETHOANNABA, ſiue Bethannaba, aliâs Bethoanabal, quæ quarto, vt alij, octauo miliario daſtat à Dioſpoli. Hierony. in locis Hebr.

29.

*Ioſ.16.18. 21. 1. Par.6 7. 3.Reg.9. 2.Paral.8. 1.Mach 3. 7.9.& 4.*

BETHORON, ſuperior, ciuitas Leuitarum, quam Sara filia Ephraim ædificauit, Solomon reparauit & muniuit. Eſt huius in ſcripturis multa mentio. In deſcenſu Bethoron percuſſit Iudas Machabæus Senon: proſtrauit Lyſiam.

30.

CAINSARIM, ſiue campſarim. Hiero. in loc. Hebr.

31.

CANA in tribu Ephraim. Hieronin. loc. Hebr.

32.

*3.Reg.17. Brocard. Breidenb. Niceph.8. hiſt.Eccle. 30.*

CARITH torrens. Hîc manſit Elias tempore ſiccitatis, & corui afferebant ei quotidie panem & carnes manê & veſpere, bibebatque de torrente. atq; eò loci Helena Conſtantini mater poſtea Eccleſiam erexit.

33.

CIBSAIM, aliâs Iebſan; ciuitas Leuitarum. Ioſ. 21.

34.

DAN, mons ſuper viam, quæ ducit Samaria in Sichem, altior Bethel, vt Sichem ſita ſit inter duos iſtos montes. Quo loco quidam volunt alterum illum vitulum aureum poſitum à Ieroboam; quod tamen aliter videtur habere Hieronymus.

35.

*Iud. 4. Brocard. Breidenb.*

DEBORA E palma. Hic Debora propheтiſſa iudicabat Iſraelem, & mittebat Barac ad pugnandum contra Siſaram in monte Thabor: eſt verſus Rama, quæ & Silo.

36.

*Ioſ.13.ant. 15.& 1. bell.2. 1.Mach.6. & 16. Brocard. Breidenb.*

DOCH, Ioſepho Dagon arx ſupra Hiericho, in edito mōte, amœniſſimo proſpectu. Hîc Ptolomæus doloſè conuiuio exceptum occidit Simonem Machabæum. Ex hoc loco in omnes partes longiſſimè videri poteſt. Patet videlicet tota terra Galaad, & duæ cum dimidia tribu: terra Eſebon, & montana Moab: mons Abarim & Phaſga, & Nebo. deſcenditur hinc in campeſtria Iordanis; & ſunt loca plana vſq; in Iericho, & vltra per totum deſcenſum Iordanis, vſq; ad mare ſalinarum. Montes etiam Abarym, & Phegor, & Phaſga, & Nebo, ſunt directè contra locum iſtum vltra Iordanem.

37.

EDVMA villa in Acrabatena. Hieron. in loc. Hebr.

38.

*Brocard. Breidenb.*

EMON, ſiue Ennon, oppidum bene munitum, amœno loco ſitum, & abūdans optimis terræ naſcentibus: diſtat à Sichem Iordanem verſus quatuor leucis,

39.

*Ioſ.13.14. 16. Iud.3.4. 7.17.18.& alibi.*

EPHRAIM mons, ſiue montes, & montana Ephraim, frequentes habitatoribus: multa de his mentio in ſcripturis. quantum colligere licet, habuerunt in longitudine miliaria nouem.

40.

*Pſalm.97. Ioſeph.5. antiq.8. Ioan.11. Hieron.in loc.Hebr.*

EPHREM, Effrem, Hebraicè & Græcè Ephraim, municipium erat tempore Ioſephi, ſubactum à Veſpaſiano: tempore Hieronymi vicus erat in quinto miliario Bethelis reſpiciens ad Orientem.

41.

*2.Par.13. 15.17.*

EPHRON, Hieronymi ætate dicebatur Ephręa, ciuitas, quam Iſraeli bello eripuit Abia rex Iuda: poſtea vicus magnus contra Septētrionem in viceſimo ab Aelia miliario. Et quidem B. Hieronymus in loc. Hebr. lit. E. refert, quod Ioan. 11. legimus, Dominum noſtrum abijſſe iuxta deſertum in ciuitatē, quæ dicitur Ephraim, vbi Græcè ἐφραιμ, ad Ephron referri, quod fortaſſis non ita videatur, niſi hæ vrbes confundantur.

42.

TERRA Ethim, in qua Luza ædificatur. Iud. 1.

43.

FANVM Baal, Iud. 8.9.





44.

*Ioſ.24. Iud.2. Hieron.in loc.Hebr.*

GAAS mons, in cuius Septentrionali plaga ſepultus eſt Ioſue; & vſque hodie, iuxta vicum Thamnam, ſepulchrum eius inſigne monſtratur: eſt & torrens. 2. Reg. 23. 1. Par. 11.

45.

*Deut.11. 27.& 28 Ioſ.8. Brocard. Breid. Ioſeph4.antiq.vltimo.*

GARIZIM, mons totius Samariæ altiſſimus, creſcit autem ad dexteram partem fontis Iacob mons, habens duo capita, quorū alteri Garizim, alteri Hebal nomen inditum eſt. Hîc, ad imperium Moyſi, poſt Iordanis tranſitum, Ioſue, ædificato altari lapideo, obtulit holocauſta Deo, inſcripſit decalogum lapidibus, & coram arca per ſacerdotes promulgauit in Garizim legem obſeruantibus benedictiones conferendas: in Hebal verò tranſgredientibus maledictiones infligendas, populo omni reſpondente, Amen. Et quod in hoc monte ſex potiſſimę tribus conſtitiſſent, pręcipua quadam veneratione à poſteris frequentabatur cauſſa ſacrificij & orationis. In

*Iud.9. Ioſeph.11. ant.7.et 8.*

Garizim Ioathan Sichimitis maledixit. Tempore autem Alexandri Macedonis, Manaſſes frater Iaddi pontificis Iudęorum, ab altari pulſus, eò quod alienigenam duxiſſet vxorem, nempe filiam Sanabellet ducis Samarię; ſoceri auxilio ædificauit in monte Garizim templum ad inſtar templi Ieroſolymitani, eiuſq; primum pontificem egit: idq; Samaritani frequentabant cauſſa ſacrificij & orationis, & præferebant templo Hieroſolymitano. Poſt ab Antiocho Epiphane poſita eſt ibi ſtatua Iouis hoſpitalis. Temporibus Breidenbachij oſtendebatur ibidem phanum antiquiſſimum Iouis Olympiaci hoſpitale: Hircanus verò, poſt mortem Antiochi Pij, templum cum Chuthæorum gēte euertit; quæ deſolatio incidit in annum CC. à die quo fuerat conditū. Vult tamen hoc templum perduraſſe Breidenb. vſque ad bellum, quod cum Romanis populus Iudæorum inijt. Reſpexit ad hunc montem Samaritana: Patres noſtri in hoc monte adorauerunt, & vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus, vbi adorari oportet. In hunc montem cùm Samaratinorum ſeditoſi confugiſſent, nequicquam offerente ſecuritatem Cereali, tandem occiſi ſunt.

*Ioſeph.13, anti.4.& 18.7.& 12. 1. — 2.Mach. 5.6. — Ioſeph.13. Antiq.17. — Ioan.4. — Ioſ.3.bell. Iud.ca.12.*

46.

*Ioſ.10.12. 16.21. Iudic.1. 1.Par.6.7. 14.20. 2.Reg.5. 1.Mach.7. Ioſeph.5. antiq.3. 3.Reg.9. Brocard. Ioſeph.8. Antiq.6. Hieron.in loc.Hebr*

GAZER, quæ & Gazera, & Gazara, Gezer, &, quemadmodum apparet, Gadera, ſita in extrema & protenſa longitudine tribus Ephraim, vrbs, cuius regem occidit Ioſue, vrbe expugnata, eaq; Leuitis aſſignata. Hac poſtea Pharao rex Aegypti bello aggreſſus expugnauit, & occiſis ad vnum habitatoribus diruit: deinde filiæ ſuæ Solomoni nuptæ in dotem dedit. quā Solomon, quod eſſet natura munita, & ad bella oportuna, denuò exædificauit. ætate Hieronymi villa erat, in quarto miliario Nicopoleos contra Septentrionem.

47.

GEBA villa. Hieron. in loc. Hebra.

48.

GETHREMMON, ciuitas Leuitarum. 1. Paral. 6,

49.

*Hieron.de loc Hebr. lit. A. Ioſeph.14. Antiq.20. & 1.bell.1. 9.2.bell.& 25.& 3. bell.2.& alibi.*

GOFNA, quæ & Guphna, & Guphne, & Guphnenſis regio, & Gophnitita toparchia, vna ex vndecim in ordine ſecunda, vrbs præclara; quam Hieronymus miratur à quibuſdam in tribu Iuda poni.

50.

*Pſal.82.*

HEBAL, qui & Ebal, & Gebal, contrarius monti Garizim: in quo ſteterunt alię ſex tribus. cauernoſus eſt & voraginoſus, & qui ſæpe terræ motum patiatur: ſupra in Garizim.

51.

HELON cum ſuburbanis, ciuitas Leuitarum. 1. Par. 6. alij Aialon habent.

52.

*Ioſeph.8. antiq 7. — 2.Par.11.*

HETTAN, aliâs Itham, prædium, diſtans ab Hieroſolymis duobus ſchœnis, hoc eſt, ſtadijs 120. hortis & inductis fontibus amęnum ſimul & opulentum: quo rex Solomon animi cauſſa proficiſci ſæpe conſueuerat, regio curru vectus, & amictus veſte candida, proceris armatiſq; ſatellitibus currum ſtipantibus, fortè ea erit, quam poſtea ciuitatem extruxit Roboam: & vocatur Etham.

53.

*Ioſeph.13. antiq.22. & 16.ant. 2.& 1. bell. 6.14. 21.*

HYRCANIA, vel Hyrcanium, caſtellum fortiſſimum, ab Herode rege extructum, aut potius reſtitutum: meminit enim Ioſephus huius caſtelli in Alexandra.

54.

*Ioan.4. Hieron.in Epitaph. Paulæ. Breidenb. Brocard.*

FONS Iacob ad hunc puteum Ieſus fatigatus ſedens, cum muliere Samaritana locutus eſt, de aqua viua, & adorando Deo in ſpiritu & veritate. quo loco Hieronymi tempore Eccleſia extructa erat & fabricata. erat ad radices montis Garizim.

55.

*Ioſ.16. 4.Reg.15. Hieron.in loc.Hebr.*

IANOE, vrbs in regione Acrabatene: hanc cepit rex Aſſyriorum. Hieronymus vacat Ianon; & ait etiam ſuo tempore vicum oſtendi ſolitum, in duodecimo lapide Neapoleos, contra Orientem.

56.

IEBSAN, ciuitas Leuitarum. Ioſ. 21.

57.

IECMAAN, ciuitas Leuitarum. 1. Para. 6. quidam ponunt in Zabulon.

58.

IEFLETI, vel Iephleti, ciuitas, terminus filiorum Ioſeph. Ioſ. 16. Benedictus.

*Ioan.4. Gene.48. Ioſ.24. Brocard. Breidenb. Hieron.in quæſtion. Hebr.in Geneſim.*

59.

PRAEDIVM Ioſeph, quod dedit Iacob filio ſuo Ioſeph, ſupra fratres ſuos: eſtque ager amœnus & fertilis, in quo oſſa Ioſeph, ex Agypto allata, ſepulta ſunt; cuius mauſoleum ibi etiamnum ætate Hieronymi cernebatur.

*Matt.10. Hieron.in Iſai.28.*

60.

ISCARIOT vicus, in quo natus eſt Iudas Apoſtolorum duodecimus, Chriſti proditor; vnde dictus eſt Iſcariotes.

*Brocard. Breidenb.*

61.

LEBNA, vel Lepna, & Lemna, caſtrum valdè pulcrum, & in itinere, euntibus Hieroſolymam, de Sichem quatuor leucis ad dexteram, dicitur & Lebona. Iud.21.

62.

LEPROSORIVM Samariæ. 4. Reg. 7.

63.

LEVITAE domus, in latere montis Ephraim. Iud.19.

*1.Mac.11. & alibi. Ioſ.16. Actor.9. Ioſeph.20. antiq.8. 2.bell.23. & 3.bell.2. & 5.bel.4. Paſc.itin. 177. VVilb.Ty. 7.bel.ſac. 22. Breid 9. Iulij. Salig.tom. 6. cap.4. Cap.57. In Abdiā, & in Ionam. VVilb.Ty. lib.10.c.22 & 12.25. & 14.12.*

64.

LIDDA, Lyda, & Lydda, tempore Hieronymi Dioſpolis, hoc eſt, Iouis ciuitas, appellata eſt: cuius frequens mentio apud Ioſephum eſt & Hieronymum: vna ex vndecim Iudææ toparchijs, ordine quinta. In hac vrbe ſanauit Aeneam paralyticum Petrus Apoſtolus. Ioſephus dicit vicū fuiſſe inſtar vrbis amplum: poſtea ciuitatem exuſtam à Ceſtio Romani exercitus duce. In hac vſque hodie, ait Gul. Tyrius, egregij martyris Georgij glorioſum ſepulcrum oſtenditur, in quo, ſecundum exteriorem hominem, in Deo creditur conquieſcere: ad cuius honorem Iuſtinianus Eccleſiam, multo ſtudio & deuotione prompta, ædificari præceperat. Erat enim in eadem vrbe decollatus etiam S. Georgius: vnde etiam nunc ad S. Georgium dicitur, vt teſtis eſt Vitriacus: Hieronymus verò illam Tigrida appellari ait. Cùm à Chriſtianis habitaretur, Epiſcopali diademate erat inſignita, ſed ſuffraganea. Alij hanc ciuitatam faciunt propinquiorem Gaſeræ, ſupra Nebo ſcilicet.

*Ioſ.16. Hieron.in loc.Hebr. Iud.1. Hieron.in loc.Hebr.*

65.

LVZA ciuitas, quæ cecidit in ſortem filiorum Ioſeph, iuxta Sichem in tertio lapide Neapoleos.

Luza, ciuitas alia à priore, quam veteris Luzæ proditor condidit iuxta Bethel, in terra Ethim, ſiue Cethim.

*1.Reg.13. 14. 1.Mach.9. Brocard. Breidenb 1.Mach.9. Luc.2. Inlo.Heb.*

66.

MACHMAS, Magmas, & Megmas, ciuitas magna ſatis, cuius multa in ſcripturis mentio, terminus tribus Ephraim contra Auſtrum. In hac Ionathas Machabæus habitauit, atque hic B. Maria percepit puerū Ieſum nō eſſe in comitatu, ſed remanſiſſe in Hieruſalem: quamobrem regreſſa eſt in Hieruſalē, ad quærendum eum. Vſque hodie, ait Hieron. oſtenditur vicus grandis, in finibus Aelię, antiquum nomen retinens, nouem ab ea milibus diſtans, iuxta villam Rama. Nunc Byra dicitur: & eſt in dominio fratrum militiæ templi, vt Brocar. & Breid. tradunt

67.

MAGDALSENNA, hoc eſt, turris Senna. oſtendebatur vſque tempora Hieronymi villa in ſeptimo lapide Hiericus, cōtra Septentrionalem plagam.

*Hieron.in loc.Hebr. lit.S.*

68.

MELLO ciuitas. Huius ciues vnà cum Sichimitis conſtituerunt Abimelech ſibi in Regem. ædificauit hanc poſtea Solomon, quæ cauſſa extitit rebellionis Ierobeā filio Nabat.

*Iud.9. 3.Re.9.11.*

69.

NAARATHA, Noaratha, Naaraht, Naara, ciuitas, terminus Ephraim: nunc Naorath, eſt villa Iudæorum, in quinto miliario Ierichus.

*Ioſ.16. Hieron.in loc.Hebr.*

70.

NAIOTH, locus eſt in Ramatha, ſiue Rama, tribus Beniamin, diſtans ſex miliaribus ab Hieruſalem ad Septentrionem, verſus Bethel, vbi Dauid & Samuel manſerunt: quò & Saul veniēs, cū alijs ſimul prophetauit, vnde prouerbiū: Num & Saul inter Prophetas?

*1.Reg.19. 20. & ibi Benedictus.*

71.

NEAPOLIS, quæ dicebatur ab indigenis Naborthа. Ioſeph.5.bel.Iud.4. vide Sichem.

72.

NORAN, Noaran, nomen loc. 1. Para. 7.

73.

OZENSARA vrbs, quam condidit Sara filia Ephraim. 1. Paral. 7.

74.

PETRA Oreb, ſic nominata, quod Oreb princeps Madianitarum, à tribu Ephraim, circa illam interfectus ſit.

*Iud.7. Iſai.10. Pſalm.82.*

75.

PHANVEL, vel Fanuel, ciuitas iuxta Sichem. 3. Reg. 12.

76.

PHARATON, ciuitas in monte Amalec; vnde fuit Abdō iudex populi Iſrael, inque ea habitauit. dicta etiam Phara eſt. hinc Pharatonites.

*Iud.12. 2.Reg.23. 1.Para.11. 27. Ioſeph.13. antiq.1.*

77.

PHASELV, Phaſelum, Paſellum, oppidum in deſcenſu montis Ephraim, ſitū in campo palmetis cōſito: quod Herodes ſenior Aſcalonita, in honorē Phaſeli fratris ſui, à Parthis necati, condidit, atque ita nominauit: à Breidenb. Zepher dicitur eſt poſitum eo loci vbi torrens Carith deſcendit de monte.

*Ioſeph.16. antiq.5.et. 17.10 & 1. bell.16. & alibi. Brocard. Breidenb.*





*Geneſ.35. Ioſ.42. Iud.9. Hieron.in loc.Heb.in Balanus.*

78.

QVERCVS Sichem, ſeu Sichimorum, quæ & Therebinthus. Sub hac abſcondit Iacob idola ſuorum: ſub hac lapidē prægrandem erexit Ioſue in teſtimonium fęderis Iſrael cum Deo: ibidem Abimelech cōſtitutus eſt rex ſuper Iſrael. Quercus hæc vſque tempora Hieronymi oſtendebatur in ſuburbano rure Neapoleos, prope ſepulcrum Ioſeph.

*Brocard. Breidenb. Salig.tom. 6.cap.3. VVilb.Ty. 7.22.*

79.

RAMATHA, Ramathæ, Ramathaim, & Arimathæa, ſiue Arimathia; poſt & Rama, & Ramula dicta eſt. Ciuitas ſeparata Leuitis, ſita in Sophim monte Ephraim vnde & Ramatha Sophim dicitur; eſtque confinium tribuū Ephraim, Beniamin, & Dan, pro qua aliqui Iudam ponunt; qui etiam pertinuiſſe illam contendunt ad tres tribus, ſitam tamen in monte Ephraim: poſtea villa fuit Rama. Sed ſciendum eſt multas eius nominis villas fuiſſe: Prima iuxta Thecuam in via Hebron; ſecūda in Neptalim, proxima caſtro Sephet; tertia iuxta Sophorim; quarta in Silo; quinta iuxta Gabaa: quæ omnes in montibus; interpretatur enim Rama excelſum. In hac Saul cum Samuele cibum ſumpſit, & vnctus eſt in Regem: erat natalis Samuelis, vbi & habitauit, & ſepultus eſt; cuius oſſa longo poſt tempore de Iudæa tranſlata ſunt in Thraciam. Verba ſuper ea re Hieronymi ſunt: Sacrilegus dicendus eſt Auguſtus Arcadius (probat autem inductione B. Hieronymus, rectè coli reliquias, quas proſcindebat Vigilantius) qui oſſa B. Samuelis longo poſt tempore de Iudæa tranſtulit in Thraciam; Omnes Epiſcopi non ſolum ſacrilegi, ſed & fatui iudicandi, qui rē viliſſimam & Cineres diſſolutos in ſerico & vaſe aureo portauerunt; ſtulti omnium Eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis reliquijs, & tanta lætitia, quaſi præſentem viuentemque prophetam cernerent, ſuſceperunt: vt de Palæſtina vſque Chalchedonem iungerentur populorum examina, & in Chriſti laudem vna voce reſonarent, &c. De hac oriundus fuit nobilis ille decurio, qui ſepeliuit Dominum, eſtque huius frequens in ſcripturis mentio. Præfectus fuit vrbi, cùm Chriſtiani terram ſanctam occupauiſſent, Epiſcobus quidam ex genere Normannorum, qui ſimul & Liddæ, & Ramulæ erat Epiſcopus: huius tamen vetus nomen ignorare ſe ſcribit VVilhelmus, adeoque illam priſcis ſæculis incognitam fuiſſe, vt quam, teſtibus illorū temporum hiſtorijs, Arabes Mahumeti ſectatores primùm exædificarint. Erat autem ſita in campeſtribus, quam cùm vacuam reperiſſet Iuelinus, Armenius, ſuccendit. deſcribitur & fons iuxta Ramatha, ſalubris aquæ.

*1.Reg.25. Hieron.ad verſ. Vigilantium. 1.Reg.1. & cat. 1.Mac.11. Matt.27. Marc.15. Luc 10.19. 23. VVilb.Ty. 7.bel.ſ.22. 10.bell.17. 21.bell.21. 1.Reg.6. Breidenb. 8.Iulij.*

*Iud.9. Hie.in lo. Heb.lit.R.*

80.

RVMA, hoc eſt, excelſa, Hebraicè Aruma, Hieronymo Arima, ciuitas, vbi ſedit Abimelech. Eſt autē in finibus Dioſpoleos, & à pleriſque Arimathia nunc dicitur, ab alijs Remphtis.

81.

SAMARIA, metropolis, munitiſſima, regalis & pulcerrima decem tribuum, quæ appellantur Iſrael regnum: vocatur etiam Samaritis, Mareone, Ectenias, Marion, & poſtea in honorem Cæſaris Auguſti, ab Herode rege Σεβάστη, hoc eſt Auguſta appellata eſt, diſtat ab Hieruſalem diei itinere. VVeiſſ. ſita eſt in regione vberrima, à qua & tota illa regio Samarię nomen accepit: ab Amri rege Iſrael in Semeron montis vertice ædificata eſt: quam Samaræam vocauit, ait Ioſephus, à Samaro, de quo montem emerat, in cuius vertice ſita eſt: quam cinxerat admirabili ædificiorum ſuperbia in modum coronæ: & proſpectum exhibebat amœniſſimum, & quaqua verſus longiſſimum: vſque Ramatha, Ioppen, Antipatridem, Cęſaream Paleſtinę, mare magnū, Carmelum, & vſque Ptolemaidem: per totum quoque montem Ephraim. Abundabat fontibus, hortis, oliuetis, & omnibus huius mūdi bonis: eaque deinceps Reges Iſrael pro ſede regni vſi ſunt. cuius incredibilis magnificentia breuibus explicari non poteſt, cùm inſignes ſuperbiſſimorum ædificiorum ruinę priſcam vrbis magnificentiam non obſcurè demonſtrent. neque enim alia vrbs tota Palæſtina ruinas oſtentat æquè memorabiles: ſed iam tota ceſſit hortis & olitoribus, quod Achas rex cogitabat de vinea Nabath. In mōte, ait Brocardus, videntur adhuc columnæ mamoreæ, quæ ſuſtentabant regia illa ædificia, palatia & deambulatoria: quin & per totum montis circuitum viſuntur ſtantes huiuſcemodi columnę, quæ paltearum ſuſtinebāt teſtudines. Temporibus Ioram regis fuit hic fames tanta, cùm obſideretur à Benadad rege Syriæ, donec venundaretur caput aſini octoginta argenteis, & quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis: cùm etiam filijs ſuis veſcerentur: tandem mirabiliter liberata prophetante Helizeo. Poſtea Hircanus Iudæorum Pontifex, cùm vrbem foſſa & duplici muro cinxiſſet per LXXX. ſtadia; tandem per filios expugnatam, ſolo adæquauit. quam Herodes Antipatri filius Rex à fundamentis iſtaurans, firmiſſimo muro per viginti ſtadia circūdedit, & in eius medio templum maximum ſeſquiſtadij magnitudine, modis omnibus ornatiſſimum Auguſto Cæſari dedicauit, ciuitate ipſa ab eodem denominata. In hac ſepulti ſunt Eliſæus & Abdias prophetæ; atq; ipſe (quo maior inter natos mulierū non fuit) Ioānes Baptiſta, qui ad vocem adulteræ in carcere decollatus eſt. ad quorum ſepulcra, cùm huc perueniſſet Paula, multis intremuit cōſternata mirabilibus: namque cernebat varijs dęmones rugire cruciatibus, & ante ſepulcra Sanctorum vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum. Alios rotare caput, & poſt tergum terram vertice tangere, ſuſpenſiſque pede fœminis veſtes defluere in faciē. Fuit ibi Ec-

*Ioſ.11. 2.Para.13. 4.Reg.6. Ioſeph.8. antiq.12. 5.bell.4. 6.bell.1. 3.bell.2. 3.Reg.16. Ioſeph.8. Anti.12. Iſa.28. Brocard. Breid. 4.Reg.6. Ioſe.13. Antiq.17. Ioſeph.15. antiq.10. & 1.bel.2. 16. Hieron.in loc.Heb. & Act. Hie.in.epi. Paulæ & in Abdiæ 1. & Mich.1. Marci 6.*

bi Eccleſia quondam in honorem B. Ioannis, cum ſepulcro, quod de marmore fuerat factum ad inſtar ſepulcri Dominici. ſed hanc Saraceni ſibi vſurpauerunt, vt & aliam Cathedralem Suffraganeam, quam in ſupercilio montis poſitam Greci monachi inhabitabant, à quibus perbenignè fuit exceptus Brocardus.

*VVilh.Ty. 14.bell.12. & 8.1.*

82.

FONS Samariæ; qui dicitur alternis coloribus quater in anno variari, viridi ſcilicet, ſanguineo, turbido & limpido, mira & grata viciſſitudine inſpiciẽtium oculos delectans. fit etiã piſcinę Samariæ mentio in libris Regũ; vbi occiſi Achab currus &c. ablut⁹ eſt.

*Vitriac.c. 84. 3. Reg.22.*

83.

MONTES Samariæ, in quibus vineæ. 2. Reg.20. Hiere.31. Am.3. deſcribitur & lacus Samariæ, & turris domus regiæ in Samaria, iuxta Argob & Arie vbi Phaceia regem Iſrael occidit Phacee filius Romelę dux eius.

*3.Reg.16. 4.Reg.13. 4.Reg.15.*

84.

SAMIR, Sanir, ciuitas in montanis Ephraim. Iud.10. eſt & vicus Sanim. Hiero. in loc, Heb.

85.

SAPHONI, Aphoni, vnde fuit Zabdias. 1. Paral.27.

86.

SAREDA, patria Ieroboam. 3. Reg. 11.

87.

SARON, Sarona & Laſaron, græcè Aſſaron, mons, & vrbs egregia; quam cepit Ioſue, rege illius interfecto. Regio eſt campeſtris, pinguis & fertiliſſima, ſaginandis pecoribus perquàm apta, ideoq; ibi paſcebantur regis animalia. extendit ſeſe à Cæſarea Paleſtinæ, & pertingit vſq; ad Ioppe. Hęc teſte Hieronymo, iuxta ſoli qualitatem Petro prædicante fidei continuò fructus germinauit.

*Ioſ.12. Iſa.33.35. 1.Para.7. Hieron.in Iſai.65. 1.Para.5. 17. Bened.in Indice Bibliorum. Act.9.*

88.

SELABA, grandis vicus in finibns Sebaſte. Hieron. in loc. Hebr.

*Hieron.in loc.Hebr. Brocard. Breidenb.*

89.

SEMERON, Sameron, mons, ad quem Abia rex Iuda vicit Ieroboam. 3. Reg. 16. 1. Paral.13.

*Sasbout in Iſai.33. VVilh.Ty. 10.20.*

90.

SELMOM, mons eſt in Ephraim, iuxta Sichem, vmbroſus & caliginoſus, mons Dei, mons pinguis; quem conſcendit Abimelech aduerſus Sichimam dimicans.

*Iud. 9. Pſal.67. 87 Hieron in loc.Hebr.*

91.

SICHEM, quæ & Sichima, & Sichimi, Ephron; tempore Chriſti corruptè dicebatur Sichar; poſtremò reſtaurata vocata eſt Neapolis, hoc eſt, noua ciuitas; quã & Mabortbã ab indigenis appellatã ſcribit Ioſephus: Plinius Marmortham. Sieg. nunc verò dicitur Peloſa ſiue Napoloſa, vt quidam annotant. vrbs refugij, & Leuitarum, metropolis Samariæ, ſita in monte Ephraim, amœnitate & delitijs abundans; quam ſitam inter duos montes nouam putat eſſe Breidenbachius, cùm vetus Sichem ipſius iudicio fuerit ad ſiniſtram fontis Iacob, cuius ſcilicet ſuo tempore plurimæ adhuc reliquiæ oſtendebantur quę diſtat ab hac Neapoli quantum bis iacit arcus. Hanc incoluerunt Abraham & Iacob Patriarchæ, eſtque primùm à Simeone & Leui, ob ſtuprum Dinæ ſorori illatũ, vaſtata: Secundo ab Abimelech ita ſubuerſa, vt ſeminauerit in ea ſalem: reædificauit eam poſt Ieroboam: poſtremum euerſa à Bezzeuge Damaſcenorum procuratore; cùm vrbem immunitam muro & antemuralibus, etiam vallo carentem aggreſſus fuiſſet, vix pauci reſidui in præſidium, quod in medio ciuitatis erat à cæde & incendijs elapſi ſunt. Habuit epiſcopum ſuffraganeum; ſed Vitriacus negat, & pertinuiſſe vult immediatè ad Abbatem Dominici ſepulcri. Vult in valle ſitam fuiſſe, & montes vndique pro muris habuiſſa Sieg.

*1. Par.13. & ibi Hie. Ioſeph.11. antiq.8. Ioan.4. Hier.quæ. in Gen.48. & in Oſ.6. Plin.lib.5. cap.13. Ioſeph.5. bell.4.ca. Geneſ.33. Brocard. Breid. Ioſ.20.21. 1.Paral.6. Gene.12. Ge.34.49. VVilh.Ty. 8.bel.ſac.1 Iud.9. Pſal.107. Actor.7. 3.Reg.12. VVilh.Ty. 14.bel.ſac. 27.14.12. & 17.bell. 14. Fretel. Vitriac.c. 58.*

92.

QVERCVS Sichem, græce Balanus; ſub qua Rebeccæ nutrix ſepulta eſt. nominatur & Turris Sichem. Iud.9.

*Hieron.in loc.Hebr. Fretell.*

93.

SILO, mons altiſſimus omnium in circuitu Ieruſalem, atque adeò ſupereminet vniuerſis terræ ſanctæ montibus; eſt autem in decimo miliario Neapoleos, in regione Acrabatena. Eſtque eiuſdem nominis vrbs Silo in eodem monte poſita: vbi longo tempore arca Dei fuit repoſita, cum tabernaculo fœderis, quod fecerat in deſerto Moyſes, ibique manſit annis plurimis, vſque dum caperetur à Philiſtæis; vnde crebrò populi Iſraël conuentiones eo in loco celebratæ, atq; ſacrificij & orationis gratia frequentabatur vſque ad tempora ſamuelis. Poſt ob peccata Iſrael ciuitas deſtructa eſt; in Silo altare dirutum hodieq; monſtratur: nunc ad ſanctum Samuelem dicitur. addunt Brocardus & Breidenbach. etiam Rama nominari.

*Ioſ.19. Iud.21. Hieron.in loc.Hebr. Paſc.itin. 179. Ioſ.18. Ioſeph.5. antiq.2. Iud.18. 20. 1.Reg.1.2. 3.4.& 14. 3.Reg.2. 11.12. Fretell. Hierem. 7.& 26. Hieron.in Epitaph. Paula.*

94.

SOPHIM mons. 1. Reg. 1. Hier. in loc Hebr.

95.

TAPHVA, vrbs potens, quam expugnauit Ioſue, rege illius interfecto. Ioſ.12.16.17.

96.

THAMNATHSARA, Thamnathſare, & Thamna, Thamnata, ſub Romano imperio dicta eſt Thamnatica ſeu Thamnitica; vna ex vndecim Iudeæ Toparchijs, ordine quarta, regio, prefectura, & vrbs maxima,

*Ioſ.19.24. Iud.2. Ioſeph.5. antiq.4.3. bell.2.& 5.bel.4.et 2. bel.2*

ſita


Arabiæ Felicis pars quæ et Saba.
AMMONITARVM GENS ET REGIO NVNC PHILA: DEL: PHIA.
DESERTVM ARABIÆ. 6
Nabathæa Regio et Nabathæi. 33
Abel. 2
Vineæ 2
Galaad
Mons vide in Manaſſe 2. numero 50
Rupes Arnon. 7
Balaam. 48
Mennith. 32
Nabatha. 33
Datheman 18
Maſpha 31
Rabba. n. Philadelphia 37
Rogelim 39
Arnon. 7
Arnon torrens
Vinea
Mare Iaſer
Arnon Torrens
Ramoth Galaad 38
Mageth. 29
Terra Thob. 46
Iazer. 24
Flumen Iazer. 25
Aroer. 9
Terra Hom. 22
Eſebon
Pella
Carnaim
Arbel
GALAADITIS REGIO.
quere in Manaſſe 2. numero. 51
Lodabar 28
Caſbon 15
Baſcama. 11
Sophan. 54
Damnaba 17
Arnonas 8
Piſcinæ
Carnion
Baraſa 10
Alimis 4
Dibon 19
PARS DIMIDIÆ TRIBVS MANASSE.
Amathus
Manaim 30
Iaboc qui et Iebo torrens 23
Saltus Ephraim 20
TRIBVS GAD.
Roth. 40
Ataroth 40
PARS TRIBVS RVBEN.
Helon
Phanuel 36
Deſertum Manaim. 30
Abſalom
Dauid
REGNVM
AMORREORVM. 5
Veterobra. 49
Dabir. 16
Saraſaſar
Bethonim 14
Geraſa
Hippos
Ephron
Sarthan. 43
Theſbe 47
Gaddi 21
Iulias 27
REGIO. 35
PERÆ: A RE:
Ataroth
Galgala
Nobe Canath. 34
Bethara 12
Ianoe
Socoth. 44
Iechaa. 26
Bethnemra 13
Saphon. 41
Atarothaddar
MARE GALILÆÆ.
Salem
Betſan
Iſachar
Ennon
Bethbera
Epbra
Fons Iaphue
Iaphua
Iecmaam
PARS TRIBVS ISACHAR.
PARS DIMIDIÆ TRIBVS MANASSE.
PARS TRIBVS EPHRAIM.
P. T. ZABVLON.
TRIBVS GAD
nempe, ea Terra Sanctæ pars, quæ obtigit in partitione regionis tribui Gad.
Miliaria vnius horæ
1 2 3 4 5

*Benedict. Iud.2. Hieron.in loc.Hebr. lit. A.G.T. & in epit. Paulæ.*

ſita in montanis Ephraim. data eſt ab Iſraelitis Ioſue duci hæreditaria, qui in ea habitauit, & ſepultus eſt à ſeptentrionali parte montis Gaas; vbi vſque ætatem Hieronymi ſepulcrum eius inſigne oſtendebatur, & venerabantur omnes: ſuper quod figuram ſolis deſcripſerant, eò quod ſolem ſtare feciſſet. eſtq; huius frequens apud Hieronymum & Ioſephum mentio.

97.

THANATHSELO, Hieronymo Thenath, villa.Ioſ.16.Hieron.de loc. Hebr videtur vrbs fuiſſe in decimo miliario Neapoleos contra Orientem deſcendentibus Iordanem.

98.

VIA de Silo in Sichem.Iud.21.

99.

VIA à Sichem Ieruſalem. Brocard. vbi Chriſtus ſedens ad puteum. petiuit aquã à Samaritana.Breidenb.eod.

G

# Tribus Gad, & finitima eius.

1.

*Geneſ.30. Num.1. Nu.32.26. Ioſ.13*

GAD ſeptimus Iacobi ex Lia filius, ex Zelpha ancilla Liæ vxoris ſuæ, ſic familiam ſuam auxit, vt de tribu eius iuxta montem Sinai recenſiti & inuenti ſint viri ad pugnam apti X L V. millia & D C L. quibus omnibus in deſerto mortuis, eorum filij XL.millia & D.vltra Iordanem pro poſſeſſione acceperunt mediam vberemq; terrã regni Amorrhæorum, concedente Moyſe: qui tandem, cùm, relicto Deo patrũ ſuorum, cum idolis fornicarentur, ſuſcitauit Deus Iſrael ſpiritum Phul regis Aſſyriorum, & ſpiritum Theglathphalaſar regis Aſſur, & abſtulit & Gad, & Ruben, & dimidiam tribum Manaſſe, & adduxit eos in Aſſyriam. Tribus Gad, nullam partẽ lacus Genezareth videtur poſſediſſe. influit enim in Iordanem, infra lacum Iaboc torrens, auctore Ioſepho, qui limes eſt tribus Gad à Septentrione, ita tamen, vt proxima lacui ſit illa influxio. VVeiſs.

*1.Par.5. Ioſeph.4. ant.cap.5.*

2.

*Hieron.in loc.Hebr. Bened.in indice Bibliorum.*

ABEL, Hierony. tempore Abela dicebatur, ciuitas Ammonitarum cernitur adhuc, ait idem in ſeptimo lapide Philadelphię villa Abela vinetis conſita; eſt videlicet illa, vbi dimicauit Iephte in terra filiorum Ammon. Eſt eiuſdem nominis alia in duodecimo Gaderis miliario; & tertia in Phænice inter Damaſcum & Paneadem. fortè eadem erit, quæ Abela dicitur.

3.

AHIE, Achalgai, è regione Arcopoleos, Hieron.in loc.Hebr.

4.

ALIMIS ciuitas Galaad.1.Machab.5.

5.

AMORRHAEORVM regnum & regio: orti ſunt autem Amorrhæi ab Amorrhæo filio Chanaan; fines eorum de Arnon vſq; Ieboch, & de ſolitudine vſq; ad Iordanem. quorum rege cum omni populo ab Iſraelitis interfecto, filij Gad poſſederunt ciuitates, & terram eorum, & regionem paſcuis vberrimam, videlicet omnes ciuitates Galaad, partem dimidiam terræ filiorum Ammon, & reliquam partem regni Seon regis Eſebon.

*Geneſ.10. 14.15. Nu.21.32. Deuter.3. Ioſ.13. Iud.11.*

6.

DESERTVM Arabiæ ad Orientem Gad & Ruben.1.Par.5. Iſai.16.1.Machab.5.

7.

ARNON ciuitas, vbi erant excelſa, in Moab. eſt & Arnõ rupes quædam in ſublime porrecta, in finibus Amorrhæorum, inter Moab & Agarenos, in cuius vertice torrẽs per abrupta deſcendens in mare mortuum fluit. Zieglerus putat cuniculis abſorberi ante influxum: eſt igitur & eiuſdem nominis torrens Arnon, qui oritur è montibus & rupibus Arabię, atque inde fluit per totum deſertum, Moabitidem diſterminans & Ammonitida, demum ſeſe exonerat & labitur in mare mortuum. regio vtrinque adiacens tota eſt fructifera. Fluuium hunc miraculosè ſiccis veſtigijs tranſierunt Iſraelitæ, profligato, qui obſtiterat, rege Sohon.

*Num.21. Iſai.16. Ierem.48. Hieron.in loc.Heb. Nu.21.22. Deuter.2. 3.4.&c. Iſai.16. Ioſeph.4. antiq.4. Hieron.in loc.Heb. Bened.in Iud.11.*

8.

ARNONAS: locus quidam ita etiam hodie dictus, & oſtenditur ab incolis iſtius regionis in valle prærupta demerſa, ſatis horribilis & periculoſus, quaſi latronum ſpelunca; & extenditur ad ſeptentrionem Areopoleos, in quo & militum ex omni parte præſidia diſtributa plenum ſanguinis & formidinis teſtantur ingreſſum.

*Hieron.in loc.Hebr.*

9.

AROER, quæ & Ar, & Arnon; Moab, & Rabbath, Moab, hoc eſt, grandis Moab dicitur, vrbs antiqua, potens, & Moabitarum præcipua, ſita ſuper ripam torrentis Arnon: in confinio Moabitarum, Amorrhæorum & Ammonitarum in valle media, glorioſa, & muris validis munita; poſſeſſa olim à gente veterrima Omnijm, & poſtea retenta à filijs Lot, id eſt, Moabitis, cùm priores accolas ſubuertiſſent. vnde & eorum metropolis facta, domina Moab, nuncupatur: quam

*Num.21. 22. 32. Deut.2.3. 4. Ioſ.12.13. Hie.in loc. Heb.lit.A. & M.& in Soph.2. Iſai.15.16. Ierem.46. 48.*

poſtea

*Huius mẽtio fit in multis ſcripturæ loc. Brocar. in præfat. Iudic. 11. Iſai 29. Hieron in epi. Paulæ. Iſai. 29. & ibi. Hiero. Amos 2. Ezech 25. Hieron. in Iſai. 15. & in vita Hilarion.*

poſtea Seon rex Amorrhæorum illis iure belli tulit, quo ab Iſraelitis interfecto, filij Gad vrbem hanc poſſederunt, & reſtaurarunt: atque ab hoc loco præclara victoria filios Ammon proſtrauit Iephte. Hanc quidam putant eſſe Ariel, quod Ariel, ſiue ἀγρεὸς, hoc eſt, Martis idôlum tempore Hierony. adhuc ibi coleretur; vnde & Areopolim dictam. Hieron. verò Ariel apud Iſaiam allegoricè Ieruſalem, ſiue tẽplum ſignificare cenſet; in Ezechiele verò altare holocauſti denotare. Huius vrbis muri in infantia Hieronymi nocte terræmotu corruerunt, poſt mortem Iuliani; quando totius orbis littora tranſgreſſa ſunt, & exundarunt maria: nunc Petra dicitur, ait Brocardus, & eſt metropolis Arabiæ ſecundæ. Habuit poſtea ſedem Epiſcopalem, & ſub ſe Epiſcopatus duodecim.

10.

BARASA, ciuitas Galaad munita, & magna, quam vi expugnauit Iudas Machabæus, & cæſis ad vnum puberibus, igne concremauit. 1. Machab. 5. Ioſe. 12. antiq. 12. cui Boſor dicitur, & Bethſura.

11.

BASCAMA, oppidum regionis Galaad, in quo Ionathas occiſus eſt à Triphone. 1. Macha. 13. Ioſe. 13. ant. 9.

12.

BETHARA, quam in expeditione belli occupauit Gedeon. Iud. 7. Hie. in loc. Heb.

13.

BETHNEMRA, ciuitas munita. Num. 32. Ioſ. 13.

14.

BETHONIM, & Bethanim ciuitas. Ioſ. 13.

15.

CASBON, ciuitas Galaad, quam Iudas Machabæus expugnauit. 1. Mach. 5.

16.

DABIR, ciuitas ſuper Iordanem. Ioſ. 13. alij Debir vocant, ciuitatem Amorrhæorum.

17.

DAMNABA, villæ eius nominis duæ tempore Hieronymi in loc. Hebr.

18.

*1. Mach. 5. & ibi Ben.*

DATHEMAN, caſtrum, vt alij, oppidũ, in monte vel regione Galaad, inter Boſor & Maſpha; vbi Iudas Machabæus obſeſſos Iudæos liberauit, & ſparſa latè victoria, etiam Ammonitarum octo millia proſtrauit.

19.

*Nu. 21. 32. Ioſ. 13.*

*Iſai. 15. & ibi Hiero. quemadmodum & in lo. Heb. Ierem. 48.*

DIBON, quæ & Dimon, vrbs magna & munita; quæ cùm prius fuiſſet filiorum Moab, & poſt eam Seon rex Amorrhæorum belli iure tenuiſſet, eo pulſo à filijs Iſrael capta, & tribui Gad attributa eſt. Fontes habet iugiter emanãtes, & propter latices tacitè fluentes, & agros irriguos, Iſaias prophetauit, in vaſtatione Moab iuxta Dibon tot occidendos, vt ipſa etiam flumina ſanguinem interfectorum inundatura ſint. Prophetauit contra hanc & Hieremias. Fuit etiam Dibon nomen excelſi Moabitarum, vbi colebantur idôla, vt Benedictus annotat: tempore Hieronymi villa erat prægrandis iuxta Arnonem.

20.

*2. Reg. 18. & ibi. Hie. Ioſeph. 7. antiq. 10.*

SALTVS Ephraim; campus erat, poſt tergum habens ſiluam. Hîc cum exercitu Dauid patris ſui prælium commiſit Abſolon, in quo cæſa ſunt Iſraelitarum millia viginti, ſuſpenſo, dum fugit, inter cælum & terram Abſolon, atque ita crinibus hærens à Ioab transfixus eſt. Erant autem in ſaltu beſtiæ ferociſſimæ, à quibus, tradentibus Hebræis, & referente Hieronymo, plures quàm gladio in acie perierunt; quod nimirum diuinæ vltionis certiſſimum fuit argumentum.

21.

GADDI, quæ & Gadi, eiſdem conſonantibus & punctis, ciuitas tribus Gad. 2. Reg. 23. 1. Paral. 11. 12. eſt & Gaddi mons, Eccl. 24. pro quo ibi Cades.

22.

HAM, ſiue Hom, lacus, in quo olim habitauerunt Zuzim, vel Zozim, hoc eſt, viri robuſti, horrendique gigãtes, quos Chodorlahomor, alijq; tres Reges Aſſyriorum, cùm contra Sodomitas hac traducerent exercitũ, interfecerunt. Huius loci, vt notat B. Hieronymus in Hebr. textu Geneſ. 14. fit mentio: nã ſeptuaginta interpretes, quos latina vulgata editio ſecuta eſt, Bahem legerũt, he pro heth poſito, pro quo dixerunt ἅμα ἀυτοῖς, hoc eſt, in eis. Hieron. queſt. in Geneſ. Pagnin. Gen. 14. & Benedictus.

23.

*Geneſ. 32. Num. 21 Deut. 2. 3. Ioſue 12. Iudi. 11. & ibi. Bened. 1. Mach. 5. Hieron. in loc. Hebr.*

IABOC, Ieboc, Ioſepho Iobacchus, torrens ortus ex montibus Arabiæ, vrbem Rabba irrigans, regionemq́ue Ammonitarum terminans, profluit in Iordanem. Fluit inter Ammam, hoc eſt, Philadelphiam & Geraſam, in quarto miliario eius, & vltra procedens, Iordani fluuio commiſcetur. Hoc torrente trans miſſo, Iacob luctatus eſt cum Angelo. Videtur & hic torrens eſſe, quem transfretans cum ſuis Iudas, maximo prælio profligauit Timotheum.

24.

*Nu. 21. 32. Ioſ. 13. 21. vbi tamen quidã monent legendum Iaſa.*

*1. Par. 6. 9. 26. 2. Reg. 24. Hieron. in loc. Hebr. Iſai. 16. Iere. 48.*

IAZER, quę & Iezer, vrbs quondam Amorrhæorum, in decimo lapide Philadelphiæ, ad ſolis occaſum trans Iordanem; quæ fuit termi-



terminus tribus Gad, extenditurq́; vſq; Aroer: fuit autem ſeparata Leuitis, & diſtat ab Eſebõ quindecim millibus, è qua magnum flumen erumpens à Iordane ſuſcipitur. Ager ei adiacens ad paſtum animalium erat vberrimus. de hac prophetarunt Ieremias, & Iſaias.

25.

*Hieron. in loc. Hebr. Hieron. in Geneſ. ca. 1.*

FLVMEN Iazer, è rupibus iuxta Iazer erumpens, à Iordane ſuſcipitur. & quoniã mentio maris Iazer fit apud Iſaiam, & Hieremiam, locis ſuprà citatis, poſſumus eo nomine intelligere flumen hoc. Eſt enim hoc idiotiſmi Hebraici, quo omnis aquarum congregatio, ſiue ſalſæ, ſiue dulces illæ ſint, mare nuncupatur, vt alibi notat Beatus Hieronymus.

26.

IECBAA, aliâs Iegbaa, ciuitas munita, reſtaurata à filijs Gad, vltra quam Gedeon proſtrauit reliquias exercitus Sebee & Salmana. Num. 32. Iud. 8.

27.

*Ioſeph. 18. Antiq. 3 et 20. ant. 11. & 2. bel. 8. 12. 2. & 5. bell. 3. 4.*

IVLIAS, oppidum in Peræa regione, prius Betaramphtha, Betharantha, Bethanarea, vel, vt quidam volunt, Betharan dictũ; quod Herodes Tetrarcha ædificijs communiens, nomine mutato Iuliada ab vxore Tiberij Cæſaris appellauit. ager eius habitatur vicis quatuordecim.

28.

LODABAR; Hieronymus videtur diſtinguere inter Lodabar & Ladabar. Hinc enim fuiſſe oriundum Machir, ibi educatum Miphiboſeth, cuius dominus Dauidis exercitui cibaria & neceſſaria donauit. 2. Reg. 9. 17. Ioſepho Labatham dicitur. 7. antiq. 5. Hieron. in loc. Hebraic.

29.

MAGETH, magna & munita ciuitas Galaad. 1. Mach. 5.

30.

*Ioſeph. 7. antiq. 9. Ioſ. 13. 21. 1. Par. 6 2. Reg. 2. 17 19. 3. Reg. 4. Hie. quæſ. Heb. in Geneſ. & 2. Reg. 2.*

MANAIM, Hebraicè Mahanaim, id eſt, caſtra. Hîc Iacob obuios habuit Angelos Dei, vnde & loco nomen impoſuit: vbi poſteà extructa eſt vrbs, eius regionis munitiſſima & pulcherrima, ſeparata Leuitis. eſt autem terminus tribus Gad, in regione Galaaditide. In hac regnauit Isboſeth filius Saul: & cùm fugeret à facie Abſolon hîc manebat Dauid: deſcribitur alibi deſertum Manaim, in quo caſtrametatus fuit exercitus Dauidis. 2. Reg. 17.

31.

*Ioſ. 11. 13. Iud. 11. 1. Mach. 5. Ant. 12. 1. Reg. 22. 1. Mac. 5.*

MASPHA, Maſphe, & Maſphat, inclyta Leuitarum vrbs. In hac vrbe habitauit Iephte, ac ibidem ſex annis Iſraëlẽ iudicauit. Qui cùm vir fortiſſimus, atque ſtrenuus admodum pugnator eſſet, rogatu primatum Galaad principatum ſuſcipere dignatus eſt, & ſe Ammonitis, qui terram Galaad vaſtabant, opponere. Facturus autem in hoſtes expeditionem, temere magis quàm prudenter votum vouit Domino, ſi victoriam largiretur, in holocauſtum ſe oblaturum eſſe ei, quicquid à victoria reuertenti è domo ſua primùm occurreret: congreſſus itaq; cum Ammonitis, victor euaſit, ac viginti eorũ ciuitates obtinuit; cumq́; triumphabundus in Maſpha ad domũ ſuam reuerteretur, cum tympanis & choris læta Patri occurrit filia vnigenita. Qua viſa, mox eum voti pœnituit, & ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Heu me, filia mi, decepiſti me, & ipſa decepta es. Illa verò vbi votum Patris intellexiſſet, in victimam ſe ipſa obtulit æquo animo; hoc ſolùm rogans, vt in montibus Galaad, duobus menſibus, cum æqualibus ſuis daretur ſibi virginitatem ſuam deplorare: obtinuit facilè, quod petebat. quod tempus cùm expiraſſet, reuerſa ad Patrem, oblata eſt in holocauſtum neq; legitimum, neque Deo gratum. Atque inde mos in Iſrael inoleuit, vt filiæ Iſrael quotannis conuenirent, & in montibus Galaad, filiam Iephte quatuor diebus deplangerent. Ad hanc profugus Dauid, venit cum viris quadraginta ad Regem Moab. expugnata fuit poſt à Iuda Machabæo.

32.

MENNITH, vrbs Ammonitarum, vbi Iephte præliatus eſt. Iud. 11. Hierony. in loc. Hebr.

33.

*Geneſ. 25. Iſai 60. 1. Mac. 5. 9. Hie. quæſ. in Gen. & in Iſai. 60. Ioſ. 1. anti. 21. & 12. anti. 12. et 13. ant. 18.*

NABATHA, vrbs condita à Nabaioth primogenito Iſmaëlis; à quo & omnis regio, ab Euphrate ad vſque mare rubrum vſq; hodie Nabathæa & Nabathena, (quæ pars Arabiæ dicitur, frugum inops, plena pecorum) eiuſque populi incolæ Nabathæi, ſiue Nabuthæi, vel Tubianæi Arabes appellantur; quorum gentes ſunt duodecim.

34.

*Ioſeph. 14. ant. 4. 5. 6. & 1. bel. 6. 21. & 6. bell. 12.*

NOBE, olim Canath, ciuitas. 1. Reg. 22 Nume. 32. Iud. 8. quidam ponunt in Manaſſe.

35.

*Ioſeph. 13. antiq. 3. et 17 ant. 10. & 17. ant. 17. & 18. antiq. 14. & 2. bell. 4. & 3. bel. 1 & 5. bell. 2. & alibi. Plin. 5. natu. hiſt. 14. VVil. Tyr. 14. bel. 15. et 17. bel. 1.*

PERAEA, regio & toparchia, ſita trans fluuium, vnde & tranſamnana. longitudo eius eſt à Pella vſque ad Macherunta; latitudo verò à Philadelphia, Arabia, Silbonitide, vſq; ad Iordanem. eius ſanè mollities & ingeniũ fructuoſum: campos habet cùm varijs arboribus conſitos, tum maximè oliuetis, vineis & palmetis excultos: irrigatur autem abundè montanis torrentibus, & fontibus aquæ perẽnis, quoties illi Syrio æſtuante defecerint. Huius regionis Herodes ſenior filium ſuum Herodem, ſimul ac Galileæ tetrarcham, teſtamẽto conſtituit. Apud VVilhelmum Tyrium appellatur ſemper regio trans Iordanem.

36.

PHANVEL, locus contra torrentẽ Iaboc in fini

*Gen.32.et ibi.Hiero. Iud.8. 3.Reg.12.*

in finibus Amorrhęorum. Hîc Iacob, qui poſt Iſrael, tota nocte luctatus eſt cum angelo, viditq́; Deum facie ad faciem, læſo neruo femoris; atq; inde loco nomen indidit. vbi poſtea eiuſdem nominis eſt ædificata ciuitas, quæ cũ Gedeonis exercitui panes negaſſet, Gedeon turrim Phanuel ſubuertit, habitatores occidit; quam poſtea Ieroboam ædificijs reparauit. Oſtendebatur tempore Brocardi locus Phanuel vltra Iordanem ad Orientalem plagam. Inter Phanuel & Socoth, Eſau occurrit Iacob, qui placatus muneribus fratri reconciliatus eſt. Gen.33.

37.

*Hieron.in loc.Hebr. in Ammo. & in Sop. 2. Deut.2. Gen.12. Hieron.in Ezech.21. & 25.& Amos 1. & 2. Bened.in Ierem.49. Iud.11. Neem.24. 2.Mach. 4.5. Iudi.10. Ioſeph.4. anti.4.& 11 anti.5. Deut.3. 2.Reg.11. 12.23. Hieron.in 1.Par.20. Iere.94. Ioſep.20. antiq.1.et 3.bell.2. VVilh. Ty. 14.bell· ſac.12.*

RABBA, quæ & Rabbath, filiorum Ammon, ob magnitudinem ſic appellata, dicta & Ammon, Amman, & vrbs Aquarum, quod Iaboc torrens eam circumfluat; poſtremum Philadelphia. vrbs potens, regia, & metropolis terræ Ammonitarum; in qua olim habitauerunt zomzommim, Hebr. zamzommim, hoc eſt, ſcelere turpitudineq́; infames, qui & Raphaim gigantes, gens antiqua: quos interfecerunt filij Lot Ammonitæ, generati ex Lot & filia eius iuniore, atq; horum habitationem ſibi vendicarunt. erat autẽ vrbs hæc ſedes ipſius Regis Ammonitarum: vnde & regio ipſa Ammonitis ſiue Ammanitis vocata eſt. Vrbem hanc expugnauit Og rex Baſan gigas; in qua monſtratur lectus eius ferreus, longitudinis nouem, latitudinis quatuor cubitorum. Poſtea obſedit hanc Ioab, atq; in eius oppugnatione Vrias, fidiſſimus Dauidis militũ, ſcelere ipſius Regis perijt. expugnauit demum ipſe Dauid, tollenſq́; aureum diadema Melchom idoli Ammonitarũ, precioſis gemmis & lapidibus ornatũ capiti ſuo impoſuit, vrbem deſtruxit, populũ trucidauit, reliquaſque Ammonitarum vrbes omnes, regionem, gentemq́; exſcidit. Poſtremùm à Ptolomæo Philadelpho, rege Aegypti, vrbs & regio ſubiugata eſt, & Philadelphia nuncupata, hactenus nomen retinet. Habuit temporibus Chriſtianorum Metropolitanum Epiſcopum, qui habebat ſub ſe Epiſcopos duodecim.

38.

*Deut. 4. Ioſ.13.20. 21. 1.Paral.6. Ioſeph.14. antiq.5, 3.Reg.4. 22. 2. Par.18. 22. 41.Re.8.9. Hieron.in. loc.Heb.*

RAMOTH Galaad, vrbs Leuitarum ſacerdotalis, atque refugij pro homicidis, quam Ioſephus Arimanum, aliâs Arimnam vocat, hanc reges Syriæ iure belli ceperunt: quam cùm Achab rex Iſrael cum Ioſaphat rege Iuda recipere volens obſediſſet, ictu ſagittæ, vt Propheta Dei Michęas prophetauerat, perijt; Ioſaphat ægrè Dei auxilio elapſus euaſit: atque hic vnctus eſt Iehu in Regem Iſrael. Tempore Hieronymi vicus erat in decimoquinto miliario Philadelphiæ contra Orientem.

39.

ROGELIM, oppidum Bercellai amici Dauid, qui cibaria attulit fugienti Dauidi à facie Abſolon. 2. Reg. 17. 19 Hierony. in loc. Hebr.

40.

ROTH, ciuitas munita, hebraicè eſt Atharoth; & iungitur aliquando ſequenti dictioni Sophan, Ataroth-ſophan. Num.32. & ibi Benedict.

41.

SAPHON, ciuitas ſuper Iordanem, Ioſ.13.

42.

SARON vrbs, in qua filij Gad habitarunt. 1. Par.5.7.

43.

SARTHAN, quæ & Sardacha. Ioſ.3.3. Reg.7.2. Par.4.

44.

*Gen.33.et ibi Hiero. & Liran. Ioſeph.1. antiq.27. Ioſ.13. Hieron.in loc.Hebr. in Scena.*

SOCOTH, Hieron. Sacoth, Græcè Scenæ, hoc eſt, tabernacula. Hîc, cùm rediret ex Meſopotamia Iacob patriarcha fratri ſuo Eſau reconciliatus eſt, defixis hoc loco tentorijs, ideoq́; hoc nomen impoſuit. Vbi poſtea eiuſdem nominis ciuitas cõdita eſt, munitiſſima & optima; cuius ſeptuaginta ſeptem ſeniores Gedeon ſpinis contriuit, occiſis ciuibus, quod panes ſibi negaſſent, cùm Madian & Amalec perſequeretur. ciuitas durauit vſque ad tempora Hieronymi.

45.

SOPHAN, munita ciuitas; in hebræo eſt Ataroth ſophan, vt fortè non niſi Roth ſit. Vide ſupra dictione Roth.

46.

TERRA Thob; ad hanc fugit, hîcque habitauit Iephte. Iud.11.

47.

*3.Reg.17. Ioſeph.8. antiq.13. Hieron.in loc.Hebr.*

THESBA, ſiue Thesbe, ciuitas regionis Galaad, illuſtrata maximè natali Eliæ Prophetæ; vnde & Thesbites vocatur.

48.

HOC loco, Angelo Domini ſtricto gladio in via ſtante, Aſina humana voce loquẽs Balaam ariolum increpauit. Num.22.

49.

VETEZOBRA, aliâs Bethezob, quod interpretatur domus hyſſopi, vicus trans Iordanem, vnde erat Maria Iudæa, quæ in obſidione Hieroſolymitana, vrgente fame, proprium filium occidit, coxit, comedit. Ioſeph. 7. bell.8. Euſeb. 3. hiſt. Eccleſ.6.

TRI-



TRIBVS ZABVLON, ISACHAR, ET, DIMIDIA MANASSE altera, hoc eſt, illæ Terræ Sanctæ regiones, quas iſtæ tribus in diſtribuendo poſſidendas acceperunt.
MARE GALILÆÆ, Cenereth, et Tiberiadis; quod et ſtagnum Geneſareth. 50
PARS DIMIDIÆ TRIBUS MANASSE.
PARS TRIBVS GAD.
TRIBVS ZABVLON.
GALILÆA INFERIOR.
TRIBVS ISACHAR.
DIMIDIA TRIBVS MANASSE.
SAMARIA. 53
PARS TRIBVS ASER.
PHOENICIÆ PARS.
DECAPOLIS
TRIBUS NEPTALIM.
PARS TRIBUS EPHRAIM.
Campus magnus Esdrelon et Mageddo et Planicies Galilææ. 18
Jordanis flu.
Acrabatena Toparchia. 4
Vallis Iezrael 38
Carmelon vallis. 26
Ieptael vallis. 63
Montes Gelboe
Mons Ephraim
Miliaria vnius horæ
1 2 3 4 5


TRIBVS ZABVLON, ISACHAR, ET, DIMIDIA MANASSE altera, hoc eſt, illæ Terræ Sanctæ regiones, quas iſtę tribus in diſtribuendo poſsidendas acceperunt.
PARS DIMIDIÆ TRIBUS MANASSE.
PARS TRIBVS GAD.
MARE GALILÆÆ, Cenereth, et Tiberiadis, quod et ſtagnum Geneſareth. 50
TRIBVS ZABVLON.
TRIBVS ISACHAR.
TRIBVS DIMIDIA MANASSE.
SAMARIA. 53
GALILÆA INFERIOR
DECAPOLIS
PARS TRIBVS ASER.
PARS TRIBVS NEPTALIM
Campus magnus Esdrelon et Mageddo et Planicies Galilææ. 18
Miliaria vnius horæ
1 2 3 4 5
PARS MARIS MAGNI.
Terra Naid 45
Acrabatena Toparchia. 4
Jordanis flu.
Carmelon vallis. 26
Ieptaël vallis. 63
PALÆSTINI.
Ptolemais n. Acon
Cæſarea Paleſtinæ a. Turris Stratonis.
Antipatris o. Capharſalma p. Arſur. 8
Castrum Peregrinorum 37
Carmelum promontorium 21

# I.

## Tribus Iſachar.

### I.

*Geneſ.30. Nu.1..26. Geneſ.49. & ibi. Hie. Ioſ.19.*

ISACHAR nonus Iacob ex Lia filius, ſic progeniem ſuam ampliauit, vt de tribu eius ad montem Sinai numerati & inuēti ſint viri, bello apti quinquaginta quatuor millia quadringenti; quibus omnibus in deſerto mortuis, eorum filij, ſexaginta quatuor millia & trecenti in terra promiſſionis, iuxta prophetiam Iacob, citra Iordanem optimam & pulcerrimam poſſederunt regionem in Galilæa.

2.

ABES aliâs Aemes, quidam corruptè habent Haemes, ciuitas. Ioſ.19. Hibr. in loc. Hebr.

3.

ACHASELVTH, ciuitas in tribu Iſachar. Hieron, in loc. Heor.

4.

AGAD, ſita ad radices montis Hermon. Hieron. in loc Hebr.

5.

ANAARATH, aliâs Naaroth. ciuitas. Ioſ.19. fortè hæc Anerith, Hieron. in loc. Hebr.

6.

ANEM, ciuitas Leuitarum, cum ſuburbanis ſuis. 2. Paral.6.

7.

*Ioſ.12.13. 1.Reg.4.et 29.* APHEC, quæ & Apheca, vrbs; cuius Regē Ioſue occidit. in hac Philiſtęi poſuerunt caſtra, pugnaturi contra Iſraël, poſtea contra Saul: ibidem etiam Syri pugnauerunt contra *3.Reg.20.* Achab regem Iſraël quando dixerũt; Dij mōtium ſunt Dij eorum, pugnemus contra eos in vallibus aut cāpeſtribus, & obtinebimus eos: *4.Reg 13.* vbi & Benadad rex Syriæ victus eſt. Brocardus & Breidenbachius notant: eius ciuitatis ruinas tum adhuc oſtenſas fuiſſe. itin.6. eſt in campo magno, non procul à Gelboë, ad orientem montis Carmeli, quinq; milibus à Tabor, vt notat Benedictus:

8.

APHRAIM ciuitas. Ioſ.19.

9.

ARABA villa. Hieron. de loc. Heb.

10.

ARAD fons, apud quem Gedeon caſtra metatus eſt. Iud.7.

11.

ARBELA, ciuitas valida, iuxta quam in firmiſsimis montibus prerupte erant ſpeluncæ; in quibus habitantes latrones, Herodes rex magno labore expugnauit. Hanc inter, cæteras vrbes muniuit Ioſephus. *Ioſeph.14. antiq.24. 25. et 1. bel. 12. & in vita ſua. Hieron. de loc. Hebr. Strab. l.16*

12.

BELLIFORT, caſtrum pulcrum & forte à Chriſtianis extructum. fuit fratrum hoſpitalis S. Ioannis. Breid. ſitum, vbi Ciſon torrens intrat mare Galilææ. eod. auctore.

13.

BETHPHESES ciuitas. Ioſ.19.

14.

LVCVS iuxta Bethſan; in quo tredecim Iudæorum millia à Scytopolitanis perfidioſè interfecta ſunt. Ioſep.2. bel.19. & in vita ſua, & 7. bell.28.

15.

BETHSEMES ciuitas. Ioſ.19. & ib. Liran. Bene. Iud.1. eſt in pede extremo Carmeli. Auctor Breidenbach.

16.

CAIN mons, fons & caſtrum in pede extremo montis Carmeli. Hic Lamech ſenectute cæcutiens fratricidam Cain ignoranter pro beſtia ſagitta occidit. Gen.4. Broca. iti. 6. & Breidenb. Paſchal. itin.178.

17.

CAIPHAS, à Tyrio Porſina dicitur, & Porphyria vrbs maritima, ad Carmeli montis radices parte aquilonari ſita, extructa à Caipha pontifice, & nominata; qui eius erat Dominus. Habuit Chriſtianorum temporibus Epiſcopen ſuffraganeam. *Vuilh. Ty. 9. bell.14. et 10. bel.6. & 10. & 13. bell.2. & 14. bell. 11. & 12. Brocard. Breidenb. Vitriac. cap.22.*

18.

CAMPVS Magnus, qui & campus Mageddo, & campus Eſdrelon, & planicies Galilęę: ſed illa, vt quidam ait, nomina nunc in obliuionem abierunt, vocaturq; campus Sabę, à quodam caſtello quod Saba nuncupatur. habet in longitudine decem miliaria, in latitudine verò ad mare Galilææ & Iordanem vſq; extēditur. gleba eius optima eſt, fertilis ſupra modum in frumento, vino & oleo; atq; adeò rebus omnibus affluit, vt qui ſuis oculis aliquādo conſpexerũt, affirment ſeſe nihil vnquam perfectius, & in quod natura æquè omnia ſua contuliſſet, aſpexiſſe. In hoc campo Ioſias rex Iuda, à ſagittarijs Nechao regis Aegypti vulneratus, interijt: & in his Siſara, & omnis exercitus eius, Barac vincente, poſtratus eſt. *Iudith 1. 4.7. Brocard. Breiden. 4.Reg.22. 2.Reg.35. 3 Eſdr.1. 1.Mac.12. Zach.12.*

19.

CARMELVS maris, qui hebraicè dicitur Carmel, ſiue Charmel; mons excelſus valdè, & nemoroſus, nobiliſſimis vineis, oleis, arbuſtis, fructiferis arboribus, herbiſq; odoriferis abundās; vt ob ſummam rerum omnium copiam fertilitati & abundantiæ in ſcriptura *Ioſ.19. Hieron. in Iſa.16 & 29 & Iere.2. & 5. Ioſe.2. bell. 9. & 14. antiq.22.*

 compa.

compareretur. Abeſt à Ptolemaide ſtadijs centũ viginti, vt Ioſephus tradit. Incolebatur à colonis multis; eiuſq; paſſim multa fit mentio in Prophetis. *3.Reg.18.* In hoc monte Elias propheta corã rege Achab, & octingẽtis quinquaginta pſeudoprophetis Baal, cùm illi nequicquã cultris ſe dilaniantes, idolo immolarent, ipſe Deum verum igne cælitus demiſſo experimento cõprobauit, ibiq; flexis genibus geſtu admirabili orans, poſt trium & ſemis annorum ſiccitatem, pluuiam à Deo impetrauit. locus igne conſumptus, inquit Ioſephus, hactenus ibi perdurat. In hoc monte in pede montis Oriẽtali, ait auctor itinerarij Ghiſtele, ſpelunca eſt & fons, vbi habitabant Elias & Heliſæus, & filij Prophetarum. poſtea habitauerunt ibi fratres Carmelitæ, vnde & originem & nomen habent. fuit etiam ſaltus in Carmelo, vt colligitur 4. Reg. 19. Iſai. 37. Mich. 7.

*Ioſe.3.bel. 2.& 8. antiq.13. 4.Reg.2.4. Brocard. Breidenb. Salign.10. 10.cap.6.*

20.

HIC ad torrentem maiorem, qui contra Occidẽtem labitur, Propheta Elias 450. Prophetas Baal, quos diuinæ iuſtitiæ zelo accenſus in monte Carmelo comprehenderat, ab Iſraëlitico populo adiutus, omnes occidit, eorumque cadauera in torrentem proiecit. 3. Reg. 18. Bro. in. præf. & iti. 1. & 6. & Breid. ib.

21.

CARMELVM promontorium. vbi S. Helena Eccleſiam conſtruxit. Niceph. 8. hiſt. 30.

22.

CASALOTH ciuitas. Ioſ. 19.

23.

CEDES, ciuitas Leuitarum. 1. Paral. 6.

24.

CESION, aliâs Ceſien, Ciſion, ciuitas Leuitarum. Ioſ. 19. 21.

25.

*Ioſ.19.21. 1.Par.6. Ioſeph 2. bell.26.& in vita.* DABERETH, Dabrath, Ioſepho Dabarita, & Daſbath, inclita refugij vrbs & Leuitarum, ſita in confinio tribus Zabulon & Iſachar, quam Ciſon torrens intermeat.

26.

ENADDA, ſiue Enhadda, ciuitas. Ioſ. 19.

27.

*1.Reg.28. Pſal.82. Hieron.in loc.Hebr* ENDOR ciuitas, ſita in monte Hermonio. in hac Saul Rex conſuluit Pythoniſſam, quæ ſuſcitauit illi Samuelem Prophetam. Huius mentio fit in Pſal. Diſperierunt in Endor, facti ſunt vt ſtercus terræ. Eſt & hodie, ait Hieronymus, grandis vicus Aendor, iuxta montẽ Tabor; eſt & torrens Endor.

28.

*Niceph.8. hiſ.Ecc.30.* HIC Abrahæ à cæde hoſtium reuertenti, & liberato Lot fratris ſui filio occurrit Melchiſedec cum pane & vino: vbi adhuc menſa Melchiſedec oſtenditur. Gen. 14. Brocard. Breid. Fretel. Salign. tom. 2. cap. 8.

29.

ENGANNIM, ciuitas Leuitarum. Ioſ. 19. 21. nunc eſt vicus iuxta Bethel. Hieron. in loc. Hebr.

30.

ESDRELON, ciuitas in campo magno; à qua ipſe cãpus nomen habet. Iudith 1. 4. 7

31.

FONS Iezraël. Niger Geograph. Aſiæ, com. 4. poſtea fuit dictus Tubania. iuxta hunc Saul caſtra poſuit, pugnaturus contra Philiſteos. 1. Reg. 29. & 1. Reg. 31. Meminit eius etiam VVil. Tyr. & Breidenb.

32.

GELBOE mons, ſiue montes; in quibus Saul caſtrametatus eſt contra Philiſtæos, ibique cum Ionatha filio ſuo occiſus eſt: quamobrem imprecatus eſt ijs montibus Dauid, vt nec pluuia, nec imber, nec ros deſcenderet ſuper montes iſtos. Extendunt ſe montes illi ab Occidente à Iezraël vſq; ad Iordanẽ per vndecim leucas. Narrat igitur Breidenbachius, montes illos in multis locis eſſe petroſos, aridos, ſteriles. Sunt, qui volunt ciuitatem eſſe prope montes, quæ diceretur Gelboe; à qua ipſi montes nomen acceperint. Eſt & Gelbus vicus grandis, ſitus in monte Gelboe, vt Hieron. autor eſt. *Brocard. Breidenb. 1.Reg.15. 28.31. 2.Reg.1.21. 1.Par.9.10. Fretel. Vitriac. cap.54. Bened.in indice Biblior. In lo.Heb.*

33.

HIC Saul & armiger eius irruerunt ſuper gladios ſuos. 1. Reg. 31.

34.

HERMON mons maior, ita ad differentiam minoris: ob pinguis roris abundantiam, & ipſam ſoli fœcunditatem, paſcebantur ibi animalia & pecora, quæ Ieroſolymis in templo offerebantur, & immolabãtur Domino. Extẽditur mons ille in lõgitudine quatuor ferè leucis, contra mare Galilææ, vbi Iordanis ex mari Galilææ egreditur. *Pſ.88.132. Brocard. Breidenb. Hieron.in vita Paulæ. Benedict. in ind. Bibliorum.*

35.

HERMONIVM, mons eſt non proprius & diſtinctus ab alio, ſed iugum quoddam humile, ſeu tumor quidam, à mõte Hermon, contra montem Tabor procedens. Pſal. 41. Brocar. itin. 5.

36.

HERMON minor, alius à maiore, in cuius latere aquilonari eſt ciuitas Naim. Brocard. itin. 5. Breiden. ibid.

37.

IARAMOTH, quæ & Iermoth, vrbs ſeparata Leuitis. Ioſ. 21. Hier. in loc. Hebr.

38. Vallis



38.

*Ioſ.17. Oſe.1. Iudic.6.7. 1.Reg.31. 3.Reg.20.* VALLIS Iezraël, lata duobus miliaribus, quæ & planicies Galilææ. In valle hac ſeu planicie intermedia magni & multi habiti ſunt conflictus. Hîc enim pugnauit Gedeon contra Midianitas; & Saul contra Philiſtæos. Item Achab contra Syros; & poſtea Tartari ibi conflixerunt contra Saracenos. Brocard. itin. 6. & Breidenb.

39.

*Brocard. Breidenb.* VIA in Iezrahel. Hæc via tendebat & ducebat à monte Carmelo in Iezraël; per quã iuerunt Achab & Elias. 3. Reg. 18.

40.

MAGDIEL, paruus viculus in quinto miliario Dorę pergentibus Ptolemaidam. Hieron. in loc. Hebr.

41.

ISACHAR ciuitas, 3. Reg. 4. Benedictus in Indice.

42.

MERRVS, aliâs Marrus, vicus in duodecimo miliario vrbis Sebaſte, iuxta Dothaim. Hieron. in loc. Hebr.

43.

MESRA, caſtrum eſt in pede montis Hermon. Brocard. Itin. 6. & Breidenb.

44.

VINEA Naboth, pro qua occiſus & lapidatus eſt à Iezabel, oſtendebatur adhuc tempore Breid. & Brocard. 3. Reg. 21. 4. Reg. 9. ante introitum vrbis Iezrahel. Brocard. itn. 6. & Breidenb.

45.

NAID, ſiue Naida, terra in qua Cain cum ſua vxore habitauit. Hieron. in loc. Heb. Ioſeph. 1. antiq. 4. nominat ciuitatem Naide, quam condiderit Cain. Benedict. in indice Bibliorum.

46.

*Hieron.in Epitaph. Paulæ.& alibi.& in locis Hebr. Brocard. itin.5.& Breidenb. Luc.7.* NAIM, Græcè Nain, decora & pulcra ciuitas, quam torrens Ciſon alluit, ſita eſt in latere Aquilonari montis Hermon minoris; in ſecundo miliario montis Tabor, contra meridiem, non longè ab Endor: ante cuius portam Chriſtus filium viduæ vnicum à morte ſuſcitauit. permanſit ciuitas vſque ad tempora Hieronymi.

47.

*Brocard. in præfa. ter.ſanct. & itin.7. & ibidem Breidenb. VVil.Tyr. 10.bell.ſac. 26.* CASTRVM peregrinorum, quondam inſula in corde maris ſita, dicta Petra inciſa. in qua Chriſtiani milites munitionem poſtea extruxerunt, ijs muris & antemuralibus cinctã, vt inexpugnabilis videretur. Videtur alio loco ponere VVilhelmus, quantum ex eius deſcriptione colligere eſt; conſentit tamen ſententiæ noſtrę ille, qui continuauit hiſtoriam belli ſacri. *.cont.c.3. Vitr.c.42.*

48.

RABBOTH, ciuitas. Ioſ. 19.

49.

RAMETH ciuitas. Ioſ. 19.

50.

RAMOTH, vrbs Leuitarum; habuit & ſuburbana. 1. Paral. 6.

51.

RETHOM in tribu Iſachar. Hierony. in loc. Hebr.

52.

ROOBA vicus Leuitarum, vſque ætatem Hieronymi perdurauit, in quarto lapide Scytopoleos. Hieron. in loc. Hebr.

53.

SABA, aliâs Faba, caſtellum; à quo Campus magnus nunc dicitur cãpus Sabe; non multum diſtat ab Aphec. Brocard. itin. 6. & ibid. Breidenb.

54.

SALVMIAS, vicus in octauo lapide à Scytopoli in campo. Hieron. in loc. Hebr.

55.

SEESIMA, ſiue Seheſima, aliâs Seſeima, ſiue Seſenna. Hieronymo Saſima, ciuitas, terminus Iſachar. Ioſ. 19. Hieronym. in loc. Hebr.

56.

SEON, aliâs Senon, ciuitas, hodieq; oſtenditur villa iuxta montem Tabor. Hieron. in loc. Hebr.

57.

SVNA, quæ & Sunam, & Sunem, eadem dicta, & Sula, ciuitas eſt ad latus auſtrale montis Hermon, diſtant à Bethſam vndecim miliariorum itinere; vnde Sunamitis & Sulamitis. Hîc caſtrametati ſunt Philiſtæi contra Saul, quando Saul venit in Gelboe. Patria fuit hæc Abiſag Sunamitis puellæ ſpecioſiſſimæ, quæ ſenem ac ſeptuagenarium regem Dauid calefecit, dormiens in ſinu eius vxor & virgo. Hinc dicta eſt Sulaminitis Cant. 6. 7. Hanc Eliſæus frequenter tranſibat, iter faciens de Carmelo ad Iordanem, Galgala vel Iericho, vbi & hoſpitabatur apud mulierem Sunamitidẽ, cui à Deo filium impetrauit, quẽ poſtea mortuum ſuſcitauit. 4. Reg. 4. Oſtenditur & vſq; hodie, ait Hieronym. vicus nomine Sulem in quinto miliario Tabor. in loc. Hebr. *Ioſ.19. Brocard. itin.6.& ibi.Breid. 1.Reg.28. 1.Para.10. 3.Reg.1.2.*

58.

TARICHEA, ſiue Taricheæ, Suetonius in Tito Tarrachiam appellat; vrbs munitiſſi- *Ioſeph.14. antiq.13.*

nitiſſima, ſita ſub monte in littore maris Galilææ: diſtat à Tiberiade triginta ſtadiorum itinere, vel itinere vnius noctis, quantum ex Ioſepho colligere eſt. quam Ioſephus hiſtoricus, cùm commiſſa ſibi eſſet vtriuſq; Galilææ adminiſtratio, muro cinxit validiſſimo; cuius ciues implebant numerum quadraginta milium. Hanc primò cepit Caſſius, & tria, vel, vt alij habent, triginta, Iudęorum milia captiuorum abduxit. Erat in hac vrbe circus. vbi congregatis aduerſum ſe inimicis, & mortem minitantibus, cùm tantum non igne perijſſet, mirabili ſtratagemate populi animos ſibi concilauit Ioſephus. Poſt à Veſpaſiano & Romanis, maximo labore expugnata, cùm qui vrbe incolebant, etiam nauali prælio Romanis ſeſe obieciſſent, in lacu Geneſar, perierunt miſerabili morte. qua in vrbe cùm maximā aduenarum copiam cepiſſet, ſenes cum imbellibus occidit, iuuenes partim ad Iſtmon Neroni tranſmiſit, partim vendidit.

*& 1. bel. 6. & 2. bell. 12. 25. 26. 27. et in vita ſua.*

*Ioſeph. 3. bell. 16. 17. 19.*

59.

VIA vallis. Per hanc ſæpe faciebat iter Eliſæus, erat enim planior via eunti in Iericho; vbi cum filijs Prophetarum morabatur ad Iordanem vadens de Carmelo per Sunam in Bethſan, & inde per campeſtria Iordanis aduſq; Galgala. ideo 4. Reg. 4. dicitur, qđ cùm vellet ire ad Iordanem, oportebat eum tranſire per Sunam. Breidenb. itin. 6.

60.

HIC Naaman, princeps militiæ Regis Syriæ, lepra infectus, Eliſæi Prophetæ mandato ſeptem vicibus in Iordane lauit, & mundatus eſt; quæ, quod munus à Naaman acceperat, clam Eliſæo, Giezi & ſemini eius adhæſit in ſempiternum. 4. Reg. 5.

## ADMONITIO in typos tribus Iudæ.

*QVONIAM tribus Iuda multitudine pagorum, ciuitatum, &c. multum omnes alias excelluit, ne infinitis numeris & locis lectoris memoriam & iudiciū obturbaremus, omiſſis villis & pagis, niſi quæ inſignem aliquam ſui denominationem exhibebant, ſolas vrbes & loca inſigniora exprimi fecimus. Et quoniam numeri, quos ſingulis locis præſcripſimus, & Indici ſeruiunt & tabulæ: hic ſi continuū accipimus, Indici ſoli ſeruient; ſi interruptum, (quod quidem & alioqui nihil intererat) etiam tabulæ Neque enim deſcriptionem noſtram tabulæ accommodauimus, ſed ad lumen aliquod rerum narrationi fœnerandum, nobis ſubſeruire voluimus. Hoc volui lector ne neſcius eſſes.*

## I. Tribus Iuda.

I.

IVDAS quartus Iacob ex Lia vxore filius, ita ſemē Abrahę multiplicauit, vt de tribu eius ad mōtē Sinai numerati & inuēti ſint viri ad pugnā apti ſeptuaginta quatuor millia, & ſexcenti; quibus omnibus, excepto Caleb, in deſerto mortuis, ſeptuaginta ſex millia, quingēti, abſq; mulieribus & paruulis, valida manu ingreſſi terrā promiſſionis, in ſortiū diuiſione citra Iordanē primam, optimam atq; ampliſſimam huius terrę ſanctę obtinuerunt poſſeſſionem. Ex hac tribu Dauid, Salomon, ac alij reges Iuda, ipſeque Chriſtus orti ſunt. cumque tribus hæc fortiſſima eſſet, vnde & leoni comparatur, bellicoſiſſimis viris pollens, & crebrò aduerſarios ſuperans, in omnibus tribubus tenuit principatum: & idcirco interdum ciuitates, quæ in alijs tribubus ſitæ ſunt, tribus Iudæ eſſe ſcribūtur; vt Socoth, Cariathiarim, Lachis, Bethſames, Sicelec, Berſabee, &c quin & tribus Dan & ſimeon in medio Iudæ habitaſſe ſcriptura docet, & in eius funiculo nuncupantur. Porrò cùm Dauid numeraret populum, inuenti ſunt de Iuda quingenta millia pugnatorum. Cæterùm, quia poſt Salomonis mortem decem tribus Iſraël defecerunt à Roboam ad Ieroboam Ephratæum, exinde duæ tribus, Iuda ſcilicet & Beniamin, quæ ſemini Dauidis adhæſerunt, nunc domus Dauid, nūc regnum Iuda, Ieruſalem, at Bēiamin in ſcripturis, potiſſimum à Prophetis nuncupantur: ſicuti reliquæ decem tribus, quæ à legitimo rege & religione defecerant, ad cultum vitulorum, regnū Iſraël, domus Iacob, & Ioſeph, Ephraim, regnum ſamariæ, Iezraël, Bethel, Bethauen appellātur. Et in omnibus quidem Prophetis, inquit Hieronymus, duæ tribus, quæ appellantur Iuda, Eccleſiæ Catholicæ perſonam poſſident, quæ ſub ſtirpe Dauid regnabant: decem autem tribus referuntur ad hæreticos, quorum multitudo maxima eſt.

*Geneſ. 29. Num. 34. Ioſ. 15. 1. Paral. 4. Ezec. 47. Num. 1. & 26. Ioſ. 15. 1. Paral. 5. Gen. 49. Deut. 33. Hieron. in loc. Heb. lit. B. 2. Reg. 24. 3. Reg. 12. Hieron. in Oſee. ca. 2.*

2.

AASAR in tribu Iuda: nunc verò vicus grandis oſtenditur eo nomine pergentibus Aſcalonem de Azoto. Hierony. de loc. Hebr.

3.

ACCAIN ciuitas Ioſ. 15.

4.

COLLIS Achillæ; caſtrum natura, ſimul & arte munitiſſimum, ad dexterā deſerti Ziph. in quo aliquoties latitauit Dauid, fugiens à facie Saul: in cuius rupis vertice, viginti ſtadijs alto, primus Ionathas Pontifex caſtellū ædificauit, natura inacceſſum, & appellauit Maſſa-

*1. Reg. 23. 26. Ioſeph. 14. antiq. 20. 22. 23. 24. & alibi.*


TRIBVS IVDA
id eſt, pars illa Terræ Sanctæ, quam in ingreſſu Tribus Iuda conſecuta fuit.
PARS TRIBVS RUBEN.
Miliaria vnius horæ
1 2 3 4 5
Mare mortuum, dictum et mare ſalſum ſiue ſalis atq; ſolitudinis, et lacus Aſphaltidis. 186
PENTAPOLIS. 202
Sodoma. 228
Gomorra. 142
Lingua maris. 178
Vallis Salinarum
Engallim 118
Vallis caſis
Almon
Aduram 12
Bethagla
Aſarenam 33
Jericho
Betharaba
Amona 17
Abenboen
Segor 218
Statua ſalis. 230
Engaddi 116
Montes Engaddi
Speluncа Loth 179
Deſertum Engaddi 117
Torrens. 240
Hortus Balſami
Ieruel Solitudo 162
Moabitæ. 51
Vallis Benedictionis 51
Iudæi
Netophati 198
Debera 94
Herodium. 148
Speluncа deſerti 229
Jethan 165
Aſphar lacus 39
Monaſterium S. Sabbæ 208
Gabaa. 132
Speluncа Saul. 217
Jamuel 151
Baſcath. 50
Aſan. 32
Rabba. 204
Capharbarucha 72
Maſepha 190
Zanoe 244
Magdalgad 182
Jucadam 171
Arcam 3
Bethacara 53
Deſertum Thecuæ. 237
Aſtima. 41
Sepulcrum Carioth 75
Deſertum Bethleem. 60
Thecua 236
Ahoi. 14
Bethleem 58
Ciſterna 59
Bethrachara
Via Hebron 242
Conuallis Mambre. 183
Hebron. 140
Montana Hebron. 146
Speluncа duplex 100
Jerrael 169
Eth. 128
Hethei 128
Ager Damaſcenus. 90
Monumentum Caleb. 70
Speluncа Adam 7
Acheib. 5
Arebba. 30
Gabaatha. 133
Piſcina 147
Neſib. 197
Ceila 78
Sephata 216
Vallis
Jether. 160
Judææ. 174
Montana
Sanan. 215
Ierimoth 160
Echela 103
Eleutheropolis 108
Capharſorech
Gader 136
Jectel 156
Adithaim 11
Saraa
Gederothaim 138
Gideroth. 139
Bera
Cariathiarim
Bethdagon 56
Naama 195
Sochot 226
Vallis Rapha
Beromi
Maſpha
Vallis Terebinthi 235
Philiſtæi
Iſraël
Aſſar 2
Azecha. 47
Dommim 99
Ephron mons. 120
Lebna 176
Maceda 180
Speluncа Maceda 181
Alalon
Nebo
Salem
Arath
Apadno 23
Jeruſalem
Carnea
Barooth
Fons Solis
Tumulus Archelai. 29
Emmaus vel Nicopolis 112
Domus Zachariæ 243
Mareth 189
Ager Boos 67
Bethſura 61
Becec. 65
Ether 129
Gabatha 134
Jepta 159
Chebbon. 86
Adaſa 10
Eglon. 107
Bethanoth 54
Leemas. 177
Ceſil. 80
Sepulcrum Michææ. 192
Moraſthi 193
Chasbi. 85
Odolla 199
Speluncа 201
Petra. 200
Eſna 124
Siua Ciſterna 224
Rama 205
Quercus Mambre
TRI BVS DA RO MA INTE IV DA RI OR. 93
Deſertum Ziph. 248
Cæna. 69
Silua Ziph. 249
Ziph. 246
Deſertum Judææ. 173
Johannes baptiſta. 101
Jota 170
Delean 96
Athach 44
Athmata 45
Abel
Cain
Sior 223
Holon. 150
Carmelus mons 76
Charmel 84
Deſertum Maon 185
Maon 184
Cethlis. 81
Apheca. 24
Sachaca 209
Collis Achillæ
Maſſada. 4
Meddin. 191
Betaphua 63
Jethaba 163
Betharaba 55
Gadda 135
Janum 153
Petra diuiſionis 98
Deſertum Iuda. 172
Eſaan. 123
Arad. 26
Eder. 105
Ruma 207
Jagur. 151
Sin. 222
Cina. 87
Cinæi 88
Dimona 97
Arab. 25
Adada. 6
Cedes 77
Gilo. 140
Aſena 36
Ziph. 247
Terra Goſen.
Goſen 143
Jethman 167
Anim. 21
Aſor. 37
Ceni Regio 79
Saltus Arith. 31
Telem 233
Eſthemo. 126
Baloth. 49
Canoth 74
Etam 127
Aſornoba 38
Amam. 16
Eſron 125
Adar 8
Anab. 18
Enaim 115
Engannim 119
Taphua. 232
Samir 214
Torrens. 127
Sama. 213
Socho. 227
Danna 92
Cariathaa 73
Aſemona 35
Gerara
Dabir
Harma
Etam
Hemmon
Eremmon
Amarkaboh
Daroma exterior. 93
Petra 203
Jectheel 157
Aſcenſus Scorpionis 34
Horræi. 219
EDOM QVÆ ET IDVMÆA.
Seir Montes. 219
Iarlan
PARS TRIBVS BENIAMIN.
PARS TRIBVS DAN.
PARS TRIBVS SIMEONIS.





Maſſadam;quod poſtea Herodes Magnus,ſpacio ſeptem ſtadiorum, muro firmo cinxit, & viginti ſeptem turribus præaltis, regiaq́; cum quatuor turribus excelſis communiuit; atq; in incertum belli euentum, commeatu centum annorum,& omnigenûm armorum apparatu, qui centum milibus armandorum hominum ſufficeret,inſtruxit.Caſtellum hoc ab Antiocho obſeſſum poſtea eſt, Herodis familia aquæ penuria laborante : quod cùm ſicarij quidam per dolum occupaſſent, à Romanis tandem obſeſſi, ſingulari immanitate mutuis vulneribus ſeſe inuicem contrucidarunt.iuxta montem hunc, vt quidam annotant,fons naſcitur. *Breidenb. itin.6.*

5.

ACHZIB, ciuitas. Ioſ.15. & Mich.1. in Hebræo.

6.

ADADA.ciuitas.Ioſ.15.

7.

SPELVNCA Adam. In huius rupis ſpelunca tradunt Adam & Euam multo tempore,centum videlicet annis luxiſſe Abelem filium ſuum interfectum; in qua viſuntur lecti eorum ſaxei, habentes in longitudine triginta pedes: ſed & fons in ſpelunca ſcaturit, de quo bibiſſe creduntur primi parentes noſtri.Brocard.&Breidenbach. itin.6. Salignia. tom.10.cap.5.

8.

ADAR, quæ & Daran, ciuitas, vt alij, villa.Num.34.Ioſ.15.

9.

ADARA, iuxta deſertum in tribu Iuda. Hieron.in loc.Heb.

10.

ADASA,aliâs Adeſa,ciuitas.Ioſ.15.Hie. de lo.Hebr.eſt & vicus iuxta quē Iudas Machabæus occubuit.Ioſeph. 1.bel.1.

11.

ADITHAIM,ciuitas.Ioſ.15.

12.

ADVRAM,ciuitas,quam Roboam muniuit ædificijs.2.Paral.11.

13.

AGLIPH, in tribu Iuda. Hieron. in loc. Hebr.

14.

AHOI,ciuitas,vnde Ahohites.1.Para.11.27.

15.

ALVL, aliâs Halhul,ciuitas. Ioſ.15. vſque ætatem Hieronymi, Alula villula erat. Hieron.in loc.Hebr.

16.

AMAM,quæ & Aman; vnde Amanitis vxor Roboam 3.Reg.14.ciuitas. Ioſ.15.

17.

AMONA, vrbs, iuxta quam Gog ſepelietur,in valle viatorum,ad Orientem maris mortui.Ezech.39.Hieron.ibid.

18.

ANAB,ciuitas in monte ſita.Ioſ.11.15.nunc vſq;vicus eſt in finibus Eleuteropoleos. Hieron.

19.

ANEA, villa grandis, cuius habitatores Hieronymi ætate omnes erant Chriſtiani.in loc.Hebr.

20.

ANEM locus.Hieron.in loc.Hebr.

21.

ANIM ciuitas.Ioſ.15.

22.

AORABI,terminus Iudææ ad Orientem. Hieron.de loc.Hebr.

23.

APADNO,locus eſt iuxta Emaus. Hîc Antichriſtus cum multitudine magna figet tabernaculum ſuum.Dan.11.Hier. ibid.

24.

APHECA,Afeca,ciuitas.Ioſ.15.

25.

ARAB,ciuitas.Ioſ.15.

26.

ARAD, quæ & Arath,Hered,Hadar,Heder, vrbs Chananæorum quondam celebris & regia;contra cuius Regem cùm Iſraëlitæ primùm infœliciter pugnaſſent,poſtmodum ſe voto Deo obligarunt, & interfecto rege,ſubuerſis vrbibus,nomen illius Horma appellarunt, hoc eſt, Anathema.Hoc loco filij Cinei, cognati Moyſi cùm aſcendiſſent de ciuitate palmarum , delegerunt ſibi ſedem ad habitandum. Eſt autem terminus Iudæ, ad Meridiem: vſque ad ætatem Hieronymi oſtēdebatur villa. *Num.21.33. Ioſ.12. Iud.1. 1.Par.1.8. Ezech.7. Hieron.in loc. Hebr.*

27.

ARBELA,terminus Iudæ ortum ſolis aſpiciens. Hieron.in loc. Hebr.

28.

ARBORES pulcherrimæ ſub Engaddi, ad mare mortuum , pulcherrima ferentes in ſpeciem poma & vuas,ſed cū decerpuntur, intus cinere & fauilla plena, in fumū diſſoluuntur, fœtoremq́; exhalant teterrimum. Quo reſpiciebat in Cantico Moyſes:de vinea Sodomorum vinea eorum , & de ſuburbanis *Deut. 32. Sapient.10. Ioſe.5.bel.5 Brocard. itin.6.& Breidenb. Vitr.ca.53.*

Gomor-

Gomorrhæ. Vua eorum vua fellis, & botrus amariſſimus.

29.

TVMVLVS Archelai, regis Iudææ, qui ſemitæ ad cellulam S. Hieronymi, è via publica diuertentis principium eſt. Ibi enim vir ſanctiſſimus habitauit. Hieron. in lo. Heb. dict. Bethlehem.

30.

AREBBA, ciuitas. Ioſ. 15.

31.

ARITH, ſaltus eſt, vbi manſit Dauid cùm fugiſſet à facie Saul Regis. 1. Reg. 22. & eſt villa Arith nomine ad Occidentem Aeliç, ait B. Hieron. in loc. Hebr.

32.

ASAN, ciuitas. Ioſ. 15. vide in Simeon.

33.

ASARENAM, terminus Iudæ ad Septentrionem. Hieron. in loc. Heb.

34.

ASCENSVS Scorpionis, Hebraicè Acrabbim, mons à Scorpionibus dictus, qui abundant in eo loco, vrbe deſuper ædificata, à quo Acrabatenam ciuitatē dictam putat Hieronymus in Abdiæ ca. 1. atq; eam eſſe, quam Arabathenen vocet liber Machabæorum, quam inuaſit Iudas Machabæus. 1. Mac. 5. Ioſeph. 12. antiq. 11. Eſt in limite tribus Iudæ meridionali, atq; adeò totius terræ promiſſæ, proximus mari mortuo, in montibus Seir. Hinc Iudæ terminus aliquantiſper ab Auſtro in Boream flectitur, mox rurſus in Auſtrum declinans, ad Sin deſertū magnū. V Veiſſenb.

35.

ASEMONA, ciuitas. Num. 34. Ioſ. 15. diuidit Aegyptum & ſortem tribus Iudæ. Hieron. in loc. Hebr.

36.

ASENA, ciuitas, Ioſ. 15. fortè in tribu Dan ponenda, vt colligitur ex Hier. in lo. He.

37.

ASOR, ciuitas. Ioſ. 15. erat & Hieronymi ætate villa. Hieron. in. lo. Hebr.

38.

ASORNOBA, aliâs Aſor noua, ad diſtinctionem veteris, ciuitas. Ioſ. 15. Hiero. in loc. Hebr.

39.

ASPHAR, lacus. iuxta hunc conſedit Ionathas cum ſuis, cùm, occiſo præclariſſimo duce Iuda Machabæo, hortante populo ſuſcepiſſet principatum, & fugeret à facie Bacchidis, quem cognouerat inſidiari vitæ ſuæ. 1. Machab. 9.

40.

ASSERNAI, vel Aſernai, terminus Iudæ. Hieron. in lo. Hebr.

41.

ASSIMA, oppidum, quod ędificauerunt hi, qui ad terrā Iuda venerāt de Emath. Hieron. in lo. Heb.

42.

ASTEMEC, vicus. Hieron. in loc. Heb.

43.

ATHER. Hieron. in loc. Hebr.

44.

ATHACH, ciuitas. in huius locis commoratus fuit Dauid cum ſuis in perſecutione Saul; quamobrem ad eos miſit portionem de præda Dauid, cùm reduxiſſet captiuos in Siceleg, latè cæſis & deprædatis hoſtib. 1. Reg. 3. Hieron.. in loc. Hebr.

45.

ATHMATA, ciuitas. Ioſ. 15

46.

AZADADA, confinium Iudæ, reſpiciens ad Aquilonem. Hieron. in loc. Hebr.

47.

AZECHA, quæ & Azeca, vrbs fortiſſima. Hic Deus de cælo lapides pluens, Amorrhęos diuinę iuſtitię vindicta, abſumpſit; atque huc vſque perſecutus eſt quinq; Philiſtinorum Reges Ioſue, quam & cepit, cùm liberaſſet Gabaonitas. Hic Philiſtæi aliquando tontra Iſrael caſtrametati ſunt. reparata poſteà fuit à Roboam rege Iudæ Solomonis filio; tandem à Nabuchodonoſor rege Babylonis debellata, & expugnata.

*Ioſ. 10. 15. 1. Reg. 17. 2. Par. 11. Ierem. 34. 2. Eſdr. 11. Brocard. & Breid. itiner. 7.*

48.

BALAM. Hieron. in loc. Hebr.

49.

BALOTH, ciuitas. Ioſ. 15.

50.

BASCATH, Hieronymo Baſechad, & Baſecat, vrbs antiqua. Ioſ. 15. 4. Reg. 22. Hiero. in loc. Hebr.

51.

VALLIS benedictionis, ſic dicta, quod in ea Iudæis Domino benedicentibus Moabitæ, Ammonitę, & Idumęi in ſemetipſos verſi, ſe mutuo occiderunt: atque hoc loco Ioſaphat rex Iuda pugnauit contra Idumæos, & filios Ammon, & vicit eos.

*2. Par. 20. Breidenb. itin. 6.*

52.

BESARAN: ad quem locum Dauid prædæ partem miſit. Hieron. in lo. Hebr.

53.

BETHACARA, Bethacarem, vrbs in monte poſita. Ierm. 6. 2. Eſdr .3. Hieron. in Ierem. 6.

54. BE-



54.

BETHANOTH, Hieronymo Bethaloth, ciuitas. Ioſ. 15. Hieron. in loc. Hebr.

55.

BETGARABA, ciuitas in deſerto. Ioſ. 15. & eſt nomen ciuitatis in tribu Beniamin. Ioſ. 18.

56.

BETHDAGON, ciuitas. Ioſ. 15. 1. Mach. 10.

57.

BETHENNIM, villa circa Terebinthum. Hieron. in loc. Hebr.

58.

*Geneſ. 35. 48. 1. Par. 2. 4. Ruth. 1. 2. 4. Hieron. in Pſal. 131. in epitaph. Paulæ, & epiſtol. & Euſtoc. & in Amos 1. & 1. Par. 2.*

BETHLEHEM, quod eſt domus panis, propter eum panem, qui ibi de cęlo deſcēdit, quæ & Lehem, ſeu Lahem, & Ephrata, ſic dicta ab vxore Caleb, cui nomen Ephrata, vt quidam annotarunt, à qua & circūiacens regio nomē habet. ſita eſt in monte mediocriter alto, ſitu ipſo arcto & oblongo: ingreſſus eſt ab Occidente in decliui loco. Eſt autem in plaga meridiana, ſex miliarijs ab Hieroſolyma diſtans, quemadmodum teſtatur Seuerus Sulpicius, qui eam orā ipſe inuiſit, & ſex menſibus egit cū ſanctiſſimo viro B. Hieronymo.

Terra ſubiecta, rerum omnium copia multum præſtat, vini potiſſimum, vt comparandum non ſit, quod ex alijs Paleſtinæ locis adfertur. Iter verò, quod Ieroſolyma euntibus Bethlehem eſt, vſq; adeò ſui amęnitate, arboribus, hortis, odoratis herbis tranſeuntes delectat, vt ſi ad tam præclaram naturæ faciem, cęleſtis aliqua & digna Chriſtiano meditatio accedat, non iam in terris eſſe ſibi videantur, ſed in paradyſo Chriſti natiuitatē & incunabula præſentibus oculis contueri. Neq; verò auctor humanæ ſalutis, vllis huius mundi delitijs opus habebat, vt qui cum carne noſtra etiam miſerias humanæ vitæ ipſo ſtatim primordio pauper & inops ſuſcepiſſet; ſed profectò non poterat nō venerari creatorem ſuum creatura, vt quem bos & bruta animantia cognouiſſent, lęta etiam, ridens & geſtiens terra quoquo modo veneraretur. *Paſch. die 233. & 234.* Erat alioqui locus ipſe monumentis multorum illuſtriū virorum celebratus. Fuit enim Abeſſan viro præclariſſimo, & Iudici hæc patria, cuius numeroſa ſoboles audiēti miraculūm videatur: *Iud. 12.* habuit filios triginta, filias totidem, quas omnes cùm nuptum dediſſet, à ſe quaſi abdicatas iuſſit in nomen & familiam maritorū tranſire; filijs verò ſuis cùm parem conditionē quæſiuiſſet, illos apud ſeſe omnes domi ſuæ detinuit: atq; ita non populo tantum Iſraelitico reſponſorum & ſententiarum æquitate, ſed ſuæ etiam familiæ prouidentiſſimè conſuluit vir prudentiſſimus, & tandem mortuus eò loci ſepultus eſt. Fuit Elimelech hinc oriundus, *Ruth. 1* qui vrgente fame cum Noemi vxore ſua in terra Moabitide peregrinatus eſt; qui cùm ibi moriens filios poſt ſe reliquiſſet, quorum alteri coniunx Ruth contigit, quæ marito mortuo ſingulari fide cum ſocru, relicta patria maritalem domum repetijt, vbi cùm conſanguineo ſui mariti Booz nupſiſſet, homini virtutis & auctoritatis maximæ diu nō fuit, cùm *Ruth. 4.* concepit, & peperit, filium, cui nomen Obed, patrem Iſai, ex quo poſteà natus eſt Dauid: atque ita Bethlehem totius regiæ & Dauidicæ ſtirpis ſeminarium fuit, & communis patria: cùm par eſſet, quæ Regem cælorum editura erat, iam ante ſe probare tot heroibus: vt tandem vel hominum iudicio, digna hæc patria cenſeretur, quæ extremo virtutis opere edito, aliquid ſupra heroas & homines omnes ipſum Dei filium mundo exhiberet adorandum. Fuit igitur hîc domus & familia venerandi ſenis Iſai, quem ſanctificatum cum filijs ſuis, quo tempore eò venerat mandato *1. Reg. 16.* Dei Samuel, ad ſacrificium euocauit, & mirante patre & fratribus, Dauidem minimum omnium in Regem vnxit populo Iſraelitico: qui quod ibi natus eſſet & educatus, ciuitas Dauid ſæpè appellatur. cuius videlicet etiam *Hieron. in loc. Hebr. & in Micheam 5.* monumentum fortè cenotaphium ibi oſtenditur, quemadmodū & Ieſſe patris Dauid. Extruxit & reparauit vrbē hanc Roboam, cùm *2. Par. 11.* ſucceſſiſſet in imperio Salomoni patri ſuo. Sed deficiente iam ſynagoga, & poſt alienos Deos abeuntibus, qui populo ſucceſſione vel autoritate præſidebant, cùm reliquis ciuitatibus vaſtitas aut exitium Prophetarum vocibus denunciaretur, de Bethlehem illa fuerūt Michęę. *Mich. 6.* Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda, ex te mihi egreditur, qui ſit dominator in Iſrael; quod à ſcribis Iudęorum & Sacerdotibus vtique perceptum erat, *Sigon. de Rep Hebr. lib. 7 ca. 7. Canus de loc. Theol. lib. 2 c. 14.* cùm turbatus Herodes ſuper quæſitione Magorum congregatis populi ſapiētiſſimis ſollicitè quæreret; vbi Chriſtus naſceretur: at illi dixerunt. in Bethlehem Iuda; *Matth. 2. Ioan 7.* ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael. Factum eſt igitur cùm *Luc. 2.* iubente Cæſare Auguſto deſcriberetur orbis terrarum, eunte omni populo, vt profiteretur quiſque in ciuitate ſua, aſcendit & Ioſeph à Galilæa, de Nazareth in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quę vocatur Bethlehem, eò quod eſſet de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore pręgnante. Factum eſt autem cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies vt pareret. Erat autem, vt *Brocard. itin. 6 Breidenb.* viri doctiſſimi ſcribunt, in extremitate huius vrbis Orientali rupes quædam, non multum à muro diſſita, in qua, pro more terræ illius, locus pro ſtabulo erat. in ſtabulo ipſo exciſum erat præſepe ex ipſa ſcilicet rupe: neque laborandum nobis eſt, quod alij in ſpelunca hæc contigiſſe dicant; videtur enim ad ſimilitudinem veritatis eſſe propenſius, aut rupem hanc exciſam fuiſſe, aut ſaltem non ſupra rupem conſtitutam domum fuiſse, ſed ea parte, qua declinabat & in valle. audiamus iam quid addat Euangeliſta: Et peperit, inquit, filium ſuum primogenitum: vera igitur mater Maria, quæ peperit, & concepit non ex patre *Hiero contra Heluid. & Iouinianum.*

F Ioſepho

Ioſepho,non virgo ex virgine,quod impoſſi-
*Matth.1.* bile eſt,ſed antequam conuenirent, inuenta
eſt in vtero habens de Spiritu ſancto: peperit
filium ſuum filium hominis, totū Chriſtum,
Deum videlicet & hominem, filium primo-
genitum; genitum, natura & ab æterno in ea-
dem cum Patre ſubſtantia, vt nos in adoptio-
nem Patri filios,ſibi fratres aſſumeret.primo-
genitum,non quod vlla ſecunda hîc genitu-
ra cogitanda ſit,quod ſuſpicari ſcelus, dicere
*Num.18.* blaſphemia eſt:definit enim ſermo Dei: om-
ne quod aperit vuluam primogenitum eſt,cō-
petit hoc nomen ei,ante quem nullus eſt,nā
ille primus. rectè igitur & vnigenitus & pri-
mogenitus. Et, inquit, pannis eum inuoluit,
& reclinauit eum in præſepio. quia non erat
ei locus in diuerſorio. O fœlix puerpera, vbi
obſtetrix,vbi gerula,vbi nutrix, vbi dolores,
gemitus,ſuſpiria? nulli hîc lecti, ſtrata, pului-
naria? quò laſſa, feſſum corpus deijcias, quò
virgo,puella, regia, tenera, delicata accubes?
ſed non tu virgo in Adam deliquiſti, non te-
terræ lex aſtringit, ſed paradyſi gloria collu-
ſtrat:eadem es nutrix & obſtetrix, mater &
puerpera:accipis filium ſanctiſſimis manibus
tuis, quem veniſſe saluti tuæ & tuorum om-
nium quos noua in Chriſto mater pepere-
ras,angelo reuelante confidebas; ſciebas quē
ferres in vlnis tuis,quem ab æterno Patris gre-
mio in caſtiſſimum vterum tuum deſcenden-
tem tot menſibus alueras, quem expectatum
Patribus,prædictum Prophetis, Ioanni in v-
tero cognitum,in redemptionem dabas om-
nium animarum: neq; perhorruiſti inuolue-
re pannis non vtiq; quæſitis, vel abuſq; Aegy-
pto aduectis, ſed quos locus humillimus, & i-
pſa pæne natura ſuppeditabat; ſentiebas altiſ-
ſimum hoc Prouidentiæ conſilium, & quæ
non deſinebas eſſe mater, deſieras miſereri
Virgo fortiſſima:neq; enim exiſtimabas tibi
ſolatium in terris eſſe quærendum, ſed cum
Angelis collętandum, qui ſuprà & circum te
concinentes, canticis & laudibus perſona-
bant, & tibi Matri, Filio, Deo Patri gloria
in excelſis decantabant. Ait enim ad paſtores
Angelus. Ecce euāgelizo vobis gaudium ma-
gnum,quod erit omni populo,quia natus eſt
vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Domi-
nus in ciuitate Dauid.& hoc vobis ſignum:In-
uenietis infantem pannis inuolutū & poſitū
in præſepio.Et ſubitò facta eſt cū Angelo mul
titudo militię cęleſtis,laudantium Deū,& di-
centium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra
pax hominibus bonæ voluntatis.Et factū eſt,
vt diſceſſerunt ab eis Angeli in cælum; Paſto-
res loquebantur ad inuicem: Tranſeamus vſ-
que Bethlehem.Et venerunt feſtinantes, & in
uenerunt Mariam & Ioſeph,& infantem po-
ſitum in præſepio. Videntes autē,cognouerūt
de verbo, quod dictum eſt illis de puero hoc.
Et omnes,qui audierant,mirati ſunt, & de his
quæ dicta ſunt à paſtoribus ad ipſos. Maria au-
*Hieron.e-* tē conſeruabat omnia verba hęc, conferens in
*piſtol.ad* corde ſuo,&c. Poſteà eodē loco Chriſtus cir-
*Marcellam.* cumciſus,quē paulò poſt venientes ab Orien-
*Matt.2.* te Magi,cū ſuper Saluatoris natiuitate, trepi-
dante Herode, quæſijſſent Hieroſolymis, du- *Iuuencus*
ce ſtella,cùm ſtetiſſet ſupra, vbi erat puer, ad- *presbyter*
orantes, *citatur ab*

*Aurum,thus, myrrham,regiq́; hominiq́; Deoq́;,* *Hieron.in*

*Dona ferunt.* quod paullo apertiùs in carmine *comment.*
de Epiphania Prudentius: *ſuper Mat.*

*O ſola magnarum vrbium*
*Maior Bethlehem,cui contigit*
*Ducem ſalutis cœlitus*
*Incorporatum gignere,*
*Quem ſtella,quæ ſolis rotam*
*Vincit decore ac lumine,*
*Veniſſe terris nunciat*
*Cum carne terreſtri Deum.*
*Vidêre poſtquam illum Magi,*
*Eoa promunt munera,*
*Stratiq́; votis offerunt*
*Thus,myrrham, & aurum regium.*
*Regem Deumq́; annunciant*
*Theſaurus,& fraurans odor.*
*Thuris Sabæi,ac myrrheus*
*Puluis,ſepulcrum prædocet.*

Atque hæc quidem ita fuerunt. Poſterio-
ribus temporibus, cùm Romanorū Impera-
tor Adrianus Iudæam Romanis legibus ſub-
iugaſſet,quemadmodū & alia loca:quæ Chri-
ſtiani ſingulari cultu proſequebantur, ita &
hoc ſacratiſſimū antrum immani ſcelere cō- *Hieron.e-*
taminauit. Verba Hieronymi ſunt: Ab Adria *piſtol.ad*
ni temporibus vſq;ad imperium Conſtantini, *Paulinū.*
per annos circiter 180.in loco reſurrectionis
ſimulacrū Iouis,in crucis rupe ſtatua ex mar-
more Veneris,à gētibus poſita colebatur,exi-
ſtimantibus perſecutionis autorib. quod tol-
lerent nobis fidē reſurrectionis & crucis,ſi lo-
ca ſancta per idola polluiſſent. Bethlehē nunc
noſtram & auguſtiſſimū orbis locum, de quo
Pſalmiſta canit: Veritas de terra orta eſt,lucus
inumbrabat Thanius, id eſt, Adonidis, & in
ſpecu, vbi quondā Chriſtus paruulus vagijt,
Veneris amaſius plangebatur. Sed non paſſa *Euſeb.in*
ſcandalū hoc pijſſima Conſtantini mater He- *vita Con-*
lena,Deiparæ partū eximijs monimētis exor- *ſtan.lib.3.*
nare, & ſacrum illud antrū varijs cuiuſq; ge- *cap.42.*
neris inſignibus illuſtrare ſtuduit. Imperator *Socrat.1.*
autē paulò poſt regalibus ornamentis eundē *hiſtor.Ec-*
locū honorare, & monimentis ex auro & ar- *cleſ.13.*
gento,varijſq́; aulęis matris ſuę munificētiam *Sozom.2.*
adaugere,cępit.Erat autē Eccleſia conſtructa *hiſt.Eccl.*
ſuper ipſum ſpecū, vnde ſalus mundo emer- *1.cap.*
ſit,& ſuper ipſum pręſepe, in quo Agnus Dei *Niceph.8.*
reclinatus eſt, erectū altare, vt Chriſtus in ſa- *hiſtor.Ec-*
crificio ad placandā eius irā ibi Deo offerre- *cleſ.30.*
tur,vnde ille pro ſalute hominū primū mun- *Hieron.in*
do illuxit.Conſtruxit ibi poſteà Paula mona- *epiſt.cont.*
ſteria quatuor,& diuerſas, pro diuerſis pere- *errores Io*
grinis,iuxta viā poſuit māſiones. Monaſteriū *ann.Epiſc.*
vnum viri incolebant, reliqua tria virgines,e- *Hieroſol.*
rāt hæc monaſteria ad Eccleſiæ, ſuper ipſum
ſpecum cōſtructæ,latus,ad eamq́; die tantùm
Dominico virgines, vnumquodq; agmē pro-
priam matrem ſequēs, accedebant.à viris au-
tem adeò ſeparatæ viuebāt, vt ne ſpadonibus
quidem ad eas liceret accedere,& pre parietū
altitudine nullus furtiuus ad eas aditus eſſet.
Reliqua



*Hieron.de* Reliqua latè Hieronymus in epitaphio Pau-
*loc.Hebr.* læ proſequitur. Neque longè hinc poſita erat
cellula,in quā Hieron.manſit,in diuerticulo,
quò ibatur ad tumulum Archelai Regis. Vi-
debantur quoque tempore Brocardi indicia
quædam monaſterij,in quo lectus & ſepulcrū
*Salig.tom.* D.Hieron.peregrinis oſtenditur. Vbi & Euſe-
*10.cap.3.* bij ſepulcrum oſtendi aiunt, vtriuſque tamen
corpora tranſlata eſſe Romam. Obijt etiam
hîc Paula ex nobiliſſimis Romanorum Cor-
nelijs & Gracchis orta, cùm viginti annis vi-
xiſſet in cœnobijs à ſe inſtitutis: Cui tale Epi-
taphium poſuit Hieronymus:

### TITVLVS SEPVLCRI.

*Scipio quam genuit, Paulæ fudêre parentes,*
*Gracchorum ſoboles, Agamemnonis inclyta proles,*
*Hoc iacet in tumulo, Paulam dixêre priores:*
*Euſtochij genitrix: Romani prima ſenatus.*
*Pauperiem Chriſti & Bethlhemitica rura ſequuta.*

In fronte Speluncæ.

*Aſpicis anguſtum præciſa rupe ſepulcrum?.*
*Hoſpitium Paulæ eſt, cæleſtia regna tenentis.*
*Fratrem,cognatos,Romam,patriamq́; relinquens,*
*Diuitias,ſobolem,Bethlhemiti conditur antro.*
*Hic præſepe tuum Chriſte,atq; hîc myſtica Magi*
*Munera portantes,hominiq́; Deoq́; dedêre.*

Chriſtianorum tempore,cùm Epiſcopum
*VVil.Tyr.* conſtituiſſent Ieroſolymis, Balduinus Godo-
*11.bell.ſac.* fredi frater, primus Epiſcopum in Bethlehē,
*cap.12.&* petito ſuper hoc Roma à Paſchali ſecundo
*12.bell.13.* diplomate, ordinari fecit,atque huic quidem
*& 15.bell.* Eccleſiæ eam quę Aſcalonę eſt,parochiali iu-
*16.& 17.* re ſubiugauit,atque alia multa oppida, villas,
*bell.1.* prædia epiſcopo eius loci,& ſucceſſoribus fir-
miter tenere & poſſidere ꝑpetua auctoritate
conceſſit, cùm antea duntaxat priorē habuiſ-
*VVil.Tyr.* ſet. Videtur autē non ſimplex huius loci fuiſſe
*19.bell.25.* Epiſcopus, quemadmodum ex Tyrio etiam
conſtat. Erat autē archiepiſcopalis ſedes tem-
*Salig.tom.* plum illud magnum, quod primitus ab He-
*10.cap.3.* lena Conſtantini matre conſtructum eſſe ſu-
*Paſcha.* pra diximus, cuius quidem ædificij ea magni-
*itin.233.* ficentia eſt, ſplendor & elegātia, vt quod huic
*& 234.* compares toto terrarum orbe non inuenias.
*Brocard.* Videlicet eſt excelſum cumprimis,& ampliſ-
*itin.6.* ſimum, cuius tota ſuperior cōcameratio, qua-
*Breiden.* tuor ex marmore columnarum ordinibus;
*eod.* quarum non modò multitudo miraculum,
ſed etiam magnitudo admirationem excitat.
Habet enim ordo quilibet quinquaginta co-
lumnas,ſingulari artificio & ſumptu. cùm vel
ipſa materia ſui precio cuiuſuis æſtimationē
vincat. Super ipſas columnas nauis Eccleſiæ
oſtēditur opere vermiculato, quæ omnis ve-
teris teſtamenti exhibet hiſtorias, ab exordio
mundi vſq; ad Chriſti ortum mirando artifi-
cio & colorum varietate diſtincta. Parietes,
tabulis ex alabaſtro precioſiſſimis,ſunt incru-
ſtati,quarum ea opulentia eſt & pulchritudo,
vt ipſe aliquando Saltanus, harum forma &
precio, ſacratiſſimo templo manus ſacrilegas
admouerit,iubēs latomis,vt è parietibus leui-
ter ſubmouerent, & pro palatio ſuo in Baby-
loniam tranſportarent.ſed illi vt acceſſerunt
tabulas amoturi, ex ſolido pariete miræ ma-
gnitudinis ſerpens prodijt, & primā tabulam
momordit,ſtatimq́;crepuit, & in hunc modū
reliquæ morſæ à ſerpente crepuerūt numero
quadraginta. Quo viſo Sultanus timens vltri
cem Dei iram iuſſum reuocauit,& de templo
exijt turbatus & plenus formidine, ſimulq́; ſer
pens diſparuit. Viſuntur etiamnum ſerpentis
ibi veſtigia & fixuræ tabularū. quam hiſtoriā
relatam ait in annales ſcriptorum Saligniac.
adeo vt Turcæ etiam & Saraceni reuerenter
hoc templum frequētent. Pauimētum huius
templi totum ſtratū eſt marmore, ſed & ipſa
concameratio eſt ex marmore; teſtudines, &
colore & pulcritudine admirādæ. In ſuperio-
re templi huius parte verſus Orientem altare
erectum eſt,eo loco,vbi Magi relictis drome-
darijs,cum muneribus Ieſum Dei filium ado-
rauerunt. Ad locum autem dulciſſimæ natiui-
tatis, deſcenditur ab Eccleſia in capellam de-
cem gradibus, locum vel ipſo cælo auguſtiô-
rem æterna memoria omnibus fidelibus ho-
norandū.in quo,medio noctis ſilentio, Virgo
ſacroſancto partu grauida,caſtis viſceribus &
illibato pudore edidit Saluatorem,tenellum
infantulum in cōmune exponens,duûm ani-
malium medio.hic locus tegitur menſa mar-
morea & candida, in qua & ſacrū peragitur
& qui eò veniūt peregrini, oſculo deuotionē
conteſtantur.Cæterùm lapidis illa pars, ſuper
qua Chriſtus dicitur natus, & præſepis pars,in
quā fuit reclinatus,non veſtiuntur marmore,
ſed nudæ patent, vt erāt tempore natiuitatis.
Lapis, in quem reclinauit Maria, & cui flexis
genibus inſedit, ſimilitudinē ſtellæ habet. Eſt
autem tota hæc capella ſumptuoſo opere ex
marmore & auro exornata: Et de præſepio
quidem,ait Hier.in quo Dominus infantulus
vagijt,tacendum potius eſt,quàm infimo ſer-
mone honorandum: dicitur tamen tranſla-
tum poſtea Romam, & in templo Mariæ Ma-
ioris aſſeruari. Neq; longè à templo locus eſt
Circumciſionis,neque procul inde cripta ad-
hæret,locus olim ſtudiorum S. Hieron. ait Sa-
lig. Cripta quoq; viſitatur ad Auſtrum, in qua
multa Innocentium corpora fuerunt conge-
ſta: extruxerat autem & ijſdem templum B.
Helena, vt patet ex Euſebio & Nicephoro.In
exitu templi ad Aquilonem,ambitus eſt clau-
ſtri monachorum, quod Minores ex ordine *Vitriac.*
D. Franciſci inhabitant. Ad Orientem quan- *ca.57.59.*
tum eſt iactus lapidis, monumenta viſuntur *Fretellus.*
Paulæ & Euſtochij In Eccleſia Fratrum eſt ſa- *Paſchalis*
cellum S Catharinæ, quo primū inducuntur *itin.243.*
peregrini. Atque hoc quidem pacto Bethle-
hem nobis deſcripta ſit, olim inclyta, nunc
parua & raro habitatore, vix centum conti-
nens domos humiles. Eſt & altera eiuſdē no-
minis Bethlehem in Galilæa, vt teſtatur Hie-
ronymus in commentar. ſuper Matth.2.cap.
Ad cuius diſtinctionem hæc appellatur Beth-
lehem Iuda.

59.

CISTERNA Bethlehem, fons iuxta por-
tam Bethlehem aquę perennis. Legimus

2. Reg. 23. 1. Para. 11. Brocard. itin. 6. Breidenb. ib. d. Salig. tom. 10. cap. 5.

in libris Regum, quod cùm ſitijſſet has aquas exiſtẽs in præſidio Dauid, obſideret aũt ſtatio Philiſtinorum Bethlehem, tres fortiſſimi militum per media obſiſtentium caſtra ad fontem irruperunt, & hauſtas inde aquas Dauidi attulerunt. at ille noluit bibere, ſed libauit eã Domino, dicens: Propitius ſit mihi Dominus ne faciam hoc. num ſanguinem hominũ iſtorum, qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam?

60.

1 Reg. 17. Hieronym. epiſtol. ad Dardanũ. Virgilius.

DESERTVM Bethlehem. ſolitudo erat vaſtiſſima, in qua leones erãt, vrſi, aliæq; feræ. tempore Hieronymi plena erãt omnia ferocium barbarorum, de quibus dicitur: contra faciem omnium tuorum fratrum habitabis, & quorum facit Poëta eloquentiſſimus mentionem, *lateq; vagantes Barcæi*, ab oppido Barcea, quod in ſolitudine ſitum eſt, quos nunc corrupto ſermone Afri Baricianos vocant.

61.

Ioſ. 15. Ioſeph. 13. antiq. 9. 1. Para. 2. Brocard. itiner. 7. Breidenb. eod. 2. Par. 11. 2. Eſd. 3. 1. Mac. 4. 6. 9. 10. 1. 14. 2 Mach. 11. 13. Hieron. in loc. Hebr.

BETHSVR, Bethſora, Bethſor, vocat & Ioſephus Beſſeron, Hieronymi ætate Bethſoron oppidum, vel, vt alij, præſidium & caſtrum totius Iudææ munitiſſimum, & quoniã erat vndique circumuallatum montibus, ab eo nomen accepit: interpretatur enim Bethſur, domus rupis, petræ aut fortitudinis. Impoſitum erat clauſtris montium ad vallem Raphaim, diſtans vno miliario à Ieruſalem, ſita ſuper via publica, quæ à Ieruſalem ducit Gazam, vt quidam volunt. Firmauit locum hunc ædificijs Roboam rex Iudæ, & iterum Iudas Machabæus; Lyſias oppugnauit; Antiochus Eupator deditione cepit per fraudem; Ionathas Machabæus recepit. Apud hoc caſtellum Reges Syriæ, cùm vim Iudæis intentarent, ſæpè cæſi & profligati ſunt. Ipſe poſtremum Simon Machabæus occupatum contra omnes hoſtium irruptiones fortiſſimè communiuit præſidijs. Erat tempore Hieronymi fons ad radices Bethſur, qui ab eadem, qua gignebatur humo ſorbebatur; in quo fonte quidam putant Eunuchum Candacis reginæ à Philippo baptizatum, atque inde nomen accepiſſe Fons Aetiopis.

62.

BETHSVR villa in tribu Iuda mille paſſibus diſtans ab Eleutheropoli. Hier. in lo. Hebr.

63.

BETAPHVA ciuitas. Ioſ. 15. eſt & vicus trans Raphaim, millibus quatuordecim, euntibus Aegyptum, qui eſt terminus Paleſtinæ. Hieron. in loc. Hebr.

64.

BETHZACARA, ciuitas & præſidium Iudæ Machabæi contra Antiochum; vbi refulſit ſol in clypeos aureos, & reſplenduerunt montes ab eis, & fortitudo gentium diſſipata eſt. 1. Machab. 6. Ioſeph. 12. antiq. 14. & 1. bel. Iudaic. 1. Breden. iti. 6.

65.

Iud. 1. 1. Reg. 11.

BEZEC vrbs regia, in qua regnauit Adonibezec, cui capto filij Iuda detruncarunt ſummitates manuum & pedum, vtiq; iuſtiſſimo iudicio, qui in ſeptuaginta reges eandem ſæuitiam exercuiſſet. Hîc quoq; Saul congregauit & recenſuit exercitum, vrbi Iabes Galaad ſuppetias laturus. Creſcebat hîc vinũ optimum, quo melius tota Palæſtina non inueniebatur. Brocard. itin. 6. Breid. ibid.

66.

Geneſ. 14. Ioſeph. 1. antiq. 17. Brocard. itin. 6.

PVTEI bituminis, qui erant in argo Sodomorum ante ſubuerſionem & iuſtitiã Dei, mox verò Sodomis deletis, lacus ibi, quem à ſcatenti bitumine Aſphaltitem dixêre, repente extitit. Sed, ait Brocard. de quo legimus in Geneſi: Vallis ſylueſtris habebat multos puteos bituminis. hi putei vſque in hodiernum diem cernuntur in littore eius, habentes ſinguli pyramides erectas, id quod meis oculis vidi.

67.

AGER Boos, vbi cùm ſpicas legeret Ruth, quæ pro lege Moſaica relinquebãtur in agris ſublegendæ, tandem à Booz in vxorem ducitur, ad excitandum ſemen cognato Maalon: eo etiam loco dicitur Dauid leonem interfeciſſe & vrſum. Breid. 15. Iulij. Ruth 2.

68.

CABSEEL, Capſeel, quæ & Gabſeel, ciuitas 2. Eſdræ 11. Ioſ. 15. quæ fuit patria Bananię viri fortiſſimi, & magnorum operum, qui poſtmodum rege Solomone Imperator fuit totius excercitus Iſraëlitici. 2. Reg. 23. 1. Para. 11. & alibi.

69.

CAENA, id eſt, noua, locus agri Zipheni, vbi Ionathas Dauidem inuiſit & confortauit. Ioſeph. 6. antiq. 13.

70.

MONVMENTVM Caleb, quod adhuc ætate Hieronymi monſtrabatur. Hieron. in vita Paulæ.

71.

CAMPI Siluæ. Pſal. 131. Hieron. in epitap. Paulæ.

72.

Gen. 18. 19. Hieron. in Epitaph. Paulæ.

CAPHARBARVCHA, id eſt, villa benedictionis, ſita in mõte, quem ad locum vſque Abraham proſecutus & comitatus eſt duos angelos euntes Sodomam, ad ſubuertẽdas vrbes, quæ contra Deum tantopere deliquiſſent. quo loco etiam benedictionem à recedentibus accepiſſe videtur: atq; inde poſtridie mane intuitus eſt fumantes Sodomam & Gomorrham, cùm ſuper eas ira furoris Domini deſcẽdiſſet. Videtur hîc poſtea extructa fuiſſe ciuitas. Aſcendit etiã huc piiſſima Paula, & quoniam latè inde patebat in omnem partem



partem conſpectus, cùm aſpexiſſet ſpelũcam Lot, verſa in lacrymas, virgines ſocias admonebat: Cauendum eſſe vinum, in quo eſt luxuria, cuius opus ſunt Moabitæ & Ammonitæ.

73.

CARIATHAA, Hebraicè Carcaa, ciuitas. Ioſ. 15.

74.

CARIOTH ciuitas. Ios. 15. Ierem. 48.

75.

Breidenb. itin. 6. Fretell. Salig. tom. 10. cap. 4.

SEPVLCRVM S. Carioth Abbatis, cum ſuis monachis, qui omnes eo ad cælos migrante pariter migrauerunt; & fuit quondam magnus concurſus ad eum locum.

76.

Hieron. in Amos. ca. 1. Brocar. & Breiden. itin. 9. 1. Reg. 15. 1. Reg. 25. 2. Par. 26. VVil. Tyr. 20. bell. ſa. 30.

CARMELVS mons, hebraicè Carmel, ſeu Charmel, mons inſignis, fertilis in paſcuis, fructibus & herbis, ferax vini delicatiſſimi. In hoc Saul, victoria potitus de Amalecitis, fornicem erexit triumphalem. Habitabat hîc Nabal, qui repulit nuncios Dauidis, cuius vxor Abigail Dauidem, ob id offenſum, & dirisſima queq; minitantem, muneribus & oratione placauit, quæ ipſa, paullo poſt, mortuo Nabal, nupſit Dauidi: erant in hoc monte vineæ Regis Oſiæ. Eſt autem mons hic alius ab illo, quem in Iſachar deſcripſimus: quod quoniam apertum eſt, hîc relinquimus. Hunc ſibi & exercitui ſuo montem aliquando delegit Amalricus, Balduini frater, Rex & ſucceſſor in regno Ieroſolymitano, propter aquarum commoditatem: erat enim ibi vetus & ingentis magnitudinis piſcina, quæ ad vſum vniuerſi exercitus aquarum miniſtrabat copias.

77.

CEDES ciuitas. Ioſ. 15.

78.

Ioſ. 15. 1. Reg. 23. 1. Para. 3. 2. Eſd. 4. Hieron. in loc. Hebr. lit. C. F. G.

CEILA ciuitas, vbi abſconditus aliquando fuit Dauid: à qua & tota illa prouincia nomen accepit, quam liberauit ab obſidione Philiſtinorum Dauid, ibique ad tempus ſedit; iuxta quam, tempore adhuc Hieronymi, oſtendebatur ſepulcrum Abacuc. & nunc eſt villula Ceila ad orientalem plagam Eleutheropoleos: poſtea dicta eſt Echela. diſtat ab Hebron 8. miliaribus in ſeptimo ab Eleutheropoli.

79.

CENI regio Philiſtinorum, in cuius locis Dauid aliquando commoratus fuerat, ideoque eius vrbibus miſit partem prædæ 1. Reg. 27. 30. Hieron. in loc. Hebr.

80.

CESIL ciuitas. Ioſ. 15.

81.

CETHLIS ciuitas. Ioſ. 1

82.

CHAMOAN, villula iuxta Bethlehem, Hier. in loc. Hebr.

83.

CHAPHTIS in tribu Iuda. Hieronym. in loc. Hebr.

84.

Ioſ. 15. Hieron. in loc. Hebr.

CHARMEL, aliâs Chermel ciuitas, in qua habitabat Nabal. tempore Hieronymi nominabatur Carmelia, vbi & Romanum præſidium erat poſitum.

85.

Iſai. 29. 39. Geneſ. 38.

CHAZBI, aliâs Chezib, ſiue Ghezib, vbi geminos Iudę filios Thamar edidit. oſtẽdebatur autem ætate Hieronymi locus deſertus, iuxta Odollam, in finibus Eleutheropoleos. Hier. in loc. Hebr.

86.

CHEBBON ciuitas. Ioſ. 15.

87.

CINA ciuitas. Ios. 15.

88.

CINAEI à Ceni, qui & Iethro, ſocro Moyſis, duxerunt originem; habitarunt in medio regionis Amalec & Madian, quib. pepercit Saul in excidio Amalec. Ge. 15. Nu. 24. Iud. 1. 1. Reg. 15. 1. Par. 2. Ioſep. 6. ant. 8.

89.

DAHIVA, ſiue Dahiud, in tribu Iuda. Hieron. in loc. Hebr.

90.

Geneſ. 2. Ioſeph. 1. antiq. 2. Brocard. itin. 6. Breid. Salig. tom. 10. cap. 5.

AGER Damaſcenus. hîc aſſerunt Adam à Deo plaſmatum, & hinc tranſlatum in paradiſum terreſtrem, atque inde rurſus eiectum peccato, quo ſe & nos omnes perdidit, huc relatum. Diſtat autem ſpacio quantum arcus iacit ab Ebron: ager vſque adeò fertilis & ſpecioſus, vt aliqui paradiſum terreſtrem intelligi hîc debere. crediderint. Habet terrã rubram & mirè tractabilem, quam Saraceni deferunt in Aegyptum, Indiam, Aethiopiam, carè vendentes. Ferunt autem foueas reuoluto anno adimpleri, haberturq; fama conſtanti terram hanc talis eſſe virtutis, vt eam geſtantibus nulla incommoda noceant, vnde & aliqui abutuntur in varias ſuperſtitiones.

91.

Broc. iti. 6. Breid. eod. Salig. tom. 15. cap. 5. Geneſ. 4.

HIC locus oſtenditur vbi Cain Abel fratrem ſuum occidit, iratus, quod inflammaſſet Dominus ſuper ſacrificio Abel. Videtur autem Hieronymus alibi voluiſſe hoc in campo iuxta Damaſcũ fuiſſe factum; ſed hæc com-

*Hieron. in Threnos, & alibi.*

communior ſententia, cui accedit verſiculus:

Abel loquitur:

*Sacrum pingue dabo, macrum non ſacrificabo:*

Cain:

*Sacrificabo macrum, non dabo pingue ſacrum.*

Sunt etiam autores, Enoch hoc loco tranſlatum à Deo fuiſſe.

92.

DANNA ciuitas, aliâs Edenna. Ioſ. 15.

93.

DAROMA, interior & exterior: vtriuſque mentionem ſępe facit Hieronym. in loc. Hebr.

94.

DEBERA oppidum. Ioſ. 15.

95.

DEDAN, in tribu Iuda. Hierony. in loc. Hebr. vide in Pharan.

96.

DELEAN[illegible]as. Ioſ. 15.

97.

DIMONA ciuitas. Ioſ. 15.

98.

PETRA diuiſionis, petra eſt in deſerto Maon; rupes maxima; in qua Dauid cum ſuis à Saulo & exercitu eius in modum coronæ cinctus, ob ſubitam & inexpectatam Philiſtiorum irruptionem liberatus eſt. 1. Reg. 23.

99.

DOMMIN, quæ & Pheſdommin, & Apheſdommin. 1. Reg. 17. 1. Para. 11. Hiero. in loc. Hebr. lit. A.

100.

*Ge. 23. 49. Ioſ. 14. Salign. to. 10. cap. 5. Ioſeph. 5. bell. Iud. 7. Hieron. in. Loc. Hebr. lit. A. Broc. iti. 6. Breid. eod.*

SPELVNCA duplex. Speluncam hanc cum agro & arboribus emit Abraham à filijs Heth, quadringentis ſiclis argenti. In qua ſepulti ſunt Adam & Eua, Abraham & Sara, Iſaac & Rebecca, Iacob & Lia: Mauſoleum adhuc temporibus Ioſephi & Hieronymi mõſtrabatur, peroptimo marmore fabricatum. Circa ſpeluncam hanc Sarraceni ędificarunt munitionem firmiſſimam, cùm ante fuiſſet Eccleſia Cathedralis, vt autor eſt Breidenbachius.

101.

HIC fertur Ioannes Baptiſta, cùm puer eſſet, manſiſſe in deſerto.

102.

EBEZINTHIA, in tribu Iuda. Hieron. in loc. Hebr.

103.

ECHELA, villa in ſeptimo ab Eleutheropoli miliario, vbi abſconditus fuit Dauid, iuxta quam & ſepulcrum Abacuc oſtenditur. Hieron. in loc. Heb.

104.

EDER ciuitas. Ioſ. 15.

105.

EDER in tribu Iuda, Hieronymus in loc. Hebraic.

106.

*Bened. in Iſai. 34. & Geneſ. 36. Hieron. in Amos 1. Iſai. 21. Ioſeph. 2. antiq. 1. & 3. an. 2. Hieron. in Abd. 1. & Ezech. 25. Ierem. 49. & ibi Liranus. Iſai. 11. 34. 3. Reg. 11. 2. Reg. 8. 4. Reg. 8. 1. Reg. 21. Ioſeph. 3. bell. 2. 5. ant. 3. & 5. bell. 6. 7.*

EDOM hebraicè, quam Græca ſeptuaginta interpretum, & Latina trãſlatio Idumæam vocant, e litera in i mutata. dicitur etiam Aedom, Seir, Duma, Gobolitis, & hebraicè Adomith, & Adoma, quod cùm ſignificet rubens, fuiſſetque proprium nomen Eſau, poſt in regionem ipſius ditionis eſt deriuatum, quod Græci in mollius deflexerunt, Idumæã dicendo.

Regio eſt vndequaq; munita faſtigijs montium, & in ſciſſuris petrarum ſita; nomen, vt iam diximus, accepit ab Eſau, qui cum ſuis poſteris hanc inhabitauit, quapropter nonnunquam & regio Eſau nuncupatur: vnde & vna ex vndecim Iudeę Toparchijs, ordine octaua. Ponit autem duplicem Idumæam Ioſephus, ſuperiorem & inferiorem. Superiorem elegit tribus Iuda, quæ in longum extenditur vſque ad Hieroſolymam; latitudine verò vſque ad paludem Sodomæ (lacum Aſphaltitem dicit) conſtituta eſt. in hac forte ciuitates erant Aſcalon & Gaza, quam aliò nomine appellabant Palæſtinam. Altera verò Idumæa, quam inferiorem diximus, ceſſit Simeonis tribui, & hæc eſt circa Aegyptum & Arabiæ montem.

*Nume. 20. Deut. 2. 3. Broc. it. 6. Breid. eod. 1. Reg. 14. 2. Reg. 8. 4. Reg. 8. Ioſeph. 13. antiq. 16.*

Ab huius regionis Rege cùm Moyſes petijſſet tranſitũ, & pernegaſſet, filij Iſrael iuſſu Dei à conſanguineorũ bello abſtinẽtes, terrã hanc montemq; Seir longo tẽpore circumierunt: ſed illos poſtea Saul expugnauit, & in ſeruitutẽ redegit Dauid, qui ipſi tamen tẽpore Ioram defecerunt, donec ab Hircano victi, etiam Iudaiſmũ ſuſceperunt. Hircanus. n. cùm Idumæorũ vrbes omnes cepiſſet, idola eorum confregiſſet, tandem omnibus edixit. vt circunciderentur, niſi mallent è proprijs ſedibus pelli: at illi amore patrię admiſerunt & circumciſionem, & reliquam iuxta Iudaicos ritus viuendi formulam, atq; ex eo primùm tempore inter Iudæos cenſeri cæpti ſunt. Sunt auctores in ſpecubus eos habitatiunculas habuiſſe, & propter nimios calores ſolis, ſubterraneis tugurijs vſos. Aetate verò Hieronymi regio hæc Gabalena, & Gebalena dicebatur, cuius nominis frequens eſt apud Hieronymum mentio, cùm tamen Gebal Pſa. 82. ſit nomen ciuitatis Syriæ, quæ nunc Gibel dicitur, teſte Volaterrano.

107. EGLON



107.

EGLON ciuitas, cuius regem Dabir. cùm euocaſſet in auxilium contra Ioſue & Iſraelitas Adoniſedec rex Hieruſalem, & profligati eſſent magno prælio, ſtante ad vocem Ioſue ſole; ipſi verò Reges ſe abſcondiſſent in ſpelunca vrbis Maceda, iuſſit eos ibi cuſtodiri, poſtea cæſis omnibus, eduxit quinq; reges & ſuſpendit ſuper quinq; ſtipites, & fuerunt ſuſpenſi vſq; ad veſperum. Ioſ. 10. 12. 15. Eſt autem nunc villa prægrandis in duodecimo lapide Eleutheropoleos. Hier. in lo. Heb.

108.

ELEVTHEROPOLIS, hoc eſt, libera ciuitas, floruit tempore Hieronymi, & ab ea, tanquam à famoſiori multorum locorum diſtantias metitur, vt patet in lib. de lo. Heb. vbi & regionẽ nominat Eleutheropolitanã. nec tamen errore vel imprudẽtia caruit Hieron. qui huius vrbis ſitũ, à qua reliquarum dimenſiones deducit, omiſerit. neque iniuriã arguit Zieglerus, quemadmodum & in Legione.

109.

ELTHEI, in tribu Iuda. Hiero. in lo. Heb.

110.

ELOLATH. in tribu Iuda. Hier. in lo. Heb.

111.

ELVL, in tribu Iuda, forte erit Alul. Hier. in lo. Hebr.

112.

*Ioſeph. 8. bell. Iud. 2. Salig. tom. 10. cap. 6. 1. Mac. 3. 4. 9. Fretell. pag. 20. Vitriac. c. 63. Luc. 24. Mar. 16. Sozo. hiſt. Eccle. 5. c. 20. hiſtor. Tripar. 6. cap. 42. Nicep. 10. hiſt. eccle. 31. VVilh. Ty. 7. bel. ſ. 24. Ioſeph. 17. antiq. 16. & 2. bel. 5.*

EMAVS, quæ & Emmaus Ammaus, & Ammaum, caſtellum, & ciuitas inſignis, vna ex vndecim toparchijs, ordine ſexta. Hanc aliqui collocant in tribu Dan. Apud hanc vrbem Iudas Machabæus fugauit exercitũ Antiochi. Diſtat ab Hieroſolymis itinere ſeſquihoræ, trium verò horarum & dimidiæ, vt Siglerus ait. Fuit patria Cleophæ. Nobilitatus locus hic fuit miraculo Chriſti, quem in caſtello hoc diſcipuli duo cognouerunt, poſt reſurrectionem, in fractione panis. Sed & aliud miraculum, quod, quemadmodũ & alia multa, ait Sozomenus, ſolis indigenis per traditionem fuit cognitũ. Eſt, ait, vrbs Paleſtinæ, quæ iam Nicopolis dicitur; cuius quidẽ vt pagi (ſic enim iam tum fuit) diuinus Euangeliorum liber facit mentionẽ, eamque Emaus appellat. At Romani, capta Hieroſolyma, & parta cõtra Iudæos victoria, Emaus Nicopolim appellarunt. Ante hanc vrbem propter triuium (in quo Chriſtus poſt reſurrectionẽ à mortuis cũ Cleopha incedens, ſimulabat ſe ad alterum pagum properè contendere) eſt fons quidã ſalutaris, in quo non homines modò, qui ægrotant, loti curantur, verùm eriã alia animalia, quę varijs morbis laborãt: Nam ferunt Chriſtum cum diſcipulis quodã tempore è via ad fontem illum diuertiſſe, inq; eo lauiſſe pedes, & ex eo tempore aquã vim morbis medendi habuiſſe. Dicitur à quibuſdam ipſe Chriſtus Cleophæ domũ in Eccleſiã dedicaſſe. Refert in Chronicis Euſebius, anno Chriſti 131. Nicopolim terræ motu concidiſſe: fuerat & iam olim bello Iudaico iuſſu Vari exuſta: pro cuius inſtauratione Iulius Africanus, Eccleſiaſticus ſcriptor temporum, legationem ſuſcepit, anno Chriſti bis centeſimo, vigeſimo & quarto, ſub Imperatore M. Aurelio Antonino, qui Macrino ſucceſſerat. Habuit temporibus Chriſtianorum, cùm occupaſſent terram ſanctam, Epiſcopum, qui erat ſub metropolitano Cæſarienſi.

*Hieron. in epitaph. Paulę, & in catalo. Script. Eccleſ. & in loc. Hebr. Brocard. iti. 6. & 7. Breid. eod. VVil. Tyr. 14. bel. ſac. 12.*

113.

HIC Iudas Machabæus tribus millibus Iudæorum, contriuit Georgiam, & quadraginta ſeptem millia gentium bellatorum Antiochi Epiphanis. 1. Mach. 3. 4.

114.

ENADDA, villa, vſq; hodie oſtenditur in decimo miliario pergentibus Aeleam, vt Hieron. autor eſt, in loc. Hebr.

115.

Enaim, ciuitas. Ioſ. 15.

116.

*Geneſ. 14. & ibi Hie. Ioſu. 15. 2. Par. 20. Ezec. 47. Brocard. itin 6. Breid. eod.*

ENGADDI, quæ & Engadda Ioſepho, prius dicta Aſaſonthamar, id eſt, vrbs palmarum, eò quod floreret palmis & balſamis. Inhabitarunt quondam Amorrhæi hanc vrbẽ, quos interfecit Chodorlahomor, iuxta eremum Cades. Sita eſt in montibus quorũ horrida ſanè & admiranda diſpoſitio eſt, nam cũ altiſſimi ſint; & ipſæ rupes præruptæ promineant, & quaſi ruinam minentur, ita tranſeuntes perturbant, dum ſibi quiſq; timet, ne in ſe & ſubiectas valles concidant. Ager olim egregius, gratiſſimum ſpirans odorem multitudine arbuſtorum, & aliarum odoriferarum herbarum, maximè balſami, quę eò loci vbertim naſcuntur. Sunt autem balſama arbuſculæ, vni omnium terrarum Iudeæ quondam conceſſæ, quas vineas Engaddi Solomon in Canticis nominat; quarum frutices ſi acuto vitro, lapide, oſſeiſue cultellis incidantur, ſtillant ſuccum precioſiſſimum, eximiæ ſuauitatis, quem opobalſamum vocant, præferturq; omnibus odorib. Hunc hortum ſeu vineas balſami, tempore Herodis Magni Cleopatra Aegipti regina, concedente Antonio, vel amatore, vel marito, inuidens tantam felicitatem Herodi, trãſtulit in Aegyptum, vbi irrogatur à fonte paruo, vberrimè tamẽ fluente; in quo fama eſt ſæpe lotum à B. Virgine puerum Ieſum adeoq; ex eo potum ſibi & ſpõſæ ſuę ſanctum Ioſeph parauiſſe, cũ in Aegypto eſſet, atq; ideo ab incolis in veneratione & cultu haberi maximo. Sunt tamen adhuc ſurculi quidam balſamorũ in mõte Engaddi, ſed nullius cultus, nullius prouetus. videlicet hoc eſt iuſtitię Dei iuſtiſſimum iudiciũ, qui ſeſe vlciſcitur de peccatoribus & perſequentibus nomen ſuũ, vt quoniam Herodes olim balſami poſſeſſor puerum Ieſum perſequebatur, Ieſus fugiens in Aegyptum, poſt ſe traxit balſami hortum. Eſt aũt hortus hic in Aegypto ſitus, inter Heliolopolim & Babylonem, habens in longitudine

*Cant. 1. Ioſeph. 1. bell. 13. Brocard. itin. 6. & in deſcrip. Aegypt. Breid. ibid. & die 6. Octob. Salig. tom. 10. ca. 6. Fretellus Vitriac. cap. 85.*

duos

duos iactus arcus, in latitudine vnum, terræ ferè albæ. Nos, cùm ibi eſſemus, ait Salignia- cus, in menſe Septembri, balſami lignum humile erat, palmi ſcilicet & dimidij in altitudine, folia habens parua vt ruta, albiora tamen. Meſſis balſami talis eſt: Decerpitur folium ex ſtipite contra ſolem, moxque gutta lucida & mirè fragrans ſcaturit ex ruptura, & hic balſami precioſiſſimus liquor vitreis vaſis colligitur, minimè fluxurus niſi ad ortum ſolis fiat ruptura. Fonticulus autem Ieſu paruulus eſt, non ſufficiens irrigationi totius horti: quare Saraceni alium foderunt iuxta illum puteum, ex quo quatuor boues aquã protrahunt per rotam, ſperantes ex vicinitate fontis Ieſu aquam fore ſalubrem; at longè aliter res euenit, donec miſſis, canalibus, aquam putei ducerent in fontem Ieſu; quo facto largiter & ſalubriter ex aquis mixtis rigatur balſami hortus. Mirum dictu: veruntamen à meridie Sabbati vſque ad auroram diei Lunæ boues nullo verbere impelli poſſunt, vt in protrahenda aqua laborent; quod eſt fidei noſtræ teſtimonium celebre. Sed & Saraceni hîc ſe & pueros ſuos lauant, non vt baptizentur, ſed vt corporum ſuorum fœtorem naturalem euadãt. Hactenus, ille. Fuit Engaddi vna ex præcipuis Iudææ vrbibus vna, ſcilicet toparchiarum ordine nona; diſtans ab Hieroſolyma ſtadijs trecentis vt Ioſephus autor eſt. Atq; etiamnum oſtenditur, authore Hieronymo, vicus prægrandis Iudæorum Engaddi iuxta mare mortuum.

*Ioſeph. 3. bell. 3. Hieron. in loc. Hebr.*

## 117.

DESERTVM Engaddi, hîc Dauid aliquando latuit, cùm à Saul hoſtili animo ad mortem inquireretur. 1. Reg 24. Brocard. itin. 6. Breid. eod.

## 118.

ENGALLIM, vt quidam, vicus, vt alij volunt, vrbs in principio maris mortui, vbi ſcilicet Iordanis influit in mare. Atq; ex hoc loco tendebant retia ſua piſcatores ad ſiccandum vſque Engaddi. Ezech. 47. & ibi Hieronymus.

## 119.

ENGANNIM ciuitas. Ioſ. 15. nunc vicus eſt iuxta Bethel, Hieron. in loc. Hebr.

## 120.

EPHRON mons; in quo erant vrbes & vici. Ioſ. 15. ciuitas in tribu Iuda, vt Hieron. docet in loc. Hebr. fuit etiam filius Seor eo nomine, Geneſ. 23. à quo ciuitas nomen accepit. 2. Paral. 13. 1. Mach. 5.

## 121.

EREB, in tribu Iuda. Hieronymus in loc. Hebr.

## 122.

ESAAN ciuitas. Ioſ. 15.

## 123.

ESAV, in tribu Iuda. Hierony. in loc. Hebraic.

## 124.

ESNA, vt Hieronymus, Aſna, ciuitas. Ioſ. 15.

## 125.

ESRON, ſiue Eſrom, Heſron, dicitur etiam Aſor, ciuitas iuxta eremum. Ioſ. 15. Benedict. in Aſor in indice. Hieronymus in loc. Hebr.

## 126.

ESTHEMO, quæ & Eſthamo, & Eſthemoa, Iſtemo, Iſtimon, inclyta Sacerdotum vrbs. Ioſ. 15. 31. 1. Reg. 30. 1. Par. 4. 6. nunc autem oſtenditur prægrandis vicus Iudæorum in Daroma, qui locus ad Eleutheropoleos pertinet regionem. Hier. in loc. Hebr.

## 127.

*Iud. 15. 2. Par. 11.*

ETAM, quæ & Aetham, & Ethan, petra firma, munita valde; vbi Samſon aliquando habitauit in ſpelunca, iuxta torrentem: in qua ædificata eſt ciuitas poſtea, quam Roboam rex Iuda communiuit ædificijs.

## 128.

*Gen. 10. 15. 23. 26. 27. Exod. 3. 13. 2. Reg. 11. 23. 4. Reg 7. Hier. in 1. Par. 11. & alibi.*

ETH ſiue Heth, locus in regione Hebronis, quem Ethæi, ſeu Hethæi populi, ab Ethæo ſiue Hetæo filio Chanaan orti, incoluerunt: à quibus Abraham ſpeluncam duplicem emit. Ex hoc etiam loco Vrias, vir Berſabee, fuit oriundus, qui Ethæus ſiue Hethæus teſte Hieronymo vocitatus eſt.

## 129.

ETHER. ciuitas. Ioſ. 15.

## 130.

ETNA, in tribu Iuda. Hieronymus in loc. Hebrai.

## 131.

EVIN, in tribu Iuda. Hieronymus in loc. Hebraic.

## 132.

GABAA, ciuitas. Ioſ. 15. nunc viculus contra Orientalem plagam Daromæ. Hier. in loc. Hebraic.

## 133.

GABAATHA, villa in duodecimo miliario Eleutheropoleos; vbi etiamdum ætate Hieronymi ſepulcrum Abacuc oſtendebatur. Hieron. in loc. Hebr.

## 134.

GABATHA, oppidum iuxta Bethlehem in Iuda: eſt & viculus contra Orientalem



talem plagam Daromæ. Hieronymus in loc. Habrai.

## 135.

GADDA, olim ciuitas, ætate autem Hieronymi villa in extremis finibus Daromæ, contra orientem, imminens mari mortuo. Ioſ. 15. Hieron. in loc. Hebr.

## 136.

*Ioſ. 12. 15. 1. Par. 27.*

GADER, quæ & Gedra; habuit Regem priuſquam terram promiſſam ingrederentur Iſraelitæ, quem interfecit Ioſue, vt autor eſt Hieronymus. Fuit hęc patria Balanan, qui in diebus regis Dauidis prępoſitus erat ſuper oliueta & ficeta, q̃ erant in campeſtribus.

## 137.

GADDERA, in tribu Iuda; nunc appellatur villa ad regionem ciuitatis Aelienſis nomine Gadora circa Terebinthum. Hiero. in loc. Heb.

## 138.

GEDEROTHAIM, aliâs Giderothaim, ciuitas. Ioſ. 15.

## 139.

GIDEROTH, quæ & Gaderoth, vrbs Iuda, vt alij volunt Dã, quam ceperunt Philiſtijm. Ioſ. 15. 1. Paral. 12. 2. Paral. 28.

## 140.

GILO, quæ & Gelo, ciuitas. ex hac ciuitate fuit Achitophel, conſiliarius Dauidis, cuius conſilium, quaſi ſi cui Deus loqueretur; qui cùm à Dauid ad Abſolonem defeciſſet, precabatur ſanctiſſimus Rex: Deus diſſipet cõſilium Achitophel; quod quidem ita euenit: nam cùm ſpreto, quod dederat ipſe, conſilio, aliorum ſententia ſediſſet animo Abſolonis, abijt, & compoſitis rebus ſuis ſuſpendit ſe in Gilo. Ioſ. 15. 2. Reg. 15. 17. 23.

## 141.

GISON, in tribu Iuda. Hieronym. in loc. Hebr.

## 142.

GOMORRHA, vna ex quinque ciuitatibus Sodomorum, quas Dominus in baculo virtutis & iuſtitiæ ſuæ perſecutus eſt, & extinxit. Gen. 19.

## 143.

GOSEN, Hieronymo Goſon; à qua & circumiacens plaga terra Goſen appellatur: expugnauit & hanc Ioſue. Ioſ. 10. 11. 15. Hieron. in loc. Hebr.

## 144.

*Breidenb. iti. 6. Paſc. die. 234. Geneſ. 35.*

TVRRIS gregis, hebraicè Ader, ſiue Eder, campus eſt vberrimus, paſcuis & grãdibus oliuis refertus; diſtat paſſibus ferè mille à Bethlehem, vbi Iacob patriarcha fixit tabernaculum, & pauit greges ſuos: ibique eo habitante Ruben Patris thorum violauit. Atque hoc ipſo in loco, paſtores vt prædixerat propheta Michæas, nocte vigilantes ſuper gregẽ ſuum, viderunt & audierunt Angelos canentes: Gloria in excelſis Deo; vbi poſtea templũ erectum eſt SS. Angelorum à B. Helena. Atq; adeo ſacellum hîc erectum eſt in tãtę rei memoriam medio in agro.

*Hieron. in loc. Hebr. et epiſt. ad Euſtoch. Mich. 4. Luc. 2. Niceph. 8. hiſ. Ec. 30. Salig. tom. 10. cap. 2.*

## 145.

*Gen. 23. 35. 1. Paral. 3. 2. Mach. 5. Ioſ. 14. 15. Hieron. in epitaph. Paulæ, et in quæſt. heb. in Gene. & in loc Heb. Ioſeph. 5. bell. 7. VVil. Tyr. 10. bel. ſa. 8. Num. 13. Ioſ. 20. 21. Ioſeph. 5. antiq. 5. 2. Reg. 2. 3. 2 Reg 15. et ibi. Hie. VVil. Tyr. 20. bell. ſacr. 3. Niceph 8. hiſton. Eccleſ. 30. Brocard. itin. 6. Breidenb. eod. Fretellus. Vitriac. cap. 57.*

HEBRON, ſiue Chebrõ, prius dicebatur Arbee, (corruptè autem in Græcis codicibus ſcribitur Arboc) & Mambre, & Cariatharbe, hoc eſt, ciuitas quatuor virorum, eò ꝙ quatuor Patriarchæ Adam, Abraham, Iſaac, & Iacob ibi habitauerunt, & ſepulti ſũt; licet quidam ſuſpicentur Adam conditum eſſe in monte Caluariæ: dicitur aliquando etiam conuallis Mambre, vt Benedictus annotauit. vrbs fuit antiquiſſima vrbium terræ Chanaan; ſeptem enim annis ante Tanim Aegypti vrbem condita eſt, ſita in monte Hebron. Regia olim & metropolis Philiſtinorum, & habitaculum erat Enachim, hoc eſt, gigantum; quibus à Caleb expugnatis & deletis, vrbs pro tutiſſimo aſylo aſſignata eſt fugitiuis, & data Leuitis cum ſuburbano duorum millium cubitorum; reliquum eius vrbis, agri, villę, dono datum eſt ipſi victori Caleb. Erant autem gigantes illi ſtatura & ſpecie cęteris mortalibus diſpares, viſu ſimul & auditu horribiles, quorum adhuc oſtenduntur ſimulacra vel reliquiæ ibi, ait Ioſephus, qualia vix credant, qui non viderunt ipſi. Poſtea ab vno filiorum Caleb ſortita eſt vocabulum, factaq; eſt vrbs primaria trib. Iudæ, & poſtea ſedes regni Dauid, qui regnauit in ea annis ſeptem. Quin & Abſolon in Hebron votum ſe vouiſſe mentiendo dixit, id eſt, orationem facturum in loco, quo requieſcunt Abraham, Iſaac, & Iacob: facta autem hîc cum Achitophel & multis alijs coniuratione, regnum Patris inuaſit. Cùm à Chriſtianis poſſideretur, erat inſignita Epiſcopali ſede, cùm Latini terram Sanctam occupauiſſent; nam Grecorũ tempore duntaxat prioratus fuit. Quam prærogatiuam meruit intuitu ſeruorum Dei, Abraham, Iſaac & Iacob: habuerat & iam antea templum ornatiſſimum, ab Helena, Conſtantini filij inſtinctu, cõſtructum. Hodie autem præter magnas & admirabiles ruinas nihil ibi cernitur, ſed ſpacio quantum ter iacit arcus, Auſtrum verſus, declinando tamen paululum verſus Orientem, eſt Hebron noua extructa, in loco videlicet ſpeluncæ duplicis; quæ cùm olim habuiſſet Eccleſiam cathedralem, vt diximus, nunc in ſpurciſſimos Turcarum ritus redacta eſt. Huius Epiſcopatus titulũ vſurpat ſibi nunc ſuffraganeus Epiſcopi Traiectenſis.

## 146.

MONTANA Hebron. Ioſ. 11

## 147.

PISCINA Hebron. 2. Reg. 4.



148. HERO.

148.

HERODIVM, caſtrum in primis memorabile, natura ſimul & arte munitum; quod Herodes Magnus, poſtquam regno potitus eſt, in eo loco, vbi olim Iudæos vicerat magnificè rotundis turribus exædificauit. Diſtat ab Hieroſolymis ſexaginta ſtadijs; locus ipſe ita ſe habet: Collis eſt leniter accliuis, attollens ſe in manufactam altitudinem, habẽs mammæ ſpecie circumferentiam: eſtque diſtinctus teretibus turribus, aſcenſu perarduo per ducentos gradus marmoreos aſcendebatur. Intus autem diuerſoria regia magnis impenſis ſtructa, tam ad firmitatem, quàm ab pulcritudinem, & in pede collis habitationes ſpectatu digniſſimæ; tum propter alia, tum propter aquæductus egregios, magno ſumptu è longinquo perductos. Circumiacens planicies ædificijs referta eſt ad iuſtæ vrbis magnitudinem, cui collis ille vice arcis imminet; atq; ita inſtructum de ſuo nomine vocauit Herodium: fuitque ex vndecim Toparchijs Iudeæ, ordine decimus. In Ieroſolymorum expugnatione occupabatur à latronibus, quod tandẽ Lucilius Baſſus deditione cepit.

*Ioſeph. 14. antiq. 22. & 15. ant. 12 & 17. ant. 2. 11. et 3. bell. 2. & alibi. Brocar. et Breidenb. itin. 6.*

*Ioſeph. 3. bel. 2. & 5. bel. 8. & 7. bell. 25.*

149.

HEROMITH, villa in Daroma. Hiero. in loc. Hebr.

150.

HOLON, quæ & Helon, vrbs Leuitarum de tribu Iuda, vel Simeonis Leuitis data. Ioſ. 15. 21. 1. Paral. 6.

151.

IAGVR ciuitas. Ioſ. 15. Hieronymus in loc. Hebraic.

152.

IAMVEL in tribu Iuda: erat vſque ætatem Hieronymi oppidum Paleſtinæ, Hieron. in loc. Hebr.

153.

IANVM ciuitas. Ioſ. 15. Hieronymus in loc. Hebraic.

154.

IARDAN, vicus adiacens Arabum finibus; vbi meridiana Iudææ pars terminatur. Ioſeph. 3. bel. 2.

155.

IECDAAN in tribu Iuda. Hieron. in loc. Hebraic.

156.

IECTEL, ciuitas in tribu. Iuda. Ioſ. 15. quidam Simeonis eſſe dicũt ex Ioſ. 21. Euſebio Petra, Syris verò ReKem dicitur.

157.

IECTHEEL petra, ex qua Amaſias præcipitauit decem millia Idumæorum. 4. Reg 14. eſt & Iethoel nomen petræ in Regnorum libris, vt ait Hieronymus, & interpretatur acredinem dentium. Liranus. Vide infra 203. & 211.

*2. Par. 25.*

158.

IEDNA in ſexto ab Eleutheropoli lapide pergentibus Chebron. Hieronym. in loc. Hebr.

159.

IEPTA ciuitas. Ioſ. 15.

160.

IERIMOTH, quæ & Ierimuth, Hieronymo Iarimoth, apud Hebræos Iarmuth, vrbs potens: cuius Rex, cum alijs quatuor regibus pugnans contra Ioſue, captus & occiſus eſt, ipſam autem ciuitatem ſubuertit Ioſue. diſtat ac Eleutheropoli quarto lapide. Hieronym. in loc. Hebr.

*Ioſ. 10. 12. 15. 2. Eſd. 11. Hieron. in loc. Hebr.*

161.

IERMVS in tribu Iuda. erat autem vſque tempora Hieronymi villa Iermucha in decimo ab Eleutheropoli miliario aſcendentibus AEliam. Hieron. in loc. Hebr.

162.

IERVEL ſolitudo. 2. Paral. 20.

163.

IETHABA, vrbs antiqua Iudææ. Hieron. in loc. Hebr.

164.

IETHAEL in tribu Iuda. Hieron. in loc. Hebraic.

165.

IETHAN, Ieta, hoc eſt, declinans vel extendens, ciuitas ſacerdotalis, hodieq; vicus eſt prægrandis in decimo octauo ab Eleutheropoli ad Auſtralem partem in Daroma, & notant viri doctiſſimi eandem hanc eſſe videri, quæ infra Iota appellatur, licet plerique diuerſum ſentiant.

*Ioſ. 21.*

*Hieron. in loc. Hebr.*

166.

IETHER, quæ & Iecter, excellens Leuitarum ciuitas, ad quam Dauid miſit munera: inde Iethræus & Iethrites. tempore Hieronymi dicebatur Iethira, villa prægrandis in interiore Daroma, iuxta Malathan, in viceſimo miliario Eleutheropoleos, habitatoreſque eius omnes tum Chriſtiani erant. Hieronym. in loc. Hebr.

*Ioſ. 15. 21. 1. Paral. 6. 3. Reg. 30. & 2. Reg. 23.*

167.

IETHNAN ciuitas. Ioſ. 15.

168.

IETTAN, in tribu Iuda. Hierony. in loc. Hebraic.





169.

IEZRAEL, alia ab illa, de qua alibi diximus, quę & Iezraëli, ciuitas; nomen accepit à Iezraël filio Ephratæ, aut Etham; in qua habitabat Naboth, vt Hieronymus vult. Ex hac fuit Achinoam vxor Dauidis, mater Amnon, qui primogenitus erat Dauidis, occiſus poſtea ab Abſoſon, quod ſtuprum intuliſſet ſorori ſuæ Thamar. fuit etiam hæc patria fortiſſimi viri Amaſa, principis militiæ Abſolon.

*Ioſ. 15. 17. 19. Iud. 6. 1. Reg. 25. 27. 30. 2. Reg. 2. 3. 17. 3. Reg. 21. Hieron. in 1. Par. 3. et. in quæſt.*

170.

IOTA, aliâs Locne, hebraicè Iutah, hoc eſt, declinans, vel extendens, ciuitas. Ioſ. 15. data Leuitis, ſi vera eſt quorundam ſententia, de qua in Iethan diximus.

171.

IVCADAM ciuitas. Ioſ. 15.

172.

DESERTVM Iuda. Iud. 1.

173.

DESERTVM Iudææ Pſal. 62. 1. Reg. 22. Vbi Ioannes Baptiſta prædicauit pœnitentiam. Matt. 3.

174.

MONTANA Iudææ; incipiunt conſurgere iuxta Emaus, & terminantur vnius diei itinere ab Hebron. Sunt in ijs vrbes.

*2. Par. 28. Luc. 1. Ioſeph. 12. antiq. 1. & 1. bell. 1. VVil. Tyr. 14. bel. ſ. 12. Hieron. in Danielem. Breidenb.*

175.

LABOTH, in tribu Iuda. Hieronym. in loc. Hebr.

176.

LEBNA, quæ & Lobna, & Labana, vrbs Leuitarum fortis & munita, non longè à Lachis diſſita. Habuerat priſcis temporibus Regem, quo interfecto, Ioſue etiam ipſam expugnauit. Poſtquam ad Monarchiam deueniſſet ſtatus Iudæorum, propter impietatem Regis Ioram filij Ioſephat, defecit ab eo Lebna, tandem obſeſſa fuit à Sennacherib rege Aſſyriorum. Nunc villa eſt in regione Eleutheropolitana, quæ appellatur Lobna. de qua ſcribit Iſaias, vt autor Hieronymus. Quidam hāc ponunt in tribu Dan.

*Ioſ. 10. 12. 15. 21. 4. Reg. 8. 18. 19. 23. 24. 1. Par. 6. 2 Par. 21. Iſai. 37. 30. Ierem. 52.*

177.

LEEMAS ciuitas. Ioſ. 15. 1. Paral. 20.

178.

LINGVA maris mortui. Hîc Iordanis egreditur mare mortuum, ſed paullo poſt ſubterraneis & ſecretis quibuſdam meatibus, terra abſorbetur, atque inde in marium aliquod euoluitur. hæc ita ſe accepiſſe à Saracenis refert, Brocardus, atque alij eadem teſtātur.

*Ioſ. 15. 18. Brocard. itin. 6. Breidenb. eod.*

179.

SPELVNCA Lot; in qua inebriatus ille cum duabus filiabus ſuis concubuit: quarum ſenior peperit Moab, patrem Moabitarũ; iunior autem Ammon, patrẽ Ammonitarum. Apparet ſpeluncam adhuc oſtendi ſolitam ætate Hieronymi

*Gen. 19. Hieron. in epitaph. Paulæ, & alibi.*

180.

MACEDA ciuitas, quam cepit Ioſue, cùm liberaſſet Madianitas, eiuſque Regem & habitatores omnes interfecit. eſt in octauo miliario Eleutheropoleos, contra ſolis ortum.

*Ioſ. 15. 12. 15. Brocard. itin. 7. Breid. eod. Hieron in loc. Hebr.*

181.

SPELVNCA Maceda. In hac ſe abſconderunt quinq; Reges Amorrheorum, cùm cæſo ab Ioſue exercitu, etiam ipſi fugam capeſſiſſent. Sed deprehenſi, clauſo ad momentum ſpelunca lapide, ne quiſquam fugientium euaderet, tandem eductos inde, ſuſpendit ab arbore, ex ſingulis ſtipitibus ſingulos.

*Ioſ. 10. Brocard. itin. 6. Breidenb. eod.*

182.

MAGDALGAD, hoc eſt, turris fælicitatis, ciuitas. Ioſ. 15.

183.

CONVALLIS Mambre, quæ & vallis Hebrõ, fertilis & amœna valdè; in qua habitabat Abraham in tabernaculo; vbi & tres angelos hoſpitio ſuſcepit, pedes eorum lauit, & ſub ilice ſiue quercu Mambre miniſtrauit ad menſam; vidit autem tres, & vnum adorauit, quod nimirum ſummæ & tremendæ Trinitatis admirabile myſterium eſt: vidit, ait Hieronymus, diem Chriſti, & lætatus eſt. Arbor autem ipſa, quam & Terebinthum vocat Hieronymus, durauit vſq; ad Imperiũ Conſtantij iunioris, & ætatem Hieronymi: monſtrabatur autem peruetus, & annos magnitudine indicans. Cumq; à Chriſtianis tunc ibidẽ Eccleſia eſſet ędificata, à cunctis in circumitu gẽtibus Terebinthus illa, velut inſigni quodam numine conſeruata, ſuperſtitioſè colebatur, eò quod Abraham ſub ea quondam Angelos accepiſſet hoſpitio. Enimuerò B. Helena, Conſtantini filij inſtinctu, ad arborem Mambre, quæ nunc Terebinthus dicitur, quindecim ſtadijs meridiem verſus vicinam habens Hebron; à Ieroſolymis autem abeſt ducenta circiter & quinquaginta ſtadia; vbi vera certaq; fama eſt, vnà cum Angelis contra Sodomam euntibus, & Filium Dei hoſpitio acceptum eſſe ab Abraham, ab eoq; Iſaaci procreationem annunciatam; maximum ornatiſſimumque templum erexit: intellexerat enim Conſtantinus veteres Græcæ ſuperſtitionis aras ſub ea conſtruxiſſe, Græcis ſacrificijs iſthic operatos eſſe, vinum libaſſe, thura adoleuiſſe, bouem, hircum & gallum ſacrificaſſe, lucernas oleo infuſo appoſuiſſe, placentas obtuliſſe; quoſdam etiam nummos & varij generis vnguenta in vicinum puteum conieciſſe, ita vt rerum coniectarum ingenti copia aqua inutilis ſit reddita. quod ſanè Conſtantini vxoris mater

*Gen. 13. 18. 24. 25. 35. 37. 49. 50. Broc. it. 6. Breidenb. eod. Salig. tom. 10. cap. 5. Vitriac. cap. 85. Hieron. in epi. Paulæ, & quæſt. hebr. & in loc. Hebr.*

*Nicep. 8. hiſtor. Eccleſ. 30.*

cùm fortè iſtuc tranſiret, viſum, genero ipſi renunciauit: Animaduerterat enim æſtiuo tempore, loci incolas, longinquiores etiam Palæſtinos, Phœnices, & Arabes annuas ferias in ea regione peragere. Et conuentus celebritasque ea grata fuerat omnibus: Iudæis quidē, quod Patriarcham, generisq; ſui principem iactarent Abrahamum; Græcis verò propter Angelorum in eum locum aduentū; Chriſtianis porrò, quod à Deo dilecto illi id prædictum fuerat, quod multis poſtea ſæculis de Virgine futurum fuerat. Quare Conſtantinus cognita, Epiſcopis Palæſtinis vitio vertebat, imprimisq; Euſebiū Pamphili perſtringebat, quod ſic tam ſanctum locum deſpexiſſent. Itaq; Epiſcopis Phœniciæ mandauit, vt ex ipſis fundamentis aræ euerterētur, ſimulacra igne comburerentur, ac templum ibi tantę antiquitatis nomini conueniens exſtrueretur, in quo diuinum numen Eccleſiæ recepto ritu coleretur, locusq; de cętero à cōtaminatione omni liber eſſet. Quod ſi quis deinceps eiuſmodi quicquā facere deprehenſus eſſet, eum graui multatum iri pęna conſtituit. Atq; imperata hęc ad rem collata, legitimum conſecuta ſunt exitum. Adſcripſimus totum hūc locū ex Nicephoro; nimis enim delicati ſunt, qui his legēdis oleum & operam abſumi clamant. Intelligimus illud Hieronymi, quod ſupra poſueramus: Vidit diem Chriſti Abrahā. quod ſcrupulum illi moueat, cui ignotum ſit Gręcos τὸ vnum, quem dicitur adoraſſe, intellexiſſe Chriſtum, qui tum Abrahæ apparuerit; Angelos verò illos fuiſſe, qui poſtea Sodomam ſubuerterint, ideoq; horum ſentētiam, vt ferè, facit, ſequitur Hieronymus; cū Latini plerique, per tres, tres Perſonas: per vnum, vnum Deum intelligant. Oſtēditur adhuc hodie, ait Saligniacus, ilex illa, ante oſtium tabernaculi Abrahæ: nam licet antiqua ilex aruerit, tamen ex eius radice alia pullulauit, cuius folia paullo maiora ſunt folijs lētiſci, fructus vt quercuum.

184.

*Ioſ.15. Hieron. in loc. Hebr.*

MAON, ciuitas in campeſtribus, ſita eſt ad dexteram Ieſimon, conta ſolis ortum Daromę. Notant autem Benedictus & Xantes Pagninus Theologi Iud. 10. Maō eſſe vbi nos legimus Chanaan.

185.

*1.Reg.23. 24.25. Brocard. itin.6. Breid. eod.*

DESERTVM Maon, nemoroſum & plenum faucibus & cauernis: in quo erant campeſtria & petra diuiſionis: eſt confine deſerto Carmeli, & deſerto Pharan. Hūc locum Dauid diu incoluit, atq; hîc tanquam in abdito deliteſcebat.

186.

*Num.34. Ioſ.3. Zach.14. Ezech.47. & ibi Hie. 4.Eſd.5. Hieron. in Ioel, Zach. & alibi.*

MARE mortuum, dictū & mare ſalſum, ſalis, & ſalinarum; Araba, quòd Latinè ſolitudinis ſeu deſerti; item mare primum, Orientale, Sodomiticū, & lacus Aſphaltitis, hoc eſt bituminis; olim Vallis ſylueſtris, amœna nemora ſignificans, delitijs & fertilitate laudatiſſima, Iordaneq; medio irrigua, ideoque paradiſo Domini comparabatur, quo tempore quinq; Sodomorum Reges magno prælio ab Aſſyrijs ſuperati ſunt, capto etiam Lot filio fratris Abrahæ; qui eam ſibi terram, vti fertiliſſimam, non multo ante delegerat. Sed huius priſtinam fælicitatem Iericho & Engaddi patrio balſamo, canniſque mellis oſtentant.

*Geneſ.14. & ibid. Hieron.*

Sed ait Dominus ad Abraham: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Deſcendam & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Neq; valuit tot ſceleribus condonandis deprecatio viri iuſtiſſimi toties repetita; iam enim & ipſe verecundabatur, ſtupebat ad illam Dei clementiam, quod in quinq; maximis vrbibus nec decem quidem iuſti inuenirētur. Igitur tentant in Angelis, quod in bruta admiſerant, & demiſſo cælitus igne, in teſtimonium cęleſtis iuſtitiæ & exemplum poſterorum, conflagarūt vrbes quatuor regiæ; quarum nomina Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim; vnde & Pētapolis nomen acceperunt. Quod nomen videtur habuiſſe; nam Segor, quę quinta fuit, nō eſt ſubuerſa. Subuerſus autem locus ille igne & ſulphure, factus eſt lacus peſtilens & horribilis, cuius latitudo eſt quinq;, vt alij volunt, ſex miliariorum, longitudo autem iter habet quatuor aut quinq; dierum: Ioſephus verò dicit eius longitudinem eſſe quingentorū octoginta ſtadiorum, ad Zoara vſq; Arabię; latitudo verò eſt centum quinquaginta ſtadiorum.

*Geneſ.13. Ioſeph.5. bel.4. Geneſ.18. Gen.19. Deut.29. Sapien.10. Salig. tom. 9. cap.6. VVil. Tyr. 16. bell.6. Brocard. itin.6. Breidenb. eod. Ioſeph.5. bell. Iud.5.*

Eſt enim ipſe quidem ſalſus & ſterilis. nimia verò leuitate etiam quę grauiſſima ſunt, in eo fluitāt: demergi autem in profundum nec de induſtria quis facilè poteſt. Deniq; Veſpaſianus, qui eius viſendi cauſſa illuc venerat, iuſſit quoſdam natandi inſcios, vinctos poſt terga manibus, in altum proijci, & euenit omnibus tamquam vi ſpiritus ſurſum repulſos deſuper fluitare. Eſt adhuc mirabilis coloris mutatio, quæ ter in dies ſingulos ſuperficiem vertit, & ſolis radijs variata reſplendet. Multis autem locis vomit nigras bituminis glebas, & ſuper vndam & habitu & magnitudine tauris ſine capitibus aſſimiles natant. Ad eas autē cùm lacus exercitores acceſſerint, nacti quod aggeſtum eſt, ed naues trahunt, & quia lentum eſt, repletas eas abrumpere nequeūt, ſed quaſi religata ſcapha pendet à cumulo, donec menſtruo mulieris atq; vrina præluatur. eſt autem vtile, nō modò ad compaginem nauium, ſed ad corporum etiam curationem multis remedijs admiſcetur. Deniq; adhuc in lacu diuini relliquias ignis & oppidorum videri licet imagines, & renaſcentes in fructibus cineres, qui colore quidem ſunt edulibus ſimiles, ſed carpentium manibus in fumum diſſoluūtur.

*Fretellus. Vitriac. cap.53. Hieron. in Ezec.47. Ioſeph. lib. cont. Apionem. Paſchal. itin.170.*

Aquę ſunt ſpiſſæ, ſordidę, fœtidæ, amariſſimę, & ſupra alias marinas ſalſæ, in quo quod viuit nihil reperiri queat, atq; inde mortuum nominatur. Quia ſi Iordanes illuc influēs piſces rapuerit, cū augetur imbribus, ſtatim moriuntur, & pinguibus aquis ſupernatant, nihilque viuum in eo ſubmergitur. Bitumen ipſum, vnde Aſphaltites, ex imo fundo ebullit, quod



quod vento agitante concretum & littori appulſum in magna colligitur quantitate; reſoluitur menſtruo, fitque ex eo venenum. Lacus ipſe etiamnum in modum camini infernalis perpetuis exæſtuat vaporibus, quorum halitu littora & montes vtrinque ad quinque miliaria ſterilia ſqualent.

*Nauigat. lib.1. ca.10.*

Scribit Lodouicus Romanus: aſtrui poſſe, tres eſſe vrbes, quæ ſigulæ in cliuo ſingulorum montium ſint poſitæ. & circiter altitudinem trium vel quatuor cubitorū adhuc viſitur neſcio quid inſtar ſanguinis, quaſi exprimat rubicantem ceram humo admixtam: tota circum regio aquarū præſertim expers eſt.

187.

MARESA, quæ & Mareſias vrbs inclyta, patria fuit, vt quidam aiunt, Prophetæ Micheæ. Ioſ.15. 1. Par. 2.4. 2. Par. 11.14.20. 2. Machab.12. Mich.1.

188.

HIC Aſa Aethiopum Regem Zaram cum decies centenis milibus Aethiopum debellauit, & perſecutus eſt vſque Geraram, eamque cepit. 2. Mach.12.

189.

MARETH, ciuitas. Ioſ.15.

190.

MASEPHA ciuitas. Ioſ.25.

191.

MEDDIN, ciuitas in deſerto. Ioſ.15.

192.

SEPVLCRVM Micheæ, vbi tempore Hieronymi erat Eccleſia. Hieron. in Epitaph. Paulæ, & in loc. Hebr.

193.

*Ierem.26. Mich.1. Hieron. in epitaph. Paulæ, & in loc. Heb.*

MORASTHI, vicus iuxta Eleutheropolim, ad Orientem eius, in quo natus fuit Micheas, vnde Moraſthites nominatur. Ibi oſtendebatur ſepulcrum Micheæ, vt iam diximus.

194.

MECHANVM, Hieronymi tempore villa aſcendentibus de Eleutheropoli Aeliam in octauo lapide. Hiero. de loc. Hebr. lit. B.

195.

NAAMA, aliâs Neama, ciuitas pulcra & decora. Ioſ.15.

196.

NEBSAN, Hieronymo Nepſam, ciuitas. Ioſ.15. Hieron. in loc. Hebr.

197.

NESIB ciuitas. Ioſ.15. Hieronymi tempore vocabatur Naſib, in ſeptimo miliario Eleutheropoleos pergentibus Chebron. Hieron. in loc. Hebr.

198.

NETOPHATI, quæ & Netupha, & Netuphati, ciuitas vnde Netophatites. 2. Reg.23. & alibi.

199.

*Geneſ.38. Ioſ.12.15. 1. Para.11. 2. Par.11. Mich.1. 2. Eſd.11. 2. Mac.12. Hieron. in loc. Hebr.*

ODOLLA, Odollam, quæ & Adullam, Hieronymo Adollam, vrbs antiqua, magna & regia, cuius regem Ioſue occidit; hanc poſtea ædificijs muniuit Ionathas: atq; in hac Sabbatum egit Iudas Machabæus. eſt, ait Hieronymus, vſque hodie vicus paruus ad Orientem Eleutheropoleos.

200.

PETRA, iuxta ſpeluncam Odollam. 1. Paralip.11.

201.

*1. Reg.22. 2. Reg.23. 1 Par.11.*

SPELVNCA Odollam, in ipſa Petra fuit, locus natura tutus & munitus, in quā cùm Dauid fugiſſet à facie Saul, ibique multos anguſtia & ære alieno oppreſſos ad ſe confugiētes ſuſciperet, factus eſt princeps quadringentorum virorum. Habuit eundem vſum ſpelunca hæc tempore Chriſtianorū: Nam Turci cùm ea loca populabundi deueniſſent, fugarunt habitatores vicinorum locorum, & ſeſe, cum vxoribus, liberis, armentis & gregibus huc contulerunt.

*VVil. Tyr. 15. bel. ſa.6.*

202.

*Hieron. in Epitaph. Paulæ. Salig. tom. 9. cap.6.*

PENTAPOLIS, regio quinque ciuitatum nempe Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, Seboim, & Segor; quarum quatuor primas Deus cæleſti igne perdidit: Segor autem precibus Lot ſeruata. poſt Lot abceſſum euerſa eſt, Geneſ.19. Nauc. par.1. Chron.

203.

PETRA, ab aſcenſu Scorpionis terminus Amorrhæi. Iud.1. vide infra 211.

204.

RABBA. vrbs in tribu Iuda. Ierem.46.

205.

*Hieron. in Matth.*

RAMA, villa in excelſo colle poſita, iuxta Thecuam, in via qua itur in Hebron: ex qua videri poterat Iordanis, mons Abarim, mare mortuum, Arabia, mons Seir, & totum littus maris magni à Ioppe vſque Gazam. Erāt autem plures huius nominis villæ, omneſque in colle poſitæ: Rama enim excelſum interpretatur. Brocard. itin.6. Breid. ibid.

206.

REBBO, villa in finibus Eleutheropoleos, ad ſolis ortum. Hieron, de loc. Heb.

207.

RVMA, aliâs Roma, Hebræis & Hieronymo Duma vocatur: vrbs grandis & patria vxoris Ioachim, regis Iuda. Ioſ.15. 4. Reg.23. Hieron. in loc. Hebr. lit. D.

208.

MONASTERIVM S. Sabbæ Abbatis. eſt ad Auſtrum Herodij, inter Herodiũ & Thecuam; vbi præfuit quatuordecim millibus monachorum annis tredecim: Breidenbach. collocat inter mare mortuum & Iericho. 15. Iulij & 19.

209.

SACHACA, aliâs Sacha, vel Schatha, ciuitas. Ioſ. 15.

210.

SALINAE, id eſt, foſſæ ſeu paluſtra, in quibus aqua maris calore ſolis decoquebatur, & fiebat ſal. Ezech. 47. 1. Mach. 10. 11.

211.

VALLIS ſalinarum, ſeu ſalis, Hebraicè Gemela, aliâs Mela dicta; in qua Dauid percuſſit octodecim millia Idumęorum, & rediens erexit ſibi fornacem triumphalem. Ibidem & Ioab duodecim millia deleuit. & Amaſias decem vel viginti Idumęorum millia, atque alia decem millia præcipitauit de rupe, & petra Iecteel, quæ videtur eadem eſſe, quam ſupra poſuimus. 203. 157.

*2. Reg. 8. Pſa. 58. 59. 1. Paral. 18. 2. Par. 25. 4. Reg. 14. Hieron. in Gen. 14. in loc. Heb. in 2. Reg. 8. et 1. Par. 18.*

212.

CIVITAS ſalis, vrbs. Ioſ. 15.

213.

SAMA, aliâs Samaa, & Same, ciuitas. Ioſ. 15.

214.

SAMIR ciuitas, ſita in monte. 15.

215.

SANAN ciuitas. Ioſ.. 15 Hieronymo Senam eſt.

216.

SEPHATA, & Saphata, vallis iuxta Mareſa; vbi Aſa rex maximo prælio profligauit Aethiopes, vt ſupra notauimus. 188. 2. Para. 14. Ioſeph. 8. antiq. Iud. 12.

217.

SPELVNCA Saul; in hac Dauid cum ſuis latitãs, abſcidit oram pallij Saul inibi ventrem exonerantis. 1. Reg. 22. 24. Pſal. 141.

218.

SEGOR, vrbs paruula, prius Bala, ſiue Bale, Bela, Hebraicè Saliſſa, Latinè vitula conternans, vitiosè conſternans vocabatur, quod ſcilicet tertio terræmotu abſorpta ſit & proſtrata; Syriacè nũc Zoar, Zooara, & Soar, Seora dicitur: nunc Balezona vocatur, vt Hieronymus in Oſee autor eſt. Sola hæc ex quinque vrbibus Pentapoleos precibus Lot de incendio ſeruata eſt. Apud eã gignitur balſamum, & poma palmarum antiquę vbertatis indicia vſque ætatem Hieronymi adhuc habitatoribus proprijs frequẽtabatur, eratque in ea poſitum Romanorum militum præſidium; vulgari autem appellatione tum † Palmer dicebatur: de Iericho quinque leucis diſtat, poſita ſub monte Engaddi.

*Gen. 14. 19. Iſai. 15. Ierem. 48. Hieron. in Epitaph. Paulæ, in queſt. & loc. Hebr. Broc. iti. 7. Breid. eod. VVil. Tyr. 10. bell. 8. Vitr. c. 53. Geneſ 19, VVil. Tyr. 22 bell. 30. Vitr. c. 53. † al. Pannier.*

219.

SEIR mons, & prouincia in montibus ſita. In hoc olim habitarunt Horræi gigantes, qui & Chotræi dicuntur, ijſdem conſonantibus & punctis: quibus expulſis atque deletis, Eſau cum ſuis poſteris montem hũc poſſedit & inhabitauit; à cuius cognomine Seir, eò quod piloſus & hiſpidus eſſet, etiam mons ipſe, & montis regio nomen accepit. Vnde & aliquoties mons Eſau appellatur; à quo & ipſa vrbs poſtea ſortita eſt vocabulum. Nominatur & Seir deſertum à Breidenbachio.

*Gen 14. 36. Deut. 2. 1. Paral. 4. Iſai. 21. Brocard. itin. 4. & 6. Breid. eod. Abdiæ 1. & ibi. Hieron. Mallach. 1.*

220.

SILEI, in tribu Iuda. Hieron. in loc. Hebr.

212.

SEPHATA vallis; vide ſupra 216.

222.

SIN, vel Zin, oppidum, quod & Senna, & Sina vocatur; eſtque terminus Iudæ verſus Septentrionem, in ſeptimo lapide à Iericho. Num. 34. Ioſ. 15. Hieron. in loc. Hebr.

223.

SIOR, ciuitas in tribu Iuda. Ioſ. 15. Hieronymus in loc. Hebr.

224.

SIRA, Syra; Hieronymo Seira, puteus, vel ciſterna, diſtat ab Hieroſolymis ſtadijs viginti; vnde reuocatum Abner principem militiæ Iſraël, ſceleratè interfecit Ioab. 2. Reg. 3. & ibi Liran. Ioſeph. 7. antiq. 7. Hieron. in loc. Hebr. Eſt & Idumææ ciuitas Seira, quam etiã cepit. Ioſue. 4. Reg. 8. Hieron. in loc. Hebr.

225.

SIS, cliuus eminens, per quem cùm aſcendiſſent filij Seir & Ammon, magno miraculo à Ioſaphat rege Iuda profligati ſunt.

*2. Par. 20. Ioſeph. 9. antiq. 1.*

226.

SOCHO, quæ & Sochot Iudæ, & quidem aliquoties deprauatè legitur Socoth, vrbs ſita in campo, inter quam & Azecham caſtrametati ſunt Philiſtæi contra Saulem, vbi Goliath de Geth, cùm diu inſultaſſet exercitui Dei viuentis, tandem à Dauide proſternitur. quam cum Roboam muniuiſſet ędificijs, tandem ceperunt Philiſtæi. Diſtat ab Azecha & Maceda tribus leucis contra Orientem non longè à Nobe. Ait autem Hieronymus etiam hodie oſtendi viculos duos pergentibus Aeliam de Eleutheropoli, in nono miliario viæ publicæ, vnus in monte, alter in campo ſitus, qui Sochoth appellãtur. Et quidem viculum hunc, qui Socho dicitur, Samaritani, qui de Babylone profecti ſunt, dicuntur condidiſſe. Hieron. in loc. Hebr.

*Ioſ. 15. Brocard. itin. 7. Breidenb. eod. 1. Reg. 17. 19. 2. Para. 11. 2. Par. 28.*



227.

SOCHO, & Socoth, vbi deprauatè legitur Sochot, ciuitas in mõte ſita: ſunt enim duę in tribu Iuda, huius aut eiuſdem aut ſimilis ferè nominis ciuitates, altera in campo, altera in monte. Ioſ. 15. Nominatur etiam ciſterna in Socoth 1. Reg. 19.

*1. Par. 4. 17. 4. Par. 4. 28. 3. Reg. 4. 7. Hieron. in loc. Hebr.*

228.

SODOMA, prima Pentapoleos ciuitas: de qua ſupra diximus in deſcriptione maris mortui. 186.

229.

SPELVNCA deſerti, ſic dicta quod reſpiceret ſolitudinem, quò cùm veniſſet Ioſaphat cũ ſuis, vidit Seir filios & Ammon mutuis vulneribus concidiſſe. 2. Par. 20.

230.

STATVA ſalis, in quam vxor Lot reſpiciens eſt conuerſa, incredibilis animæ ſtãs memoria. Teſtatur Ioſephus ſe ſuo adhuc tempore ſtatuam hanc vidiſſe, quin & hactenus manet & extat, ſi Brocardo, ſi Breidenbachio, ſi Saligniaco oculatis teſtibus credendum eſt, qui poſitam dicunt inter Engaddi, & mare mortuum.

*Geneſ. 19. Sapien. 10. Luc. 17. Ioſeph. 1. antiq 12. Broc. iti. 6. Salign to. 9. cap. 6.*

231.

TALEM, in tribu Iuda; fortè Telem eſt. Hieron. in. loc. Hebr.

232.

TAPHVA, Tapphua, Hieronymo Taffu. ciuitas Iuda, quam expugnauit Ioſue; rege illius interfecto. Fuit data filijs Salphaad, ſed illa in Manaſſe poni debuit. Alij ponũt in Dan.

*Hieron. in loc. Hebr. Ioſ. 12. 15. 17. 19.*

233.

TELEM ciuitas. Ioſ. 15.

234.

TESAN, in tribu Iuda. Hieronym. in loc, Hebr.

235.

VALLIS Terebinthi. Hîc puer Dauid in funda & lapide proſtrauit Goliath gigãtem; aiebat enim exprobranti Gethęo: Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſrael, quibus exprobraſti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te: & cùm appropinquaret Philiſtæus, feſtinauit Dauid, & occurrit ad pugnam ex aduerſo. Et miſit manum ſuam in peram, tulitque vnum lapidem & funda iecit, & circumducens percuſſit eum in fronte. Et infixus eſt lapis in fronte eius, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram. Præualuitque Dauid aduerſus Philiſtæum in funda & lapide, percuſſumque interfecit. Cumque gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit, & ſtetit ſuper Philiſtęum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina ſua, præciditque caput eius.

*1. Reg. 17. Broc. iti. 7. Breid. eod.*

236.

THECVA, quę & Thecue, ciuitas in monte ſita; vnde Thecuites, & Thuitis, & Thecueni; vberrimis abũdat paſcuis: diſtat à Bethlehem miliaribus duobus. Patria fuit mulieris iſtius, quæ, inſinuante & inſtruente Ioab, reconciliauit per ambages Dauidem filio Abſolon. Hanc Roboam muniuit ædificijs. De hac fuit Amos paſtor & Propheta, qui in Bethel prophetans contra Iſraelem vecte per tẽpora transfixus, hîc ex dolore vulneris expiraſſe traditur; cuius ſepulcrum ibi adhuc oſtẽdebatur ætate Hieronymi. Ait Tyrius etiam fuiſſe domicilium Prophetæ Abacuc. Eſt autem nunc Thecua vicus, ait Hieron. in nono ab AElia miliario contra meridionalem plagam.

*Broc. iti. 6. Breid. eod. 2. Eſdr. 3. 2. Reg. 14. 23. 1. Paral. 4. 11. 27. 2, Par. 11. 20. Fretell. Ierem. 6. Amos 1. Hieron. in. Ierem. 6. in Amos 1. & in lo. Heb. VVil. 8. bel. ſa. 1. & 15. bell. 6. & 21.*

237.

DESERTVM Thecuæ lata vaſtitate; in quo verſabantur leones & feræ.

*2. Par. 20. 1. Mach. 9. Hieron. in proœm. & 1. c. Amos,*

238.

THELLA, vicus grandis Iudæorum, ætate Hieronymi, quaſi in decimo ſexto miliario Eleutheropoleos cõtra Orientalem plagam. in loc. Hebr.

239.

TINA, in tribu Iuda. Hieron. in loc. Heb.

240.

TORRENS contra ſolitudinem Ieruel; iuxta quem Moab, Ammõ, & Seir perierunt à facie Ioſaphat. 2. Reg. 20.

241.

VIA ex Hebron in Gazam. Saligni. tom. 10. cap. 5.

242.

VIA regia, qua itur in Hebron. Brocard. itin. 6. Breidenb. eod.

243.

DOMVS Zachariæ ſacerdotis; quæ erat miliario vno ab Emaus, iuxta montana; & quoniam hiſtoria hæc longè pulcherrima eſt, ponemus illam ſenſibus & verbis Nicephori: Itaque, ait, cùm in Nazareth ab archãgelo Gabriele lætum accepiſſet nuncium, dicente: Aue, gratia, plena, Dominus tecum, & ſimul cum ea ipſa voce intranſibiliter æternum & anteſæculare Dei Verbum deſcendit; & con-

*Luc. 1. Broc. iti. 7. Breid. eod. Niceph. hiſt. Eccl. 1. cap. 8.*

& conditionem naturamque noſtram inenarrabili, naturamque ſuperante modo ſubijt, ſupra mentis intelligentiæque noſtræ captum, maſſæ & fermento humano mixtum atque temperatum. & Angelus quidem ſalutatione, legationeque functus ab ea diſceſſit: ipſa verò feſtinabunda ad oram montanam conceſſit, ſimul & fœtum præter opinionem ſibi ab Angelo denunciatum conſiderans, & id quod de ſe accidiſſet, cognoſcere feſtinans; præterea vt cognatam ſuam Elizabeth ſalutaret & alloqueretur; quæ & ipſa, præter ætatem in ſextum iam menſem Ioannen in vtero grauida geſtabat. Putabat denique illam quod prouectioris eſſet ætatis, noui quicquã ſibi dicturam, annunciaturamque eſſe, de noua fœtus ſui conceptione. Adit itaque eam, & ſalutat. Infans autem, ſextum iam implens menſem, ſuauiter ſubſilit, & exultat: famuluſque in vtero concluſus, Domino, qui & ipſe in vtero geſtabatur, debitum adorationis honorem ſanctius dicat, & ore materno quaſi mutuo ſumpto, ſupra naturæ captum vaticinatur, matrem eam Domini vocans, ſimulq; inter mulieres benedictam: nec minus ventris fructum, qui ab ea geſtabatur, ad quem ſcilicet nihil virilis ſeminis eſſet collatum, benedictum. Inde porrò & ipſa, id quod propoſuerat quæſieratque conſecuta, diuino ſubſeruiens ſpiritui, inani gloria & arrogantia quàm longiſſimè ſemota, cùm ſe ipſam beatam prædicat, tum id quod futurum eſſet, apertiſſimè prænunciat. Cùm autem in moribus eſſet, vt virgines, cùm partus iam parturienti, & grauidæ mulieri immineret, ſecederent: tertium cùm ea verſata menſem, quod iam ex immenſa illa conſternationis atque admirationis addubitatione, magis magiſq; aliquid remitteret, domum ſuam reuertitur; &c. *Salig.tom. 10.cap.4* Domus illa adhuc habitabatur in pago tempore Saligniaci, quam reuerenter ſalutare conſueuerant peregrinantes: Ibique natus eſt Ioãnes Baptiſta, circumciſus, & in ſpelunca abſconditus, ne cum pueris Bethlehemiticis ab Herode occideretur. *Paſch.d. 234.* Iuxta hanc fons eſt B. Virginis, ex quo illa ipſa aquam haurier conſueuerat, cùm maneret apud Elizabeth, qui inde fluit ad mare magnum. *Breidenb. 15.Iulij.* In ſuperiore eiuſdem domus loco, quondam fuit eccleſia hodie penitus deſtructa: fuerat autẽ fundata eo loco, quo Zacharias repletus Spiritu Sancto prophetauit: Benedictus Dominus Deus Iſrael, &c.

### 244.

ZANOE, quæ & Zonoa, aliâs Azone, ciuitas; eſt autem & alia eiuſdem nominis in tribu Dan. Ioſ. 15.1. Paralip. 4.2. Eſdræ 3.11.

### 245.

ZANNOHVA, in tribu Iuda. vſque hodie in finibus Eleutheropoleos Aeliam pergentibus villa Zanna nuncupatur. Hieronymus in loc. Hebr.

### 246.

ZIPH, vrbs in monte nemoroſo & opaco ſita, dumis & arboribus infructuoſis conſito, quæ nomen magno dedit deſerto. Huius ciues Ziphæi, profecti ad Saul in Gabaa, indicauerunt Dauidem apud ſe latitare in deſerto Ziph. Roboam hanc vrbem reparauit. Sunt autem duæ huius nominis ciuitates in tribu Iuda, quarum altera, vt iam diximus, nomen dedit magnæ ſolitudini. Vſq; hodie, inquit Hieronymus, in loc. Hebr. vicus oſtenditur in Daroma, in finibus Eleutheropoleos, vbi Dauid fuit abſconditus. *Ioſ.15. 1.Reg.23. 26. 1.Par.2.11. Pſal.53. Brocard. itin.6. Breidenb. ibid. & in deſcript. mont. Iſrael.*

### 247.

ZIPH, mons ſqualidus caligans ſiue nebuloſus. Iuxta Ziph, in quo ſedit Dauid prope Chermelam, quæ in ſcripturis ſanctis Carmelus appellatur, vicus hodie Iudæorum oſtenditur. Vnus etiam de poſteris Dauid dictus eſt Ziph. Hieron. in loc. Hebr.

### 248.

DESERTVM Ziph, nemoroſum, ſaltuoſum, feris & ibicibus peruium, antris & ſpeluncis plenum, & plurimum cauernoſum; in quibus Dauid vagabundus & fugitiuus à facie Saul ſæpè latitauit, ſeſeque abſcondit. *1.Reg.23. 26. Brocar. et Breidenb. itin.6.*

### 249.

SYLVA Ziph; in qua Ionathas Saulis filius, & Dauid, fœdus amicitiæ renouarunt. 1. Regum 23.

### 250.

HIC Iudas Machabæus Gorgię exercitum proſtrauit. atq; hinc miſit Ieroſolymam decem millia drachmas argenti, vt pro Iudæis in prælio occiſis offerrent ſacrificium. 2. Machabæor. 12.





# L.

# Tribus Leui.

## I.

LEVI, tertius filius Patriarchæ Iacob ex Lia vxore eius, genus ſuum ita propagauit, vt cùm inter cæteras tribus Iſraël progenies ipſius à Moyſe & Aarone apud montem Sinai recenſeretur, ſoli mares, illi duntaxat quotquot vnum menſem nati erant, ac maiores, fuerint viginti duo millia. *Gene.29. Num.3.*

Qui paulò antequam recenſerentur, maiorem prę reliquis filijs Iſraël, Dei habuerunt zelum. *Exod.32.* Nam cùm alij vitulum aureum in idôlum erexiſſent & adoraſſent, ſoli hi à Moyſe ſteterunt, ac adorati vituli peccatum vindicauerunt. ſtrictoque gladio omnia Iſraëlitarum caſtra tranſeuntes, ex idololatris tria hominum millia occiderunt, neque fratri, aut proximo vel amico parcentes. Quos tum Moyſes ſic allocutus eſt: Conſecraſtis, inquit, manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, vt detur vobis benedictio.

Quæ cauſa fuiſſe videtur, ob quam Dominus Deus omnes Leuitas, & eorum poſteros iure perpetuo, vt Numerorum tertio ſcriptũ eſt, ex cunctis tribubus Iſraël ſpecialiter ſibi aſciuerit, & pro primogenitis Hebræorum, *Num.3. Deut.18.* quos ſibi iam tum deſtinârat, cùm primigenias Aegyptiorum perculiſſet, in ſuos aſſumpſerit, & ſolenni ritu in ſacerdotes, alioſque ſacrorum miniſtros initiari, ſibiq; conſecrari præceperit.

## 2.

LEGIMVS tamen, priuſquam orta eſſet Leuitarum progenies, aliquos ſemper ſacerdotis munerė functos fuiſſe: Inprimis enim Adami primi parentis filij Cain & Abel, *Gene.4.* in Geneſeos libro primi ſacrificium Deo feciſſe ſcribuntur. Cæterùm id eos nullis ſacris initiatos, neque ſacerdotali auctoritate, ſed naturali quadam pietate feciſſe putat Polydorus Vergilius, de inuentione rerum libro primo, capite quinto, & libro quarto, cap. 5.

At de primogenitis ex ſtirpe Patriarchæ Noe, refert clariſſimis verbis D. Hieronymus ex traditione Hebræorum, in epiſtola ad Euagrium, & in opuſculo quæſtionum vel traditionum Hebraicarum, quod omnes vſque ad illud tempus, quo Aaron in ſacerdotium eligeretur, fuerint Pontifices ſiue Sacerdotes, & functi ſint ſacerdotum officio, quodque habuerint veſtimentum ſacerdotale, quo induti, Deo victimas immolabant. *Hier.tom. 3.epiſtol. 24.ad Euagr. & in Geneſ.ca. 14. & 27.* Ex Sacra autem ſcriptura conſtat, non ſolum Noëmum, ſed & Melchiſedecum, (quem, vt idem auctor ſcribit, tradunt Hebræi eſſe Sem primum filium Noe) item & Abrahamum, Iſaacum, Iacobum, atque Prophetam Iob, & altaria erexiſſe, & holocauſta Domino obtuliſſe.

Porrò ſacerdotalia hæc munera, vt idem Hieronymus auctor eſt, primogenita fuerunt, quæ Eſau Iſaaci primogenitus, cùm à venatione laſſus & famelicus ex agro domum rediret, pro rufa lentis pulte Iacobo fratri ſuo Simoniacè vendidit. Quam gulæ impatientiam lacrymis emendare non potuit. *Geneſ.25. Hier.tom. 2.lib.2.aduerſ.Iouin.*

Idem quoque Hieronymus teſtatur & Ruben Iacobi primogenitum, quòd voluptatis impetu incitatus patris ſui thorum aſcendiſſet ac maculaſſet, pœnam ex peccato luiſſe, atque hæreditatem, quæ primogenitis iure natiuitatis debebatur, ſacerdotium ſcilicet perdidiſſe. *Hierony. in Gen.49.*

## 3.

MOYSES itaque præcipiente Domino tribum Leui profanis officijs eximens, fratrem ſuum natu maiorem Aaronem, qui pronepos Leui erat, per ſeptem dies ſolennibus cæremonijs, ſicut Dominus præſcripſerat, ſummo ſacerdotio ſanctificauit. *Leuit.8. Num.3. Eccli.45.* Quem primò ad altare Deo obtulit: deinde aqua lauit; tum Pontificalibus induit veſtibus; inde capiti oleum ſanctum infudit; demum ſacrificio præcipuo facto conſecrauit, eiuſque ſanguine altare & veſtes aſperſit. atque his ritibus eum ſummum ac maximum Hebræorum Pontificem conſtituit. Hic, quod vnus dignitate inter omnes ſacerdotes excelleret, in ſacris libris non ſolùm ſacerdos, ſed etiam Sacerdos primus, Sacerdos magnus, Sacerdotum princeps, & Grecè ἀρχιερεύς, Latino autem more Pontifex nuncupatur. *4.Reg.22. 25. Ioan.11. Act.23.*

Summo Pontifice creato, Moyſes eodem ferè ritu etiam Aaronis filios Deo mox offerens, eoſdem aqua lauit, lineis tunicis veſtiuit, ſacro oleo vnxit, & in ſacerdotes conſecrauit, varijſque oblationibus ſanctificauit. *Leuit.8.*

Ex quo tempore lege ſancitum eſt, vt ipſi ſoli ac eorum poſteri deinceps in tabernaculi & templi miniſterio Deo Optimo Maximo ſeruirent, ac ſacrificijs faciundis, precibus, & religioni ritè procurandæ inuigilarent. Diuina etenim lege mortis pœnam irrogante cautum fuit, vt ne quis in Hebræorum Republica Diuinum Pontificatum, vel ſacerdotium gereret, aut rem ſacram faceret, niſi Leuitico genere ortus foret. *Num.3.* Qui autem propria auctoritate, ſeu potius temeritate hoc attentare præſumpſerunt, non quidẽ conſueto, ſed inſolenti mortis genere interierunt. Aut enim terra dehiſcente viui in infernum deſcenderunt, aut ſubita morte percuſſi, in veſtigio exſpirauerunt, aut fœdiſſima lepra puniti ſunt. *Num.16. Ioſeph.7. Antiq.4. 2.Par.26. Ioſeph.9. antiq.11.*

## 4.

CVM autem Leuitæ hi, qui cum Aarone & filijs eius prope montem Sinai ad rem Diuinam peragendam à Moyſe creati erant, vnà cum cæteris incredulis iuxta Dei ſententiam ad vnum omnes in deſerto obijſſent, *Num.26.* inuenti ſunt eorum filij, cùm denuò Iſraelitarum capita à Moyſe & Eleazaro Aaronis filio, (qui in patris ſui vita defuncti locum ſuffectus erat) in Campeſtribus Moab cenſerentur, viginti tria millia. *Nu.18.35. Deut.18. Ioſ.13.14. 21. Ioſeph.3. antt.15.& 4.ant.8.* Qui repromiſſionis terram ingreſſi, ex Dei mandato vnà cum cæteris contribulibus ſuis ſortem ac propriam terræ poſſeſſionem non acceperunt: ſed in locum Leui, inter capita tribuum ſucceſſit, ac Leuiticæ tribus ius & poſſeſſionis hæreditatē accepit, eius ex fratre nepos Manaſſe Ioſephi filius. qui ab auo ſuo Iacob in filium adoptatus erat.

## 5.

SACERDOTIBVS autem & Leuitis Dominus Deus Iſrael, ipſe erat ſors, pars & hæreditas; qui eos ſummis honoribus ac præmijs decorauit. Ipſos enim ſibi ſacros, rebuſque Diuinis, non agrorum cultui dicatos, in celſo dignitatis conſtituit, atque alijs quibuſque auctoritate præcellere voluit. In eis ſe ab omnibus honorari; ab eorum duntaxat *Malac.2.* ore, quę ad Deum, eiuſq; legem ſpectant, inquiri; eos à militia, à ſæcularibus officijs, à publico ſenſu immunes ſtatuit.

Præterea, vt à ſolicitudine comparandi victum, aliaque quæ ad vitam ſuſtentandam neceſſaria ſunt, liberi, Diuino cultui ac ſacræ legi iugiter meditandæ poſſent vacare; neq; aut nimia copia inſoleſcentes, negligentiùs ſacra tractarent, aut inopia preſſi, mendicando forent comtemptibiles; complacitum ipſi fuit, vt de competenti ac ſufficienti tum habitatione, tum ſuſtentatione illis eſſet prouiſum.

## 6.

*Num.35.*

HANC ob cauſam per Moyſen filijs Iſrael mandauit, vt ſparſim in medio ſingularum tribuum, *Ioſeph.4. antiq.3.* quadraginta octo bonę & præcipuæ vrbes ipſis ad habitandum ſeligerentur; vnà cum ſuburbanis, agro ſcilicet mœnibus ipſarum contiguo, vſque ad mille paſſus, ſiue duo cubitorum millia per circuitum, ad paſcenda iumenta & pecora eorum.

Et inſuper oblationes & ſacrificia, quæ à pijs & gratis hominibus Deo offerebantur; tum etiam primogenita, hoc eſt primitiuos pecorum animaliumque fœtus; *Ioſ.13.* ac primitias omnium frugum è terra, arbore, aut vite naſcentium, primitias quoque tonſuræ ouium, atq; primitias panum nouæ meſſis; poſtremò & decimas annuorum fructuum, à toto populo in Sacerdotum ſimul ac Leuitarum vſum conferendas ſtatuit. Atque hi iure perpetuo Leuiticæ tribus ſolennes reditus fuêre, quibus honeſtè & commodè, ſine ipſorum labore ſuſtentabantur.

## 7.

PRAETER has quadraginta octo vrbes, quæ primùm Dei mandato Leuitis aſſignatæ, & poſt ſubactam armis ac Dei fauore Chananæam à Ioſue ac primatibus Iſrael ipſis ſeparatæ fuerunt, *Ioſ.21.* videntur ipſis poſtea cùm ipſorum multiplicaretur numerus, etiam aliæ aliquot ciuitates acceſſiſſe. Atque omnes, quotquot aut Sacerdotum, aut Leuitarum fuiſſe, in ſacris litteris comperimus, hæ ſunt.

In tribu Aſer, Abdon, Alcath, Hacoc, Meſſal, & Roob. *Ioſ.21. 1.Par.6.*

In tribu Beniamin, Almath, Almon, Anathot, Bethphage, Gabaa, Gabaon, & Nobe.

In tribu Dan, Aialon, Bethſames, Elthece, Gabathon, Gethremmon.

In tribu Ephraim, Bethoron, Gazer, Cethremmon, Helon, Iecman, Sichem.

In tribu Gad, Iazer, Mahanaim, Maſpha, Ramoth Galaad.

Ieruſalem totius promiſſæ terræ metropolis, ac Pontificis maximi ſedes.

In tribu Iſachar, Anem, Cedes, Ceſion, Dabereth, Engannim, Iaramoth, Ramoth, Rooba.

In tribu Iuda, Eſtemo, Hebron, Holon, Iethan, Iether, Lebna.

In tribu Manaſſe intra Iordanem, Aner, Balaam, Gethremmon, Tanach.

In tribu Manaſſe vltra Iordanem, Aſtaroth, Boſra, Gaulon.

In tribu Neptalim, Amothdor, Cariathaim, Carthan, Cedes, Hamon.

In tribu Ruben, Boſor, Cademoth, Eſebon, Iaſa, Mephat, Miſor.

In tribu Simeon, Aen, Aſan, Dabir.

In tribu Zabulon, Cartha, Damna Ieconam, Naalol, Remmon, Tabor.

## 8.

EX his omnibus, ſex in confugij præſidia ſeu aſyla Diuinitus deſtinatæ ſunt, *Ioſeph.4 antiq.5.* quò illi tantùm, qui citra inimicitiam, nec ſpontè, ſed præter voluntatem homicidium commiſiſſent, ne ab occiſi proximo aut cognato in vindictam effuſi ſanguinis occiderentur; confugere, ac in iudicio facti ſui cauſam dicere, ibique tutò manere poſſent. Talibus exilij tempus ſtatutum erat, tantiſper dum Pontifex viueret. ſub quo homicidium acciderat. Poſt cuius obitum redire in patriam liberum eis fuit. Exilij verò tempore licebat cuiuis è cognatis interempti homicidam impunè occidere, duntaxat extra vrbem refugij deprehenſum: idque ius Deus ſolis cognatis eſſe voluit, alijs non item. Quorum tria intra Iordanem erant; nempe, Cedes Neptalim, in tribu Neptalim; Hebron, in tribu Iuda; Sichem, in tribu Ephraim. Totidem etiam trans Iordanem; videlicet, Boſor, in tribu Ruben; Gaulon, in dimidia tribu Manaſſe; Ramoth Galaad, in tribu Gad. quæ ſolæ hoc genus exulibus refugium & habitationem præbebant.





## 9.

VT Sacerdotes ac Leuitæ paſſim per vniuerſas Iſraëlitarum tribus diſperſi, potius quàm ſimul in vna tribu habitabant: ſic contra ſummo Pontifici ac primarijs ſacerdotibus non alibi quàm in loco quem elegerat Dominus, hoc eſt, non niſi in metropolitana promiſſæ terræ vrbe Hieroſolyma reſidere licuit: cuius variæ ſunt cauſæ.

Primùm, vt Diuinæ religionis lux à ſupremo Antiſtite cum principibus Sacerdotum in celſo Iudaici imperij apice ſeu arce reſidente, tanquam ab ipſo capite efficacius in omnium ſalutem per totum Iſraëliticæ gentis corpus ſe effunderet.

Secundò, vt certus & definitus aliquis eſſet locus, ad quē in grauioribus & ambiguis Diuinæ legis ac patriæ religionis cauſis & quæſtionibus, *Deut.17.* omnes vndecunq;, prout Deus ſtatuerat, aſcendere, & à Pontifice maximo, ceu Dei vicario, totiuſq; religionis capite, cuius dignitas in indigno hærede non deficiebat, iudicij veritatem ac ſententiam quærere & impetrare poſſent.

Tertiò, vt cuncti intelligerent, dum Sacerdotes & Leuitæ in cunctis paſſim tribubus habitarent, Dei cultum & religionem, nō vnam tantùm tribum, ſed ad omnes & ſingulas Iſraëliticas tribus æquè pertinere.

Quartò, vt Sacerdotes & Leuitę, quos Deus *Matth.5.* conſtituerat, vt eo tempore eſſent quaſi ſal terræ & lux mundi, nequaquam occultè in angulo, aut ſub modio degerēt, ſed paſſim in medio ſingularum tribuum, ac in pulcherrimis terræ oppidis habitarent, quę pleraque in monte ſita erant; quò commodius tum ſanctiſſimæ vitæ exemplo, tum ſalutaribus doctrinis & pijs admonitionibus populum omnem à ſæculi huius curruptionibus, obſcuriſq; tenebris liberarent; ac Dei cognitione illuminarent, cultuq; pietatis condirent. vt denique omnes aut ſanctos, aut ſaltem minus malos redderent.

*Liran. in Ioſ.21.* Sunt qui & quintam cauſam proferunt, ne ſcilicet vna tribus, vel duæ, aut plures, eorum ſuſtētatione nimis grauarentur. Nam & à gētibus illud ſemper obſeruatum fuit, vt Sacerdotes & illi qui publica religionis obibant munera, non ſolùm à publico cenſu & ſeruili opere eſſent liberi; verùm, vt etiam, aut à populo, aut à regionis vel ciuitatum quæſtoribus communibus Reipublicæ impenſis ſuſtentarentur. *Geneſ.47.* Sicut de AEgyptiorum ſacerdotibus in Geneſi ſcriptum eſt, quod terram & poſſeſſiones à Rege accipiebant, & tempore famis non fuerint compulſi ea vendere, ſed ex publicis horreis præbita à Rege eis fuiſſe alimenta & ſtatuta cibaria. Præterea cùm vniuerſa AEgyptus neceſſitate famis ex eo tempore adacta fuerit, vt quintam frugum partem in ſingulos annos Regibus ſolueret, ſola ſacerdotum terra ab hoc onere exempta fuit.

Quę ſacerdotum immunitas etiam nunc apud Barbaros Saracenos tam religioſè obſeruatur, vt eam non ſuis duntaxat Mahometis ſacrificulis, ſed & peregrinis Chriſtianis tum clericis, tum religioſis violare ſummum crimen ducāt. *Breid. die 24. Octob.* Scribit enim Bernhardus, de Breidenbach Moguntinæ Eccleſiæ Decanus, & Camerarius, cùm anno Chriſtianæ ſalutis milleſimo quadringenteſimo octuageſimo tertio poſt inuiſam Hieroſolymam & montem Sinai vnà cum alijs peregrinis Alexandriam AEgypti metropolim intraret, à portarum cuſtodibus omnes itineris ſui comites, nempe D. Ioannem Comitem de Solms, D. Philippū de Bicken, alioſque nobiles pariter ac ignobiles veſtibus per ordinem fuiſſe exutos, & curioſè perluſtratos, ac quemq; pro pedagio, vt aiunt, ſecundum valorem rei cuiusq; decimum ſoluiſſe nummum, exceptis duntaxat clericis ac religioſis, qui ab omni telonio immunes tranſire permiſſi ſunt.

Sed ad inſtitutum reuertamur, & in quam copioſam familiam Leuitica tribus creuerit, & vt in claſſes viginti quatuor diſtributa ſit, oſtendamus.

## 10.

PIISSIMVS Hebræorum Rex Dauid quadrageſimo regni ſui anno ſenex & plenus dierum Dei cultum augere cupiens, accitis Hieroſolymam omnibus ditionis ſuæ Sacerdotibus ac Leuitis, ijſq; recenſitis; eorum duntaxat qui trigeſimum annum exceſſerant, triginta octo virorum reperit millia. *1 Para.23. 24.25.26. Ioſeph.7. antiq.15. & libr.1. contra. Apion. fol. 840.* Quos, ne ſimul in ſacris templi miniſterijs aſſiduè occuparentur, in viginti quatuor claſſes ſiue vices ſorte diuiſit, atque eis nomen impoſuit ab eo, qui tum illius familiæ principatum gerebat. Nomina autem principum, à quibus claſſes nomē acceperunt, hæc, atq; hoc ordine vigeſimo quarto primi Paralipomenon capite ſcribuntur. *1.Par.24.*

| | |
|---|---|
| 1. Ioiarib. | 13. Hoppha. |
| 2. Iedeie. | 14. Iſbaab. |
| 3. Harim. | 15. Belga. |
| 4. Seorim. | 16. Emmer. |
| 5. Melchia. | 17. Ezir. |
| 6. Maiman. | 18. Aphſes. |
| 7. Accos. | 19. Phetcia. |
| 8. Abia. | 20. Iezecel. |
| 9. Ieſu. | 21. Iachin. |
| 10. Sechenia. | 22. Gamul. |
| 11. Eliaſib. | 23. Dalaiau. |
| 12. Iacim. | 24. Maaziau. |

Hac ſortitione facta, conſtituit Rex vt ſingulæ claſſes ſingulis hebdomadibus à Sabbato vſque Sabbatum per ſuas quiſque vices in templo miniſtrarent. atque ab vxoribus, liberis, cæteriſque rebus profanis ſeparati, interdiu noctuque in ſuo quiſque officio ſum-

ma cum reuerentia circa cultum Diuini numinis verſarentur. alij quidem thuris incenſum adolerent. alij animalia in holocauſtum immolarent, quidam Pſalmos, quos Diuino afflatus ſpiritu in hoc compoſuerat, viua voce Deo cãtarent, nonnulli citharis, pſalterijs, nablis, ſiſtris, lyris, cymbalis, tubis, alijsque diuerſi generis organis ac inſtrumentis muſicis à ſe in hoc præparatis, Diuinas laudes reſonarent. aliqui ſancta vaſa, & ſacras arculas cuſtodirent, reliqui ianuas & portas templi obſeruarent, omnes autem vno animo vni Deo inſeruirent.

## 11.

QVAE quidem conſtitutio vſque in Chriſti tempora durauit. Quod ex Euangelio S. Lucæ haud obſcurũ eſt, vbi legimus: Fuit in diebus Herodis regis Iudeæ, Sacerdos quidã *Luc.1.* nomine Zacharias, de vice Abia, quę ſorte per *1.Par.24.* Dauidem ducta, exiuit ordine octaua. Ac paucis interiectis: Factum eſt, inquit, cùm ſacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſecundum conſuetudinem ſacerdotij, ſorte exijt vt incẽſum poneret, ingreſſus in templum Domini.

*Ioſep.lib.2. cõt.Apion.* Ioſephus ſecundo contra Apionem libro ſcribit, etiam ſua ætate fuiſſe has vigintiquatuor ſacerdotũ claſſes, ac ſingulas plus quàm quinque millia hominum habuiſſe. Quem numerum repoſui ex citatione diligentiſſimi antiquitatis ſcrutatoris Caroli Sigonij, in libro de Republica Hebræorum. *Sigon.de rep Hebr. lib.5.ca.2.* Nam quod Ioſephus ex editione Frobeniana, ſimiliter & ex recẽtiori editione Francofortiana habeat tribus quatuor ſacerdotum, ſcriptorum aut impreſſorum incuriæ, qui dictionem (viginti) omiſerunt, aſſcribendum cenſeo; & legẽdum eſſe tribus viginti quatuor, ſiue, vt Sigonius citat, claſſes viginti quatuor ſacerdotum.

## 12.

CAETERVM licet Leuitarum ordo in Ioſephi vſque tempora durauerit; ſacrificium tamen, quod ipſos vſque ad excidium vrbis Ieruſalem, quod anno Chriſti ſeptuageſimo contigit, iuxta Moyſaicam legem obtuliſſe ſcribit, legitimè offerre non potuerunt: *Daniel.9.* Nam, vt Daniel multò antè fuerat vaticinatus, Chriſto occiſo, populi qui eum negauerat, iam defecerat hoſtia & ſacrificium. Vetuſtatem enim nouitas, vmbram fugarat veritas, noctem lux eliminarat. ac pro lege, quæ *Hebr.10.* per Moyſen data, futurorum bonorum vmbram tantùm, non ipſam rerum faciem exhi- *Ioann.10.* buerat, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta erat. De cuius Sacerdotio & ſacrificio, quia Melchiſedeci & Aaronis ſacerdotio ſucceſſit, & in hac, quam deſcribimus, terra, peractum & inſtitutũ eſt, appoſitè admodum quędam hoc loco ſubijcienda veniũt: vt hinc videamus quantum inter veteris inſtrumẽti figuras, & noui teſtamenti veritatem; inter vmbram & corpus, inter legem & Euangelium, inter Melchiſedeci & Aaronis ſeu Leuitici generis, & perfectiſſimum Chriſti Sacerdotium interſit. Ac præcipua animi pietate contemplemur, quanta perfectione Iudæorum ſynagôgam Catholica excellat Eccleſia. cui datũ eſt, id reipſa habere, quod priſcis patribus, naturæ & Moſaicæ legis tempore, ſignis tantùm *1.Cor.10.* & figuris fuerat adumbratum. Vt meritò à *Dionyſ.de Eccl.Hierarch.c.1.* Diuino Dionyſio dictum ſit, Eccleſiam noſtram inter ſynagôgam & ſupremam Ieruſalem eſſe mediam, ac propterea vtriuſque participem. Quippe cui etiamnum in terra militanti ex Chriſti maieſtate, tanta acceſſerit dignitas, eaque gloriæ amplitudo, vt inter eam, & cæleſtem beatitudinem, vnus tantum gradus intereſſe videatur. Hoc enim nobis cum cælitibus commune eſt, vt vtrique Chriſtum Deum & hominem pręſẽtem habeamus: ſed quo vno gradu ab ijs diſtamus, illi præſentes beata viſione perfruuntur; nos præſentem, & tamen ab oculorum ſenſu remotum, ſacrorum myſteriorum admirabili integumento ſe occultantem, firma & conſtanti fide veneramur. Sed vt hæc clariora fiant, paulò altius rem repetamus.

## 13.

CVM Regius ille propheta Dauid, ſpiritu in æthereos ſuetus ire meatus, Ieſu Chriſti Dei & hominis, & primi noui teſtamenti Pontificis ſummum & æternum contemplaretur Sacerdotium, Pſalmo centeſimo & nono hoc modo de Pontifice noſtro ſcripſit: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es *Pſal.109.* ſacerdos in æternum ſecũdum ordinem Mel- *Hebr.7.* chiſedec. Quod, ſicut & cætera eiuſdem Pſalmi, non de alio quàm de Chriſto eum locutum eſſe, ipſe Saluator luculentiſſimè olim probauit. Qui Hieroſolymæ in templo do- *Matth.22.* cens, ac Phariſæos, qui inſtar coronæ ipſum *Marc.12.* cingebant, interrogans, cuiuſnam Chriſtus eſ- *Luc.20.* ſet filius? reſpondentibus, quod Dauidis; apertè iſtis Pſalmi verbis declarauit, ſe quidem ſecundum humanam naturam filium eſſe Dauidis. ſed ſecundum Diuinitatem Dei eſſe filium, dum ait: Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum? ipſe enim in Spiritu *Pſal.109.* ſancto in libro Pſalmorum dicit: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

## 14.

HIS accedit Dei patris auctoritas, qui vt de Chriſti perſona, dignitate, & ampliſſima eius poteſtate nullus dubitãdi nobis relinqueretur locus, locis & temporibus diuerſis palam è cælo id teſtatum eſſe voluit.

Primò enim cùm in Iudæa Chriſtus anno *Matth.3.* ætatis ſuæ triceſimo multis coram adſtanti- *Marc.1.* bus Iudæis à Iohanne Baptiſta in Iordane bap- *Luc.3.* tizaretur, aperti ſunt cæli, & Spiritus ſanctus ſpecie columbæ cælitus in baptizati verticem deſcendit; ipſeque Deus Pater voce de cælis intonans, dixit. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Secun-



*Matth.17. Marc.9. Luc.9. 2.Pet.1.* Secundò in Galilæa ætatis ſuæ anno triceſimo tertio cùm ſuper montem Tabor coram Moyſe, Elia, & tribus Apoſtolis, Petro, Iacobo, & Ioanne glorioſè in Diuinam quandam formam transfiguraretur, lucida nubes cælitus eos obumbrauit, & vox de nube facta eſt dicens: Hic eſt filius meus chariſſimus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.

Tertiò in Regia vrbe Hieroſolyma, quam trigeſimo quarto anno ætatis ſuæ mirabili cum pompa ingreſſus, dum in templi atrio, quod *Ioan.12.* gentium vocabatur, coram quibuſdam gentilibus ipſum videre deſiderãtibus oraret, Pater clarifica nomen tuum: Venit vox de cælo, dicens; Et clarificaui, & iterum clarificabo. Quæ vox ita audientium corda perculit, vt alij dicerent tonitruum eſſe factum; alij autem Angelum ei locutum eſſe. Quibus Ieſus reſpõdit: Non propter me hæc vox venit, ſed propter vos.

## 15.

HAC itaque auctoritate, qualis nulli alteri hominum vnquam obtigit, commendatus Chriſtus, cùm iam toto triennio & tribus menſibus haud aliter quàm verus Euangelicæ veritatis Doctor paſſim in varijs Iudææ ac Galilææ locis, Iſraëlitas omnes æternæ ſalutis viam docuiſſet, ſuamque doctrinam infinitis confirmaſſet miraculis: clariſſimè ſe tandem etiam nouæ legis verum Pontificem declarare voluit. Qui, quemadmodum non venerat, ſicut de ſe ipſe teſtatur, vt ſua doctri- *Matth.5.* na Moſaicam legem aut Prophetas deſtrueret; ſed potius vt ea perfectioribus (quia nihil *Hebr.7.* ad perfectum adduxit lex) adimpleret mandatis, atque in Euangelium omnibus numeris perfectum mutaret: ita etiam infirmum & imperfectum veteris legis Sacerdotium ac ſacrificium nequaquam aboleuit, ſed in multò melius atq; excellentius renouauit; & ad ſummam perfectionem adduxit.

## 16.

*Hebr.9.* AARON enim, cæteriq; prioris legis Sacerdotes, ouium, boum, taurorum, hircorum, aliorumque brutorum pecorum carnes in altari holocauſti materiali igne cremãtes obtulerunt; & thuris ſuffimenta & odores in altari thymiamatis incendentes adoleuerunt; & per hircorũ aut vitulorum cruorem introierunt Sancta ſanctorum. Chriſtus verò noui & longè excellentioris teſtamenti Pontifex, Sacerdos ipſe, & immaculatus agnus ac hoſtia, nobiliſſimum ſuum corpus, quod ſanctiſſima anima viuum, ac glorioſa æternaque Diuinitate vnitum erat, extra Hieroſolymam in monte Caluariæ, ipſo meridie feſti Paſchæ cunctis ſpectantibus in ara Crucis pro totius *1.Cor.5.* Mundi redemptione, charitatis igne in holocauſtum ac pacificam ſuauiſſimi odoris victimam Deo Patri immolauit. Et per proprium *Hebr.9.* ſanguinem, non in manu facta Sancta, ſed in ipſum Cælum introiuit, quod ab initio Mundi annis fermè quater mille ſemper fuerat occluſum: vbi in conſpectu Diuinæ Maieſtatis apparens, Deum nobis placauit, ac credentibus omnibus cæli clauſtra reſerauit, æternitatiſq; aditum aperuit.

## 17.

POTERAT quidem pijſſimus hic Pontifex, vel minima corporis pœna, aut vnicæ ſanguinis guttulę effuſione, vniuerſum genus humanum ab æterna damnatione vindicare, atque in ſempiternam beatitudinem aſſerere. Verùm, vt copioſa apud eum eſſet redẽptio, *Pſal.129.* ex incomprehenſibili dilectione, qua maior *Ioan.15.* nulla eſſe poteſt, humanam naturam, quam vt homines Deos faceret, de virgine aſſumpſerat, totam hominibus conferre ad ſalutem *Iſai.35.* voluit. Quod abundantiſſimè præſtitit, cùm tribus horis viuus de cruce pendens, totum corpus ſuum, adeoq; ſingula ſua membra, ignominioſiſſimis atrociſſimiſq; tormentis di- *Deut.21.* laniata, pro noſtra reconciliatione in holo- *Gal.3.* cauſti hoſtiam Deo Patri obtulit; ac ſangui- *Phil.2.* nem vniuerſum per quinq; ſanctiſſimos augũ- *Thren.1.* ſtiſſimoſq; vulnerum fontes, innumeroſque alios riuulos, ad extremam vſq; cordis ſui gut- *Ioan.19.* tam, vnà cum vita nobis profudit. vt inſtar ve- *Pſal.101.* ri Pellicani omnes ſibi obtemperantes viuificaret, ſanctitate imbueret, atq; Diuinitatis ſuę faceret participes.

## 18.

HOC itaque modo Maximus futurorum bonorum Pontifex noſter Chriſtus Ieſus, pro æterna humani generis redemptione & ſalute ſemel in ara Crucis ſeipſum totum *Ioan.19.* cruentè, hoc eſt, cum cruciatibus & ſanguinis profuſione morte intercedente in ſanctum & immaculatum ſacrificium Deo Patri immolauit: & omnia antiquæ legis ſacrificia, vno Crucis ſacrificio compleuit, vnaq; *Hebr.10.* oblatione cõſummauit in ſempiternum ſanctificatos. Qui cùm etiam verus & ęternus Dei Patris Sacerdos eſſet ſecundum ordinem Mel- *Pſal.109.* chiſedec, ſemel quoque in nouiſſima ante ſuam paſſionem cęna, ſeipſum incruentè, id eſt, ſine pœnis & cruoris effuſione obtulit. Ac ſicut Aaronis & cruentum Moſaicę legis ſacerdotium cõſummans, pro pecudibus, eorumq; cruore, ſuum corpus & ſanguinem obtulit: ita oblationem Melchiſedec, quæ ex materia- *Gen.14.* li pane & vino conſtabat, in Euangelicum nouæq; legis perfectiſſimum ac longè digniſſimum Sacerdotium atque ſacrificium commutauit: Panem namq; triticeum & azymum in manus ſuas ſumens, in ſuum corpus, & vinum vitis, in ſuum ſanguinem Diuina benedictione & certis verbis conuertit. Qua de re SS. Euangeliſtæ Matthęus, Marcus, & Lucas *Matth.26.* atque D. Paulus Apoſtolus concorditer & lu- *Marc.24.* culentis verbis teſtãtur, quod Dominus Ieſus *Luc.22.* primo azymorum die, poſtquam Hieroſoly- *1.Cor.11.* mis in Cœnaculo vnà cum duodecim Diſcipulis ſuis iuxta veteris legis præſcriptum typici Agni Paſchalis cœnam celebraſſet, atq; in *Ioan.13.* humi-

humilitatis exemplum, ſimul ac puritatis myſterium, eorum pedes lauiſſet. ſtatim ab hac lotione menſæ rurſum accumbens, typo veritatem coniunxerit, & ab vmbra ad corpus tranſierit.

Accepit, inquiunt, panem, & gratias egit, benedixit, fregit, deditq; Diſcipulis ſuis, dicẽs: Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter accipiens & calicem poſtquam cœnauit, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamẽti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Hoc fecite, quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem.

## 19.

PORRO quod ad Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedec attinet, duo potiſſimùm hîc diligentius conſiderãda ſunt, cur illud Chriſto tribuatur. Primum, quod genealogia eius, initum & vitæ finis à Sacra ſcriptura non referantur. & tanquam, vt ait Apoſtolus, ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, hoc eſt, ſine *Heb.7.* patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum neque finem habens, veluti æternus deſcribitur. Qua in re Diuinitatis Chriſti æternitas manifeſtiſſimè deſignaturi, quam olim Diuinus Vates admirans, exclamauit: *Iſai.53.* Generationem eius quis enarrabit? Nam ſi naturam Diuinam ſpectes, in cœlis ſine matre; ſi naturam humanam, in terris natus eſt ſine patre.

*Heb.5. & 8.* Alterum verò eſt, quod Melchiſedec Sacerdos fuerit Dei altiſſimi. Cuius; vt D. Paulus *Geneſ.14.* ait, hoc munus eſt, vt offerat dona, munera, *Heb.7.* & ſacrificia. Quod Melchiſedec præſtitiſſe legitur, dum Patriarchæ Abrahamo à cæde Regum & hoſtium reuertente occurrens, pro parta victoria panem & vinum Deo obtulit, Abrahamo benedixit, ipſumque ac ſeruos eius eodem pane & vino refecit. Quod beneficium Abraham aliquo modo compenſare cupiens, de omnibus, quę ab hoſtibus tulerat, ei decimas dedit. Quo in munere Melchiſedec præclarum Chriſti typum prætulit, eiuſque perfectiſſimum illud expreſſit Sacerdotium, quo in extrema cœna functus eſt. dum primò quidem ſub ſpeciebus panis & vini corpus & ſanguinem ſuum Deo Patri obtulit. ac deinde oblata Diſcipulis, & ijs qui Abrahæ fidem imitantur, & vitijs, cum quibus quotidiana nobis pugna eſt, ſuperiores fiunt, in cibum & potum dedit. Hac de re luculentiſſimè *Cypri. li. 2. epiſt. 3. ad Cæcilium.* ſcripſit ſanctiſſimus ſimul & doctiſſimus Epiſcop⁹ & martyr D. Cyprian. cui Diuina reuelatione (vt ipſemet de ſe teſtatur) ſuper his erudiri contigit. Verba eius hæc ſunt: Deo inſpirante & mandante admonitos nos ſcias, vt in calice offerendo Dominica traditio ſeruetur; neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit.

In Sacerdote Melchiſedec ſacrificij Dominici ſacramentum pręfiguratum videmus, ſecundum quod Scriptura Diuina teſtatur & dicit: Et Melchiſedec Rex Salem protulit panem & vinum. *Geneſ.14.* Fuit autem Sacerdos Dei ſummi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchiſedec typum Chriſti portaret, declarat Spiritus ſanctus in Pſalmis, ex perſona Patris ad Filium dicens: Ante luciferum generaui te. Iurauit Dominus, & non pænitebit eum, tu es *Pſalm.109.* Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec. Qui ordo vtiq; hic eſt de ſacrificio illo veniens, & inde deſcendens, quod Melchiſedec Sacerdos Dei ſummi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos DEI ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo patri obtulit? Et obtulit hoc idem, quod Melchiſedec obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem. Et circa Abraham benedictio illa præcedẽs, ad noſtrum populum pertinebat. Nam ſi Abraham Deo credidit, & deputatum eſt ei ad iuſtitiam: vtique quiſquis Deo credit & fi- *Gal.3.* de viuit, iuſtus inuenitur, & iam pridem in Abraham fideli benedictus, & iuſtificatus oſtẽditur.

Vt ergo in Geneſi per Melchiſedec Sacerdotem benedictio circa Abraham poſſit ritè celebrari, pręcedit antè imago ſacrificij, in pane & vino ſcilicet conſtituta. Quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit; & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit.

Si in ſacrificio quod Chriſtus eſt, non niſi Chriſtus ſequendus eſt, vtique id nos obaudire & facere oportet, quod Chriſtus fecit, & quod faciendum eſſe mandauit, cùm ipſe in Euangelio ſuo dicat: Si feceritis quod mando *Ioan.15.* vobis, iam non dico vos ſeruos, ſed amicos. Et quod Chriſtus debeat ſolus audiri, Pater *Matth.17.* etiam de cęlo conteſtatur dicens: Hic eſt filius meus dilectiſſimus, in quo bene ſenſi, ipſum audite. Quare ſi Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei Patris, & ſacrificium Deo Patri ipſe primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit: vtique ille Sacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur. Et ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre ſecundum quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe. Nã ſi ſacerdotes Dei & Chriſti ſumus, non inuenio quem magis ſequi quàm Deum & Chriſtum debeamus. Hæc compendio ex Cypriano deſcripſimus, quibuſdam breuitatis cauſa omiſſis, quę ad pręſentem materiam nobis non ita neceſſaria erant.

## 20.

NEQVE tantùm Chriſtus ex figura Sacerdotij & oblationis Melchiſedeci in cœna corpus & ſanguinem ſuum obtuliſſe comprobatur: ſed idẽ etiam feciſſe conuincitur ex typo & ritu oblationis & ſacrificij Agni Paſchalis, qui illuſtrẽ quoq; huius ſacramenti typum

pum



prum præ ſe ferebat. Nam vt Agnus Paſcha- *Exod.12. Leuit.17. Num.9. Marc.14.* lis ab vniuerſa multitudine filiorum Iſraël primò debebat in ſacrificiũ Domino immolari, deinde comedi. ita Chriſtus poſt typici Agni celebrationem typũ perfectiſſimè peragens, vt ſigno res ſignata, figuræ veritas, & vmbræ corpus per omnia correſpoderet, ſeipſum agno illo typico tanto tempore prædicatum, primùm Deo Patri immolauit, ac deinde ſeipſum Diſcipulis ſuis comedendum præbuit.

De qua quæſtione clarè etiam tractant, D. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, de initiandis cap. 6. & de ſacram. lib. 4. cap. 3. Ioannes Chryſoſtomus Patriarcha Conſtantinopolitanus ſuper 2. epiſt. ad Timot. hom. 2. & hom. de aſcendente Ieſu in templum. Hieronym. Stridonenſis preſbyter, epiſt. 26. & ſuper illud Matt. Cœnantibus illis. Auguſtin. Hipponenſis Epiſcopus epiſt. 95. & 16. de ciuitate Dei, ca. 22. & 17. cap. 17. & in Pſal. 37. & 106. Euſebius Epiſcopus Cæſaræ Paleſtinæ, lib. 5. demonſtra. cap. 3. Euſebius Emiſſenus, ſerm. 5. de Paſcha. Epiphanius hæreſi 55. & Iſidorus, de patribus Veteris Teſtamenti: & Concilium Tridentinum, ſeſſione 22. cap. 1. qui, vt cæteros tum veteres, tum recentiores prætercam, Saluatorem noſtrum cum ſacroſancta & auguſtiſſima Euchariſtiæ myſteria inſtitueret, verum & proprium ſacrificium Deo Patri obtuliſſe concordi ſtilo ſcribentes, hoc tenuerunt, quod vbique, quod ſemper Catholica Eccleſia tenendum eſſe docuit.

## 21.

*D.Tho. 2. 2. q. 85. ar. 3. ad. 3. Melch. Canus de loc. Theo. l. 12.* HAEC quæ ex figuris prolata ſunt, ſacrificij ratio confirmat. Duobus quippe modis aliquid Deo offerimus, aut enim ſimplici donatione, ſine vlla mutatione rei quæ donatur, res offertur: vt cum denarij, panes, fructus, ſegetes, carnes, aliáue viua Deo donantur: aut alio modo res offertur, cùm non ſolum Deo donatur, ſed etiam ad Dei honorem mutatur, aut in totum conſumitur: ſicut olim agnus Paſchalis, aliaque animalia, & thus ſignificandi gratia, ad diuinum cultum occidebantur, immolabantur, & incenſione conſumebantur. Prior oblatio, quæ ſine ſui immutatione ſimplex eſt rei donatio, oblatio tantùm eſt. Poſterior verò, in qua res, quæ offertur non tantùm donatur, ſed bono & recto eius vſu ad Dei honorem tranſmutatur, aut conſumitur, propriè ſacrificium eſt. Primi generis oblatione, quæ ſine mutatione fit, o- *I Reg.1. Luc.2.* lim Samuel à matre ſua; & poſtea Chriſtus à parentib. in templo oblati ſunt Domino. Secundi generis oblatione, quæ etiam ſacrificium eſt, Chriſtus immolauit ſe Deo; in Cruce cruentè; & in cœna ſub panis viniqúe ſpeciebus incruentè, facta videlicet tranſmutatione ſubſtantiæ panis in corpus ſuum; & ſubſtãtiæ vini in ſanguinem ſuum, dicendo poſtquam accepiſſet panem, Hoc eſt, corpus meum; ſimiliter poſtquam accepiſſet vinum, Hic eſt ſanguis meus. His verbis ſignificans, non quidem id, quod præerat antequam ea proferret, ſed quod factum erat, cùm ea protuliſſet. Chriſtus enim Deus omnipotens & verax, qui neq; mentiri poteſt, nec fallere vult, quomodo ſine mendacio dixit, hoc eſſe corpus ſuum, quod panis fuerat, niſi dicendo hoc ipſum feciſſe credamus, quod verbis tam apertis ſignificabat. Itáne dicendo faciebat, quod dixit: Vade, filius tuus viuit. Item, Mulier, ecce filius tuus: & Diſcipulo; Ecce mater tua: & *Ioan.4. Ioan.19.* dicendo non fecit quod dixit, hoc eſt corpus meũ; hic eſt ſanguis meus? An verò eſt vlla tanta vis ingenij, quæ huic tam claræ luci tenebras poſſet offundere? Taceo quod vt in re tam ſeria omnem parabolam, tropum, aliamúe figuram, ſimul & dubitãdi, aut Diuina verba contorquendi, aut falsè interpretandi locum excluderet, non tantũ dixit; Hoc eſt corpus meum; ſed addidit etiam, quod pro vobis tradetur: illud idem ſcilicet, quod pro veſtra redemptione iam iam in cruce tradẽdum eſt ad mortem. Item cum dixit, Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti addidit, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.

## 22.

VERISSIMA igitur eſt, & ab omnibus recipienda vniuerſalis Eccleſiæ fides, quã à Spiritu ſancto, tam perſpicuis Chriſti verbis edocta, tanquam columna & firmamentum *1. Tim.3.* veritatis vbiq; terrarum nulla non ætate conſtanter confeſſa eſt, & in plurimis concilijs totius Mundi ſuffragio ſtabiliuit, Saluatorem noſtrum ſub panis viniq; accidentibus (ne aut edentibus moueretur horror, aut incredulis riſus, aut mitibus & humilibus fidei ſubtraheretur meritum) verè & realiter idem ipſum corpus ſuum nobis teſtamento donaſſe, ac in ſacramento reliquiſſe, quod olim, non exangue, non inanime, non vacuum Diuinitate; ſed quod ſaucium cruentumque pro nobis in Cruce immolauit, quodque nunc ſedet ad dexteram Patris.

Primùm quidem, vt perenne quoddam nobis eſſet excellentiſſimi amoris, ac tam amaræ & beatę paſſionis mortiſque ſuæ monumẽ- *Pſal.110. Luc.22. 1.Cor.11.* tum: quo incomparabile Redemptionis noſtræ beneficium non ſine vberrimo fructu in finem vſque ſæculi recoleremus; & ad laudãdum Deum, ac tam fidelem Redemptorem redamandum permoueremur.

Secundò, vt pro varijs veteris legis ſacrificijs, vnicum haberemus & iuge gratiſſimi odoris ſacrificium: quo cruenta illa oblatio ſemel in cruce peracta, incruentè in Eccleſia oblata quotidie Deo Patri repræſentaretur. Quæ ob Diuinam Chriſti dignitatem, ac infinita eius merita, ad debitum Deo cultum, quem latriam vocant, exhibendum; ad auguſtiſſimam eius Maieſtatem digna gloria celebrandam; ad gratias immortales, pro acceptis beneficijs immortali Deo rependẽdas; ad Diuinum numen nobis placandũ, ac bonorum, quæ vel in præſenti, vel futuro ſæculo optanda ſunt, vota conſequenda; ac denique pro peccatorum ac pœnæ remiſſione tam viuis

quàm

quàm defunctis, qui necdum ab omni pœna
*Matt.27.* abſoluti ſunt, conſequenda, longè foret &
*Chryſ.ho.* acceptiſſima & ſufficientiſſima. Nam ſicut
*3.ad Phil.* Chriſtus in cruce etiam pro mortuis mortu-
*et hom 69.* us eſt:ita iuxta Apoſtolicam traditionem de
*ad pop.An* functis huius ſacrificij virtus minimè eſt au-
*tioch.* ferenda.

Tertiò donata ſunt nobis hæc tremenda
corporis & ſanguinis Chriſti myſteria in ſpi-
*Ambro.de* ritualem ac ſalutarem animæ cibum & po-
*ſacram. li.* tum, quo in præſenti huius vitę peregrinatio-
*4.cap.6.* ne non tantùm expiemur ac purgemur ab
occultis, & oblitis, & à leuioribus ſiue quoti-
dianis peccatis, ſed & à capitalibus ſiue mor-
talibus præſeruemur, atque vt in ſpirituali vi-
ta alamur, conſeruemur, & cæleſtium chariſ-
matum abundantia impinguemur. vt deniq;
ipſi capiti Chriſto, ac corpori eius myſtico,
quæ eſt omnium ſanctorum ſocietas, arctiſſi-
*Cyrill.cate* ma fidei, ſpei, & charitatis connexione vnia-
*chiſi miſ-* mur, & concorporemur, vt ita dicam, & con-
*teg 4.* ſanguinei Chriſti effecti, in eo maneamus, &
ipſe in nobis.

Poſtremò, futuræ gloriæ, perpetuæque fæ-
licitatis pignus & arrabo eſt quo fructus me-
ritorum Chriſti facti participes, in hac lacry-
*Sap.16.* marum valle cæleſtium delitiarum prælíba-
tione reficiamur, vt etiam hîc guſtare & vi-
*Pſal.22.* dere poſſimus quàm ſuauis ſit Dominus, qui
in omni Satanæ, carnis, & Mundi tribulatio-
ne, & mortis auguſtia, hoc cæleſti manna nos
confortat ac conſolatur. Et quemadmodum
*3.Reg.19.* olim Eliam ſubcineritio pane recreauit ad
ingrediendum iter in montem Dei Oreb: ita
longè meliori cibo nos vegetans, ad montem
traducit cæleſtem, vbi iuxta beatum Petrum
*2.Pet.1.* Diuinę effecti conſortes naturæ, in beato il-
lo gaudio cum beatis beatè viuamus in æter-
num. Hæc de Ieſu Chriſti Pontificis maximi
ſummo Sacerdotio & ſacrificio, quod in cru-
ce peractum, & in cœna inſtitutum eſt, dicta
ſufficiant. Nunc declaremus illud perpetu-
um eſſe, ac ne ipſo quidem in cœlum ſublato,
è terris eſſe ablatum.

## 23.

SICVT Saluator noſter quando conuoca-
tis duodecim Diſcipulis ſuis præcepit, di-
*Matth.10.* cens: In viam gentium ne abieritis, & in ciui-
tates Samaritanorum ne intraueritis: ſed po-
*Marc.6.* tius ite ad oues domus Iſraël. Euntes autem
*Luc.19.* prædicate, dicentes: Quia appropinquauit re-
gnum cęlorum. Infirmos curate, mortuos ſu-
ſcitate, leproſos mundate, dæmones eijcite.
ijs verbis fecit eos verè Apoſtolos, atq; Iſraë-
litici populi Doctores, dans illis auctoritatem
prædicandi regnum Dei, & poteſtatem ægro-
tos curādi, mortuos ſuſcitandi, leproſos mū-
dandi & dæmones eijciendi, ſed in Iſraeliti-
ca duntaxat terra, vnde & bini per pagos cir-
cumeuntes vbique prædicabant, dæmonia
eijciebant, infirmos oleo vngebant & ſana-
bant. Et quemadmodum cùm poſt reſurre-
ctionem ſuam locutus eſt eis, dicens: Data eſt
*Matt.28.* mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Eun-
*Marc.16.* tes ergo in mundum vniuerſum, docete om-
nes gentes, & prædicate Euangelium omni
creaturæ. baptizantes eos in nomine Patris,
& Filij & Spiritus ſancti. docentes eos ſerua-
re omnia, quæcunq; mandaui vobis. non ſo-
lùm Iſraelitici populi, ſed totius mundi Apo-
ſtolos ac Doctores conſtituit, dans eis aucto-
ritatem & præcipiens, vt iam præceptum no-
uum, quod nouo vocabulo nominauit Euan-
gelium, hoc eſt, bonum & lætum æternæ ſa-
lutis nuncium, prędicarent, id eſt; pręconum
more publicè promulgarent, non tantùm I-
ſraelitis in Iudæa & Galilæa, & Samaritanis,
ſed omnibus vbique orbis terrarū, quotquot
hominis vocabulo cenſentur. vt omnibus of-
ferretur, quod Diuinitùs pro omnium ſalute
donatum erat.

Ita quando in die Paſchæ Apoſtolis ſuis di-
xit: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. ac- *Ioan.20.*
tum inſufflans in eos, addidit: Accipite Spiri-
tum ſanctum. quorum remiſeritis peccata,
remittuntur eis: & quorum retinueritis, retē-
ta ſunt. Item aliâs: Amen dico vobis, quæcun- *Matth.18.*
que alligaueritis ſuper terram, erunt ligata &
in cælo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram *Luc.22.*
erunt ſoluta & in cælo, Deniq; cùm in extre- *1.Cor.11.*
ma cœna, poſtquam panem & vinum in ſuū
corpus & ſanguinem conſecraſſet, dixit eis:
Hoc facite in meam commemorationem,
his verbis conſecrauit & ordinauit eos noui
teſtamenti Sacerdotes, atq; tam ipſis, quàm le-
gitimis eorū in ſacerdotio ſucceſſoribus, om-
nem quam in hac parte habebat (licet Diui-
nā prorſus, & quę humanam & Angelicam
excederet naturam) donauit autoritatem: vt
Dei in terra vicarij quæcunque pœnitentium
quorumlibet peccata remitterent: & faciēdo
quod in cœna fecerat, panem in ſuum cor-
pus, & vinū in ſuum ſanguinem conſecrarēt,
Deo offerrent, frangerent, ſumerent, alijsque
ſumenda adminiſtrarent. Et hęc pręcipua at-
que vnica penè profertur ratio, quod Deipa
ra virgo, alięq; feminei ſexus tum virgines tū
matres licet ſanctiſſimæ, ad ſacratiſſimam
hanc cœnam admiſſę non fuerint. Quamuis
enim ſanctiſſima Dei mater ad participatio-
nē tanti myſterij maximè eſſet idonea, quip-
pe quæ ſola digna reperta fuit, vt Deum vir-
ginalis vteri anguſtia nouem menſibus con-
tineret eumque in terris nutriret atq; educa-
ret. attamen ad munus Sacerdotale, quod
hîc Chriſtus inſtituere cupiebat, ſolùm maſ-
culinus humani generis ſexus, adeoque ſoli
tum temporis Apoſtoli, homines rudes & pi-
ſcatores, præ ſanctiſſimis illi mulieribus, im-
mò Angelis, ſoli idonei habiti fuerunt.

## 24.

PORRO, huius ſacerdotij poteſtas aptiſſi-
mè expreſſa eſt Græco verbo, ποιεῖτε, ſiue
Latino, Facite. Nam quemadmodum in lin-
gua Hebraica verbum עשה aſa, ſiue haſah, &
Gręca ποιεῖν; δρᾶν, & ἐργάζεσθαι, ita & in Latina, face
re & operari tū in Sacris, tū in profanis literis
ſępiſſimè pro ſacrificare & offerre vſurpātur.
Inprimis Exodi capite decimo, vbi nos legi- *Exod.10.*
mus: Hoſtias quoque & Holocauſta dabis no-
bis,



bis, quæ offeramus Domino Deo noſtro; pro
offeramus, Hebraicè eſt aſinu, id eſt, faciemus,
*Leuit.15.* pro ſacrificabimus. Deinde Leuitici cap. 15. Su-
met duos turtures aut duos pullos columbæ,
dabitq; eos Sacerdoti: qui faciet vnū pro pec-
*Leuit.23.* cato, & alterū in holocauſtum. Ibidē ca. 23. Fa-
*Num.6.* cietis & hircum pro peccato. Itē Numeri ca. 6.
Offeret duos turtures vel duos pullos colum-
bę Sacerdoti, faciatque Sacerdos vnū pro pec-
*Nu.8.* cato, & alterum in holocauſtū. Et ca. 8. Leuitæ
ponent manus ſuas ſuper capita boum. è qui-
bus vnum facies pro peccato, & alterū in ho-
*Iudic.13.* locauſtum. Præterea Iudicum cap. 13. Obſecro
te, inquit pater Samſonis ad ignotum ſibi An-
gelū, vt acquieſcas precibus meis, & faciamus
tibi hedum de capris. Cui reſpondit Angelus:
Si vis holocauſtum facere, offer illud Domi-
*3.Reg.18* no. Adhæc li. 3. Reg. ca. 18. dixit Elias prophetis
Baal: Ego faciam bouem. Eligite vobis bouem
vnum, & facite primi. Qui cùm tuliſſent bouē,
fecerunt: & inuocabant nomen Baal à mane
vſq; meridiem dicētes: Baal exaudi nos. Apud
*Ezech.43.* Ezech. quoq; c. 43. Dominus ritus ſacrificij præ
cipiens: Septem diebus, inquit, facietis hircū
pro peccato quotidie. in die octaua facient Sa-
*Ezec.45.* cerdotes ſuper altare holocauſta veſtra. Et ca.
*Ezech.46.* 45. Ipſe faciet pro peccato ſacrificiū, &c. Rur-
ſus ca. 46. Et faciēt ſacerdotes holocauſtum e-
ius, &c. Quibus locis LXX. Interpretes (quorū
tranſlationem Euangeliſtæ & Apoſt. crebrò
ſecuti ſunt) ferè ποιεῖν, id eſt, facere, pro ſacrificare po-
ſuerunt. Habemus & præclaram huius rei in nouo te-
ſtamento auctoritatem. Nam cùm B. Marcus
*Marc.14.* dicat: Primo die azymorum, quando Paſcha
*Matth.26.* (ἔθυον) immolabant: Chriſtus in Matthæo primo azy-
morum die dicit. Apud te (ποιῶ) facio Paſcha cum diſ-
*1.Cor.9.* cipulis meis. Atq; D. Paulus epiſt. 1. ad Corinth. ca. 9.
οὐκ οἴδατε, inquit, ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι &c. An neſcitis
quod ij, qui ſacra operantur, de ſacrificio viuūt? Inter pro-
fanos verò auctores primus Athenæus occurrit, qui
li. 14. ſuo idiomate ſcribit: οἱ πάλαι τὸ θύειν δρᾶν ὠνόμαζον
.i. Veteres ſacrificare, facere nominauerunt.
Huic ſe Romani adiungunt, qui in eadē ſigni-
ficatione verbo, facere, & operari, vſi ſunt. No
nius ſiquidem vetuſtiſſimus Latinæ linguæ
auctor, ait: Operari, eſt religioſè & cū ſumma
veneratione ſacrificijs litare, & conuiuari. Et
Plautus in Aulul. *O fides mulſi congialē tibi faci-
am fideliam.* Et quoq; ſummus Latinus poëta
Virgilius, in Palæm.

*Cùm faciam vitula pro frugibus, ipſe venito.* tan-
quam dicat, inquit Macrob. li. 3. ca. 2. Saturnal.
cùm vitulā pro frugibus ſacrificauero: quod
eſt, cùm vitula rem diuinā fecero, veni ad ſa-
crum conuiuium. Similiter & Iuuenal. Satyr. 9.

*Pro populo faciens quantum Laufella bibebat.*

Idem Satyr. duodecima:

*Et matutinis operatur feſta lucernis.*

Sed & Latinæ eloquentiæ princeps Cicero:
*Pro.Mura.* Nolite, inquit, à ſacris Iunonis ſoſpite, cui om
nes Conſules facere neceſſe eſt, domeſticum,
& ſuum Conſulem auellere. Pomponius deni
que: Ad Veneris profectus eſt mane vetulus,
votum vt ſolueret, ibi nunc operatus eſt. Poſ-
ſemus idem ſexcentis alijs teſtimonijs proba-
re: ſed hæc ſatis ſunt ei, qui manifeſtæ veritati
non volet refragari.

## 25.

APOSTOLI itaque poſt Chriſti in cęlos
aſcēſum accepto Spiritu S. non ſolùm ex *Pſal.18.*
Saluatoris pręcepto Doctorum obierunt mu- *Marc.16.*
nus, Euangelium vbiuis gētium prædicando,
idq; miraculis cōfirmando: verùm Sacerdo-
tum quoq; functi ſunt officio, atq; Domini-
cam cœnā, nouiq; teſtamenti nouum ſacrifici
um celebrauerūt. Quod Hebraica voce Miſſa,
quaſi ſpontanea oblatio vocatum fuit. Nam
16. lib. Deut. ca. vbi Latina noſtra tranſlatio ha
bet, oblationem ſpontaneam, Hebraicus tex- *Deut.16.*
tus habet מסה Miſſah, quod Hebræis propriè
oblationem ſignificat, quæ ex optima, ſponta-
nea & libera volūtate oblata, poſtea cum lęti-
tia comedebatur. A Gręcis aūt ſacra hæc actio
λειτουργία Liturgia appellatur, quod nomen in ea ſig-
nificatione, qua munus illud publicum ſig-
nificat, quo in ſacrificijs peragēdis Sacerdotes
funguntur, ſæpius legitur, tum in veteri in-
ſtrumēto, vt Num. ca. 4. 8. & 18. Deuter. cap. 18. *Num.4.8.*
Iſai. 61. tum & in nouo, Luc. ca. 1. Epiſt. D. Pauli *ſæpe 18.*
ad Philip. ca. 2. ad Hebr. ca. 8. 9. & 10. &c. Quod *Deut.18.*
verò ad Latinos attinet, accipiētes ab Hebræ- *Iſai.61.*
is ſacrificium, acceperunt & ab Hebręis Miſſæ *Luc.1.*
vocabulum. quod etiamnū vnà cum alijs mul *Phil.2.*
tis Hebraicis verbis retinent, vt ſūt: Paſcha, Ie- *Heb.8.9.*
ſus, Maria, Ioannes, Alleluia, Satan, Amen, & *10.*
id genus alia, Quæ apud Eccleſiaſticos in vſu
manent, partim propter latentem vocū ener-
giam, & naturalem vim, quæ alio quouis idio-
mate optimè exprimi non poteſt: partim ad
celebrandam memoriam, quòd ſalus à Iudęis *Ioan.4.*
ſeu Hebræis ad nos manauerit. Ita Chriſti ſacri *a Phil.4.*
ficium Miſſam vocant primi Romani Pontifi *Paſſus eſt*
ces & martyres in conſtitutionibus ſuis, *a* Cle- *anno Chri*
mens Apoſtolorū Petri & Pauli in Euangeli- *ſti 77.*
co negotio coadiutor, *b* Alexāder, *c* Teleſpho *b anno 117.*
rus & *d* Higinus. Item B. Ignatius Ioann. Apoſt. *c anno 138.*
diſcipulus, & Antiochenę Eccleſię tertius *d anno.142.*
poſt Petrum Apoſt. Epiſcopus & martyr, in e-
piſtol. ad Smirnenſes. D. Ambroſ. epiſt. 33. ad
Marcellinam ſororē ſuam. Item Hiſtoria tri-
partita lib. 3. cap. 11. & lib. 4. cap. 13. & lib. 10. ca.
23. Et Innocentius epiſt. 1. ad Rufum.

## 26.

SED vt hęc miſſa faciamus, declaremus Apo
ſtolos mox poſt acceptū Spiritū S. Miſſæ ſeu
Liturgiæ celebraſſe ſacrificium, atq; fideles tū
tēporis quotidie corpori & ſanguinis Domi-
nico cōmunicaſſe. Patet hoc imprimis apertè
ex Actuum Apoſt. c. 2. circa finem, vbi ſic legi- *Act.2.*
tur. Erant aūt perſeuerantes in doctrina Apo-
ſtolorū, & cōmunicatione, & fractione panis,
& orationibus. Et paucis interiectis: Quotidie *Ibidem.*
quoq; perdurantes vnanimiter in templo, &
frangentes circa domos (vel vt Græci habent,
per ſingulas domos) panem, ſumebant cibum
cum exultatiōe & ſimplicitate cordis, collau-
dantes Deum. Item c. 20. Vna autē ſabbati (hoc *Act.20.*
eſt, primo die Sabbatorū, qui ob Chriſti reſur-
rectionem tempore Apoſtolorum dictus eſt
dies Dominicus) cùm cōueniſſemus, inquit *Apocal.1.*
B. Lucas, ad frangendum panem. Et clariſſimè

*Act.13.* Actorum cap.13. circa principiũ: λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ. i. interprete Eraſmo & Pagnino, Quum autẽ illi ſacrificarent Domino. haud dubiè quin myſticum panis & vini ſacrificium, de quo in mãdatis acceperãt, Hoc facite, &c. De quo illuſtris *Breu.Rom.* Perſbyterorum & Diaconorũ Achaię extat auctoritas, qui in martyrio D. Andreæ, cuius oculati teſtes fuerunt, hanc D. Andreæ ſcriptam reliquerunt confeſſionem: Ego omnipotenti Deo, qui vnus & verus eſt, immolo quotidie, nõ taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum agnum in altari: cuius carnem poſteaquam omnis populus credentium manducauerit, agnus qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat & viuus. Accedit his D. Paulus, qui nõ ſolùm hoc noui teſtamẽti ſacrificiũ in primitiua Eccleſia fuiſſe, ſed & ſe illud celebrare ſolitum eſſe nõ obſcurè ſignificat, cùm ad Corinthios ſcribens, ait: *1.Cor.10.* Propter quod chariſſimi mihi, fugite ab idolorum cultura. Vt prudẽtibus loquor: vos ipſi iudicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nõne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quẽ frangimus, nõne participatio corporis Domini eſt? Quoniã vnus panis, & vnũ corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus. Videte Iſraëlem ſecundũ carnem. Nonne qui edũt hoſtias participes ſunt altaris? Quid ergo? dico ꝙ idôlis immolatum, ſit aliquid? aut quòd idôlũ ſit aliquid? Non dico hoc. Sed quòd ea quę immolant Gentes, Dæmonijs immolant, & non Deo. Nolo aũt vos ſocios & conſortes fieri dæmoniorũ. Non poteſtis calicẽ Domini bibere, & calicẽ Dęmoniorũ: non poteſtis menſę Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum. *Con.Trid. ſeſſ.22.c.1.* Sicut.n. per dæmoniorum menſam, altare intelligẽdum eſt, in quo Gẽtiles ex Diaboli voluntate, qui pro Deo coli ambiebat, carnes & cibos primò in ſacrificiũ Dæmonibus immolabant, & poſtea in eorum honorem comedebant: ita etiã (vt, quod Apoſt. proponit, probabili argumentatione concludatur) mẽſa Domini, nihil aliud, niſi altare in quo ſacrificium Domino fiebat, ſignificare poteſt. De quo idẽ *Hebr.13.* Apoſt. in epiſt. ad Heb. dicit: Habemus altare, de quo edere non habẽt poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt id eſt, qui necdum, conuerſi ad fidẽ, adhuc in Iudaiſmo legem obſeruãt. Cũ igitur manifeſtè Apoſt. declaret ſua ætate in Eccleſia fuiſſe altare ſanctũ: fuit & ſacrificiũ *Hebr.5.8.* ſanctum: nã altare & ſacerdos vi ſua ad ſacrificium ſic referũtur, vt nõ poſſit eſſe altare & ſacerdotium, niſi propter ſacrificium. Argumẽtum aũt, quo participatio menſæ idolorũ Corinthijs vitãda eſſe docetur, Apoſt. hoc ferè modo inſtuit. Quemadmodũ Iudæi, qui de oblatis ſacrificijs edũt, participes ſunt altaris, hoc eſt ſacrificij in altari oblati: & ſicut Chriſtiani, qui de vno pane corporis Chriſti, & de vno calice ſanguinis eius, in altari Eccleſię ſanctificatis & oblatis comedunt, cõmunionem habẽt cum Chriſto, ipſiq́; vniuntur & incorporãtur. ita illi, qui dolothita, hoc eſt, carnes aut eſcas idôlis ac dæmonibus immolatas comedunt, participationem habẽt cũ dęmone, illiq́; coniunguntur, & per cõſequens, à Deo ſeparãtur.

## 27.

CAETERVM cùm Miſſæ ſacrificiũ iam inde à Spiritus S. miſſione ab Apoſt. in Eccleſia celebratum eſſe, & per continuã ſucceſſionem in Eccleſia manſiſſe declaramus; nemi nem mouere debet, quod poſterioribus tẽporib. maiori apparatu, & grauiori cæremoniarũ maieſtate id peractũ eſſe inueniat. Cùm.n. Chriſtus Dominus nihil de ordine Dominicã cœnã celebrandi mandauerit, penes Apoſt. eorumq́; ſucceſſores (quibus regendi Eccleſiam auctoritas tradita eſt) poteſtas fuit ea, quæ, non dico ad ſacrificij ſubſtantiam, ſed ad eius maieſtatem, cultum ac venerationem pertinẽt, cũ tempore magis excolere & promouere. Sicut ipſe Apoſt. ſatis indicat, cùm Corinthios circa Dominicæ cœnæ celebrationẽ errãtes, eiuſq́; dignitatem, quò ad inſtitutorem, & eius effectum ſpectat, nõ attendẽtes ac propter indignã tãti ſacramenti ſumptionẽ grauiter arguens, eoſdem his de rebus inſtruit inter alia dicens: *1.Cor.11.* Quotieſcunq; mãducabitis panem hũc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Itaq; quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè: iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicãs corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, nõ vtiq; iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cũ hoc Mũdo damnemur. Itaq; fratres mei, cùm conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. Si quis eſurit, domi manducat: vt non in iudicium conueniatis. Cætera autem, cùm venero, diſponam. His enim verbis apertè Apoſ. indicat, ſe noluiſſe omnia ſacræ huius Euchariſtiæ myſteria ſcriptis mandare: ſed aliqua reſeruaſſe, quæ præſens præſentibus enucleatius perfectiuſq́; indicaret ac traderet. D. Auguſt. *Aug.epiſt. 118. ad Ian. cap.6.* tractans hunc Pauli locum epiſt. 118. dicit Saluatorem ideo non præcepiſſe quo ordine cœna ſumeretur, vt Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſeruaret hunc locum. Quare quod tũ Apoſtoli, tum illi, qui eis in ſacerdotio ſucceſſerũt Pontifices, circa celebrationẽ huius ſacrificij, orationes, gratiarum actiões, lectiones, ritus & cæremonias quaſdam ordinauerint, eò omnia ſpectant, vt tanti ſacrificij maieſtas magis eluceat, vtq́; mentes fidelium per viſibilia pietatis & religionis ſigna, ad ſalutarium redemptionis noſtræ myſteriorũ contemplationem excitentur. Neq; viliora propterea quis ea exiſtimet, quia non ab ipſo Chriſto ſunt inſtituta, cùm non minus ratum ſit, vt D. Cypr. ait, quod dictante Spiritu S. Apoſt. tradiderũt, quàm quod Chriſtus ipſe tradidit, & *Cyp.ſerm. de ablut. pedum.* in ſui commemorationem fieri præcepit. Et ſi quod tota, inquit, Auguſtinus per orbem frequentat Eccleſia, hoc quin ita faciendũ ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. *Aug.epiſt. 118.*

## 28.

SED vt hęc, quę de noui teſtamẽti ſacrificio, quod vnicũ omnibus veteris teſtamenti ſacrificijs ſucceſſit, cõcludamus, glorioſa eius memoria, quæ apud Malachiam eſt, coronidis loco aptè hîc inſerenda occurrit. Dominus itaque ad hoc noui teſtamenti ſacrificium, de quo nobis ſermo eſt, reſpiciens, apertè prædicit omnia veteris inſtituti ſacrificia, oblationes, ac holocauſtomata reprobanda eſſe, ac aliam longè oblationem in eorum locũ ſubſtituendam. quæ non in Iudęa duntaxat inter feces Iſraël, ſed & in omni Orbis terrarum loco inter gentium multitudinem nomini ſuo *Malach.1.* offeretur. Verba Prophetę ſic habent: Non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis vſq; ad Occaſum, magnum eſt nomen meũ in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meũ in Gentibus, dicit Dominus exercituum. Nec eſt quod quis Diuinum hoc oraculum hęretica peruerſitate ad ſacrificiũ laudis, orationis, aut cordis cõtriti referat, cùm illud ſacrificiũ non poſſit dici ſuccedere ſacrificijs veteris teſtamẽti; tum quia ipſum etiam in veteri teſtamento fuit; tum quia iſta oblatio non eſt omni loco munda, cùm frequẽter & ſanctis Deũ *Irena.li.4. cap.32.33. 34.* orantibus irrepant mentis euagationes, quæ aliquo ſaltem vel leui neuo cordis ſacrificiũ offuſcant. *Hiero.Malach.1.* Auguſtiſſimum verò ac puriſſimũ Euchariſtiæ ſacrificium, ſolum nulla offerentium indignitate aut malitia inquinari poteſt: *Aug.de ciuit.18.c.35. & 19.c.23. et in pſ.106.* atq; illud ipſum Deo gratiſſimum, iugiter in toto terrarum Orbe in omni loco inter Gentes ſacrificatur. De quo prædictam Propheciã *Marti.epi. ad Burdeg.* Cath. Eccleſiæ Doctores omnes, qui hunc lo- *Con.Trid. ſeſſ.22.c.1.* cum tractauerunt, à naſcentis Eccleſiæ exordio vſq; in hodiernũ diem interpretati ſunt.

## 29.

OSTENSO ꝙ Chriſtus pro veteris teſtamẽti ſacrificijs nouũ ſacrificiũ inſtitituerit, & ꝙ pro abolito ſacerdotio Aaronico, ſacerdotiũ ſecundum ordinem Melchiſedec induxerit; iam nõ abs re erit declarare, quod ſacerdotium illud non tantũ Apoſtolorum tempore penes Apoſtolos fuerit; ſed ab ipſis ad nos huc vſq; in Eccleſia perſeuerare. Quod vt ordinatè faciamus, notandum duplicis generis in Catholica Eccleſia eſſe Sacerdotes. maiores nimirum, & minores. Maiores, Apoſtoli sũt, eorumq́; ſucceſſores, dignitate cæteris præeminentes. qui ceu legati à Chriſto miſſi ſunt, & Græcè ἀρχιερεῖς, hoc eſt, primarij Sacerdotes; & ἐπίσκοποι, Epiſcopi, id eſt, ſpeculatores ſeu inſpectores, nominantur. quod illorum præcipuè munus ſit, gregis ſibi commiſſi ſaluti prouidere. Latinè *Varro de lingua Latina lib.4.* autem pontifices & Antiſtites dicũtur. Pontifices quidem, vel à poſſe & facere, vt Q. Scæuola apud Varronẽ dicit: vel, vt ipſe Varro ſcribit, à ponte. *Diony.Halicar.lib.2.* A Põtificibus enim pons Sublicius eſt factus primùm, & reſtitutus ſæpè. Antiſtites verò dicũtur, ab eo quod dignitate omnes anteſtant & excellunt.

*Iſai.66. Neem.11. Iudit.5.* Minores Græcè ἱερεῖς, tanquam ſacri & ſacris operantes; & πρεσβύτεροι, Presbyteri, hoc eſt, ſeniores vocantur: à ſeniorũ dignitate, quod ſenectutis, quæ homini prudentiam adferre ſolet, digni ſint honore. Dignitatis enim, non ætatis nomen eſt. Vnde D. Paulus ad Timoth. ætate quidem adoleſcentem, ſed dignitare Preſbyterũ, *1.Tim.4.* ita ſcribit: Nemo adoleſcentiam tuam contẽnat. Et, Qui bene præſunt Preſbyteri, duplici *1.Tim.5.* honore digni habeantur. *Varro vbi ſupra.* Latini hos à ſacris Sacerdotes nuncupant: Deo enim ad ſacrificia facienda dicati ſunt.

## 30.

QVOD ad maiores Sacerdotes attinet, conſtat in primis ex ſacra Scriptura, Apoſtolos (qui, vt B. Paulus ait, pro Chriſto legatione *2.Cor.5.* fungebãtur) nonnullos ordinaſſe, quos etiam ad Apoſtolicã & Epiſcopalem dignitatem aſſumpſerunt. Nã vt in actibus Apoſtolorũ ſcri- *Act.1.* bitur, ſtatim poſt Chriſti aſcenſionem, in Iudę proditoris locum hortatu B. Petri, qui ſacri illius Apoſtolici collegij primatũ gerebat, fuſis ad Deum, precibus, Matthiam ſorte ſuffecerunt. Atq; poſtea Spiritus ſancti mandato, per *Act.13.* orationes & manuum impoſitionẽ Paulum, & Barnabã gentium conſtituerũt Apoſtolos.

Paulus verò Timotheum ordinauit Epiſcopũ. vnde ei ſcribens, dicit: Noli negligere gra- *1.Tim.4.* tiam, quę in te eſt: quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuũ Preſbyterij. Et poſtea. Propter quam cauſam admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impo- *2.Tim.1.* ſitionem manuum mearum. Eidẽ ait: Manus citò nemini impoſueris. quod propriè Epiſco *1.Tim.5.* porum eſt. Quod verò ad minores Sacerdotes ſpectat, habemus quod Paulꝰ & Barnabas per- *Act.14.* agrantes Aſiam minorem, conſtituerunt per ſingulas Eccleſias Preſbyteros. Et Titus ad pręſcriptum Pauli in Creta inſula, quę quod centum vrbibus clara eſſet, Græcis ἑκατόμπολις Hecatompolis appellatur, oppidatim Preſbyteros conſtituit. Quod ex ipſius Pauli literis eidem Tito miſſis liquet, cũ ait: Huius rei gratia reliqui *Tit.1.* te Cretæ vt ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates Preſbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Quo tamẽ loco etiam de Epiſcopis ſermo eſt. Hæc de Apoſtolorum temporibus ſufficiant. Supereſt nunc, vt idem de poſterioribus temporibus probemus. quod ex Pontificum Romanorum ſerie faciendum eſſet. Sed cùm id prolixioris operis ſit, & ab inſtituto noſtro alienũ, ſtudioſum lectorẽ remittimus ad *Lib.2. ad Parmenianum, paulò poſt initiũ.* Opta. Mileuita. Damaſum Papam, D. Auguſ. Euſeb. Pamphilum, Barth. Platinam, Onuphrium Panuinũ, alioſq́; Eccl. Scriptores. apud quos ex omni antiquitate exactiſſimè no- *In Pontificali.* tatum inueniet, partim Rom. Pont. continuã *Epiſt.165. to.2.p.751.* ac perpetuã ſucceſſionẽ, partim quot ſinguli *in hiſtor. Eccleſiaſt.* creauerint ꝑ diuerſa loca Epiſcopos, quot Sacerdotes, quot diaconos. Deprehenderq́; quã ſolenne ſẽper fuerit omnib. orthodoxæ fidei cultoribus, vt nemo in Chriſtiana Rep. Epiſcopatũ vel ſacerdotium gereret, aut rem diuinam faceret, niſi qui vel à Chriſti vicarijs Apoſtolis, vel ab eorũ ſucceſſoribus Epiſcopis, legitimo ritu ſacris ordinibus eſſet initiatus.

## 31.

SED fuerũt hæretici, qui cùm viderẽt, quod reclamantibus tã multis & varijs hiſtoricis

*Alfonſus de caſtro aduerſus hæreſes lib. 13.*

veritatis nuncijs, ſucceſſionem Sacerdotũ negare non poſſent, aliud ſibi erroris diuerticulum quæſierunt. dicendo omnem Sacerdotij poteſtatem per peccatum mortale amitti. Quare ne hos ſubterfugere videamur, paucis ac ſtrictim oſtendamus, Deum Opt. Max. ex æquo per bonos & malos, per dignos & indignos Eccleſiæ Sacerdotes ſua ſacramenta & conficere & adminiſtrare, ac fidelium ſalutem operari; nec plus dari à bono, nec minus à malo.

*Gen. 1.* *Gen. 19.* *Mat. 5.*

Sanè conſtitutio & ordinatio Dei tam eſt certa atq; firma, vt nullius hominis impietas, Dei opus poſſit impedire. Nam Deum, qui in Mundi initio dixit, Creſcite, & multiplicamini, & replete terram: videmus tam immutabiliter ſtare ſuis dictis, vt etiamſi pater filiam, aut filius matrem cognoſcat, (vt nihil dicam abominabilius) ipſe tamen, quoniam ſemel dixit, creſcite & multiplicamini, tam pollutæ generationi non minus incrementum naturale det, atq; ſpiraculum vitæ inſpiret, quàm ſi ſit munda atq; ſancta. Ad hæc ea, quæ per iuſtos & iniuſtos agricolas ſeminata ac plantata ſunt, æquè Sole fouet, pluuia rigat, eiſq; incrementum dat, & fructificare facit. Sed neq; ſumma Iudæorum Chriſtum affligentium ac crucifigentium malitia, non potuit paſſionem ac ſacrificium Chriſti in cruce aut impedire, aut contaminare, aut nobis in ipſum credituris reddere inefficax. Quare neque Sacerdotis malitia, qui non ſuo nomine, neque ſua virtute, ſed nomine Chriſti ac totius Eccleſiæ operatur, non poterit aut impedire aut polluere, aut inutilia reddere Chriſti ſacramenta, ex paſſione ipſius energiam ſuam ac ſanctificandi vim habentia. ijs videlicet, qui malitiei expertes, pio ea animo accipiunt. Quod giitur ad eſſentiam ſacramenti ſpectat, nihil refert ſiue à pio cõferatur, ſiue ab impio: dummodo legitimè ordinatus, legitimus ſit eius ſacramenti miniſter, idq; debitè ac ritè adminiſtret. Ipſius enim indignitas nec gratiam prohibet Diuinam, nec ſacramẽtum polluit: ſed ipſum polluit damnatq; miniſtrũ, qui inſtar candelæ ardẽtis, alijs quidem prodeſt: ſeipſum autem conſumit ac perdit.

32.

*Ioann. 1.* *Aug. tract. 6. in Ioan. longè ante medium.*

AT veteres ſuper hac re conſulamus, eorumque ſtemus iudicio, qui auctoritate, qui vitæ ſanctimonia, qui eruditione ſemper clari fuerunt. D. Auguſtinus commentans ſuper illud Ioanni Baptiſtæ dictum, Super quem videris Spiritum deſcendẽtem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. quid, inquit, Ioannes per columbam didicit? niſi quandam proprietatem in Chriſto talem futuram, vt quamuis multi miniſtri baptizaturi eſſent, ſiue iuſti, ſiue iniuſti; nõ tribueretur ſanctitas baptiſmi, niſi, illi ſuper quem deſcendit columba, de quo dictum eſt, Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Petrus baptizet, hic eſt qui baptizat. Paul⁹ baptizet, hic eſt qui baptizat. Nam ſi pro diuerſitate meritorum baptiſma ſanctum eſt; quia diuerſa ſunt merita, diuerſa erunt baptiſmatã: & tantò quiſq; àliquid melius putatur accipere, quantò à meliori videtur accipiſſe. Ipſi ſpirituales ſancti, intelligite fratres mei, boni pertinẽtes ad columbam, pertinentes ad ſortem ciuitatis illius Hieruſalem, ipſi boni in Eccleſia, de quibus dicit Apoſtolus; Nouit Dominus, qui ſunt eius: diuerſarum gratiarum ſunt, non omnes paria merita habent. Sunt alij alijs ſanctiores, ſunt alij alijs meliores. Quare ergo, ſi vnus ab illo, verbi gratia, iuſto ſancto baptizetur; alius ab alio inferioris meriti apud Deum, inferioris gradus, inferioris continentiæ, inferioris vitæ: vnum tamen, & par, & ęquale eſt quod acceperunt, niſi quia hic eſt qui baptizat.

Quid his Auguſtini verbis clarius dici poſſet? quibus non à miniſtro ſacramenti virtutem æſtimat, ſed à Chriſto. Chriſtus enim eſt, inquit, qui baptizat. Ipſe quod in Cruce meruit, per ſacramẽta nobis communicat. Quare perinde eſt cùm quis ab homine aliquo baptizatur, ac ſi ſub cruce Chriſti ſtaret, ac roſeo & viuifico eius ſanguine & aqua, è latere & vulneribus ipſius profluente, in remiſſionem peccatorum conſpergeretur.

33.

*Iren. lib. 5.* *Ambroſ. de ſacramen. lib. 4. cap. 4. & 5.* *Chryſoſt. hom. de prod. Iudæ.*

PARI quoque ratione docent Doctores, quod quando Sacerdos, qualis qualis ille ſit, ex Chriſti perſona cum debita intentione panem benedicit, dicens; Hoc eſt corpus meum: & vinum, Hic eſt ſanguis meus. poſt horum verborum prolationem, Diuina virtute per verba Chriſti operante, ſubſtantia panis in momento conuertatur in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem eius. Quod in primis clarè docet Irenæus, cùm ait: Quando factus panis, & mixtus calix, percipit verbum Dei, fit Euchariſtia corporis & ſanguinis Chriſti. Et apertiſſimè D. Ambroſius, dicens: Panis iſte, panis eſt ante verba ſacramentorum: vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Hoc igitur aſtruamus, quomodo poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? conſecratione. Conſecratio igitur, quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu. Nam per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: vbi venitur vt conficiatur venerabile ſacramentum, iam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti. Ergo ſermo Chriſti hoc conficit ſacramentum. Et paulo poſt: Antequam conſecratur, panis eſt: vbi autem verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti. Et ante verba Chriſti calix eſt vini & aquæ plenus: vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit. Hæc Ambroſius. Cui conſentit & D. Chryſoſtomus, homilia quadam de proditione Iudæ, ſic ſcribens: Non homo qui corpus Chriſti facit & ſanguinem, ſed ille qui crucifixus eſt pro nobis, Chriſtus Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei gratia & virtute propoſita conſecrãtur. Hoc enim eſt, ait, corpus meum. Hoc verbo propoſita conſecrantur. Et ſicut illa vox quæ dicit; Creſcite & multiplicamini,

& replete



& replete terram; ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum ad generationem operante natura: ita vox illa ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ, vſq; ad hodiernũ diem, & vſq; ad Chriſti aduentum præſtat ſacrificio firmitatem. Hactenus Chryſoſt.

34.

*Chriſoſt. ſuper 2. epiſtol. ad Timoth. homil. 2. in fine.* *Cypr. ſer. de baptiſ. Chriſti, & manifeſtatione Trinitatis.* *Chryſ. ho. 60. ad populum, & 83. in Mat. in Ioan. 19. ſuper. exiuit ſanguis & aqua. Matt. 9. Luca 7.*

PORRO ſicut Sacerdotis conſecratio, ita & oblatio eius cum Chriſti oblatione eadem eſt. qua de re clariſſima quoque veterum eſt auctoritas. dicit enim Chryſoſtomus: Sacra ipſa oblatio, ſiue illam Petrus, ſiue illam Paulus, ſiue cuiuſuis meriti ſacerdos offerat, eadem eſt quam dedit Chriſtus ipſe diſcipulis ſuis, quamque Sacerdotes modo conficiunt. Nihil habent iſta quàm illa minus. Cur id? nam non hãc ſanctificant homines, ſed Chriſtus, qui illam ante ſanctificabat. Quemadmodum enim & verba quæ locutus eſt Chriſtus, eadem ſunt quæ Sacerdotes nunc pronunciant: ita & oblatio eadem eſt. Huc vſq; Chryſoſtomus. Cui aſtipulatur B. Cyprianus, ita ſcribens: Sacrificium quod Chriſtus in cruce obtulit, ſic in beneplacito Dei conſtat acceptabile, & perpetua virtute conſiſtet, vt non minus hodie in conſpectu Patris oblatio illa ſit efficax, quàm ea die qua de ſaucio latere ſanguis & aqua exiuit. Hæc Cyprianus. Quod verò ad communicantes attinet, illi à manu Sacerdotis, licet impij, non minus accipiunt, quàm ſi cùm Apoſtolis menſæ Domini aſſidentes, ex ipſius Chriſti manibus, eius corpus ac ſanguinem acciperent; aut ſi, vt Chryſoſtomus inſinuat, à Chriſti manu è cælo inuiſibiliter extenſa, eadem acciperent. Qui alibi etiam ait: Quoties ad mirandum calicem accedis, tanquam ab ipſo latere hauriens accedas. Nec à ratione abhorret, ſi ſimiliter dicamus perinde eſſe cùm quis verè pœnitens, legitimè à Sacerdote abſoluitur, ac ſi Chriſtus è cælo ei dicat, vt olim Paralytico & Magdalenæ dixit: Confide fili, remittuntur tibi peccata: aut ſi ſub cruce, ſanguinis Chriſti aſperſione à peccatis expiaretur. De alijs quoque ſacramentis eadem eſt ratio. pro quare, quia prolixum foret Patrum teſtimonia enumerare, breuitati ſtudentes omittimus.

35.

*Matt. 24.* *Matt. 28.* *Epheſ. 4.* *1. Cor. 12.* *1. Cor. 11.* *Seſ. 13. c. 2.*

HACTENVS probauimus verum ac legitimum noui teſtamenti Sacerdotium & ſacrificium à Chriſti inſtitutione ad nos vſque in Eccleſia perſeueraſſe. nunc poſtremò demonſtrandum reſtat eadem, perpetua ſucceſſione ad mundi vſque finem duratura.

Quod Chriſtus ſatis apertè declarauit, cùm ad Diſcipulos ſuos de mundi conſummatione diſſerens dixit: Amen dico vobis, quia nõ præteribit generatio hæc, donec hæc omnia fiant. Item cùm eiſdẽ ait: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem mundi. Duo luculenter indicans; nempe Apoſtolicam poteſtatem in finem vſque mundi ab vno ad alios transfundendam eſſe; & ſe ipſis ne vno quidem die defuturum eſſe. Cui ſuffragatur & D. Paulus, ſic ſcribens: Ipſe dedit ſeu poſuit in Eccleſia quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euãgeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. hoc eſt, quo ad myſticum omnium ſaluandorum corpus, cuius caput eſt Chriſtus, penitus fuerit conſummatum. quæ quidem conſummatio ante finem mundi non erit completa. Idem Apoſtolus iterum; Quotieſcunq; manducabitis, inquit, panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annunciabitis, donec veniat, ad iudicandum videlicet mundum, vt Concilij Tridentini Patres exponentes citant.

36.

*Dan. 8. 11. 12.* *1. Machab. 1. 4.* *Chryſ. opere imperf. in Matth. cap. 34. hom. 49.* *Hipp. vixit tempore Origenis, circa annũ 230. de quo Euſeb. 6. hiſt. Eccl. 17.* *Matth. 28.* *1. Cor. 11.*

QVOD autem ad Antichriſti tempora attinet, negare non auſim, quin ſicut olim Machabæorum tempore iuxta Danielis prophetiam iuge Iudæorum ſacrificium, Antiochi Epiphanis Syriæ Regis tyrannide è medio ablatum, triennio ceſſauit: ita ſub mundi finem ob crudeliſſimam Antichriſti in ſanctos perſecutionem iuge hoc Chriſtianorum ſacrificium tribus annis & dimidio publicè ceſſaturum eſſe. Confugientibus enim ante eum Chriſtianis per loca deſerta, ait Chryſoſtomus, non erit qui aut Eccleſiam intret, aut Deo oblationem offerat. Et vt Hippolytus Epiſcopus & Martyr in oratione quadam de Antichriſto ſcribit: Lugebunt Eccleſiæ luctũ magnum, quia nec oblatio, nec ſuffitus fiet, nec cultus Deo gratus, ſed Eccleſiarum ædes inſtar tugurij erunt, precioſumque corpus & ſanguis Chriſti non extabit in diebus illis, Liturgia extinguetur, Pſalmorum decantatio ceſſabit, Scripturarum recitatio nõ audietur. Hactenus Hippolytus. Hæc de publica & ſolenni Diuinorum myſteriorum celebratione intelligenda arbitror. nam quin occultè ſemper fiet credere non auſim, tum propter prędictum Chriſti oraculum, (vſque ad conſummationem mundi) tum propter verba Pauli, donec Dominus veniat ad iudicium.

Hæc ſatis ſint tam de Leuitici, quàm de Chriſti Sacerdotio ac ſacrificio attigiſſe.

Nunc ad cæterarum tribuum deſcriptionem procedamus.

# M.

## Dimidia Tribus Manaſſe intra Iordanem.

### I.

Gen.41. Geneſ.48. 1.Paral.5. Ezech.47.

MANASSE ſiue Manaſſes, primogenitus Ioſeph, vndecimi filij Iacob ex Rachel vxore, natus in terra AEgypti ex Aſeneth filia Phutipharis ſacerdotis Heliopoleos; atq; vnà cum fratre ſuo Ephraim ab auo ſuo Patriarcha Iacob in numerum & hæreditatem filiorum Iſrael fuit adoptatus.

Geneſ.49. Num.1.

In cuius tribu, iuxta benedictionem Iacob, ſemen Abrahæ in Aegypto vſque eò auctum eſt, vt in Iſraëlitica ad montem Synai recenſione, ex ipſius duntaxat familia virorum numerus, qui armis vti valebãt, ad triginta duo millia & ducentos aſcenderit.

Num.26. Ioſ.14. Ioſeph.3. antiq.15.

His vniuerſis in deſerto ſepultis, eorum filij iam ad quinquaginta duo millia & ſeptingentos multiplicati, auitæ adoptionis iure in Leuitarum, qui Deo ſacri, terræ ſortem non acceperunt, locum & poſſeſſionem ſucceſſerunt.

Ioſ.17. Ioſeph.5. antiq.3. Brocard. itin.7.

In promiſſæ terræ ſub duce Ioſue diſtributione dimidia Manaſſitidis tribus pars, citra Iordanem, inter tribus Ephraim & Iſachar fructiferam valdè ſorte obtinuit terram. quæ in longum à Iordane fluuio vſque vrbem Dora, & mare magnum tendit: in tranſuerſum autem à Machmata ciuitate, vſque vrbem Bethſan, quæ nunc Scythopolis vocatur, pertingit. Altera Manaſſitarum pars vltra Iordanem poſſeſſionem habuit; de qua mox dicendum erit.

### 2.

ABELMEA, villula inter Neapolim & Scythopolim. Hier. in loc. Heb.

### 3.

Iud.7. 3.Reg.4. 19. Hieron. in loc. Hebr.

ABELMEVLA, Hiero. Abelmaula, vrbs inſignis; iuxta quam Ioſue pugnauit; Solomon vni ex principib. ſuis regendam dedit. fuit etiam patria hęc Helizęi prophetę.

### 4.

Ioſeph.2. bell.11.25. 28.& 3. bell.2. Hieron. in loc. Hebr. Ioſeph.8. bell.7.

ACRABAT A vrbs, vna ex vndecim Iudææ toparchijs, ſorte tertia; à qua Acrabatena ſeu Acrabitena toparchia & regio nomen habet: terminus eſt Samariæ: quemadmodum & Hieronymus confinium Amorrhæorum Acrabatene vocari docet; de quo loco non exterminauit alienigenas tribus Nephtalim, vt in Iudicum libro ſcriptum eſt. Hanc Simon Gioræ filius tyrãnide oppreſſit, atq; ex ea pulſus eſt ab Anano Pontifice. Huius multa apud Hieronymum & Ioſephum eſt mentio.

### 5.

2.Par.35. Zach.12. & ibi. Hieron. & in Oſe.1.

ADADREMMON, vrbs iuxta Iezrahelem in campo Mageddo, quæ hodie vocatur Maximianopolis; apud quam Ioſias rex iuſtus occiſus eſt à ſagittarijs Nechao regis Aegypti: de cuius morte magnus eo loci planctus fuit, qualem Chriſto crucifixo futurã in Ieruſalem prophetat Zacharias.

### 6.

Ioſeph 13. antiq.22. & 14.antiq.6. 14.ant.10. 11.12.24. Ioſeph.15. antiq.7. 16.ant.11. & 1.bel.5. 6.12.17.

ALEXANDRIVM, caſtellum elegans, in montis vertice ſitum; quò ſeſe receperat metu Pompeij Ariſtobulus, ac diu tergiuerſatus, tandem Pompeio tradidit. ſitum eſt autem iuxta Coreas & Macheruntem, in finibus Arabum: quod cùm Alexander Ariſtobuli filius munitionibus firmaſſet aduerſum Romanos, obſidione coëgit ad deditionem Alexandrũ, arcemq; diruit; quam denuo Roma elapſus munire conatus Ariſtobulus, prohibetur à Gabinio; tãdem per Pheroram, Herode fratre iubente, denuò conditum eſt; atq; inibi Mariamnem vxorẽ ſuam depoſuit, cùm Rhodum ad Ceſarem Auguſtum abijſſet: quemadmodum & pecunias loco illi munitiſſimo credere conſueuerat.

### 7.

ANER, ciuitas Leuitarum, ſic nominata ab Aner vno de pueris Abrahæ, qui ibi habitauit & ſepultus eſt. Gen.14.1.Par.6.& ibi Hier.

### 8.

1.Mach.7. Ioſeph.16. antiq.5.& 1.bell.16. Actor.23. VVil.Tyr. 14.bell.12. 9.bell. ſacr.19. 10.bell.6. 14.& 22. Vitriac. cap.23.& 100.

ANTIPATRIS, ſiue Antipatrida, prius Capharſalama, Græcè Capharſarama & Dora dicta vrbs pulchra & amœna, ſita in optimo cãpo diuite arboribus & fluminibus, amne circumfluẽte ipſum oppidũ, & luco circũdante pulcherrimarũ arborum. Iuxta hanc cùm in præliũ exiuiſſet Nicanor, à Iuda Machabæo ſuperatus eſt. Hãc rex Iudææ Herodes extruens, à patre ſuo Antipatro Antipatridem nominauit, cum elegiſſet locũ huic vrbi idoneum, & campum Capharſaba, optimum ſcilicet totius regni. Ad hanc Paulus Apoſtolus à Ieroſolyma. 470. militibus ſtipatus, captiuus deductus eſt. Habuit temporibus Chriſtianorum Epiſcopum. Dicit eam Tyrius Ioppenſi conterminam, vrbem maritimam, tunc quidem Arſur, olim Antipatrida dictam, obſeſſam à duce Godefrido, & tũc relictam inopia obſidionẽ, poſt à rege Balduino mari terraq; circumuallatam, dedentibus ſeſe metu oppidanis, occupatam. hodie villã eſſe, quæ Aſſur dicatur, ſcribunt Borc. & Breid. vbi quondam fuerit hoſpitalis domus Fratrũ S. Ioannis. Auctor Itinerarij Iodoci de Chiſtele, eandem videtur facere cum hac Antipatri, eam quę poſt à nobis deſcribitur Dor ſiue Dora.

### 9.

MONTES iuxta Antipatrida. Ioſeph.1.bel. 4.2. bel.23.24.& 5.bel.4.

### 10.

ASEPHON, & Aſophon. Hîc Ptolomæus Lathurus Alexandrum Iudæorum Regem



gem magna clade proſtrauit. Ioſe.13.antiq.10.

### 11.

Ioſ.17. 3.Reg.4. Hieron. in loc. Hebr.

ASER ciuitas; nunc demonſtratur villa, deſcendentibus à Neapoli Scytopolim, in decimoquinto miliario, iuxta viam publicam, & reſpicit Sichem.

### 12.

BALAAM, ciuitas Leuitarum. 1. Paral.6.

### 13.

3.Reg.4. 1.Par.7.8. 1.Mach.5. 12. 2.Mach. 12. Ioſ.17. Iud.1. Brocard. Breidenb. VVil.Tyr. 13.bell.18. Ioſeph.3. bell.2.14. & 16. Benedict. 1.Reg.31. Hieron. in loc. Hebr. 1.Reg.31. 2.Reg.21. Ioſeph. in vita ſua. In quæſt. Hebr. in Paral. VVil.Tyr. 14.bell.12. Idem 22. bell.16.26 Vitri.c.46.

BETHSAN, quæ & Berſan, Bethſean, & Nyſa; poſtea à Schytis inſtaurata illuſtriſſimè, & habitata, Græcè Schytopolis, hoc eſt, Schytharum ciuitas appellata eſt. Solinus fabulatur à Libero patre conditam, delectis ad incolendum Scythis. Huius apud Hieron. & Ioſep. frequens eſt mentio. vrbs Decapoleos maxima, ſita in planicie & campo magno, & delicato valde, inter montem Gelboë & Iordanem, à quo medio miliario diſtat. Ex hoc oppido tribus Manaſſe accolas priſtinos non potuit expellere. nominat illam ſcriptura interdum domum San, quod in noſtra lingua interpretatur inimicus. In huius muro ſuſpenderunt Philiſtæi cadauera Saul & filiorum, in monte Gelboë occiſorum. Meminit & ſingularis cuiuſdam Schytopolitanorum crudelitatis Ioſephus, qui coactos ſuos Iudæos contra tribules arma ſumere, mox immaniſſimè trucidarunt cùm per ipſos viciſſẽt. Ceterùm Hieron. duas Bethſan facit: alia eſt, inquit, Bethſan in Iudicum, alia in Ioſue. Sunt qui dicant confinium eſſe Ephraim & Manaſſe, vrbem Manaſſes in Iſachar. Fueratq; hîc quondam ſedes archiepiſcopalis, quæ habebat ſub ſe Epiſcopos nouem: erat enim metropolis tertiæ Paleſtinæ, cuius nobilitatis argumenta ædificiorum ruina priſtinorum, & multo marmore, quod in refractis ędificijs inuenitur, eſt colligere. Nũc verò ad nihilum redacta, raro incolitur habitatore, ſolo oppidulo, quod in paludibus ſitũ eſt, paucorum habitatorum reſeruato. at tempore Vitr. quemadmodum & Tyrij, ſedes trãſlata erat in Nazareth, propter reuerẽtiam loci, & natiuitatis Dominicæ, quæ vnam tãtùm habebat ſuffraganeam epiſcopem Tiberiadẽſem. Stephanus hîc curuam Syriam terminari teſtatur. VVeiſſenb.

### 14.

BETHACAD, vicus Samariæ; ad quem venit Iehu rex Iſraël. ſitus eſt in latiſſimo campo, Hiero. nõ amplius quindecim millibus à Legionis oppidò ſeparatus; pro quo Aquila interpretatur domus curuantium; Symmachus, domus ſingulorũ, eò quod anguſtus & humilis introitus ſingulos tãtùm, nec ipſos ſtantes ingredi ſuſtineret. Hiero. in loc. Hebr.

### 15.

BETHAGAN, via, per quam Ochoſiam fugiſſe legimus. Hieron. in loc. Hebr.

### 16.

BETHAVLA, vicus in Aulone. Hier. in loc. Hebr. decimo à Scytopoli miliario cõtra Auſtrum.

### 17.

BETHBERA, ciuitas iuxta Iordanem, à Gedeone expugnata. Iud.7.

### 18.

Iud.7. 1.Mach.7.

BETHSECA, quæ & Bathzecha, ciuitas, alij vicum volunt fuiſſe. quò cùm applicuiſſet Bacchides, comprehendit multos ex eis, qui ad ſe confugerant, & quoſdam de populo mactauit, & in puteum magnum proiecit.

### 19.

BETOANEA, Bethania, in quintodecimo à Cæſarea lapide, in qua dicuntur lauacra eſſe ſalubria; quam tamen in tribu Aſer ponit, dicitq; in monte ſitam Hiero. in loc. Heb. lit. A.B.

### 20.

1.Reg.11. Ioſeph.16. antiq.5. In lo. Heb.

BEZECH, vrbs regis Adonibezec, à Ioſepho Balam dicitur; ſita ad Iordanem, vbi recenſuit copias ſuas Saul, quæ metu regis ex tota Iudæa eò confluxerant numeroſę. Sunt & hodie, ait Hieronym. duę villæ nomine Bezec vicinæ ſibi, in decimo ſeptimo lapide à Neapoli, deſcendẽtibus Scytopolim: videtur eadẽ eſſe cum illa, quam recenſuimus in iuda ſupra.

### 21.

CANE, in tribu Manaſſe. Hieron. in loc. Hebr.

### 22.

Ioſeph.13. ant.18.21. & 14.ant. 8.& 15. ant.10.12. 13.& 16. antiq.5.& 20.ant.13. & 1.bell.3. 5.16. Brocard. in præfat. locor. terra ſanctæ. Breidenb. Ioſeph.17. ant.6.& 1. bell.20.

CAESAREA Paleſtinæ, maritima, & Stratonis prius πύργος, hoc eſt, turris Stratonis vocata. Prima Flauia Ziegl. diſtat ab Hieroſolymis ſtadijs DC. Ziegl. Hanc quidam indicãt à Plinio dictam fuiſſe Apolloniam; Ptolomæus tamen inter turrim Stratonis, & Ioppen Apolloniam locat, veluti diuerſam: Poſtremũ Flauia Colonia à Veſpaſiano vocata fertur. vrbs fuit munitiſſima, maxima & opulentiſſima. Cingitur ab Occidente mari magno, ab Oriente palude quadam dulci & profunda, in qua eſt multitudo Crocodilorũ, vt auctor eſt Breidenbac. Hanc Herodes, metu defectionis Iudæorum, toti genti quaſi arcem impoſuit: deſcripta enim magnificè eius forma, totã ædificijs marmoreis exornauit accuratiſſimè, tam regijs palatijs, quàm priuatorum ciuium ædibus, & quod fuit operoſiſſimum, portum addidit, (cui nomen Sebaſtus, ita ab Herode appellatus in honorem Cæſaris) tutum à tempeſtatibus, magnitudine Pyræo parem, admirandum ſtructura, eò magis, quod omnis illa materia aliunde aduehi debuerit. Proiectis autem in mare molibus deſuper turres impoſuit, quarum maximæ & pulcerrimæ Druſus nomen, à Druſo Cæſaris priuigno defuncto.

circum

circum portum ædes continuata ſerie marmore politiſſimo extructæ ſunt, extāte in medio tumulo, in quo templum Cæſaris à longè conſpicuum, & in eo ſtatuæ, Romæ altera, altera Cæſaris, vnde nomē vrbi Cæſareæ, in qua etiam cloacæ ſubterraneæ admirandæ, ad recipiendam ex mari aquam in æſtu vrbi ſubluēdæ, & ad deferendam in mare purgamentorū proluuiem & imbrium. Extruxit etiam theatrum ibi & Amphitheatrum, vnde latè proſpectus in maria. Atq; hæc omnia duodecim annorum ſpacio abſoluta ſunt. Perfecta autē Cæſarea in eius dedicatione magna fuit celebritas magno apparatu, maximis ſumptibus, abuſq; Italia in hunc vſum petitis, quæ eo facerent, inſtituti ludi Quinquennales, dicati Auguſto. Fuit, vt Ioſephus ait, ciuitas Iudææ maxima, & quæ maiorem incolarum partem Græcos haberet. Non longè à Cæſarea fluuius erat, qui de paludibus eidem vrbi adiacētibus defluebat. Hîc cùm Herodes Agrippa quinquennalia celebraret, neque adulatores compeſceret, qui Deum ſalutabant, fulgore veſtis perſtricti, ab angelo percuſſus interijt. In hac Cornelius centurio à Petro Apoſtolo baptizatus, primus in ea Epiſcopus fuiſſe traditur. In hac Philippus Apoſt. domum habuit, in qua & habitauit cum quatuor ſuis filiabus virginibus, prophetiſſis Hîc Agabus propheta zona Pauli ligatus eſt, atq; ipſe Paulus in prætorio Herodis ſeruatus, coram rege Agrippa & Fœlice præſide, ac biennio detentus in vinculis à Feſto Cęſarem appellauit. Cùm Chriſti fidem fuiſſet amplexa, habuit Epiſcopum: nominat huius Epiſcopos B. Hieronym. Theophilum, Euſebium diligentiſſimum bibliothecæ diuinæ cum Pamphilo martyre perſcrutatorem, Acacium Μονόφθαλμον, Euzoium Gelaſium. Habuit ipſa Sedes Archiepiſcopum poſtea, vt patet ex Tyrio, & habuit ſub ſe Epiſcopatus viginti. Atque hoc loci Marinus à Theotecno eius loci Epiſcopo confirmatus martyrium pro Chriſto amplexus eſt. Poſt à Balduino Rege, ferentibus opem Genuenſibus, recuperata eam ſibi ſubiugauit; carebat tum portu. Cæſarienſis Epiſcopi titulo nunc vtitur ſuffraganeus Senonenſis in Gallia; fortè Pariſienſis. deſcribūtur Scopuli iuxta Cæſaream Paleſtinę. Ioſeph.1.bell.16.

*Ioſeph.16. antiq.5. — Ioſeph.3. bell.14.& alibi. VVil.Tyr. 7.bell.ſacr. 22. — Ioſeph.19. Antiq.8. Actor.12. Actor.10. Hieron.in epita.Paulæ. Actor.21. Actor.23. 24.25. — Hieron.in. lib.de Viris illuſtr. VVil.Tyr. 14.bell.12. & alibi. Niceph. Cal.6. hiſt. Eccleſ.ca. 13. Vitriac.c. 24. Fretell. VVil.Tyr. 10.bell ſac. 15.*

## 23.

CAPHARNAVM, oppidum maritimum prope Cæſareā, aliud ab illo, cuius in Euangelio fit mentio. Tyr.10. bel.26. Vit.42.cap.

## 24.

CONVALLIS illuſtris, quæ & Vallis Saue, & Vallis Regis, Ioſepho Campus regius dictus, propter ſui fertilitatem & amœnitatem. Hodie Aulonem Palæſthini nominãt: ſeptuaginta tranſtulerunt pro valle campum. Incipit à mari Galilææ à Bethſan, & extenditur per totum deſcenſum Iordanis vſq; ad mare mortuum, eratque illuſtriſſima priuſquam Dominus ſubuerteret Sodomam & Gomorrham; quæ medio Iordane irrigabatur, ſicut paradyſus Domini, & ſicut AEgyptus.

*Geneſ.12. 14. 2.Reg.18. Brocard. Breidenb. Hieron.epiſt.ad.Euagrium. Geneſ.13. — VVil.Tyr. 9.bell. ſac. 15.*

## 25.

COREA, Coreas, vrbs. Ioſeph.14.ant.6.10. & 1.bel.5. & 5.bel.4.

## 26.

DOR, Dora, Ador, Græcè Adora, Hebraicè Naphath-Dor, ſiue Dor Nephath, hoc eſt, maritima, vel littoralis, vrbs quondam munitiſſima & potentiſſima; cuius Regem occidit Ioſue; quam ætate Machabæorum Rex Antiochus terra mariq; obſedit, cum centum & viginti millibus peditum, & octo millibus equitum. Erat inibi ſinagôga. tempore Hieronymi deſerta erat, ſita in vndecimo, alij volunt in nono, miliario Cęſareę pergētibus Ptolemaidem. Dora, à Zieglero ponitur in Iſachar. Eſt & Nephat, eodē autore, ciuitas vnius principis Solomonis. Habuit tempore Chriſtianorū epiſcopum, qui erat ſub metropolitão Cæſareenſi.

*Io.11.12.17. Iud.1. 3.Reg.4. 1.Par.7. 1.Mach. 13.15. Ioſeph.13. antiq.9. & 9.ant.6. et 15.an.12. VVilh.10. bell.26. Idem 14. bell.12.*

## 27.

REGIO, ſeu Prouincia Dor. Iud.11.12.

## 28.

DRVSVS, turris pulcerrima in honorem Druſi Cæſaris priuigni immaturo fato defuncti, in portu Cæſareæ ab Herode exædificata. Ioſeph.15.ant.12.& 1.bell.16.

## 29.

ENDOR ciuitas. Ioſ.17.

## 30.

ENNON, hoc eſt, fons: oppidum erat in octauo lapide Scytopoleos ad meridiem, nō longè à Iordane contra Salim; vbi baptizabat Ioannes, quod ibi aquæ multæ eſſent. AEtate Hieronymi adhuc ſupererat.

*Ioan.3. Hieron.in loc.Hebr.*

## 31.

EPHRA, ciuitas Gedeonis, in qua habitauit & ſepultus eſt: cuius ſub nomine Ephraim fit mentio. iuxta hanc ara erat & lucus Baal, quem deſtruxit, Gedeon; erat & lapis vnus, ſuper quem Abimelech occidit ſeptuaginta ſeptem fratres ſuos. Erat etiam δρῦς, hoc eſt, quercus in Ephrata, vnde fuit Gedeon. Prope Ephra angelus Domini ſub quercu apparuit Gedeoni, ibiq; Gedeon Deo ſacrificauit, & lucum Baal deſtruxit, ac diuinitus accepit ſignum victorię in vellere. Iudic.6.

*Iud 6.8.9. 1.Reg.13. & ibi.Benedictus. Oſee 10. Iud 4. Hier.in.lo.Heb.lit.D.*

## 32.

GABE, oppidum in decimoſexto miliario Cæſareæ. Hieron.in loc.Hebr,

## 33.

GABER, vrbs vicina Mageddo; in cuius aſcenſu rex Ochozias vulneratus eſt. 4. Reg.9.& ibi.Bened.





## 34.

GALGAL vrbs regalis, Hieronymo dicta Gelgel; in qua habitabant Goim, hoc eſt, gentes; cuius Regem occidit Ioſue, vrbemque cepit. Tempore Hieronymi oſtendebatur villula, nomine Galgulis, ab Antipatride in ſexto miliario contra Septentrionem.

*Ioſ.12. Hieron.in loc.Hebr.*

## 35.

GETHREMMON, vrbs Leuitarum. Ioſ.21.

## 36.

GINAEA, vicus in planicie poſitus, à quo Samaria incipiens, in Acrabatenam deſinit toparchiam. ſcribunt etiam alij oppidum munitum eſſe, ſitum in pede montis Ephraim quod Ginum, aliâs Gilim, ſeu Gelim dicatur; vbi terminetur Galilæa, & incipiat Samaria.

*Ioſeph.3. bell.2. Brocard. Breid. Fretel.*

## 37.

IAPHIE montes, tendunt à Ioppe vſq; Doram; id nominis ab ipſa, vt videtur, Ioppe, quæ aliquando Iaphie, acceperunt.

## 38.

IEBLAAN, vrbs valida & potens; cuius habitatores initio nō potuit delere tribus Manaſſe. eſt contra Gaber & Mageddo.

*Ioſ.17. Iud. 11. 4.Reg.9.*

## 39.

IEMNI pagus, in quo, vt quidam volunt, Chriſtus mundauit decem leproſos. Luc.17.

## 40.

IEZRAEL, vrbs regalis, &, vt Hieronymus vult, metropolis decem tribuum, terminus eſt tribus Manaſſe, & Iſachar ſita in pede mōtis Gelboë ad Occidentem, inſigni ſpecula & turre ſpectabilis, vnde indicium fit accenſo igne, tanquam ex Pharo de aduentu hoſtium: ipſaq; vrbs pulcrum habet proſpectum per totam Galilæam, vſq; ad Carmelum, & montes Phœnicis, montemq; Tabor & Galaad, & vltra Iordanem. In hac Iezabel, obiecto falſo crimine, fecit lapidari Naboth, quod eius vineā concupiuiſſet Achab maritus ſuus, & ille nollet vendere hæreditatem patris: vnde & ipſa iuſſu Iehu regis Iſraël de feneſtra, vel porta huius vrbis præcipitata eſt. quam equorum vngulæ contriuerunt, contritam dilacerauerunt fruſtatim canes. iuxta hanc occiſus eſt Ioram rex Iſraël: eſtque huius creba mentio in libris ſacris. Hodie prægrādis eſt vicus, ait Hieronymus in campo maximo, inter Scytopolim & Legionem: fuitq; terminus Iſachar, iuxta Maximianopolim. prope quam ſunt campi latiſſimi, & vallis nimiæ vaſtitatis, quæ plus quàm decem millibus paſſuum tenditur: vbi commiſſo certamine ab Aſſyrijs cæſus eſt Iſraël. Ante vrbem temporibus Brocardi & Breide. oſtendebatur adhuc ager Naboth Iezrahelitæ, & tum vocabatur Zaracin, ſiue Zanachim, & habebat vix domos XXX. VVilhel. ait, illam vocatam vulgari appellatione paruum Gerinum.

*Ioſ.17.19. 1.Reg.29. 2.Reg.2.4. — 3.Reg.4. 18.21. 4.Reg.8.9. — Oſee 1.& ibi.Hieron. 2.Par.22. — Brocard. Breidenb. — Tyr.22. bell.26. Vitriac.ca. 49. Fretell.*

## 41.

MACHMATA, quæ & Machmeth, aliâs Aſer machmath, vrbs. Ioſ.16.17.

## 42.

MACOTH. Hieron.in loc.Hebr.

## 43.

MAGEDDO, vrbs Heroica & præclara, ſita iuxta aquas in campo magno, cui & nomen dedit. Hanc alij collocant in tribu Iuda, fortaſſis nō æque accommodatè ad rationem hiſtoriæ. Huius Regem occidit Ioſue; vrbem tamen occupare non valuit initio, quam Solomon poſtea reſtaurauit. In hac mortuus eſt Ochoſias rex Iudæ, quem Iehu rex Iſraël vulnerauerat in aſcenſu Gaber, eo ipſo tempore, quo etiam Ioram Regem Iſraël ſagitta interfectum proijci iuſſit in agrum Naboth Iezraëlitæ. Occiſus etiā in Mageddo fuit pijſſimus Iudæ rex Ioſias, quem inde ſublatum ſepelierunt in Ieruſalem, in ſepulcro ſuo. Nunc Sub-imbre, ſiue Subube vocatur. Quēadmodum campus, de quo iam diximus, ſic & aquæ, ab vrbe nomen Mageddo acceperunt.

*Ioſ.12.17. Iud.1.5. — 3.Reg.4.9. 4.Reg.9. 23. — 1.Paral.7. — 4.Reg.28. Brocard. Breidenb. Fretell. Iud.5.*

## 44.

MANATH, Manaath, Manathath, vel Manerith, nomen regionis, nunc Cato dicta, caſtrum fortiſſimum, in quo præſidium militum poſuerunt contra caſtrum Peregrinorum Saraceni, quando ipſum expugnauerunt. fuit autem ſub monte Ephraim ſitum, non longè à monte Saron.

*1.Paral.8. Brocard. Breidenb.*

## 45.

NAIS & Ginais, vicus Samariæ, in via Ieruſalem, in campo magno ſitus; in quo Samaritæ occiderunt multos Galilęos, accedentes Hieroſolymam ad feſtum; vnde magna ſeditio orta eſt inter Iudæos & Samaritanos. Ioſeph.20.antiq.7.

## 46.

NARBATA ciuitas & regio quædam, in quam Iudæi Cæſarienſes, Cæſarienſium violentia compulſi, libros legum ſecum rapientes ceſſerunt: dirempta eſt à Cæſarea ſtadijs LX. Huc poſtea miſit equites Ceſtius Romanorum dux, qui magna indigenarum multitudine perēpta, vicos Narbatene toparchię igni dederunt.

*Ioſeph.2. bell.Iud.c. 14.& 22.*

## 47.

NEMORA Iordanis, iuxta fluuium. Ioſephus decimo tertio antiquitatum 1. 4. Reg.6.

## 48.

NOPHETH, ciuitas. Ioſ.17. Hieronym.in loc.Hebr.

49.

*Breidenb. Vitriac.ca. 86.*

PALVS Cæſareæ, dulcis & profunda, ſcatens piſcibus, ab Oriente adiacet Cæſareæ Paleſtinæ. In hac multitudo crocodilorũ eſt. vide in Cæſarea.

50.

*3.Reg.18.*

MONS Abdiæ, ſeu Prophetarum. In huius montis duabus ſpeluncis, perſecutionis & famis tempore, Abdias, diſpẽſator domus Achab regis, centum prophetas Domini abſcondit, & aluit eos pane & aqua: ideoq; poſtea accepit gratiam prophetalem. Oſtendebãtur adhuc tempore Hieronymi, ideoq; Paula, ſicut erat inualida, eò etiam aſcendit.

*Hieron.in. Epitaph. Paula, & epiſt.ad Marc.& in Abd.1.c.*

51.

RAPHAIM gigantes, populi ſunt, quos Moabitæ Eanim, Ammonitæ Zonzommim vocant populus magnus, multus & proceræ longitudinis, ſicut Enachim.

52.

*Geneſ.14. Hier.epiſt. ad Euag.et in lo Hebr. Liran.in. Geneſ.33.*

SALEM, quæ & Salim. Ex veteribus Hebræorum Rabbinis docet Hieronymus, nõ videri hanc eſſe Hieruſalem, quod nomen ipſum demonſtret, ex græco hebraicoque compoſitũ, ſed oppidũ iuxta Scythopolim, quod vſque hodie appellatur Salem; vbi oſtenditur palatium Melchiſedec, ex magnitudine ruinarum veteris operis oſtendens magnificentiã. de quo in poſteriore parte Geneſeos ſcriptum eſt: Venit Iacob in Socoth, & tranſiuit in Salem ciuitatem regionis Sichem. Erat etiam Ioannes baptizans in Ennon, iuxta Salim. Hinc Sulamitis propriè dicitur, qui habitat in Salem, quaſi Salamitis. Eſt etiam nomen loci Salim 1. Reg.9. Prope Salim erat Ioannes baptizans, Chriſto id temporis baptizante in Iudæa. Ioan.3.

*Can.6.7.*

53.

*Ioſeph.3. bell.2.*

SAMARIA, quæ & Samaritis & Samarienſis regio, media inter Iudæam & Galilæam ſita eſt. incipiens enim à vico Ginæa, in Acrabatenam deſinit toparchiam, ſed natura nihil à Iudæa diſcrepat: nam vtræque montoſæ ſunt; & campeſtres, agriſq́ue colendis molles & opimæ, nec non arboribus plenæ; pomiſq; tam ſylueſtribus, quàm manſuetis abundant, eò quod natura ſunt aridæ, imbriumq́; ſatis habent: dulces autem per eas ſupra modum aquæ ſunt, boniq́ue graminis copia, præter alias earum pecora lactis abundant, quodq́ue maximum virtutis, atque opulentiæ ſpecimen eſt, vtraque viris referta eſt.

54.

SARTHAN, locus eſt ad radices Iezrahel. 3.Reg.4.7. Hier. in loc. Heb.

55.

TANAC, ſiue Thanach, quæ & Thenach, vrbs magna & potens: cuius Regem occidit Ioſue; vrbem tamen expugnare initio non potuit, ſed expugnauit poſtea, eſtq́; data Leuitis. iuxta quam Debora aduerſus Siſaram dimicauit. Hanc regebat vnus ex principibus Solomonis. Eſt villa nunc prægrandis, diſtans à Legione tribus milibus.

*Ioſ.12.17. 21. Iud.1.5. 1.Paral.7. 3.Reg.4. Hieron.in. loc.Hebr.*

56.

FONS Taphuæ. Ioſ.17.

57.

TERRA Taphuæ, habet montes altiſſimos, quorum vnus maximè excellit; protenditur vſque ad Iordanis campeſtria.

*Ioſ.17. Brocard. Breid.*

58.

TORRENS Taphuæ. Ioſ.16.17.

59.

THEBES, vrbs olim inſignis, ſita in ſolo mirum in modũ fertili: cuius ciues Thebitæ, Thebes Aegypti, Thebæi, Thebes Græciæ dicuntur, & Thebani. Hac vrbe capta Abimelec Rex, dum turrim eius mediam aſcendere nititur, deſuper fragmẽto molæ ictus, interijt. Nunc verò ruinarum tãtùm reliquijs quid olim fuerit, oſtendit. Ad ſiniſtram, ait Brocardus, fontis Iacob ſunt ruinæ magni oppidi, vbi cernuntur lapides marmorei & integræ columnæ, aliaque magnorum & collapſorum palaciorum indicia. locus quoq; ipſe mirum in modum eſt fertilis, & ſolum fœcundũ. Diſtat ab his ruinis Neapolis vno ſtadio; putoq́; fuiſſe oppidum Thebes: vt ipſe Brocardus videatur huius nominis aliam ponere iuxta mõtem Garizim. Eſt autẽ vt ait Hieronymus, vſque hodie vicus nomine Thebes, in finibus Neapoleos, pergẽtibus Scythopolim, in decimotertio eius lapide.

*Iud.9. 2.Reg.11.*

*Hieron.in loc.Hebr. Brocard. Breiden.*

60.

THERSA, vrbs heroica in alto ſita mõte. Regem huius capta vrbe occidit Ioſue. Hac reges Iſraël pro regia vſi ſunt aduſque extructionem Samariæ.

*Ioſ.12. 3.Reg.14. 15.16. 4.Reg.15. Brocard. Breidenb.*

61.

HIC Ionam tempeſtate naui ciectum, cete in mari deglutiens, die tertio viuum in terram euomuit. quo myſterio Chriſtum repræſentabat, qui trib⁹ diebus & noctibus in corde terræ fuit. Ionæ 1.

62.

XALOTH, vicus, qui in magno campo poſitus eſt. eſtq́; Galilææ inferioris terminus verſus meridiem. Ioſeph.3. bel. Iud.2.

M.Dimi-



DIMIDIA TRIBVS MANASSE
hoc eſt, ea Terræ Sanctæ pars, quam Manaſsæ dimidia tribus in regionis diuiſione obtinuit.
ARABIÆ DESERTÆ PARS. 12
DESERTVM
ARABIAE. 43
SYRIÆ PARS. 93
Terra Adrach.
Adrach. 6
Regio Edom. 83
Coele Syria. 37
Hermon mons qui et Sanir 58
ARABIÆ DESERTÆ PARS. 12
Sijria Soba.
Soba. 87
Aroer vrbs et Regio 17
Palmirena ſolitudo
Palmira. 73
Fanum Baal. 22
Baalhermon mons 22
Canath. 29
Campeſtria Medan. 76
REGNVM
Gaulonitis Regio. 54
Batanæa Regio. 24
Tabernacula Cedar. 94
Terra Hus. 95
DIMIDIA TRIBVS MANASSE.
TRACHONITIS REGIO. 97
Gesſuri Regio. 57
Quercus Baſan. 24
Regio Gamalitica
Terra Galaad. 51
Galaad mons. 50
GAD.
Via Traconitidis. 100
Aqua Meron
Vadum Jacob
Aſoreth gentium
Capharnaum
Bethſaida
Tiberias. 9 Cenereth
Mare Galilææ.
PARS TRIBVS NEPTALIM.
PARS TRIBVS ZABVLON.
PARS TRIBVS ISACHAR.
Machati Regio 65
Auranitis Regio 21.
Damaſci. 40
Damaſcus 40
Sijria
Rabba
Pella. 74
Jaboc et Iabok torrens
Mahanaim i. Castra.
Phanuel
Bethſan
Iſachar
Ephron. 48
Gadara 49
Lacus. 64
Hippos. 59
Gergeſei. 55
Regio Geraſenorum 55
Deſertum Bethſaidæ. 44
Gamala
Corozaim. 39
Seleucia 85
Reblata
Helon
Sephama
Dan fons
Dan flu.
Dan
Cæſarea Philippi et Paneas
Miliaria vnius horæ.
1 2 3 4 5

# M.

## Dimidia Tribus Manaſſe vltra Iordanem, & confinia eius.

### I.

*Num.32. Ioſe.4. antiq.5.*

MANASSE, primogenitus Ioſeph, tribum, vt diximus, diuiſã habuit, cuius dimidia pars, cum virorum pecorumq; numero abundaret, vna cum tribub. Gad & Rubẽ à duce Moyſe trans Iordanem poſſeſſionem ſibi dari petijt. Cui Moyſes ea lege, vt cæteris tribubus in expugnatione terræ promiſſionis opem ferrent, morem geſſit. eiq; dimidiam partem terræ Galaad, vniuerſamq; ditionem Og regis Baſan, quæ longitudine à Manaim vrbe torrenti Iaboc adiacente, vſque Baal hermon & confinia Damaſci: latitudine verò à Galaad, Seir, & Hermon montibus, vſq; mare Galilęę & Iordanem extenditur, pro hæreditatis ſorte conceſſit.

*Num 32. Ioſ.13.14. 17. 1.Par.5. Ezech.47.*

*Ioſe.4. antiq.4.*

Hæc regio ſexaginta ampla & egregiè munita habens oppida, camporumq; diues graminis vbertate cæteras vltra Iordanem terras longè ſuperabat. De cuius natura, plura in dictione Baſan dicturi ſumus.

## Loci dimidiæ tribus Manaſſe trans Iordanem.

### 2.

*4.Reg.5. Hieron.de loc.Hebr. lit.A. Fretell. pa.6. Nig.geog. Aſ.com.4.*

ABANA, Hebræis Amana, aliâs Aman & Amma. limpidiſſimus & iucundus Damaſci fluuius eſt, qui in Decapolitana regione è radicibus montis Libani exortus, Meridionale ac Occidentale vrbis Damaſci latus alluit. indeque per planiciem Archadob defluens, in mare Syriacum effunditur.

### 3.

ABELA. ciuitas vini fertilis. quæ, vt Hieronymus inquit, duodecim à Gadaris miliaria, Oriẽtem verſum, diſtat. Hier. de loc. Hebr. lit. A.

### 4.

ABELA, ciuitas alia, in Phœnice inter Damaſcum & Paneadem. Hieronymus vbi ſupra.

### 5.

ABILA, ciuitas ad Septentrionem vrbis Aſtaroth. Hieronymus de loc. Hebr. litera A.

### 6.

*Zach.9. Hieron.de loc.Hebr. lit.A. Ptolo.Aſ. tab.4. Nig.p.505. Tyr.bel.ſa. li.14.c.12. & lib.16. cap.10.*

ADRACH, ſiue Hadrach, aliâs Adra, Adraon, & Adratum, Cæleſyriæ oppidum eſt, à Boſtra viginti quinque millibus diſtans. à quo etiam adiacens regio, Terra Adrach nuncupatur. de qua Zach. prophetauit. Poſt Chriſti tempora vrbs hæc Epiſcopali ſede cohoneſtata, Archiepiſcopo Boſtrenſi parebat. Atque quo tempore Occidentales Chriſtiani rerum in Palæſtina potiebantur, etiam vulgò Ciuitas Bernardi de Scampis dicta fuit.

### 7.

*Cant.4. Lira.ibid. Hieron.de loc. Act. Apo.lit.C. & in Eze. 47. Plin.5.na. hiſt.22.*

AMANA, qui & Amanus, cuius Salomon in Canticis meminit, mons altiſſimus eſt trans Iordanem iuxta Libanum, Hermon & Sanir montes ſitus. Sunt tamen qui Salomonem de alio eiuſdem nominis monte, qui Ciliciam à Syria ſeparat, loqui exiſtimant.

### 8.

*Herold.cõ. bel.ſa.li.3. c.15.& li. 6.cap 9.*

AMATHA, villa in vicinia vrbis Gadaræ in monte ſitæ, ad cuius montis radices aquæ calidæ erumpunt, balneis deſuper ædificatis. quæ ad ſarciendam corporum valetudinem ſunt commodæ. Geneſ. triceſimo ſexto capite. Hieronymus de loc. Hebraicis. liter. A. & G.

### 9.

*Hieron.de loc.Hebr. lit.A. Ioſeph.13. anti.19.& 14.Ant.11. Item 1.bel. 3.6.12.*

AMATHVS, villa, inquit Hieronymus, trans Iordanem; in viceſimo primo miliario ciuitatis Pellæ ad Meridiem. Ioſepho autem etiam caſtrum eſt, omnium quæ ad Iordanem ſita ſunt, maximum & muntiſſimum. vbi Theodorus Zenonis filius precioſiſſima quæque bonorum ſuorum depoſuerat. Hoc Iudæorum rex Alexander Iannæus expugnauit, ac Theodori theſaurum diripuit.

### IO.

ANTILIBANVS. Omnis regio, vt inquit D. Hieronymus, quæ eſt ſupra Libanum ad Orientalem plagam reſpiciens, circa regionem Damaſci, quæ cecidit in ſortem tribus Manaſſe, Antilibanus appellatur. Hier. in loc. Heb. lit. A.

### II.

ANTIOCHI pharanx ſiue vallis, ciuitas eſt, quam Alexander Iannæus Iudæorum rex armorum vi in ſuam poteſtatem redegit. Ioſephus decimo tertio antiquit. 21. & 1. bel. 4.

### I2.

## DESCRIPTIO ARABIAE.

*Plin.lib.6. cap.28. Hieron.de loc. Act. Apoſ.lit. A.*

ARABIA, Hebraicè Harab, Hereb, ſeu Ereb, regio gentium nulli poſtferenda, ad Orientem Palęſtinæ ſita, amplitudine longiſſima eſt. quæ, Hieronymo authore, gentes habet multas: Ammonitas puta, Moabitas, Idumæos, Saracenos, alioſq; quam plurimos.

 Eſt au-

Eſt autem triplex Arabia. vna nempe, Deſerta; altera, Felix; tertia, Petræa: de quibus nunc ordine diſſerendum eſt.

ARABIA deſerta, quæ à recentioribus Arabia prima, atque à noſtri ſæculi hominibus Beriara vocatur, ab Occidente Traconitidi regioni coniungitur. ab Aquilone autem Damaſco confinis eſt. vnde & Syria Damaſci ſiue Damaſcena regio, non raro Arabiæ nomine cenſetur. qua parte vlterius à Septentrione, Syria & Meſopotamia; ab Oriente, Babylonia; à Meridie verò montibus Arabię felicis terminatur.

Tyr.bel.ſa. li.13.c.2.li. 21.c.8.lib. 22.ca.5. Vitria.ca. 47.& 96. Bro.in præfat.deſcri. loc.terræ ſ. Breid.ibid. Sal.tom.5. cap.3.

Deſertæ huius Arabiæ metropolis eſt, maxima & antiquiſſima vrbs Boſra. quæ etiam Boſtra & Boſtrum dicitur.

Deſerta autem hęc regio à re ipſa cognominatur. quod quaquauerſum latiſſima, tota montoſa, arenoſa, ac ſterilis & verè deſerta ſit: Agnis tamen, arietibus, hædis, & eiuſmodi animalibus, quæ merica gaudent, teſte Hieronymo, abundantiſ, vt ex Ezechiele liquet, Tyri nundinis horum illatione multiplicat. Sed & camelorum fertiliſſima regio eſt, ob paſcuarum cremi latitudinem, aeriſq; temperiem quibus hoc animal delectatur.

Plin.lib.5. cap.10. Ezech.27. Hieron.ib. & to.2.cōtra Iouinianum lib.2. Plin.lib.8. cap.52.

Porci vero, & ſues, qui glande, caſtaneis, radicibus filicum & hordeo ali ſolent, hic aut rarò, aut penitus non inueniuntur: & ſi inuenti fuerint, alimenta non habent, quæ diximus.

Incolarum, qui has ſolitudines rari inhabitant, vita omnis in paſcendis pecoribus verſatur, ac camelorum lacte & carnibus ſemicrudis viuunt. Qui cùm ibidem in tabernaculis agunt, Græco vocabulo à Coſmographis Scenitæ, hoc eſt, tabernaculorum incolæ nominati ſunt. et quòd propter meliora paſcua tētoria de loco in locum transferunt, Græcè Nomades, id eſt, vagi dicuntur.

Plin.lib.6. cap.28.

ARABIA felix, quæ à neotericis Arabia ſecunda, atq; à Saracenis nunc temporis Mamotta nominatur, ad Obeuntem Solem omnem Ammonitidem regionem complectitur. in qua Rabbath veterem potentemq; Ammonitarum vrbem, metropolim habet. à Septentrione, Arabia deſerta; & ab Auſtro, Arabia Petræa circumdatur. Orientem verò, atque Meridiem verſus, quodam naturæ artificio ad ſimilitudinem atq; magnitudinem Italiæ mari circumfuſa, inter duos Oceani ſinus, Perſici nempe, & Arabici Rubriue maris, peninſulæ forma procurrit.

Pli.li.6.ca. 24.&.28. Hier.in lo. Act. Apoſt. lit.A.

Arabia hæc, Ioſepho & Hieronymo teſtibus, à Saba filio Chus nepote Cham, etiam Saba, Sabæa, & Hebræis Seba, eiuſq; incolæ Sabæi appellantur. Ab eodem hoc Saba, inclyta ac auro argentoq; præſtans vrbs, huiuſq; gentis metropolis Saba, in monte excelſo arboribuſq; pleno ſita, nomē quoq; ſortita videtur. quæ pij magnificique Regis ac Magi Iaſparis, qui de Arabiæ fructibus dona puero Ieſu attulit, regia olim ſedes fuit: ſexcentis & amplius leucis Gallicis à Ieruſalem diſtans.

Gen.10. Hier.ibid. Ioſeph 1. antiq.12. Pſal.71. Iob.1.& 6. Ioel.3. Io.Benedict.in 3.Reg.10.

Regio hæc, pinguiſſimi vliginoſiq; ſoli vbertate cæteras longè excedit, ac quotannis, vt Strabo ſcribit, bis ſeritur. vrbibuſq; & vicis frequens eſt, ac thuris, aromatum, omniumq; ſuauiſſimorum odorum copia exuberans. Ob quæ, vt D. Hieronymus, alijq; plures referunt, Arabia ſacra interpretatur. & à Græcis εὐδαίμων, hoc eſt, felix dicitur. Eandem Plinius odoriferam ac diuitem, & beatæ cognomine inclytam appellat. alij porrò λιβανόφορον & ἀρωματόφορον, id eſt, thuriferam, & aromatiferam, ac odorum fertilitate nobilem nuncupant.

Strabo. Hie.de lo. act.Apoſt. l.A.et quæ. Hebr.in Gene.25. Plin.lib.5. cap.11.

Nec immeritò. nā fragrantiſſimi optimiq; thuris tam abundans eſt, vt Diuinis ſacrificijs per vniuerſum terrarum Orbem ſatis faciat. Thure enim in Dei cultu non tantùm olim Iudæi, & gentes, vt ex varijs hiſtorijs, & Sanctorum martyrijs nimis notū eſt, ſed & nos Chriſtiani vbiuis gētium etiamnum vtimur. Hinc Virgilius, quid vnaquæque mittat prouincia ſcribens, ait:

Q.Cur.de. reb.geſt. Alexand. mag.lib.5. Ierem.6.

*India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.*
*At Calybes duri ferrum, viroſaq; Pontus*
*Caſtorea &c.* Rurſum:
*Solis eſt thurea virga Sabæis.* Et alibi:
*Centumq; Sabæo Thure calent aræ.*

Virg.1. Georg. Hieron.in Ezech.27. 1.Aen.

Scribunt certas eſſe familias, quæ ius thura legendi per ſucceſſiones ſibi vendicant, & qui huic rei vacant, Arabicè ſacros vocari. dumq; thuris virgulta incidunt, quod fit in ortu Canis, flagrantibus Solibus, nec funeribus intereſſe, nec mulierum congreſſibus pollui.

Laurent. Corui.geo. graph.c.16.

Præter thus, cuius habet plurimum, etiam myrrhæ, aloës, caſiæ, nardi, amomi, cinnamomi, cardamomi, piperis, ac omnis generis aromatum feraciſſima eſt. Quorum hic tanta vbertas eſt, vt Plinio teſte, non alia ibi ligni genera in vſu ſint, quàm odorata. ac loco combuſtibilis materiæ, thuris, myrrhæ, cinnamomi, caſiæ, aliorumq; aromatum ligno ignem foueant, atq; cibos coquant. Verùm cùm perpetuus iſte aromatum odor, nimia fragrantię ſuæ excellentia ſtuporem ſenſibus inducere ſolet, eum bituminis ſuffitu, & hirci barba leuant. vt rectè Plinius dicat, Adeò nullam eſſe voluptatem, quę non aſſiduitate ſui faſtidium pariat.

Plin.li.12. cap.17.

Auri quoque & argenti venis ac glebis vſque adeò ſcatet, vt omnis penè gentis huius ſupellex, alia auro, alia argento ſplendeat. Vendunt & aurum finitimis triplo æris precio, argentum duplo. ac quondam, vt Ezechiel nos docet, in Tyri mercatibus præſtantiſſimas aromatum, auri & precioſorum lapidū merces proponere ſolebant. quæ hinc in vniuerſum Mundum auehebantur. Precioſiſſimarum ſiquidem ac ſelectiſſimarum gemmarum, Sardonichum videlicet, adamantum, margaritarum, baccarum, aliorumq; diuerſi coloris ac clarè ſplendentium lapidum, felicis huius Arabiæ terra admodum ferax eſt. Nec terra tantùm, ſed & quod adiacet ei mare huiuſmodi lapidibus affluit. Nam hic oſtreæ ſeu conchylia capiuntur, in quibus margaritæ naſcuntur & matureſcunt. quæ quòd nullæ duæ indiſcretæ reperiantur, etiam vniones dicuntur, Quarum tam nobilis natura eſt, vt nullo æquari precio poſſit. Vnde de Cleo-

Ezech.27. Plin.li.37. ca.6.& 10. Niger.geo gr.Aſ.ca.6.



Cleopatra Aegypti regina legitur, quòd hic inuentam margaritam ducentenis & quinquaginta aureorum millibus redemerit.

Niger vbi ſupra.

Præter hæc omnia varias Arabia felix nutrit feras, leones, pardos, tigrides, equos, mulas, camelorumq; ac elephantorum turmas. Sed & quamplurimos boum & ouium latiſſimas pinguiſſimasque caudas habentium greges, ſicut & toto Oriente huiuſmodi caudis boues atque oues præditi paſſim videntur.

Ex auium numero, ſolum anſerem & gallinam deſiderant.

Nam, quæ alibi deeſt, ante omnes aues nobilis, & in toto orbe vnica, pulcherrima & celeberrima illa Phœnix hic ſe continet. Hæc magnitudine aquilæ par eſt, caput pauonis inſtar, plumeo apice cohoneſtatur. facies criſtis diſcernitur, collum auri fulgore reſplendet. reliquæ verò veſtitrices corporis pennæ, purpureæ ſunt, vnde & Phœnicis nomen gerit; cauda eius cœrulea, roſeis pennis diſtinguitur. Viuit autem annis ſexcentis ſexaginta.

Plin.li.10 cap.2. Vitriac. cap.88. Laurent. Coruin. geogr.c.16

Tum enim ſeneſcens, pręeminentiſſimum quendam eligit ſibi locum, in quo ex odoriferis balſami, cinnamomi, caſiæ, thuris, variorumq; aromatum ſurculis nidum ceu rogum ſibi conſtruit; quem Solis calore alarumque plauſu & agitatione accendens, ſeipſam comburit & in cineres reſoluit. Ex quibus poſtero die vermiculus enaſcitur, qui proximo deinde die pennis veſtitus, fit pullus, ac terio priſtinam recipit naturam. De hac aue ſic Lactantius luſit.

*Conſtruit inde ſibi ſeu nidum, ſiue ſepulcrum.*
*Nam perit vt viuat, ſe tamen ipſa creat.*

Q. Plautio & Sex. Papinio Coſs. Phœnicem in Aegyptum deuolauiſſe Cornelius Valerianus tradit, vt habet Plinius.

Scribit Ioſephus, & poſt eum B. Hieronymus, Patriarchæ Abrahami filios ex Cetura natos, ipſo authore, Arabiam felicem, & Troglodyticam regionem occupaſſe. Huius regionis incolæ, qui totum Arabici Rubrique maris littus vſque ad confinia Aegypti poſſident, Troglodytæ, Straboni autem Trogodytæ, ideò fuêre vocati, quòd in antris & cauernis vitam agerent.

Geneſ.25. Ioſeph.1. antiq.23. & 2.anti. 9.11. Hieron. quæſtion. Hebr.in. Geneſ.25. 2.Par.12.

Huius felicis Arabiæ incolæ fuerunt tres illuſtriſſimi piſſimique illi viri quos Euangeliſta Magos, Regius pſalmographus, & ſummus Vates Iſaias Reges appellant. tres autem fuiſſe, S. Leo primus huius nominis Pontifex maximus ſcribit. Quorum hæc, vt antiqua traditione ad nos deuolutum eſt, ſunt nomina: Melchior, Baltaſar & Iaſpar. Hi viſa in Orientis regione, nouæ claritatis ſtella, quæ illuſtrior pulchriorque cæteris ſideribus apparens, in ſe intuentium oculos animoſq; conuertebat, (hāc enim vaticinio Balaam, cuius ſucceſſores erant, exorituram nouerant) eam ſignum diu expectati & nunc tandem nati Regis Iudæorum eſſe intellexerunt. Quem, velut primitiæ gentium, inquirere, adorare, ac precioſis muneribus honorare ſategerunt. Itaq; ſtellam ſequētes ducem, ingenti grege camelorum & dromedariorum terræ Madian & Epha, (quæ Hieronymo teſte, felicis huius Arabiæ regiones ſunt camelorum fertiles, à Madian filio, & Epha nepote Abrahami nomen acceperunt.) magno comitatu Regiam ciuitatem Ieruſalem Regem inquirentes intrauerunt, ac, vt Propheta loquitur, quaſi inundatione cooperuerunt. Vbi cùm ſtella totius itineris dux diſparuiſſet, à Scribis Micchęę vaticinio de nati Regis loco inſtructi. in Bethlem profecti ſunt. Quò cùm ſtellæ ductu perueniſſent, mox inuentum Regem proni adorauerūt, ac apertis theſauris ſuis, de auro, thure, & myrrha Arabiæ, puero Ieſu Regia obtulerunt munera, Diuina habentia in ſe myſteria: aurum, ſicut Regi magno; thus, ſicut Deo vero; myrrham, ſicut homini morituro. Hoc ſuo facto non obſcurè ſignificantes, gentium multitudinem, & earum Reges turmatim vndiq; ad Eccleſiam confluxuros, ac dona Chriſto Domino oblaturos.

Matth.2. Pſalm.71. Iſa.60. Leo ſer.1. de Epipha. & 4. Num.24. Hieron.li. 1.com.in Matth.2. Iſai.60. Hier.ibid. Geneſ.25. Matth.2. Mich.5. Pſalm.71.

In hac porrò Arabia, quæ felix cognominatur, vas electionis D. Paul. Apoſtolus, meritò à B. Gregorio, preco fidei appellatus, mox poſt ſuam conuerſionem toto triennio Euangelium prædicaſſe ſe ſcribit. vbi quātum profecerit, hinc colligere eſt, quod huius prouinciæ vrbs Becerra, quæ Archiepiſcopalis ſedes erat, Epiſcopatus ſub ſe habuerit triginta quinque.

Gala.1. Tyr.14. bel.12.

ARABIA Petræa, quæ à poſterioribus Arabia tertia, à noſtri verò tēporis Saracenis Barraab nuncupatur, Moabitidem, Idumæam, Amalechitidem, & Cedar, regiones ſuo ambitu continet. atque à Septentrione, Arabiæ felici, Iudææ ac Paleſtinæ contermina eſt; ab Occaſu clauditur Caſſio monte, atque alluitur mari Aegyptio; à Meridie verò cingitur Aegypto & interiori Arabici pelagi ſeu maris rubri ſinu. Denique ad ſolis ortum per latiſſimas, & ſqualidas ſolitudines ad flumē Euphraten vſque excurrit.

Petræa autem dicta eſt, à vetuſtiſſimo oppido Petra deſerti ipſius metropoli ſupra mare mortuum ſito.

Hanc regionem etiam Syriam, Sobal ſiue Zobal in ſacris voluminibus appellari multi authores ſcribunt. Eandem † à Nabaioth primogenito Iſmaëlis, Ioſephus & Hieronymus Nabathæam, & Nabathenam, & qui eam incolunt, Nabatheos, Nabutheos, & Nabathenos, aliàs Tubianęos. quorū aliquoties in ſacris literis, frequens autem in Ioſepho fit mentio, nuncupari referunt. atque etiam nunc, vt Hieronymus atteſtatur, familiæ eorum, oppidaq;, & pagi, ac munita caſtella, & tribus hac appellatione celebrantur.

Tyr.bel. ſacr.lib.10. cap.8.li.11. cap.26.lib. 16.cap.6.l. 20.c.29.& ſæpe alibi. Vitriac. cap.96. Brocard. in præfat. deſcriptio. loc.ter.ſ.

Breid.ibid.Niger geogr. Aſ.com.4.p.516.† Geneſ.25.Iſai 60.1.Machab.5. 9.2.Machab.12.Ioſeph.1.antiq.21.& 12.antiq.12.& 13.antiq.1.8.14. antiq.4.5.6.Item 1.bel 6.& 6.bell.12.. &c.Hieron.quæſt.Hebr.in Geneſ. 25.& in Iſai.60.

Coſmographi verò Nabathæam & Nabatheos, non à filio Iſmaëlis Nabaioth nominare videntur: ſed ab huius regionis metropoli Petra, quæ olim Nabatha dicta fuit.

Plinius. Strab.l.16.

Quod ad loci naturam attinet, niſi quòd

 alaba-

alabaſtrum cādidiſſimum proferre ſcribitur, parùm regio hæc ab Arabia deſerta differre videtur; quia & ipſa in multis locis ſterilis, arenoſa, deſerta, inuia, aquæ egens, petroſa & tota aſpera eſt. Nihilominus tamen, teſte Hieronymo, quantumuis frugum inops, pecorum plena eſt. Incolarum etiam plerique ex pecorum camelorumque lacte & carne viuunt. Plura, de Arabum gēte ac moribus proferemus, cùm in deſcriptione deſerti Pharan, dictione Cedar, de poſteritate Iſmaëlis diſſerendum erit.

*Hieron. in Iſai. 60.*

Eſt in Petræa hac Arabia mediterranea & ampla vrbs Mecha, quæ ſuæ ambitu ſexcies mille ædes continens, in agro planè ſterili ſita à littore maris rubri itinere dierum trium abeſt. In cuius vrbis meditullio ingens cernitur moles, Coloſſæo Romano, quod olim Amphitheatrum Veſpaſiani dicebatur, ferè par & ſimilis. Perfidiſſimi hęc eſt pſeudoprophetæ Mahomeri delubrum, altiſſima turri conſpicuum, quod tottum concameratum, longitudine paſſuum centum, latitudine verò octuaginta, columnis quadringentis fulcitur. eiuſque vndique parietes auro obducti, incomparabili ſplendore refulgent. qui dum lychnorum pēſilium ad tria millia perpetuò ardentium lumen recipiant, incredibili fulgore intuentium oculos perſtringere feruntur.

*Brocard. in præfat. loc. ter. S. Brei. ibid. Salig. tom. 5. cap 3. Aloyſ Cadan. uſt. na uig. c. 53. et 56. in Bro. p. 40. 42. Ludo. Roman. Patr. nauigat. li. 1. cap. 8.*

In huius delubri medio ferrea arca, in qua Mahumeti corpus conditum adſtruunt, à Magnete lapide (qui naturali quadam vi ferrum attrahit) ſublata, in aëre dependet. Sic impoſtor ille, vt viuus ficta pietate, iniquis legibus, vi & armis populum ſeduxerat, ficto miraculo etiam mortuus miſeros fallit, & in grauiorem ſui damnationem à ſuis ſuperſtitioſè colitur & adoratur.

*Negat tamen Lodo. Romanus, atq; ait ab imperitis confictum lib. 1. cap. 8. 11. 12.*

Quemadmodum enim Chriſtiani religionis ergò vndiq; ex toto orbe Hieroſolymam ad inuiſendum Ieſu Chriſti Seruatoris noſtri monumentum confluunt: ita proh dolor Saraceni & Turcæ, alij ex Arabia, Aegypto, & Aethiopia; alij ex Syria, Perſide, & vtraq; India peregrinationis ergò turmatim huc concurruut, vel vt aliquid auxilij ab inope percipiant, vel honorem, quem Deo Opt. Max. debent, falſi prophetæ putrido cadaueri deferant

## 13.

ARAM, aliâs Aran. oppidum dimidiæ tribus Manaſſe vltra Iordanem, quod Segub expugnauit. 1. Par. 2.

## 14.

ARBEL, ad Hieronymi vſque ætatem vicus erat trans Iordanem in finibus Pellæ ciuitatis Palæſtinæ. Hier. de loc. Hebr. lit. A. Benedict. in interpret. nomin. Heb.

## 15.

ARGA, vſq; hodie, inquit Hier. vicus eſt circa Geraſam Arabiæ vrbem, quindecim ab ea diſtans millibus contra Occidentem. Hier. in loc. Heb. lit. A.

## 16.

ARGOB, vrbs & regio regni Og regis Baſan ſuper Iordanem ſita, quam cepit Iair filius Manaſſe. Eandem Moyſes dimidiæ tribui Manaſſe in ſortem tradidit.

*Deute. 3. Hieron. de Hebr. loc. lit. A.*

Tempore Regis Salomonis huic regioni virum nomine Bergaber præfectum fuiſſe, lib. 3. Regum, capite quarto legimus. Eiuſdem regionis & in quarto Regum libro mentio fieri videtur.

*3. Reg. 4. 4. Reg. 15.*

## 17.

AROER, ſiue Haroër, regni Syriæ vrbs & regio eſt in agro Damaſceno ſita, cuius ciuitates prorſus deſerēdas & gregibus eſſe relinquendas Iſaias prophetauit. Iſai. 17. Bened. in interpret. nom. Heb.

## 18.

ARPHAS, vicus, qui Trachonitidis regionis ab Oriente terminus eſt. Ioſeph. 3. bell. 2.

## 19.

ASTAROTH, aliâs Haſtaroth, Aſeroth, Aſtaroth-carnaim, & Carnaim Aſtadroth, trans fluenta Iordanis antiqua & magna vrbs eſt, ſita in angulo regionis Batanææ, & confinijs terræ Hus, atque ſex millibus ab Erai ſeu Adar vrbe Arabiæ ſeparata.

*Hieron. de loc. Hebr. lit. A.*

Quondam hanc ciuitatem habitauerunt Carnaim ſiue Raphaim gigantes, vnde & Terra gigantum appellatur, quos Rex Aelamitarum Chodorlahomor interfecit, cùm tempore Abrahami contra Reges Sodomorum dimicaturus, hac exercitum duceret.

*Geneſ. 14.*

Multo poſt tempore vrbs hæc Regia ſedes fuit Og potentiſſimi Regis Baſan, qui ætate Moyſis ſolus ex huius vrbis gigantum ſtirpe ſuperſtes erat. Eoque à filijs Iſraël occiſo, dimidiæ tribui Manaſſe in ſortem data; atque cum ſuburbanis ſuis, Leuitis aſſignata eſt.

*Deute. 1. Ioſ. 9. 12. 13. 11. Para. 6.*

Hinc Ozias, vnus ex fortiſſimis heroibus Dauidis regis, oriundus fuit.

*1. Para. 1.*

Hæc Aſtaroth olim egregia ciuitas, in qua domum prophetæ Iob fuiſſe Hebræi, teſte Hieronymo, tradunt: eiuſdem Hieronymi ſæculo grandis duntaxat vicus erat, qui Carnea appellabatur.

*Hiero. de loc. Heb. lit. C.*

## 20.

ASTAROTH caſtellum. Sunt hodie, ait Hieronymus, duo caſtella in Batanæa hoc vocabulo, nouem inter ſe millibus ſeparata, inter Edrai ſiue Adaram & Abilam ciuitates. Hier. de loc. Heb. lit. A.

## 21.

AVRAN, ſiue Hauran, vrbs in confinijs Damaſci, à qua regio Auranitis, ſiue Hauranitis, eiuſque incolæ Auranitæ vocantur. Totam hanc regionem, eique conterminam

*Ezec. 47. Hiero. ibid. Ioſeph. 15. ant. 12. 13. & 17. anti. 17. Item. 1. bel. 15. & 2. bell. 4. 14. 17.*



nam Trachonitidem, itemque Batanæam, Imperator Auguſtus liberali donatione Herodis Iudæorum Regis ditioni adiecit. Eaſdem regiones poſt Herodis mortem idē Imperator Philippo Herodis filio; & poſtremò Claudius Cæſar Agrippæ eius nepoti, donauerunt.

Anno poſt Virginis partum milleſimo centeſimo octuageſimo ſecundo, Saladinus Damaſci totiuſque Syriæ rex contra Chriſtianos exercitum ducens, regionem hanct ranſijſſe ſcribitur.

*VVilh. 22. bel. ſac. 26.*

## 22.

BAALHERMON, mons eſt trans Iordanem ad Solis ortum, è regione Pancadis & Libani, in finibus Palæſtinæ ſitus. ad quē vſque terra filiorum Iſraël, dimidiæq; tribus Manaſſe extenditur. in cuius vertice idôlo Baal inſigne extructum erat templum: quod, vt Hieronymus refert, ab ethnicis cultui habebatur.

*Iud. 3. 1. Para. 5. Hieron. in loc. Hebr. lit. A. dict. Aermon. & li. B.*

## 23.

BASAN, ſiue, vt ſeptuaginta interpretes habent, Baſanitis, regio eſt trās Iordanem, quæ longitudine à torrente Iaboc, vſque ad terminos Selcha Geſſuri & Machati: latitudine verò à mōtibus Galaad, Seir & Hermon, vſq; ad mare Galilææ & Iordanem porrigitur.

Porrò nomen hoc Baſan, Hieronymo autore, pinguis & vberrima interpretatur. A terræ ſiquidem natura regio hæc appellationem ſortita eſt. vtpote quæ vliginoſis, vberrimis, herbarumque fertiliſſimis paſcuis abundat, ac omnes, quæ trans Iordanem ſunt, terras fœcunditate excellit. vnde agnos arietes, & vaccas, quæ hîc nutriebātur, quòd pinguiſſimæ eſſent, ſacræ literæ ſemel ac iterum commendant.

*Hieron. in Iſai. 33. Ioſeph. 4. Antiq. 4. Deute. 32. Amos 4. iuxta. 70. interpret. Hiero. ibi. Iſai. 2.*

Ob hanc luxuriantis ſoli vbertatem frequentibus nemoribus prouincia hęc ſilueſcebat, in quibus altiſſimæ præſtantiſſimæq; creſcebant quercus. vnde quercus Baſan, quaſi præcipuo ac commendatitio titulo optimæ excellentiſſimæque quercus à Prophetis deſignatæ ſunt. Hæ, quòd glandiferæ eſſent, gratiſſimum porcis præſtabant pabulum; quorū magnam hîc fuiſſe frequentiam, vel inde colligere eſt, quòd huiuſce regionis duo porcorum millia Chriſti permiſſu à dæmonibus in mare præcipitata atque ſubmerſa, Euangelica referat hiſtoria.

*Ezech 27. Zacha. 11. Hieron. in Iſai. 2. & Zacha. 11. Bened. in interpret. nom. Heb. dict. Baſan Marc. 5.*

Cùm itaque terra hæc optima fructuoſiſſimaque eſſet, olim à robuſtiſſimis gigantibus habitata fuit: & Terra Raphaim, id eſt, gigantū, dicta. Quos cùm Chodorlahomor, vt etiā ſupra memini, vnà cum tribus alijs Regibus, qui ab eo ſtabant, contra quinque Sodomorum Reges hac exercitum ducens, occidiſſet, vnus, qui ex gigantum reliquijs quadringenteſimo quinquageſimo poſt anno ſupererat, Og nomine, vir heroica corporis ſtatura, nec viribus, nec virtute alicui inferior, vniuerſæ Baſanitidi regioni Rex imperabat. ac præter innumeras, quæ muris carebant, ſexaginta in hac ditione vrbibus magnis præerat. quæ altiſſimis muris, portis, vectibus, atque æreis ſeris firmiter munitæ erant. Has verò, licet firmiſſimas ciuitates, atque muris, aggeribus & foſſis cinctas, Sacra ſcriptura & D. Hieronymus aliquoties vicos & villas vocant. vnde intelligimus vicorum villarumque nomine nonnunquam vrbes maximas deſignari,

*Deut. 3. Geneſ. 14. Num. 21. Deut. 3. 3. Reg. 4. Num. 32. Deut. 3. Ioſ. 13. Iud. 10. Hieron. de loc. Hebr. lit. A. dict. Auothiair.*

Poſtmodum cùm filij Iſraël Og regē Baſan, eiuſque filios occidiſſent, ac omnes ipſius copias proſtrauiſsēt, ſtrenuus Iſraëlitarū, heros Iair filius Manaſſe prædictas ſexaginta vrbes ſitu & arte munitiſſimas expugnauit, atque ex nomine ſuo, Auoth Iair ſiue Hauoth-Iair, id eſt oppida Iair appellauit. quo vocabulo ſæpius in ſacris literis celebrantur. Quę quidem vrbes omnes, atque adeò vniuerſa terra regni Baſan, à Moyſe duce Iſraëlitici populi, dimidiæ tribui Manaſſe in poſſeſſionem data fuit.

*Ioſ. 17.*

A Salomone Rege, præter regionem Argob, etiam tota hæc prouincia Baſan, Bengabero, cuius ſupra mētionem fecimus, regēda tradita fuit. Meminit huius terræ Iſaias, prædicens illam concutiendam ac in ruinam detrahendam.

*3. Reg. 4. Iſai. 26. & 33.*

## 24.

BATHANEA, & Batanæa, Batania, Bethania, & Bataldis, regio eſt Trachonitidi confinis, ſita trans Iordanem, cuius incolæ à Ioſepho Batanæi dicuntur. Hanc regionem vnà cum Trachonitide & Auranitide Zenodoro, qui eam poſſederat, ademptam, Auguſtus Cæſar regali dono Herodis ſenioris imperio adiecit. Qui cùm eſſet morti proximus, eaſdem vnà cum Gaulonitide & Paneade extremæ voluntatis tabulis Philippo filio ſuo aſſignauit. Poſtmodum donante Claudio Imperatore regi Agrippæ Herodis nepoti ceſſerunt.

*Ioſeph. 4. ant. 5. & 9. anti. 10. & 13. an. 12. et 17. anti. 2. 10. 17. et. 18. antiq. 8. 9. & alibi. Hieron. de loc. Hebr. Ptolom. 4. Aſiæ tab.*

## 25.

BEDEGENE, aliâs Bettegene, locus ad radicem Libani ſitus. vbi limpidiſſimæ emanant aquæ, vnde & Domus voluptatis dicitur. Quem Occidentales Chriſtiani bellica manu occupauerunt & deprædati ſunt, ac poſtea cū adiacentibus viculis incendio deuaſtauerunt. Tyr. 21. bel. ſacr. 10. & 22. bel. ſa. 22.

## 26.

BETHENABRIN, aliâs Bethenabro, vicus portis & muris munitus, quē in expeditione Veſpaſiani Cæſaris ſeditioſi ex Gadara profugi occupauerunt. Qui dum Romanis contra ipſos caſtra mouentibus egredientes occurrūt, ab illis occiſi ſunt, ac vicus direptus, ignique traditus. Ioſeph. 5. bel. 3.

## 27.

BOSRA, quæ Hebraicè Beeſthera, Hieronymo Beeſthara, aliâs Bozra, Boſtra, Boſdra, Borſtum, Orſa, Boſora, Boſcron, Boſron, & Berſa; nunc autem vulgò Buſeret, Buſſeret, Buſrit,

*Hieron. de loc. Hebr. lit. A. et lit. B.C.E.I.T.*

Buſrit, & Burſeth appellatur, in regionibus Baſanitide & Trachonitide vetuſtiſſima ſimul & munitiſſima vrbs eſt. ab vrbe Adrach ſeu Adra viginti quinque millibus; ab Edrai verò ſiue Adara, vigeſimo quarto lapide diſſita.

Eſt & altera Boſra in regione Moab, & tertia in Idumæa. de quibus ſuo loco diſſeremus.

*Ioſ. 21.*

Hęc porrò, de qua nunc agimus, Trachonitidis regionis caput fuit, atq; in expugnatione terræ, quæ trans Iordanem eſt, ab Iſraëlitico populo occupata, dimidiæ tribui Menaſſe attributa, atq; vnà cum ſuburbanis ſuis, Leuitici generis ſacerdotibus data fuit.

*Tyr. bel. ſa. li. 13. ca. 2. & lib. 14. cap. 12. Vitr. c. 96. Brocard. in præfat. deſcri. loc. terr. S. & itin. 3. Brei. ibid. Salig. tom. 5. cap. 3. Tyr. lib. 16. bel. ſa. 8. 9. 10. Vit. c. 47.*

Poſt autem, Chriſti fidem religionemq; amplexata, Archiepiſcopali ſede nobilitata fuit ac totius deſertæ ſeu primæ Arabiæ metropolis facta. cui nouemdecim Epiſcopatus ſubiecti parebant.

Poſtea in Saracenorum manus deuenit. quam cùm aliquot ſæculis poſſediſſent, anno tandem reparatæ ſalutis poſt milleſimum centeſimum quadrageſimo tertio, Hieroſolymitanus rex Balduinus eius nominis tertius cum ingenti Chriſtianorum exercitu eam recuperare tentauit. Sed præter opinionem longè munitiſſimam inueniens ac ab hoſtium præſidio præoccupatam, infecto negotio per inſtructas illi à Saracenis inſidias non ſine graui damno ac maiori periculo reuerſus eſt.

*Tyr. 21. bel. ſa. 8. Idem 23. bell. ſa. 20. 21. 22.*

Eandem poſtremò Saladinus voluntaria ciuium traditione ſine bello, ſuo imperio aſciuit. Cuius agrum Balduinus quartus, Hieroſolymorum Rex anno Chriſti milleſimo centeſimo octogeſimo hoſtiliter depopulatus eſt.

## 28.

CAMON, ciuitas terræ Galaad, in tribu Manaſſe. in qua Iair Galaadites Iudex populi Iſraëlitici ſepultus eſt. Iudic. 10. Ioſeph. 5. ant. 12. Hieron. de loc. Hebr. lit. C.

## 29.

*Hieron. de loc. Hebr. lit. C.*

CANATH. vrbs ſita in tribu Manaſſe regione Trachonitidis iuxta Boſram, inter loca ſaxoſa, aſpera & deuia. quam cùm cepiſſet Naban, appellauit Nabotholiam.

*Ioſeph. 15. ant. 5. & 1. bell. 4. 14. & in vita ſua.*

Ioſephi autem, Ptolomæi, & Hieronymi temporibus, Canatha, ſeu Cannatha, Cana, Chana, eiuſque incolæ Canathenſes dicebantur, atq; à Ioſepho quidem & Ptolomæo Cæleſyriæ, à Hieronymo verò Arabiæ annumeratur.

In agro ciuitatis huius Herodes ſenior inſtructa contra magnum Arabum exercitum acie confligens victor extitit: at redintegrata ibidem pugna, victus ac fugatus eſt.

## 30.

CARNAIM, Ioſepho Carnain, aliâs Grana, munita ac magna Galaaditicæ regionis ciuitas eſt, ſita vltra torrentem Iaboc ad Septentrionem. quam cùm Iudas Machabæus expugnaſſet, fanum; quod in ea erat, incendit; ac vnà cum omnibus, qui in ipſum confugerant, exuſſit. 1. Machabæor. 5. cap. Ioſephus 12. antiq. 12.

## 31.

CARNION, aliâs Carmon, præſidium in terra Galaad, propter locorum anguſtias acceſſu difficile & inexpugnabile. 2. Mach. 12.

## 32.

CASPHOR, ampla & firma Galaaditidis ditionis ciuitas, in monte, vt Hebraici nominis eius interpretatione apparet, ſita. Caſphor ſiquidem Hebræis argẽteus ſiue deſiderabilis mons interpretatur. 2. Mach. 5.

## 33.

CAVAN, locus in campeſtribus Iordanis, per quem Saladinus à Damaſco Scythopolim pergens, exercitum duxit. Tyr. 22. bell. ſacr. 26.

## 34.

CAVEA Roob, Vallis eſt anguſta, aſpera, & illac iter facientibus periculoſa, ſita in regione Trachõitide inter Corozaim & Boſram ciuitates. quã Chriſtiani Hieroſolymorum Reges in Damaſci & Boſræ fines exercitum ducentes, ſemel iterumq; trãſierunt, Tyr. bell. ſacr. lib. 3. cap. 18. & lib. 16. ca. 9. 12.

## 35.

*Brocard. itin. 6. Breid. ibid.*

CEDAR Hebræis Chedar, ciuitas eſt glorioſa, in montanis Seir ſiue Sanir alto ac firmo loco ſita, quæ ciuitate Corozaim verſus Orientem quatuor miliaribus abeſt.

Quidam multum hallucinantes vrbem Cedar à Ioſepho Gamalam ſeu Camelam vocari exiſtimant: cùm tamen hæc longè alia ciuitas ſit, de qua infra agetur.

Tranſit hanc ciuitatem Cedar celebris ac publica Via, quæ in Syria initium habens, & per Corozaim, Capharnaum, ac littus maris Galilęę delabens, iuxta Bethſaidam in duo itinera diuiditur, quorum vnum per Galilæam procedens, in Occidentem ad mare magnum ducit: alterum totam præteriens Palæſtinam, in Aegyptum vſque excurrit.

*Cant. 1. Iudit. 1. Fretel p. 8. Pſal. 119. Hieron. in Ierem. 2.*

Meminit huius ciuitatis Cedar & Salomon in Cant. & liber Iudith. Sũt etiam qui Regem Dauidẽ in Pſal. ſuis eius quoque mentionem facere putant, cum ait: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. habitaui cum habitantibus Cedar. multum incola, ſeu, vt Hebræi, peregrina fuit anima mea. Nonnulli tamen eum de Cedar regione loqui aſſerunt. Alij porrò per tropum aut metonymiam ſiue tranſnominationem, nomine Cedar nõ propriam rem, ſed potius rei qualitatem ſignificari volunt, ac hac appellatione obſcuritatem & tenebras denotari.

## 36.

CEPHARNOMA vicus. Ioſeph. in vita ſua. pag. 575.

37. COELE-



## 37.

*3. Eſdr. 2. 6. 7. 8. 1. Mac. 10. 2. Mach. 3. 4. 8. Ioſeph. 11. antiq. 5. & 13. anti. 19. & 15. anti. 5. & 1. bell. 4. 5. 14. & aliàs ſæpè.*

COELESYRIA, ſiue Coeleſſyria, quę & Syria Coele ſeu Coeles, id eſt, Caua, Curua, humilis aut inferior Syria dicitur, maioris Syriæ pars eſt, quandoq; Minor Syria appellata. Nam à κοῖλος, quod Grecis cauũ ſignificat, Cœleſyriæ nomen habet. Regio ſiquidẽ eſt campeſtris, humilis, depreſſa, & cõcaua, atq; altiſſimis montib. quaquauerſum vallata. cuius in ſacra ſcriptura & Ioſepho frequens fit mẽtio.

*Tyr. 17. bell. ſacr. 1. & 22 bell. ſac. 20. Vitr. ca. 46. Brocard. in præfat. de ſcript. ter. S. Breid. ibid. Ptol. tabul. 4. Aſ. Plin. lib. 21. cap. 18.*

A Meridie Arabia deſerta; ab Occidente Phœnicia; & à Septentrione, Valania fluuio cingitur: verſus Orientem autem, vſq; ad Euphratem fluuium extenditur. Amplas ac præclaras habet ciuitates, Adrach, Canathan, Damaſcũ, Abilam, Heliopolim, Apamiam Laodiceam, Antiochiam, aliaſq; quàm plurimas. Scribit Plinius iuncum odoratum hic naſci. Poſtellus noſtri ſæculi author ait eam nunc Boca & Bocalbalbec appellari.

## 38.

COPAR, locus trans Iordanem eſt, inter vrbem Paneadem & ſiluam quandam ſitus, in quo, cùm Chriſtiani prædictam vrbem obſidione cinxiſſent, Amordus Damaſceni regni præfectus, qui Chriſtianis auxilio erat, caſtra habuit. Tyr. 15. bell. ſacr. 9.

## 39.

*Hieron. de loc. Hebr. liter. C. Brocard. iti. 3. & 5. Breid. ibid.*

COROZAIM, ſiue Corozain; Chorozaim, Corozain, Chorazain, Gręcè Chorazin, inclyta Galilææ ciuitas eſt, quę inter 10. celebriores vrbes Decapoleos numeratur. Sita è regione Capharnai ad mare Galilææ, in vlteriori, hoc eſt, Orientali Iordanis ripa. atq; contra Meridiẽ à ciuitate Sueta, & contra Occidentẽ ab vrbe Cedar, à ſingulis quatuor miliaribus diſtat. Verſus Orientẽ verò à Caphar nao in ſecundo lapide abeſt. Hîc Chriſtus, vt ex ipſius exprobratione non obſcurè colligitur, frequenter cõcionem habuit, & plurima ſigna ac virtutes edidit. Quibus cùm Corozaimitæ ad agendã ſcelerum pœnitentiam non commouerentur, Dominus ciuitatẽ hanc, ſimul & Bethſaidam incredulitatis ac iniquitatum eius ſororẽ, miſerabiliter deplorauit & planxit, grauemq; cõdemnationem cõminatus eſt, dicens: Væ tibi Corozaim, vę tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro & Sidône factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere ſedentes, pœnitentiam egiſſent. Veruntamen dico vobis: Tyro & Sydôni remiſſius erit in die iudicij, quàm vobis. Quorũ verborum D. Hieron. hanc reddit rationem, quòd Tyrus & Sidon, licet vrbes eſſent idololatriæ & vitijs deditæ, naturalem tantũ legem calcauerint: iſtæ verò poſt tranſgreſſionem naturalis legis & ſcriptę, ſigna etiam quæ apud eos facta ſunt, parui duxerint, nec peccatorum pœnituerint.

*Matth 11. Luca 10. Hierony. in Matth. 11.*

*Hierony. de loc. Hebr. liter. C. Breid. iti. 3. Sal. tom. 9. cap. 9.*

Ob quam culpam etiam in præſenti ſæculo Dei vindictã experti videntur. Teſtatur enim D. Hier. ſua ętate Corozaim fuiſſe deſertã. atq; etiamnũ antiquę eius dũtaxat ruinę ſuperſũt.

*Fretell. pag. 7.*

Sunt qui putant Antichriſtum in Corozain fore naſcendum & nutriendum: quem tamen in Babylonia naſciturum eſſe, plurimorum ſententia eſt.

## 40.

DAMASCVS, Hebraicè Damaſec, vrbs omnium, quæ in ea regione ſunt, & vetuſtate originis, & magnitudine pulchritudineque nobiliſſima, ac totius Syriæ metropolis. quam ſacrę literæ, diuerſi hiſtorici, illuſtris deniq; fama longè lateque per vniuerſum terrarum Orbem celebrant atq; commendant.

*Tyr. 17. bell. ſacr. 2. Ezech. 47. Breid. iti. 5. Ludouicus Roma. Patriarch. nauigat. lib. 1. cap. 5. Ioſeph. 3. antiq. 21. Herold cõtinu. bell. ſa. lib. 6. cap. 4.*

Sita eſt in campo plano ad Septentrionẽ terræ promiſſionis, vltra Libanum montem, (qui inter ipſam & Cæſaream Philippi interiacet,) qua parte Palæſtinę ſiue terrę promiſſæ terminos attingit. A Hieroſolymis verò ſex dierum itinere diſtat. Si munitionem elegantiãq; ſpectes, ſublimibus mœnibus circumdatur, firmiſſimiſq; portis, & ſolidis turribus egregiè munitur: quarum quatuor inſigni faſtigio altiores ſe conſpiciendas præbent. Mœnia, alta foſſa ambit: qui penſilibus ſiue verſatilibus pontibus traijcitur: Ad hæc præcellentis ſtructuræ arcem ſemper habuit altiſſimam iuxta ac munitiſſimam: cui, quod Florentinus quidam eã inſtauraſſet, in vetuſtiſſimo marmore multis ſæculis inſculpta apparuerunt lilia, inſignia Florentinæ vrbis.

*Ludouic. Rom. vbi ſupra. Ludouic. Rom. naui. lib. 1. cap. 6.*

Aedes tum publicæ, tum priuatæ, foris licet inelegantes ſint, intus tamen decentiſſimæ ac vario marmore, cõprimis verò Ophite lapide exornatę. quæ penè ſingulæ ſingulos habent fontes, excellenti ac operoſa arte, opere præſertim teſſellato egregiè elaboratos. Delubrũ verò, vt loci capedine ciuium ædes excedit, ita pluribus quoq; & magnificentius ornatis fontibus decoratur.

*4. Reg. 5.*

Præter tantam fontium multitudinem, duo amœniſſimi & nauigabiles fluuij, Abana & Pharphar, quorum Naaman Syrus in Regum libris facit mentionem, limpidiſſimis ſuis aquis vrbem irrigant, ac omnigenis mercibus ditant, & ille quidem à Meridie & Occidente allambit vrbis mœnia: hic verò vrbem ipſam medius perfluit. Sed & Chryſorrhoas, qui vt nomen indicat, aurifluus eſt, Damaſcum etiam præterfluere ſcribitur.

*Tyr. 17. bell. ſacr. 3. Vitriac. cap. 46. Ludouic. Roman. nauigat. lib. 1. ca. 5. & 6.*

Ager qui vrbi adiacet, quamuis ſoli natura ſterilis & aridus ſit, attamen prædictis fluuijs, varijſque fontibus, & ex propinquo deductis aquarum meatibus copioſè totus irrigatur & vliginoſus redditur, vt conſitionibus idoneus fiat, frumenti, generoſiſſimiq; vini ferax, ac pecoribus paſcendis cõmodiſſimus. Vuarum recentium toto anno illic vbertas eſt: & laudatiſſimorũ omnis generis fructuũ abundãtia. Hîc creſcunt proceræ oliuæ, ſuauiſſima poma, pruna, pyra, perſica, mala punica, chryſomela, & amygdalæ. Sed nec albæ, quæ Damaſcenæ vocantur, rubræq; roſæ ibi deſunt, longè noſtris pulchriores. Huiuſmodi arborum fruticumq; innumeris penè pometis ac hortis inſtar condenſorum nemorum vltra quinque aut amplius miliaria ciuitas ambita fuit.

Hinc legimus Holofernẽ, dum per campos Damaſci in diebus meſſis exercitum duceret, omnia

*Iudith. 2. Tyr. 7. bell. ſac. 3. & 4.*

omnia ſata ſuccendiſſe, omneſque arbores & vineas inciſiſſe. Similiter & Chriſtianis Damaſcum obſeſſuris pomaria ſepibus diſtincta ac circumſepta multum negotij exhibuiſſe.

*Plin. lib. 36. capite 8. In deſcript. terr. promi. num. 108.*

Apud Plinium inuenimus, circa Damaſcū lapidem Alabaſtriten effodi, cæteris cādidiorem; atque teſte noſtri temporis hiſtorico Michaële Aitſingero Auſtriaco, fragrantia hîc naſcuntur aromata, ex quibus aquę exprimuntur incredibilis odoris, quæ ob ſuam excellentiā apud noſtrates aquæ Damaſcenæ appellantur. Incolæ, quorum magna Damaſci ſemper frequentia fuit, opulenti ſunt. & maior illorū pars elegantiſſimo artificio ex bombycū vermiculorū tenuiſſimis lanis, ſerico, aliaque materia, omnifarios ac diuerſorum colorū bombycinos, ſericos & byſſinos texunt pannos: & ex zyli ſeu goſſipij fruticis lanugine, candidiſſima molliſſimaque zylina ſiue goſſipina lina conficiunt. Quapropter Propheta Ezech. de negotiatione Tyri agens, hæc de Damaſcenis mercibus, quæ Tyrum aduehi ſolent, meminit: Damaſcenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diuerſarū opū, in vino pingui, & in lanis coloris optimi. Quod vſque hodie, inquit Hieronymus, cernimus, qui vinum illud pinguiſſimum, & lanas præcipuas ac ſplendentes appellat. Porrò hac etiam ætate variorum colorum ſerici, bōbycini, goſſipini, & byſſini panni (quia nobis Damaſceni vocātur) Damaſco ad noſtras partes deferuntur. Hinc quoq; habemus pruna Damaſcena iam in rugas ſiccata, quæ multo cæteris nobiliora ſunt, ideoq; & à Plinio laudata.

*Ludoui. Ro. nauigat. lib. 1. cap. 6. — Ezech. 27. — Hierony. in Ezech. 27. — Plin. lib. 13. cap. 5. & li. 15. cap. 13.*

Ob præclara hæc tum naturæ, tum artis dona Damaſcus, vt patet ex 7. Iſaiæ capite, ſemper vniuerſæ Syriæ caput, ac Regni ſedes fuit, atque quondam, ſicut & nunc, in omni Syria tenuit principatum. Vnde & tota quæ illi adiacet regio, ac magna Syriæ pars, Damaſcena ſiue Damaſcene, atque Syria Damaſci nominatur. Ipſa verò Damaſcus in Scriptura ſacra, Ciuitas laudabilis, vrbs lætitiæ, & domus voluptatis nuncupari meruit.

*Iſa. 7. Hierony. de loc. Acto. Apoſt. lit. D. & in Iſa. 17. 2. Reg. 8. 1. Para. 18. Ierem. 49. Amos. 1.*

Quod autem ad Damaſci initia attinet, in antiquitatib. Hebraicis à Ioſepho proditum eſt, eam ab Hus filio Aram, qui Trachonitidis primatum tenuit, fundatam eſſe. vnde & Damaſcus, teſte Hieronym. alio nomine Aram dicitur. Qui quidem in Hebraicis quæſtionib. poſtquam ſentētiæ Ioſephi meminit, Damaſcum à Damaſco filio Eliezer procuratoris domus Abrahami, cuius in Geneſi fit mentio, cōditam & nuncupatam ſcribit. Cuius diuerſitatis hæc poteſt eſſe ratio, quod Damaſcus filius Eliezer ciuitatem ab Hus conditam, illuſtrius inſtaurauerit, ideoque ex Aram à ſuo nomine Damaſcum appellauerit: atque hoc ipſum Iuſtinum, Stephanum, alioſque Coſmographos permouiſſe, vt Damaſcum vrbis ſcriberent conditorem.

*Ioſeph. 1 antiq. 14. Geneſ. 10. Hieron. in Iſai. 17. & Sophon. 2. Hierony. in Gene 10. & 15. Geneſ. 15. Iuſti. lib. 36.*

Inuictiſſimus Iudæorū Rex Dauid, vir pietate bellicarumq; rerum ſcientia inſignis, cùm anno regni ſui 9. Imperij limites proferret, inito prælio cum Adado Damaſci & Syriorū Rege 22. virorum millia de exercitu eius cecidit ac proſtrauit, reliquos in fugam egit, regiamque vrbem Damaſcum ac totam Syriam ſuo imperio adiecit. A qua victoria priuſquam triumphator cum aureis trophæis Hieroſolymam rediret, Damaſcum aliaque oportuna loca firmo Iudæorū præſidio muniuit, & Damaſcenos, omneſq; Syros ſibi ſub tributo ſeruire coëgit. At verò cùm Salomon ſeptuageſimo poſt anno Deo Opt. Max relicto, gentium idóla Diuino honore coleret, iuſto Dei iudicio in reciprocā huius contra Deū inobedientiæ pœnā, Damaſceni hoc tributi ac ſeruitutis iugum à ſe excuſſerunt, ſibiq; in regē præfecerunt Razon filium Eliada. ac deinceps ab Iſraële ſeparati, proprio regi paruêre. Hinc de Elia Propheta habemus, quòd in ſpelunca montis Sinai ſeu Oreb Deū in ſpiritu videns, iuſſus ſit vt in Damaſcum iret, atque Azaëlem in Syriæ regem vngeret. Quod mandatum, eius diſcipulus Eliſæus Damaſci agens, impleuiſſe videtur, quando videlicet cum lachrymis Azaëli prædixit, ipſum Syriæ futurū eſſe regem, multaque mala Iſraëli illaturum.

*2. Reg 8. 1. Paral. 18. Ioſ 7. ant. 5. — 3. Reg. 11. — 3. Reg. 19. Eccle. 48. — 4. eRg. 8.*

Verùm enimuerò cùm, vt ferè fit, vbi opes abundant, ibi & faſtus & ſcelera luxuriare, factum eſt, vt & glorioſa illa ciuitas Damaſcus nimio luxu difflueret, ac in grauiſſima quælibet ſcelera dilaberetur. Ob quæ ſacri Prophetæ Amos, Iſaias, Ieremias, & Zacharias Diuino ſpiritu afflati prędixerunt Damaſcum capiendam, ſuccendendam, ac in ruinas & aceruum lapidum conuertendam.

*Amos. 1. 3. Iſa. 8. 10. 17. Ierem. 49. Zachar. 9.*

Iuxta quorum oraculum Aſſyriorum Rex Teglatphalaſar ab Achaz rege Iuda prece & precio conductus, auro nimirum, argento & theſauris templi ac palatij, valido exercitu Damaſcum expugnauit & exuſſit, Regemq; eius Raſin occîdit, ciues verò Cyrenem in Africā tranſtulit. atque in illorum locum ex Aſſyrijs Damaſcum colonias miſit.

*4. Reg. 16. Ioſeph. 9. antiquit. 13.*

Poſt quem à Babyloniorum rege vſq; adeò deuaſtata fuit, vt prorſus deleta & ſubuerſa ad tempus deſierit eſſe ciuitas, & tantum modò parietinæ ac priſtinæ potentiæ veſtigia in ruinarum magnitudine demōſtrarentur. donec ſub macedonibus & Ptolomæis rurſum inſtaurarctur, & in priſtinum ſtatum reſtitueretur. Tandem verò Pompeio Magno Romanum exercitum in Syria gubernante, Damaſcus à Metello & Lollio capta, in Romanorum poteſtatem deuenit. Plurimum hæc ciuitas nobilitata fuit illuſtri conuerſione ac cōuerſatione D. Pauli gentium Apoſtoli, qui adhuc adoleſcens (vt obiter iſta referam) à principe ſacerdotum epiſtolas Hieroſolymæ ſollicitauit, quas in Damaſcū ad ſynagogas perferret, vt ſi quos Chriſtianæ fidei, ſeu viros, ſeu mulieres inueniſſet, vinctos Hieroſolymam puniendos perduceret. Ea poteſtate obtenta, Damaſcum iter fecit. Cùm autem iam vrbi appropinquaſſet, medio die ſubitò cæleſti lumine ipſum circumfulgurante in terram proſtratus eſt, & nimia luminis illius claritate excœcatus: oculos amittens carnis, vt mentis acciperet. Tum verò Ieſu Saluatoris voce increpitus, totus in alium hominem conuerſus eſt, atque

*Hieronym. in Iſa. 17. l. 5 — Ioſeph. 4. antiqui. 14. — Act. 7. 9. 22 — Hierony. in Ezech. 27.*



atq; à viris, qui erāt ei itineris comites, manu ductus in Damaſcum. vbi toto triduo non videns, neq; comedens aut bibens, orationibus vacauit. Quo tempore eam plerique illi contigiſſe viſionem putant, de qua in epi. ad Cor. ſcribit, cùm ait: Scio hominem in Chriſto ante annos 14. (ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio: Deus ſcit) raptum huiuſmodi vſq; ad tertium cælum. Et ſcio huiuſmodi hominem (ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio: Deus ſcit) quoniam raptus eſt in paradiſū: & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ac ibidem reuelante Domino edoctum eſſe Euangelium: quod ſe non ab homine accepiſſe aut didiciſſe aſſerit, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti. Poſt hoc triduum à Chriſti diſcipulo Anania (cuius domus in hodiernū vſq; diem ibidem habetur memoria) per impoſitionem manus viſum recepit, & baptizatus eſt, atq;, vt quidam volunt, pro Sauli, Pauli nomen accepit. Qui mox in ipſa ciuitate, vbi in Chriſtianos ſæuire decreuerat, atque adeò in Iudæorum Synagôgis Chriſtum liberrima voce per dies aliquot prædicauit. Atque inde ſtatim in Arabiam abiens, primus inter gentes Chriſti gratiam euangelizauit.

*2. Cor. 12. — Galat. 1. — Act. 9. Breidenb. itin. 5. Fretell. — Galat. 1.*

Hinc verò elapſis tribus annis Damaſcum reuerſus fuit. Cui Iudæi, qui ibidem agebant, ſtruxerunt inſidias, vt eum occiderent, atque præfectum gentis Aretæ Regis ad hoc induxerunt, vt portas die ac nocte obſeruari curaret, ne ipſorum manus effugere poſſet. Cæterùm à diſcipulis nocte è feneſtra per ciuitatis murum in ſporta demiſſus, manus quærentiū ſe euaſit. Quo loco etiamnum turris extat, quę huius rei firmat memoriam.

*Act. 9. 2. Cor. 11. — Ludouicus Roman. lib. 1. ca. 6. Breidenb. itin. 5.*

Habuit etiam hæc vrbs inter cætera ornamenta Archiepiſcopum, cui multis ſæculis 11. Epiſcopatus ſubiecti fuerunt. Præterea templa complura, eaque magnifica hic viſere fuit. Inter quę vnum reliquis pręſtabat, quod inſtar baſilicæ D. Petri vrbis Romæ conſtructum erat, niſi quod in meditullio nulli erant imbrices, vel tecta, ſed ſub dio pateſcebat. In hoc templo peculiari cultu ſanctiſſimi vatis Zachariæ corpus ſeruabatur. id quod etiam poſtea cùm vrbem hanc occupaſſent, ſumma in ęſtimatione habuerunt Saraceni.

*Tyr. 14. bel. ſac. 12. Ludouic. Roman. naugat. lib. 1. ca. 6.*

D. Hieron. deſcribens loca actuum Apoſtolorum, refert Damaſcum ſuo æuo Saracenorum fuiſſe metropolim. eaque propter eorum Regem Nauuiam famoſam in ea ſibi ſuæque gēti dedicaſſe baſilicam: Chriſtianis in circuitu ciuibus Baptiſtæ Ioannis Eccleſiam frequētantibus. Quod factum exiſtimo, cùm Cæſar Iulianus Apoſtata rerum potiretur. Nam ſcribunt hiſtorici Damaſcum, totamque Syriam vnà cum Hieroſolyma, Alexandria & Aegypto, anno Chriſtianæ redemptionis ſexcenteſimo trigeſimo ſexto à Saracenis duce Haomaro Romanis ereptam eſſe, ac nefario Mahometis cultui colla ſubmiſiſſe.

*Hieron. in. loc. Act. Apo. lit. D. — Onuphr. in chron. Eccleſiaſt.*

Porrò anno ſalutis ſupra milleſimum centeſimum quadrageſimo ſeptimo, mēſe Maio, Conradus eius nominis tertius Romanorum Imperator, Ludouicus iunior, pijſſimus Francorum Rex, Balduinus III. Hieroſolymorum rex, Henricus Dux Auſtriæ, prædicti Imperatoris frater, Fredericus cognomento Barbaroſſa ſiue Ahenobarba, Sueuorum & Vindelicorum dux, & poſtea Conrado in Imperio ſucceſſor, & Theodoricus illuſtriſſimus Flandrorum comes, multiq; alij tū ſæculares, tum Eccleſiaſtici Chriſtiani principes, in Ptolemaidenſi ciuitate congregati, ſtatuerunt Damaſcenam vrbem noſtris admodum infeſtam, armata manu Saracenis extorquere. Cùm itaq; tres ſelectiſſimi tam equitum, quàm peditum exercitus hac de cauſa conueniſſent, Germanorum nempe, Francorum, atq; Chriſtianorum in terra ſancta habitātiū; aſſumpto, pro more, ab Hieroſolymis viuificę Crucis ſalutari ligno, Damaſcum vnanimiter contenderunt, eiuſque pomaria, prædia, & ſuburbanos hortos ſummo labore perrumpentes, atq; fluuium, qui iuxta vrbis muros defluit, à Damaſcenis excipiētes, vrbem ab Occidentali parte longè lateq; obſederunt. Cæterùm Syrorum, qui ipſis itineris duces fuerant, falſis conſilijs nimis creduli, (erant enim illi maxima pecuniæ ſumma à Damaſcenis corrupti) caſtra mouentes, Orientalem vrbis partem obſederunt: Quo obſeſſis nihil melius accidiſſe potuiſſet, nam illi deſerta ab hoſtibus caſtrorum locá mox occupantes, aquam & comeatum omnē noſtris impedierunt. Tū Chriſtiani Principes quantos nunquam legimus conueniſſe, paucorum fraude proditi, ob victualium inopiā obſidionem ſoluere, ac re infecta abire coacti ſunt.

*Tyr. bell. ſac. lib. 17. ca. 1. 2. 3. 4. 5. 6. — Vitr. c. 46.*

Eandem vrbem Haalon Imp. exercitus Tartarorū anno 1262. obſidione rentauit, atq; vna & altera oppugnatione fruſtra facta, Damaſci Regem, quem captum ſecum habebat, vt vinctus erat, ſtatuit ſub ipſis mœnibus in conſpectu ciuium & filij, qui in vrbe erat, comminās niſi vrbem ſtatim dedant, exquiſitiſſimis tormentis ſe illum perditurum eſſe. Quas minas cùm ciues contemnunt, Damaſcenorum Rex in fruſta concerptus eſt, atq; vrbs longè quàm antea animoſius oppugnata, in manus Tartari deuenit qui filium ſuum nomine Agabum Damaſci Regem creauit.

*Herold. 4. contin. bel. ſacr. 14.*

Denique circa annum Chriſti milleſimum & quadringenteſimum, Parthorū Imperator Tamerlanes, ſiue, vt alij ſcribūt, Temyres, qui terror gentium appellatus eſt, coacto duodecies cētenum armatorum milium exercitu, Damaſcum petens, ſuburbia diripuit, atq; vt Epiphaniæ, quam Alapiam vocant, & Edeſſæ fecerat, cæſorū cadauera, ac captiuos omnes in foſſam vrbis præcipitari, ligna, terramq; ſuper his accumulari mandauit. Hac itaque ratione iacto aggere, dura obſidione toto ſemeſtri vrbem fatigauit, ac tandem valida oppugnatione expugnauit. Vrbe potitus, arcem, in quam præſidium ſe receperat, ſitu munitiſſimam, & inexpugnabilem, vt videbatur, ac quę præ nimia altitudine ſcalis æquari non poterat, occupare contendit. Quam licet illi, qui eam defendebant, dedere cupiebant, parum id ſuam virtutem atque exiſtimationem illuſtratu-

*Herold. 6. contin. bel. ſacr. 2.*

ſtraturum eſſe cenſens, mox in vicino multò ſublimiorem arcem extruxit. ex qua continuò tam noƈte quàm die omnis generis tela in ſubiacentes hoſtes conijciens, eos tandem penè omnes confecit. Tum maiori parte muri deturbata, cum ſuis in arcem irrupit, eamque occupauit. Ab vrbe autem hoſtiles manus rogatus abſtinuit, idque propter maieſtatem templi, quod in ea auguſtiſſimum ornatiſſimumque extabat, atque tanta amplitudine præcellebat, vt in circuitu quadraginta magnis porticibus ambiretur. intus verò nouem millibus ampullis (lampades ſiue lichnos penſiles fuiſſe puto) regum ſumptibus egregiè decorabatur, quæ omnia ex auro argentoque effabrè ducta erant.

Cæterùm dum hinc in Aegyptum exercitum duceret, ab Aegyptijs aſtu quodam Damaſcus occupata eſt, atque Tamerlani erepta. Id ille indignè admodum ferens, Aegyptum depopulatus eſt, & in Cœleſyriam exercitum reducēs, rurſus Damaſcum obſidione cinxit, ac in tertiū vſq; menſem acerrimè oppugnauit. Annona interim in vrbe deficiente, præſidiarijsque noƈte per portam aufugientibus, qua parte vrbs ab hoſtibus non obſidebatur; vrbem defenſoribus vacuā ſine labore expugnauit. Quam cùm victor intrat, Mahometi Pontificem ſuppliciter ipſi occurrentem, vnà cum ſacrificulis in templum ire iubet, qui dicto obedientes fuerunt. atq; eodem mox magna ciuium caterua ad decies ter mille homines, tanquā ad certum ſalutis aſylū confugit. Tamerlanes verò templo occluſo, magnam lignorum ſtruem in circuitu erexit, eiq; iniecto igne, quotquot in templum ſe receperant, ad vnum omnes ſimul cōcremauit. Funditus deinde vrbem diruit, ac ita complanauit, vt cùm ciues, qui fuga elapſi fuerant, theſauros ſuffoſſos ablaturi redirent, regionem, in qua cuiuſq; ædes olim ſitæ fuerant, agnoſcere nequiuerint. Captæ verò vrbis poſt ſe Trophæū reliquit, tres ex caluarijs cæſorum turres ſummo ingenio erectas.

*Herold.6. contin.bel. ſacr.10. Onuphr in chorn. Eccleſiaſt.*

Poſtea ab Aegypti Soldano vrbs hæc in integrum reſtituta fuit, ac Mamaluchorū præſidio firmata, multo tempore ipſi paruit. Anno autem Chriſtianæ redemptionis ſupra ſeſqui milleſimum 17. Selimus Turcarū Imperator poſt Soldanum & Mamaluchos prælio victos & occiſos. Damaſcum cum vniuerſa Syria per deditionem in ſuam poteſtatem redegit. Cui etiam nunc ſubiecta eſt, ac magna Mahometiſtarum, nec non Chriſtianorum frequentia inhabitatur.

## 41.

*Act.9.22. Ludouic. Roman. nauigat. lib.1.ca.6. Breidenb. itin.5.*

HOC loco, qui ad primum lapidem, ſiue dimidiū miliare à Damaſco diſtat, Paulus ſpirās minas ac cædes aduerſus diſcipulos Domini, Dei gratia ſubitò illuſtratus eſt, atq; ex equo in terram proſtratus, audiuit vocē dicētem ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris? &c. Repenteq; ex lupo agnus, ex perſecutore Diuini verbi prædicator, & ex vaſe contumeliȩ vas electionis factus eſt. In cuius rei memoriam Deo grata poſteritas eò loci Deo Opt. Max. in honorem D. Pauli templum erexit: vbi etiamnum Chriſtiani, qui Damaſci habitant, ſepeliri ſolent. Locum hunc à Syris Mergiſafer dictum inuenio: atq; Chriſtianorum exercitum Damaſcum petentem ipſo cōuerſionis D. Pauli. die huc perueniſſe, ac ibidē biduo commoratum eſſe. *Tyr.13.bel. ſacr.18.*

## 42.

DARIA, vicus ad Meridiem Damaſci in plano agro ſitus, quatuor, aut vix quinq; à Damaſco miliaribus diſtans. vnde tota Damaſcena ciuitas, atque adeò tota regio ex plano intueri eſt. *Tyr.bell. ſac.lib.17. c.2.& 3.li. 21.c.10.lib. 22.c.22.*

In hoc vico Chriſtiani quotieſcunque Damaſcum exercitum duxerunt, (quod ipſos ter feciſſe legimus) caſtrametaſſe ſcribuntur.

## 43.

DESERTVM Arabiæ, quod terram Hus ab Oriente reſpicit, ac eadem parte ciuitati Boſræ iungitur. Iob.1. Hiero. de loc. Hebr. lit. G. & I.

## 44.

DESERTVM Bethſaidæ, locus eſt ciuitatis Bethſaidæ tranſmarinus atq; deſertus, gramine tamen abundās. In quem Chriſtus cum ſuis Apoſtolis à prædicatione feſſis ſeorſum ſeceſſit, vt ab obruente turba liberi, nonnihil quieſcerent. Sed concurrente etiam huc multa hominum turba, Ieſus in montem ſubijt, ibiq; ſedit cum diſcipulis ſuis. Inſtabat verò tum Paſcha, dies feſtus Iudȩorum. Subleuans autem oculos Ieſus, vidit maximam iam hominum conueniſſe multitudinem. Tactus ergo miſericordiæ affectu erga eos, de monte deſcendit, multa coram eis de regno Dei diſſerens atque ſanans omnes qui malè habebant. Porrò cùm appetiſſet iam veſpera, monuerūt Apoſtoli Dominum vt turbam dimitteret, quo ſibi in vicinis caſtellis villis atque vicis de cibo proſpicerent, nihil enim ciborum vel locus ſuppeditabat, vel ipſi eò attulerant. Iuſſit verò Dominus diſcipulis huiuſmodi cōſiliū ſibi ſuggerentibus, vt turbas per conuiuia cateruatim centenos & quinquagenos ibi in viridi gramine facerent diſcumbere. Tum accipiens quinque panes hordeaceos & duos piſces, (qui ſolum ibi fuère inuenti) ſublatis in cælum oculis gratias egit, ac illis benedixit, & fregit, deditq; diſcipulis ſuis, vt diſcumbentibus ea diſtribuerēt. atq; ita Diuina hac benedictione quinq; iſti panes & duo piſciculi creuerunt partim in manibus Chriſti frangentis partim in manibus diſcipulorum diſtribuentium, partim in ore, gutture & viſceribus populi comedentis, vt præter mulieres, atq; pueros quinq; virorū millia his ſaturati fuerint; atq; tantū nihilominus ſuperfuerit fragmētorum, vt ijs duodecim cophinos impleuerint. *Matt.14. Marc.6. Luc.11. Ioan.6.*

Ob tam illuſtre miraculum populus palam confeſſus eſt Ieſum verè eſſe prophetā illum, qui in mundum venturus erat. Ipſumq; rapere volebant, vt Regē crearent. Cæterùm Dominus diſcipulos quidē ſuos abnauigare coëgit Bethſaidam: ipſe verò ſubduxit ſe in montem;

tem;



tem; ibique ſolus maximam noctis partem oratione tranſegit.

## 45.

DOMICILIVM Abrahami. vicus qui iuxta Damaſcum oſtenditur: ab Arahamo patriarcha, quòd olim ibi habitarit, nomen habens. Ioſeph. 1. antiq. 15.

## 46.

*Num.21. Deut.1.3. Ioſ.12.13.*

EDRAI, Hebraicè Edrehi. fortis & inclyta vrbs regni Baſan, quæ ex nominis interpretatione in monte ſita eſſe videtur. In qua regnabat potentiſſimus ille gigas Og rex Baſan. Qui cùm omnem regni ſui populum contra Iſraëlem eduxiſſet, commiſſo ante hanc vrbē prælio, hîc cum filijs ſuis interfectus eſt omniſq; illius exercitus cȩſus. D. Hieronymus ſcribit ſua ætate vrbem hanc inſignem extitiſſe, & Adar, ſiue Adaram, fuiſſe dictam, atq; ab Aſtaroth ſex paſſuum millibus, à Boſdra autem in viceſimo quarto lapide abfuiſſe. Sub quo nomine alij eam Arabiæ, alij verò Cœleſyriæ annumerant.

*Hieron.de loc. Hebr. lit.A.dict. Aſtarot.& lit.E.dict. Edrai. Nig.*

## 47.

ENGANNA, ciuitas trans Iordanem circa Geraſam ſita. Hier. de loc. Heb. lit. E.

## 48.

*1.Mach.5. 2.Mach.12. Ioſeph.12. ant.12.*

EPHRON, aliàs Hephron, Effron & Enfron, vrbs magna eſt & munita valdè, ac multis bellicis machinis telorumq; apparatu inſtructa. ſita in via publica non procul à Iordane, & penè è regione ciuitatis Bethſan ſiue Scytopolis. Quam montes vtrinque ita circumuallant, vt non niſi per ciuitatem iter pateat. Vnde cùm Iudas Machabæus hac exercitum duceret, ac tranſitus illi per ciuitatem, quem per nuncios modeſtè petierat, negaretur, ferro ſibi viam aperire coactus eſt. atq; ciuitatem, quæ à multis diuerſarum gentium incolis, robuſtiſſimorumq; iuuenum frequētia fortiter defendebatur, ac munita erat, (nā & portam, qua illi ingrediendum erat, congeſtis lapidibus obſtruxerāt) oppugnare debuit. eamque poſt diei ac noctis impugnationem vi cepit, captam diripuit, direptam incendit atq; deleuit. Tanta autem facta eſt hominum ſtrages, vt ſolum virilis ſexus vigintiquinque millia occiſa fuerint, atque in tranſeundo per incenſi cineres, occiſorum cadauera calcare debuerint.

## 49.

*Ioſeph.3. bell.2.*

GADARA, quæ & Gadaris, Plinio autem Gaddara vocatur, vrbs trans Iordanem eſt, contra Tiberiadem & Scytopolim ad Orientalem plagam, in dimidia tribu Manaſſe, non procul à tribu Gad diſſita, à qua quidam ciuitati nomen Gadara datum credūt. Sita autem eſt in monte, quem, Plinius ſcribit, Hieromiace, alio nomine Hieronis & Hippodion fluuuis prȩterfluit ad cuius etiā radices, teſte Hieronymo, aquæ calidæ erumpunt, balneis deſuper ædificatis.

*Pl l.5.c.18. Niger geograp. Aſ. com.4. Hieron.de loc. Hebr. lit.G.dict. Gadara.*

Hæc ciuitas natura loci validiſſima & inexpugnabilis fuit, ac tranſamnanæ regionis metropolis, in qua multi locupletes habitabant. *Ioſeph.5. bell.3.*

Quam Alexander Iannȩus Iudæorum Rex, neſcio quam ob cauſam exercitu cinxit, ac poſt decem menſium obſidionem cepit atque ſubuertit. *Ioſeph.13. anti.19.21 & 1.bell.3.*

Eandem paulò poſt Pompeius magnus, qui tunc in Syria Romanis copijs præerat, in gratiam liberti ſui Demetrij Gadarenſis, inſtaurauit. *Ioſeph.14. antiq.8.& 1.bell.5.*

Gabinius verè Romanorum militum præfectus vrbem hanc inter Curias ſiue Iuridicos conuentus, cuiuſmodi in Palæſtina quinque conſtituerat. poſt Hieroſolymam primam eſſe voluit. In quinque ſiquidem æquales partes tota prouincia ab ea diſtributa fuit. ac in ſingulis erectæ Curiæ, vnde indigenæ iura peterent; alij quidem Hieroſolymis, alij Gadaræ, tertij Amathūte ſiue Emath, quarti verò Hierichonte, quinti deniq; Sephori Galilææ. *Ioſeph.14. antiq.11.*

Cùm autem Gadara priſtino ſtatu refloruiſſet, ac huiuſmodi auctoritate polleret, Gadarenſium quidam Herodis Aſcalonitæ tyrannidem non ſuſtinentes, eum apud Auguſtum Cæſarem de vi & rapinis, violatiſque ac dirutis templis accuſauerunt. Verùm cùm Cæſarem & amicos eius accuſato fauere viderent, timentes ne dederentur Herodi, ac exquiſitis tormentis necarentur, ſequēti nocte ſibi ipſis manus intulerunt: ac alij quidem ſe dedêre præcipites, alij ſe iugulauerunt, quidam etiam in fluuium ſe iacentes, ſubmerſerunt. *Ioſeph.15. antiq.13.*

Poſthæc Gadara Græcanica inſtituta amplexata eſt. & idcirco, vt apparet, à Iudæis vaſtata fuit. ac viciſſim Gadarenſes Iudæorum ſibi cohabitantium audaciſſimos quidem amoliti ſunt, terribiles autem ſolicitè adſeruauerunt. *Ioſeph.17. anti.17.& 2.bell.4. 19.20.*

Non multò poſt & Veſpaſianus Romanarum copiarum Imperator ciuitatem hanc aggreſſus eſt, eamque pugnaci multitudine vacuam reperiens, primo impetu expugnauit. atque non ſolùm hanc ciuitatem, ſed etiam omnes circum vicos, & oppidula quædam incendit. *Ioſeph.5. bell.6.*

Qui haud multo poſt tempore ab optimatibus & populo Gadarenſi cum acclamationibus in ciuitatem receptus eſt, & fidei dexteras ab eis accepit, equitumq; & peditum præſidio vrbem muniuit. *Ioſ.*

Iuxta hāc vrbem Chriſtianorum legiones, cùm per aliquot dies, vt ſcribunt, equitem cȩlitus miſſum, itineris ducē habuiſſent, caſtra metati fuiſſe leguntur. *Tyr.16 bel. ſa.12.& 13*

## 50.

GALAAD mons qui Hebraicè Galhed, Gilhad, Ghilhad, & Gilead, Ioſepho Galades, Ptolomæo autem Hippus dicitur, montium omnium, qui trans Iordanem ſunt, altiſſimus eſt. Hic quinquaginta circiter miliaria longus, ab Auſtro iuxta ciuitatem Iaër, rupeſque Arnon initium ſumit, & verſus Septentrionem

trionem per duo regna, Amorræorum videlicet,& Baſan, ad Orientem verò per deſerta loca,diuerſis cacuminibus vſq; ad Libanum montem porrigitur.& in diuerſis locis diuerſa ſortitur nomina.Nam à rupibus Arnon vſque ad ciuitatem Cedar, vocatur Galaad, qua parte cæteris fertilior & altior eſt,vt hîc ob loci eminentiam reliquarum partiū caput eſſe videatur.Deinde verò quouſq; Boſram ſiue Phialam fontem protēdit,Seir vocatur. Hinc porrò Trachonitidē regionem circumiens, Hermō appellatꝰ eſt &.è regione Cæſareę Philippi vſq; Damaſcum excurrēs, mōti Libano ſe iungit.Vnde Ierem.propheta Galaad principiū mōtis Libani eſſe dicit,cū ait: Galaad tu mihi caput Libani.D.Hierony. Hebraica deſcribens loca, inter alia de monte Galaad,hęc de ſitu eius habet: Galaad mons,ad quem ſeptimo die profectionis è Charris Iacob profugus venit.eſt ad tergum Phœnices &.Arabiæ, collibus Libani copulatus:extenditurque per deſertum vſq; ad eum locum,vbi trans Iordanem habitauit olim rex Seon Amorræorum. Cecidit ſupradictus mons in ſortem filiorum Ruben,Gad,& dimidiæ tribus Manaſſe.Sed & Hieremias loquitur: Galaad tu mihi initium Libani.Atq; ſtudioſiſſimus terræ ſanctæ indagator Brocardus de montibus, qui trans Iordanem ſunt,his verbis ſcribit:Porrò vltra Iordanem ſunt varij montes, nempe mons Seir, mons Hermon,mons Libani, & mōs Galaad. qui tamen omnes ſunt vnus mons continuus, niſi quod in diuerſis locis diuerſa ſortitur nomina. Mons Galaad eſt altiſſimus,& videtur reliquorum caput eſſe ob ſui eminentiam.

*Ierem.22.* *Hieron.de loc.Hebr. lit.G.* *Broc.iti.2.*

Et huic coniungitur mons Seir, quem Eſau inhabitauit,ceciditq; in ſortem dimidiæ tribus Manaſſes.Huic iterū iungitur mons Hermon, qui circuit Trachonitidem regionem, & perueniens vſq; Damaſcum copulat ſe Libano inter Bellenam,quæ aliàs Cæſarea Philippi dicitur, & Damaſcum. Sub Libano eſt Antilibanus.Hactenus Brocardus. Deniq; & Dominicus Marius Niger de ijſdem mōtibus hæc commemorat: Poſt Libanos, Seir mons attollitur,qui terminatur ſub Galaad monte, altiore cæteris fertilioreq;.is enim bonus homini pecoriq; eſt.vbi reſina,& aromata complura carpuntur.Eſt etiam Seir alter in Arabia.eſt Galaad mons collibus Libani iunctus, & extenditur per deſerta loca trās Iordanem. in quo ſimili nomine ciuitas fuit.Sunt omnes iſti vnus mons.ſed in diuerſis cacuminibus diuerſis vocatis nominibus.Hæc ille. Ex prædictis ſatis liquet montem Galaad non procul à tribu Ruben habere initium;& continua ſerie multis licet verticibus ac vocabulis diuerſis per duo regna, Amorræorum ſcilicet & Baſan,perq; tribum Gad, dimidiamque Manaſſitarum tribum,ad Libanum montem vſque protendi.Hæc de ſitu, longitudine, atque altitudine dicta ſint. Nunc quod ad alia attinet. Vbertate reliquis,qui vltra Iordanem viſuntur,montibus præſtat: atq; arborum, aromatum,& graminis admodum ferax eſt.Inter arbores verò maximè pinis,ijsq; reſinoſiſsimis abundat.ideoque optima hîc & plurima legitur reſina. cuius etiam Ieremias propheta mētionem facit:Nunquid reſina, inquit,non eſt in Galaad?aut medicus non eſt ibi? Quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei? Atq; alibi: Aſcēde in Galaad, & tolle reſinam virgo filia Aegypti : fruſta multiplicas medicamina,ſanitas non erit tibi.Eſt ſiquidem reſina humor quidam in arboribus, propriè autē pineis naſcens,& ob abundantiam ex eiſdem erumpēs ac defluens.cuius medicamine vulnera curantur.

*Nig.geog. Aſ.com.4.* *Ierem.8.* *Ierem.46.* *Plin.li.37. cap.3.* *Hieron.in Ierem.8.*

Propter graminum verò vbertatem totus mons paſcuus erat,atq; ad alenda pecora conueniens. Ob quam paſcuorum commoditatem multi hîc caprarum paſcebantur greges. Quod animal cùm montium cacumina aſcēdere,indeq;dependens pabulum carpere gaudeat:factum eſt vt Salomon eis capillos ſponſæ Chriſti comparans, Chriſtum hoc modo loquentem idducat: Quàm pulchra es amica mea,quàm pulchra es.oculi tui columbarum, abſq; eo quod intrinſecus latet,ſiue,vt Hebręi habent, intra cincinnos tuos: Capilli tui ſicut greges caprarum,quæ aſcenderunt de monte Galaad. Dentes tui ſicut greges ( ouium) tonſarum,quæ aſcenderunt de lauacro &c.

*Cant.4.*

In hoc monte Galaad Patriarcha Iacob, cùm ex Haran ſiue Charris Meſopotamiæ vrbe(vbi auunculo & ſocero ſuo Laban viginti annis ſeruierat)iubente Deo ſimul cum vxoribus,liberis atque duabus gregum turmis inſcio Laban in terram Chanaan reuerteretur,tabernacula ſua tetendit: ac ſe & gregem ſuum refecit. Quem vt profugum Laban iratus cum ſuis perſequens, ſeptimo profectionis die ibidem comprehendit. At monuit eum in ſomnis Dominus ne durius quicquam contra Iacob ageret. Sibi ergo nonnihil imperans, ſequenti die Iacobum tacitæ fugæ ſimul ac furti arguit. Nam Rachel marito inſcio idôla patris ſui clam abſtulerat.eaquę hîc ſub ſe abſcondens, quærentem patrem aſtu deluſit. Cùm vltra citraq; multa verba facta eſſent, tandem amicitiæ fœdus initum eſt. neutrum alteri nociturum. quod iureiurando ſancientes, in aræ modum cumulum lapidum fecerunt, atque DEO victimas immolauêre.Quibus factis ſolenne celebrauerunt conuiuium, atque mutuò ſibi valedixerunt.

*Geneſ.31.* *Geneſ.13.* *Ioſeph.1. antiq.27.*

Ab hoc lapidum tumulo, quem Iacob & Laban erexerunt, monti nomen Galaad inditum eſt.Nam Laban ſua, hoc eſt, Syra lingua appellauit eum Igar Saadutha,ſiue Iegar Sahaduta. Iacob verò Hebræo idiomate nominauit eum Galhed,ſiue Galaad. vtroq;,tam Syro,quàm Hebræo vocabulo aceruum teſtimonij ſignificante. A monte verò & ciuitas, quæ in eo condita eſt,& adiacens monti regio,vocabulum Galaad etiam ſortita ſunt.

*Hie.quæſt. Heb.in Geneſ.31. & in Iere.22.*

## 51.

GALAAD regio. quæ & Terra Galaad, Galaaditim,& Galaaditis,Ioſepho autem Galaadina,Galadena,Galadina,& Galaditica, incolæ verò eius Galaaditæ,& Galadeni vocātur;à monte Galaad,cui adhæret,appellationē accepit,atque, vt ex Sacra ſcriptura patet, animalibus paſcendis aptiſſima erat.

*Ioſeph.4. antiq.4.*



*Num.32.*

Quam,vnà cum ciuitate Galaad,ac viginti tribus alijs huiuſce regiōis ciuitatibus, Galaad filius Machir,filij Manaſſe,alijque fortes Iſraëlitici populi bellatores de Amorrhæorū manu armis ceperunt.

*Num. 32. Deuter.3. Ioſ.13. 1. Paral. 2. Hierony. de loc.Heb. lit. G.*

Huius regionis,ſimul ac montis Galaad, media pars à Moyſe Gadditæ tribui, altera verò medietas, dimidiæ tribui Manaſſitidæ extra ſortem in poſſeſſionem data eſt.

Erant autem Galaaditæ viri fortes ac bellicoſi. de ipſis enim legimus,quòd Iepte Iudicis tempore quadraginta duo virorum millia de tribu Ephraim aduerſum ipſos in prælium cōſurgentes,vna pugna occiderint.

*Iudic. 12.*

Verùm poſtea cùm in idololatriam,aliaque ſcelera incidiſſent, ipſi quoque deuicti ſunt,& à Damaſcenis,vt Amos Propheta habet,inſigni crudelitate in plauſtris ferreis, quæ rotis ſubter ferreis atq; dentatis voluebantur, triturati,ac cōtriti. qui & ab Ammonitis mulieres eorum prægnantes, diſſectas fuiſſe ſcribit.

*Oſee.6. Amos. 1. Hieron. ibi. Amos.4.*

In hac regione Iudas Machabæus cum paucis Iudæis Timotheum Ammonitarū ducem ſemel ac iterum fudit atque fugauit,ac ingentem gentium multitudinem contriuit.

*1.Macha. 5. 13 Ioſ.12.an.12*

## 52.

GALAAD vrbs dimidiæ tribus Manaſſe, à Ioſepho Sebei, aliâs Sebet appellata, in monte Galaad condita eſt.à quo etiam,vt Hieronymus teſtatur, nomen ſuum ſortitur. Hāc quoq; Galaad filius Machir, filij Manaſſe, de Ammorrhæorum manu cepit. ideoq; illi vnà cum terra Galaad à Moyſe in poſſeſſionem data eſt.

*Hier. de loc. Hebr. lit.G.* *Deuteron.3.*

In hac vrbe natus & ſepultus eſt ſtrenuus Iſraëlitarum dux & Iudex Iepte Galaadites. Vaticinatus eſt de eadem ciuitate Propheta Oſee.

*Iudic.12. Ioſeph. 5. antiquit.12. Oſee.6.*

## 53.

GAMALA, quam Suetonius in Tito Gamalen appellat,vrbs & arx validiſſima fuit, ac loci natura inexpugnabilis. ſita in alto, petroſo, & vndiq; præcipiti monte,qui Cameli ſimilitudem præfert. vnde etiam Gamala, quaſi Camela nomen duxit: expreſſam ſiquidem vocabuli ſignificationem indigenæ ſeruare non poſſunt.

*Ioſeph. 4. bell. 1. Plin. libr. 5. cap.13. Broc. itin.3. Breiden.ibi.*

Huius montis iugum quod Auſtrum reſpicit,inſtar colli & capitis Cameli ex alto monte deductum,ſupra profundam vallem immēſa altitudine ſe erigit.vbi in ſaxoſo, prærupto, & acceſſu difficillimo vertice olim firmiſſima Arx velut caput ſupereminebat.

In medio montis dorſo vrbs extructa fuit, quæ Cameli gibbum exhibebat. vbi plurimæ domus per prona ædificatæ, nimioque præcipitio caſuræ ſimiles de monte pendebant. Inter quas ad Orientalem vrbis partem, qua ſe altiùs ciuitas eleuabat, editiſſima præ cæteris Turris erat,quæ nubibus caput inferre videbatur.Intra muros autem Fons erat, in quem oppidum deſinebat. qui per montem pedetētim decreſcentem defluens, caudæ figuram repræſentabat. Porrò à fronte ac lateribus in valles inuias mons ſcinditur. quæ Cameli pedes videntur exprimere.

Quamuis autem ciuitas hæc, vt dictum eſt, locorum difficultate inexpugnabilis eſſet, eā tamen Alexander Iudæorum Rex in ſuam redegit poteſtatem.

*Ioſe.13. ant. 21.& 1.bell. 4.*

Et licet illam poſtea Ioſephus Hiſtoricus murorum ambitu cinxerit, & foſſis atq; cuniculis contra Romanos reddiderit longè firmiorem, vt quiuis non incola ſolùm,ſed & externus loci firmitati plurimum tribueret: à Romanis nihilominus, licet non ſine magna ipſorum clade,expugnata fuit.

*Ioſe. 2. bell. 25.et 4.bel. 1.*

Nam Hieroſolyma, multiſq; Galilææ ciuitatibus contra Romanos Orbis dominos rebellantibus, cum Gamala diutius in eorum fide perſtitiſſet: tandem iniquorum inſtinctu & ipſa ſe Romanis oppoſuit.Ideoque à Veſpaſiano obſeſſa, poſt acerrimos vtrinque conflictus, ingenti obſidentium clade ac labore,trigeſimo,aut circiter, obſidionis die capta & exciſa eſt. Tanta autem Romanorum Gamalienſiumque facta eſt ſtrages, vt per prona loca effuſus cruor,totum oppidum dilueret. Ciuium verò ac ruſticorum, qui ex vicinis pagis in eam confugerant, tum gladio,tum præcipitio nouem millia perierunt. neq; quiſquam, præter duas mulieres,euaſit. non enim vel infantibus quidem pepercēre, vt acceptam cladem Romani vindicarent.

*Ioſe.in vita ſua.* *Ioſeph.4. bell.1.& 3.*

Ex hoc oppido ortus fuit Iudas Galilæus, homo populari quadam præditus facundia. qui eo tempore, quo Quirinus Syriæ præſes ex Cæſaris Auguſti edicto in Iudæa deſcriptionem ac cenſum peragebat,multos Iudæorum ſibi adſciuit, prætextu quidem propugnandæ libertatis publicæ, ſed reuera priuati lucri ſtudio. Nam vt à cenſu Iudæos ſeruaret liberos, copias collegit, agros ac pagos diripuit, cædibus & latrocinijs miſcens omnia . Cæterùm quia conſilium & opus eius non erat ex Deo, & ipſe perijt,& omnes quotquot paruerant ei, diſperſi ſunt.

*Ioſep.18. antiquit. 1.* *Luca 2.* *Actor.5.*

Ab hac vrbe, vicina quoque regio Gamalitica dicta eſt. in qua non pauci erant vici opibus referti,& pecoris diuites.

*Ioſe.18.ant. 9.et 3.bel.2. & in vita ſua.*

## 54.

GAVLON, quæ aliàs Golan, Gholan, Golam,Galon, Ioſepho autem Gaulana, Gaulane, Gaulademan, & Gaulalim dicitur, inſignis in Baſanitide & Batanea regionibus vrbs eſt. ex cuius nomine etiam adiacens regio Gaulonitis, Gaulanitis, Gaulonitica,& Gaulanitica appellatur.

*Hierony.de. de loc. Heb. lit. A. dict. Auothiair. Ioſe.4. ant. 4. & 8. antiquit. 2.*

Hæc regio poſtquam filij Iſraël occiſo Og Rege Baſan, vniuerſam eius ditionem expugnaſſent, à Moyſe dimidiæ tribui Manaſſe in poſſeſſionem data eſt. Vrbs verò, cum ſuburbanis

*Ioſ.21. 1.Par.6.*

*Deut. 4. Ioſ.20. Ioſeph.4. antiquit. 5.*

banis ſuis aſſignata fuit Leuitici generis ſacerdotibus: & profugis, qui nolentes proximum occidiſſent, in confugij locum.

*Ioſ.13. ant. 21.& 1.bel. 4. Ioſ.17. an. 10.& 18. antiq.9.*

Quod porrò ad vrbem ac regionem hanc attinet, legimus vrbem ab Alexandro Iudæorum Rege inter alias, quas ſibi adſciuit, eſſe ſubactam, regionem autem, vnà cum Trachonitide, Batanea, & Paneade regionibus, Herodem ſeniorem filio ſuo Philippo teſtamento legaſſe.

*Hieron. de loc.Heb.lit. G.*

D.Hieronymus ſcribit, vrbem hanc ſua ætate villam fuiſſe prægrandem.

## 55.

*Ioſ.3.bel.2. Hierony. de loc.Heb. lit. G. diction. Gargaſi. Broc. iti.4. Breid. ibid. Fret.pa.22.*

GERASA, aliâs Geraza, & Ieraſa, olim Gergeſa, Ioſepho etiam Geraſis, Hieronymo verò Gargaſi dicta, inſignis ac munita trās Iordanem vrbs eſt: cuius regio monti Galaad iungitur ac continetur. Sita verò eſt ſuper mōtem, in vlteriori, hoc eſt, Orientali maris Galilææ littore, ex aduerſo Tiberiadis, paululum tamen ab ea ad Aquilonem declinans. Scribitur abeſſe à Nazaret ſextodecimo miliario.

*Gen. 10. 15. Ioſeph.1. antiquit.12.*

Hanc vrbem quōdam inhabitauerunt Gergeſæi, qui à Gergeſæo quinto filio Chanaan ſuam traxêre originem. At poſtea cùm hos filij Iſraël in promiſſæ terræ inuaſione deleuiſſent, tenuit eam dimidia tribus Manaſſe.

*Ioſ.1.bel.4.*

Refert Ioſephus, quòd cùm Theodori Philadelphiæ tyranni ōpes in hac ciuitate repoſitæ eſſent, Iudæorum Regem Alexandrum eius theſauri cupidum, triplici ambitu oppidum hoc circumdediſſe, tandemque expugnaſſe.

*Matth. 8. Marc.5. Luca 8.*

Ab hac ciuitate circumiacens territorium, Regio Geraſenorum vocatur. quam Euangeliſta Matthæus in Græco γεργεσηνῶν, id eſt, Gergeſenorū, Marcus verò & Lucas γαδαρηνῶν, hoc eſt, Gadarenorū appellant. Quod multis occaſionem præbuit, vt exiſtimarent vnam eandemque ciuitatem tria hæc habuiſſe nomina; Geraſa, vnde eſt Geraſenorum; Gergeſa, vnde eſt Gergeſenorum; & Gadara, vnde eſt Gadarenorum. Sed ex Ioſepho, Hieronymo, Ptolomæo, & alijs manifeſtum eſt, Geraſam & Gadarā diuerſas fuiſſe ciuitates: ambas tamen trans Iordanem ac mare Galilææ, non longè ab inuicem diſſitas. Itaq; veriſimilius eſt, eandem hanc regionem ab vtraq; ciuitate nomen accepiſſe; & à Geraſa quidē, quæ & Gergeſa, Geraſenorum & Gergeſenorum; à Gadara verò, Gadarenorum dictam eſſe. Latinus autem interpres ideò videtur nomē Geraſenorū poſuiſſe, tam in Matthæo, quàm in Marco & Luca, pro Gergeſenorum, & Gadarenorū, quòd illud ſuo tempore notius eſſet & communius. Nam & Hieron. in Abdiam ſcribens, eam Arabiæ partem, quę prius Galaad vocabatur, ſuo tempore nuncupatam aſſerit Geraſam.

*Ioſe.2. bel. 19.20. & 3. bell.2. Hieron. de loc.Heb.lit. G. diction. Gadara, & Gergeſa. Ptol. libr.5. tabul.4. Aſ. Et hoc placet VVeiſſenburgio, exiſtimat tamē eandem fuiſſe ciuitatem diuerſis nominib. Hieronym. in Abd. 1. Matth.8. Marc.5.*

Cùm aliquando in hanc regionem veniſſet Dominus noſter Ieſus Chriſtus, occurrerunt ei duo dæmoniaci ſupra modum ſæui. quorum alter multo tempore legione dæmonum obſeſſus fuerat, ac nullis catenis aut cōpedibus potuerat vinciri, vlláue ratione domari, ſed nudus incedens, in montibus ac deſertis, & in ſepulchris inter fœtida mortuorū cadauera & oſſa die ac nocte degebat, ſeipſum quidem inhumaniter lapidibus concidens, tranſeuntes verò varijs modis infeſtans. Hi igitur Chriſto occurrentes, verbo à dæmonibus liberati fuêre. Dæmones tamen egreſſuri, ſuppliciter Dominum precati ſunt, vt in porcos, quorū magnus ibidem grex in monte paſcebatur, ingredi liceret. Cui petitioni cùm Dominus annuiſſet, mox duo millia porcorum à dæmonibus magno impetu per præceps in mare Galilææ agitata ac ſuffocata ſunt.

*Luc.8. Legio vulgò ſumitur pro 6666. militibus. Plena tamen legionis numerus eſt 12500. militum. Nam legio in decem diuiditur cohortes. Cohors in quinquaginta manipulos. manipulus verò, in vigintiquinque milites.*

Quod cùm ſubulci, qui paſcebant porcos, in ciuitatem proximaſque villas & agros digreſſi diuulgaſſent, tota ciuitas exiuit in occurſum Ieſu, & virum, qui à dæmonibus vexatus fuerat, viderunt ſana mente veſtitum ſedentem ad pedes eius, atq; Dominum conuenientes, rogauerunt illum, vt diſcederet à finibus ipſorum: vel quia ſe Domini præſentia iudicabant indignos; vel quod veriſimilius eſt, ne qui tranſgreſsionem legis in porcis punire viſus fuerat, etiam in alijs eorum animalibus ipſorum peccata vindicaret. Porrò is, qui à dæmonum legione liberatus erat, Chriſtum abeuntem atq; nauem aſcendentem, rogauit, vt ſibi cum illo eſſe liceret. Sed à Domino domum ablegatus, per totam ciuitatem Geraſam, atq; per totam Decapolim prædicauit, quanta ſibi feciſſet Ieſus.

*Hierony. in Matth.8.*

*Ioſe. 2. bell. 19.& 20.*

Apud Ioſephum inuenimus, paulò antè excidium Hieroſolymitanum Iudęos hanc ciuitatem vaſtaſſe, quo tempore Nero Reipublicæ Romanæ clauum tenebat. Quam ſanè iniuriam incolæ fortiſſimo animo à Iudæis tulerunt. adeò, vt cùm paucis poſt diebus in omnibus penè ciuitatibus Iudæi trucidarentur, idcircò, quod Hieroſolyma Romanis rebellaret, Geraſeni tamen, neque in eos, qui apud ſe remanere delegerunt, quicquam geſſerunt mali: & egredi volentes, vſque ad fines ſuos deduxerunt.

*Ioſeph. 5. bell.6.*

Non multò pòſt & L. Annius Veſpaſiani dux, aſſumpta equitatus cohorte, multiſq; peditibus, Geraſam primo aggreſſu capiens, mille iuuenum interfecit, familias captiuas duxit, bona militibus prædari permiſit, incenſis deinde domibus, proxima petijt.

*Hiero. in lo. Hebr. lit. G. dictio. Gergeſa. Tyr. 2. bell. ſacr.16.*

Hieronymi tempore, vt ipſe autor eſt, Geraſa tantùm viculus fuit. atq; poſtea hoſtilitatis metu diu iacuit deſolata. Tandem verò anno milleſimo centeſimo vigeſimo in munitiore eius parte à Boldequino Damaſcenorum Rege multo ſumptu ex quadris & magnis lapidibus caſtrum erectum fuit: quod comeatu & armis egregiè communiuit, ac quibuſdam admodum fidis reiq; bellicæ peritis ſeruandum tradidit. Hoc caſtrum primo anno, cùm ædificatum eſſet, acriter oppugnatum fuit à Hieroſolymorum Rege Balduino de Burgo. qui & per deditionem cepit. Cæterū, cùm id non ſine magnis impenſis, grauiſſimo & aſſiduo labore, maximiſq; periculis tueri poterat, habi-

to cum



to cum ſuis conſilio, communi omnium ſententia funditus dirutum fuit.

*Ioſeph.5. bel 7.& 7. bel. 20.& 24.*

Viros claros ex hac vrbe oriundos recenſet Stephanus coſmographus. Inter alias autem hinc prodijt ſcelus ille Simō Gioræ filius, homo ætate iuuenis, viribus autem corporis audaciaque præſtans. Qui cùm prius in Acribitena latronum, poſtea verò Hieroſolymæ, quando à Tito Cæſare & Romanis obſidebatur, ſeditioſorum ducem egiſſet, ſuaque crudelitate ac tyrannide multos oppreſſiſſet, expugnata vrbe, in occultiori quadam cloaca latuit. è qua cùm fame compulſus emerſiſſet, tandem à Romanis captus, atque Romæ in celeberrimo Titi triumpho laqueo circundatus, per forum tractus & necatus eſt.

## 56.

GERSON, quæ & Gergaſſi, ciuitas eſt alienigenarum in Baſanitide, de qua filij Iſraël expellere non valuerunt Geſſuri. Hiero. de loc.Hebr.lit.G.dict.Gerſon.

## 57.

*Deut.3. Ioſ.12.13. 1.Par.2.*

GESSVR, aliâs Ieſſur, Geſur, & Gheſur, fortis & regia vrbs, ſita, vt ex Hebraici nominis ſignificatione videtur, in valle. Ab hac vrbe finitima regio Geſſuri, ſiue Ieſſuri, aut Geſuri, Hebraicè Gheſuri, Ioſepho Geſura & Geſſiri appellatur. quæ quidem regio Iſraëliticæ terræ, quæ trans Iordanem eſt, verſus Septentrionem terminus fuit. atque licet dimidiæ tribui filiorum Manaſſe in poſſeſſionem fuerit data, priſtini tamen terræ habitatores nunquam inde expulſi fuiſſe videntur.

*2.Reg.2. Hie. quæſ. Hebr. in 2. Reg.2. 1 Reg.27. 2.Reg.3. 1.Paral. 3. Ioſ.7.ant. 1. Hier. quæſt ſeu tradit. Hebr. in 2. Reg. 13. Deut.21.*

Quod autem hæc Regia ciuitas fuerit, ex ſacra Scriptura manifeſtum euadit. Commemorat ſiquidem illa Abner principem exercitus Regis Saul, mortuo rege, filium Saul nomine Iſboſeth tuliſſe & tranſduxiſſe vltra Iordanem, & in ciuitate Mahanaim, quæ interpretatur Caſtra, Regem eum conſtituiſſe ſuper Galaad, & ſuper Geſſuri, & cæt. quo tamen loco Hebræi pro Geſſuri, habent Aſſuri ſeu Aſuri. atq; D. Hieronymus hæc verba ad tribum Aſer refert. Vt vt id ſit, extra quæſtionem eſt, quod alibi de Dauide legimus, qui ſcribitur de Geſſuri egiſſe prædas, & Maacham filiam Tholmai Regis Geſſur accepiſſe vxorem. de qua Hieronymus libro de traditionibus Hebraicis: dicunt, inquit, Hebræi, à Dauid in prælio captam (puta Maacham) & cæſarie & vnguibus præciſis, ſecundum legem eam vxorem ſibi ſociaſſe: & ex ea generaſſe Thamar filiam, & Abſalom tertium filium ſuum.

*2.Reg.13.14. Ioſ.7. ant.8.*

Hæc cauſa fuit, vt Abſolom, cùm ob violentam Thamar ſororis ſuæ deflorationem, Amnon fratrem ſuum primogenitum occidiſſet fugerit in Geſſur ad regionis illius Regem; quia is erat auus eius maternus. vbi toto triennio permanſit, donec Dauidis conſenſu à Ioab Hieroſolymam reduceretur.

## 58.

*Deut. 3. Deut.4.*

HERMON mons, qui ab Hebræis Chermon; à Hieronymo Aermon & Ermon; ab Amorręis Sanir & Senir; à Sidonijs Sarion, Sirion, & Sireon; à Phœnicibus Sanior; in Deuteronomio etiam Sion, aliâs Seon vocatur: Straboni Trachon, alijs Trachonus; Ptolomæo autem Alſadamus appellari videtur.

*Hierom. de loc.Hebr.lit. A diction. Aerm.& lit. E diction. Ermon. Brocar.itin. 2. Deut.3.4. Ioſep.12. 13.*

Situs eſt vltra Iordanem, è regione ciuitatis Paneadis: quam quidem ab aurora deſpicit. A Meridie vero monti Seir iungitur. ac vergens verſus Septentrionem, qua Trachonitidem regionem circumit, propè Damaſcum Libano ſe copulat. vnde in ſacra Scriptura frequenter habemus, quod terra filiorum Iſraël trans Iordanem ad Solis ortum à torrente Arnon vſq; ad montem Hermon extendatur.

*Brocar.itin, 4.& 6. Breid. iti.6. Hiero. de lo. Hebr. lit. A diction. Aermon.*

Mons iſte excelſæ altitudinis eſt. Nam licet à monte quidem Galaad cacuminum ſublimitate ſuperetur; attamen altero monte Hermon, qui intra Iordanem iuxta montem Tabor ſitus eſt, nec non & tertio monte Hermō, qui in Septentrionali parte tribus Aſer conſpicitur, multò & maior & altior eſt. ideoq; perpetuò etiam in eo inueniuntur niues. quas D. Hieronymus ſuo æuo Tyrum ob delicias deferri ſolitas ſcribit, vt nempe æſtatis tempore æſtiua pocula temperarent.

*Ezech. 27 Hiero.ibid.*

Proceris quoque ac laudatiſſimis abundat abietibus, quæ multis vitæ operibus, pręcipuè trabibus & nauigijs aptiſſimæ ſunt, vnde & in Ezechiele propheta habemus, quod tabulata nauis Tyriæ de abietibus montis Sanir fuerint compacta.

*Cant.4. Lir. ibidem.*

Ex Canticis Salomonis quidam colligunt in hoc monte leones, pardos & leopardos habitaſſe. Is. n. Chriſtum his verbis ſuam ſponſam alloquentem introducit: Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum, ſiue, vt Hæbræi habent, leopardorum.

*Nig. Geog. Aſ. comm. 4*

Habuit & mons iſte inſignes ſpeluncas: quarum vna, vt Marius Niger ſcribit, quatuor hominum millia capere poterat.

*Hieron.de loc.Hebr.lit. A diction. Aermon. Ioſe. 12. 1.Para.5.*

Tenuerunt autem eum quondam Heuæi & Amorræi, Poſterioribus verò annis in eo dominatus fuiſſe ſcribitur Og Rex Baſan. Quem cùm Iſraëlitę occidiſſent, montē hunc poſſederunt filij dimidiæ tribus Manaſſe.

## 59.

*Ioſe. 3.bel.2. Plin. lib.2. cap.15. Ioſeph.in vita ſua.*

HIPPOS, ſiue Hippus, quæ & Hippene, clara Iudæorum ciuitas eſt: cuius incolæ Hippeni dicuntur. ſita vltra Iordanem in Orientali maris Galilææ littore è regione vrbis Tiberiadis. à qua ſecundum Ioſephum verſus Orientem, ſicut & à Gadara verſus Occidentem, triginta ſtadijs diſtat.

*Ioſeph.14. antiquit. 8. & 1. bell. 5. Ioſ.1.bell.15.*

Hanc ciuitatem bellorum tumultu deſolatam, Pompeius Romanarum copiarum dux habitatoribus ſuis reſtituit. Quam poſtea Imperator Auguſtus Herodis Aſcalonitæ regno adiecit. Sed poſt Herodis mor-



tem

*Ioſeph. l. 17. antiq. 17 et 2 bel. 4.*

tem, ob id quòd Græcanici inſtituti eſſet vnà cum Gadara & Gaza eiuſdem religionis vrbibus, à Iudaico regno ſeparans, Syriæ contribuit.

*Ioſeph. 2. bel. 19 & in vita ſua. Ioſeph. 2. bel. 20.*

Longò pòſt temporis interuallo, annis nimirum circiter ſexaginta confectis, Iudæi inter alias ciuitates, etiam Hippon vaſtaſſe, eiuſque vicos incendiſſe leguntur. Qua de cauſa & Hippeni paulò pòſt in generali paſſim Iudæorum occiſione, cohabitatores ſuos Iudæos malè tractauerunt. Meminerunt huius ciuitatis etiam *a* Plinius *b* Ptolomeus, *c* Hieronymus, *d* Tyrius, *e* Marius Niger, & alij nonnulli.

*a li. 5 c. 15. b tab. 4. Aſ. c de loc. [illegible] d 16 bel. [illegible] e geog. Aſ. [illegible]*

60.

*Geneſ. 14. Ioſeph. 1. antiq. 18.*

HOBA, aliâs Choba & Soba, Heironymo autem Chobaa, locus eſt ad læuam partem Damaſci ad quem vſque Abraham quatuor Aſſyriorum reges perſecutus eſt. Cùm enim Aſſyrij iſti quinq; Sodomorum reges in valle ſiluestri debellaſſent, ac Sodoma ſpoliata Lot omneſq; viros ac mulieres captiuos vnà cum omnib. ipſorum bonis abduxiſſent, Abraham audita hac Lot filij fratris ſui ac Sodomitarum clade, aſſumptis mox tribus fratribus, Mambre, Eſchol & Aner ipſi confœderatis, ac expeditis vernaculis ſuis tercentum octodecim, ab Hebron feſtinus Aſſyrios inſequens, quinta nocte circa fontem Dan eos eſt aſſecutus, ſtatimque noctu ſecuros ex improuiſo obruens, alios quidem in cubilibus ſomno ſopitos occidit, alios autem temulentos in fugam conuerſos vſq; Hoba perſecutus eſt, ac nepotem ſuum Lot, cæteroſq; captiuos cum omni præda victor reduxit.

*Hieron. de loc. Hebr. lit. C*

Porrò de hoc loco D. Hieronymus ſic ſcribit: Chobaa villa eſt in regionibus Damaſci, habēs accolas Hebreos, qui credentes in Chriſtum, omnia legis præcepta cuſtodiunt. Et à principe hæreſeos Hebionitæ nuncupantur. Contra huiuſmodi dogma Paulus Apoſtolus ſcribit ad Galatas.

61.

*Hieron. de loc. Hebr. lit. A. dict. Aſrobt. & lit. I. dict. Iabiſgalaad. Iudic. 21. Ioſeph. 5. antiq. 6.*

IABESGALAA D. Hieroymo Iabis, & Iabis Galaad, Ioſepho autem Iabiſus & Iabiſſa, Galaaditidis regionis primaria vrbs eſt. quæ trans Iordanem in tribu Manaſſe ſuper montem ſita, à ciuitate Pella euntibus Geraſam in ſexto miliario diſtat.

Hæc vrbs, cum ob abominandum vxoris Leuitę ſtuprum vndecim tribus Iſraël tribum Beniamin penè totam deleuiſſent, à tribulibus ceterarum tribuū expugnata eſt, eò quòd in prælio, quod contra Beniamin geſtum erat, ſuppetias ferre ſola recuſaſſet. Poſt captā verò ciuitatem, habitatores eius pueri, mulieres, pariter ac viri omnes occiſi ſunt. ſeruaris duntaxat quadringentis virginibus, quæ totidem Beniamiticæ tribus viris, qui ſoli cum alijs ducentis cautè euaſerant, nuptijs copulatæ ſunt. vt tribum penè exciſam, ex qua D. Paulus gentium Apoſtolus oriri debebat, noua prole inſtaurarent.

Cùm iſta à contribulibus ſuis Iabeſgalaad paſſa eſſet, trecentis & pluribus poſthæc confectis annis Naas quoq; Ammonitarum Rex cum magno & forti exercitu vrbem Iabeſgalaad obſedit. & ciuibus vltrò deditionem facere cupientibus, deditionem ſpreuit, niſi dextrum quiſque pateretur ſibi oculum erui. vt quoniam ſcutum ſiniſtro proſpectum negat, omninò inutiles bello fierent, eſſentq; opprobrium in vniuerſo Iſraël. Hæc cùm in Gabaa Beniamin ad aures Saulis Iudæorum regis Iabeſenorum legati detuliſſent, mox ad Iordanem ex omni Iſraël copias coëgit, eaſq; in Bezec oppido recenſens, trecenta & triginta virorum millia numerauit. Tum Iordanem traijciens, mox Ammonitas omnes fudit ac fugauit, inter ceteros verò Naas Regem occidit, atque non ſolùm vrbem, miſeroſque ciues obſidione liberauit & periculo exemit, ſed & in Ammonitarum regionem irruptione facta, totam vaſtauit, ditatoque ex præda exercitu, glorioſè domum reuerſus eſt.

*1. Reg. 11. Ioſeph. 6. antiq. 5.*

Huius tam inſignis beneficij memores fuerūt habitatores Iabeſgalaad. nam cùm poſtea Regis Saulis ac filiorum eius trunca corpora à Philiſtæis in muro ciuitatis Bethſan, quæ pòſt Scythopolis dicta eſt, ex patibulis ſuſpenſa eſſe audiſſent, rem indignam rati principes viros extremo exequiarum honore fraudari, aliquam multi fortiſſimi & audaciſſimi (alebat enim hæc vrbs homines & corpore robuſtos, & animo feroces) facto per totam noctem itinere, Saulis filiorumque eius corpora de patibulis abſtulerunt. eaq; aromatibus cōdientes, in nemore Iabes ſuper inſignem quandam quercum in ſepulchro condiderunt, atq; ſeptem diebus ieiunantes mortuos luxerunt.

*1. Reg. 31. 1. Paral. 10. Ioſeph. 6. antiq. 14.*

Hoc Iabeſenorum egregio facinore mirè affectus fuit Dauid, qui iam Sauli in regno ſucceſſerat. miſſis enim ad eos oratoribus, facinus collaudauit, atque tum à Deo Optimo Maximo, tum à ſe gratiam illis referendam pollicitus eſt.

*2 Reg. 2. Ioſeph. 7. antiq. 1.*

Multis pòſt annis Saulis ac Ionathæ filij eius oſſa à Dauide tranſlata ſunt, atq; vnà cum ſeptem filijs Saul, quos Gabaonitæ in crucem egerant, iuxta Gabaa Beniamin honorificè humata ſunt.

*1. Reg. 21.*

D. Hieronymus in libro de locis Hebraicis refert vrbem Iabeſgalaad ſuo tempore pergrandem fuiſſe vicum.

*Lit. A. et I. vbi ſupra.*

62.

*Ioſ. 13. 2. Reg. 20. Hiero. ibi. & de loc Heb. lit. I.*

IAIR, ſiue Iahir, in Baſanitide regione ciuitas eſt tribus manaſſe. in qua natus eſt Hira Iairites, qui Regis Dauidis ſacerdos fuit, hoc eſt, vt Hieronymus interpretatur, magiſter: ſicut alibi ſcriptum eſt: Filij autem Dauid erant ſacerdotes, id eſt, magiſtri fratrum ſuorum.

63.

IVLIAS, aliâs Iulia & Iuliada, dicta & Bethanaræa, egregia vltra Iordanem in inferiore Gaulonitide ciuitas eſt. quæ Trachonitidem regionem ab Auſtro terminat. ſita ad



*Plin. lib. 5. cap. 5.*

ſita ad Iordanem in Orientali ripa lacus Genezareth, ex aduerſo ciuitatis Bethſaidæ.

*Ioſeph. 18. antiq. 3. Item 2. be. 2. & 3. bel. 2. 18. & in vita ſua. Euſeb. in chroni. anno Domini 27. Hieron. in Matth. 16. Nige. geo. gr. Aſ. cō. 4 Ioſeph. 18. antiq. 9.*

Fuit quondam ciuitas hæc ſub ditione oppidi Bethſaidæ vicus duntaxat tranſmarinus. Verùm Philippus tetrarcha Ituræ & Trachonitidis regionum, quo tempore Chriſtus Dei filius in terra homo inter homines conuerſabatur, eum & muro cinxit, & ciuitatis dignitatem attribuit, nec non & habitatorum frequentia & opibus ipſam auxit. ac ex nomine Iuliæ Cæſaris Auguſti filiæ, quæ Tiberij Cæſaris vxor erat, Iuliadem nominauit. Philippus iſte vir perpetuò modeſtus & amator quietis fuit. Degebat enim ſemper in ſua ditione. Quoties verò domo progrederetur, iter faciebat cum paucis ſelectis comitibus ſubſequente ſella, in qua ſedens ſolitus erat iura reddere: & ſi quis ex occurſu opem eius inuocaret, ſine dilatione mox ibi ſella poſita reſidens cauſam audiebat, iuſtoq; iudicio innoxium abſoluebat, & ſontem damnabat.

Obijt in hac ciuitate anno imperij Tiberij Cęſaris vigeſimo, principatus autem ſui trigeſimo quinto; atque in monumento, quod iam ante ſibi conſtruxerat, magnificè ac ſumptuoſè funeratus eſt.

64.

*Strabo. Nige. geo. gr. Aſ. cō. 4*

LACVS, qui olim ciuitati Gadaræ propinquus erat. cuius aqua, teſte Strabone, adeò fuit noxia, vt pecora ea guſtata pilos, cornua, & vngues amiſerint.

In hunc lacum duo porcorū millia, de quibus in Euangelio Marci agitur, à dæmonibus agitata eſſe putauit Zieglerus. Cuius etiam opinionis eſt excellentiſſimus noſtri temporis coſmographus Gerard. Mercator. ſed, vt etiam primus Gandauenſis Epiſcopus Cornelius Ianſenius in commentarijs in ſuam Concordiam Euangelicam annotauit, ex Sacra ſcriptura & D. Hieronymo ſatis liquet, præcipitata ea fuiſſe in mare Galilææ. Quod enim Lucas ſtagnum dixit, Matthæus & Marcus mare vocauerunt. Hi autem lacum Geneſareth, mare appellare ſolent, quem Lucas ſtagnū ferè vocat. Hieronymus verò libro de locis Hebraicis ciuitatem Gergeſam deſcribens, Gergeſa, inquit, vbi eos qui à dęmonibus vexabantur, Saluator reſtituit ſanitati: & hodieque ſuper montem viculus demonſtratur iuxta ſtagnum Tiberiadis, in quod porci præcipitati ſunt. Hactenus Hieronymus.

*Ianſen. cō. in cōcord. Euang. cap. 31. Hieron. de loc. Heb. lit. G. dict. Gergeſa.*

65.

*Hieron de loc. Heb. li. M. dictio. Machan, et Maach. Deut. 3. Ioſ. 12. 13.*

MACHATI, quæ & Maacha, & Maachati dicitur, firma & valens Amorræorum vrbs eſt. ſita ſuper Iordanē iuxta regionē Geſſuri, & montem Hermon. cuius ager, qui in ſacris literis etiā Machati, Maacha, & Syria Maacha, à Ioſepho autem Micha vocatur, regni Baſan, nec non & Iſraëliticæ terræ vltra Iordanem ſitæ, à Septentrione limes fuit.

Cecidit autē vrbs & terra hæc in ſortem dimidiæ tribui Manaſſe. quæ tamen Machateos eius habitatores diſperdere non valuit.

*2. Reg. 10. 1. Para. 19.*

Cæterum cùm inuictiſſimus Rex Dauid cōtra Ammonitas in aciem veniret, quod legatis ſuis barbas ignominioſè abraſiſſent, eorumq; veſtes vſq; ad nates præcidiſſent, huius vrbis Regem, qui mercede conductus, cum mille ſtipendiarijs, & populo ſuo Ammonitis ſubſidio venerat, ſuperauit, ac ſibi tributarium fecit. De hac vrbe fuit Eſthamo, cuius in libro Paralipomenon mentio fit.

*Ioſeph. 7. antiq. 6. 1. Par. 4.*

66.

MAGEDAN, aliàs Magedon, aut, vt eſt in Græco Magdala, locus eſt ad Orientem maris Galilçæ circa Geraſā, qui à Marco Dalmanutha vocatur. in cuius fines ac partes cū Chriſtus naui appulſus eſſet, Phariſæi & Sadducæi ibi ipſo petierunt ſignum de cælo dari. quibus indicauit ſignum Ionæ prophetæ, ſuæ ſepulturæ ac reſurrectionis eſſe figuram.

*Matth. 15. Marc. 8.*

Porrò quòd Mattheus locū hunc Magedā, Marcus verò Dalmanutha appellat, nullam habet contrarietatem. Aut enim vnus idemq; locus diuerſis nūcupatus fuit nominibus. aut vnum poteſt eſſe nomē regionis generale, alterum verò ciuitatis vel vici. aut; quod multò veriſimilius eſt, poteſt vtrumq; nomen diuerſam ciuitatem ſiue vicum ſignificare, in cuius vtriuſque loci fines dicatur Dominus veniſſe, quia locus in quem venit vtrique loco vicinus erat. quomodo ſupra dictus eſt veniſſe in regionem Geraſenorum & Gadarenorum. & alibi in partes Tyri & Sidônis.

*Matth. 15. Marc. 7.*

Quod ad ſitū loci attinet, hæc de eo D. Hieron. in lib. de lo. Heb. habet: Magedan, inquit, ad cuius fines Matth. Euāgeliſta ſcribit Dominum perueniſſe, ſed & Marcus eiuſdem nominis recordatur: nūc aūt regio dicitur Magedena circa Geraſam. Ex quibus, vt etiam doctiſſimus ſacrarū literarū interpres Cor. Ianſenius meminit, patet, primū quidem quod nō rectè ſcribat Brocar. qui Magedan & Dalmanutha eundē putat eſſe locū, quem Saraceni Medan vocant, hoc eſt, aquas Dan. fontem nimirum illum, vnde primò Iordanis oritur, quem Ioſephus Phialam vocatum teſtatur. Nā vel inde ſatis liquet hoc veriſimile non eſſe, quod fons ille longiſſimè à mari Galilææ abſit, cui hunc locum propinquum fuiſſe, ex adiunctis Euangeliſtarū verbis, quibus profectionem ſeu iter Domini deſcribūt, manifeſtum eſt. Secundò & eos multū errare manifeſtū hinc eſt, qui loca hæc Magedā & Dalmanutha cis mare Galilææ cōſtituunt inter idem mare & montē Tabor, vt paſſim nūc in chartis annotatur. Hieron. enim ea circa Geraſā fuiſſe teſtatur, & proinde vltra mare Galilææ. Quod verum eſſe & ex Marco in ſequentibus colligitur. qui ſcribit Dominum, cùm in hoc loco petentes ſignum confutaſſet, illis dimiſſis, cōſcenſa naui traieciſſe trans fretum, & veniſſe Bethſaidam.

*Hiero. lit. M. dict. Magedan. Ianſen. in Concor. Euang. cap 63. Brocar. iti 2. Marc. 8.*

67.

MARA vrbs. apud q̄ Damaſceni quondam caſtrametati fuiſſe ſcribūtur. Ty. 15. be. ſ. 9.

68.

MEGESAPHAR. locus in confinijs Damaſci. quā Chriſtiani olim caſtra traduxerunt. Tyr. 13. bell. ſ. 26.



69. NAA-

69.

NAAMATH, quod pulchrum Hebraicè ſonat, oppidum eſt in terra Hus, à quo Sophar Naamathites amicus D. Iob originem & cognomen habet, qui in hac vrbe regnaſſe putatur Iob.2. Fretel.pag.6.

70.

NARAMA. Hieronymo locus eſt in regione Batanæa. Hieronym. de loc. Hebr. lit. N.

71.

NEILA. Hieronymi ætate viculus erat in regione Batanæa. Hieron. ibid.

72.

*1.Reg.31. Liran.in 1. Paral.10. Sup.nu.13. Ioſeph.6. antiq.14. Ioſeph.3. bell.17.& 19. N.g.geog. Aſ.com.4.*

NEMVS Iabes, ciuitati Iabeſgalaad propinquum. quod quercetum fuiſſe exiſtimo: nam regio Baſan, vt dictum eſt ſupra, huiuſmodi arboribus maximè abũdauit. In hoc nemore, quod Ioſephus ex Ruffini verſione Segchen appellat, Regis Saulis filiorumq; eius corpora à viris Iabeſgalaad ſub excellenti quadam quercu ſepulta fuerunt. Hinc Veſpaſianus ligna habuit, ex quibus rates fabricari iuſſit. quæ cùm tam materiarum quàm artificum multitudine maturè contextæ eſſent, impoſita manu militum, vnà in lacum Geneſar prouectus eſt, vnde ſecuta eſt illa cruentiſſima ac fœdiſſima Iudæorum ſtrages, quę à Ioſepho in tertio belli Iudaici libro deſcribitur.

73.

PALMIRA, quæ in Propheta Ezechiele & Hebraicè Thamar, ſiue Tamar, Thamor, Tamor, Thadmor, & Tadmor dicitur, ampliſſima Syriæ vrbs eſt. tam à conditore, quàm ſitu loci nobilis.

*3.Reg.9. 2.Paral.8. Ezech.47. 48. Hier.com. in Ezech. cap.47.& 48. Ioſeph.8. ant.6. Hieron.de loc.Hebr. lit.T.dict. Thermoth Bened.in interpret. nom.Heb. dict.Palmira & Thamar. Plin.lib.5. cap.25.*

Condita autem eſt ab auguſtiſſimo Iudæorum Rege Salomone. Procul ſiquidem in deſertum ſuperioris Syriæ ingreſſus, eiuſque regionis potitus tanquam in extremo Imperij ſui limite hanc vrbem miris operibus ibi extruxit, & mœnibus validiſſimis cinxit. quam Hebræo ſermone Thamar appellauit. quæ vox in Latina lingua palmam ſonat. Nam quod eo loci palmeta plurima ſint, quidam, inquit Hieronymus, vrbem hoc ſortitam vocabulum exiſtimant. Ioſephus verò ciuitatem hanc Thadamoram à Salomone appellatam ſcribit. quo nomine etiam à Syris ſuo tempore vocitatam eſſe aſſerit. At libri Regum & Paralipomenon ac Græci Palmiram per iota, Plinius, Ptolemæus, alijq; coſmographi Palmiram per ypſilon ſcribũt. Hieronymus in libro de locis Hebraicis Thermoth nominat. Et poſtea cùm ab Hadriano Imperatore inſtaurata eſſet, Hadrianopolis dicta fuit. Ager, in quo ſita eſt, vber & diues eſt qui vaſto vndique ambitu arenis includitur, ac velut à rerum natura exemptus, ex circumiacente regione & ſolitudine, quæ Palmirena nominatur, ſola fontibus puteiſq; & aquis amœnis nimis abundat.

Ciuitas hæc inter duo imperia ſumma, Romanorum Parthorumque priuatæ ſortis eſt. qua de cauſa, prima in diſcordia ſemper vtrinque cura fuit. Abeſt à proximo Syriæ littore ducentis quinquaginta duobus millibus paſſuum. à Damaſco viginti ſeptem propius. à fluuio verò Euphrate, vnius diei itinere; & à magna Babylone ſex dierum via procul diſtat.

74.

PELLA, quæ & Pelle, Pellentis, necnon Butis, ac Berenice vocatur, præclara trans Iordanem ciuitas eſt, & quidem vna ex vndecim toparchijs Iudææ, inter quas ordine ſeptima recenſentur.

*Ptolem. Ioſeph.3. bell.2. Hiero. de loc.Hebr. lit A.dict. Aſtaroth.& lit.D.dict. Decapolis. & lit.I. dict. Iabeſgalaad. Ty.16.bell. ſacr.13. Plin.lib.5. cap.18. Niger.geograp.Aſ. com.4. Ioſeph.13. antiq.21. & 1.bel.4*

Sita autem eſt partim in Decapoleos, partim in Peræa regionum confinijs. Nam ab Auſtro quidem Decapoleos, à Septentrione verò Peræa regionis terminus eſt. at Orientem verſus à Iabeſgalaad ſex miliaribus diſtat.

Aquis, diuerſis emanantibus locis, hæc ciuitas diues eſt. cique regio fertilis adiacet, in qua multa caſtella ſunt.

Condita eſt à Seleuco Syriæ Rege, & à Pella Macedoniæ metropoli, quæ Philippi & filij eius Alexandri Magni Regum natalibus maximè celebris erat, Pellæ nomen aſſumpſiſſe ſcribitur. Maxima ſiquidem vrbis huius pars à Macedonibus, qui ſub Alexandro Magno Macedone in Aſia militauerant, inhabitatur.

Iudæorum Rex Alexander quondam ciuitatem hanc cepit, & diruit, quod incolæ recuſarent Iudaicos ritus recipere.

*Ioſeph.14. anti.5.6.8. & 1.bel.5. Ioſeph.2. bell.19. Euſeb.3. hiſt.ecc.5.*

Pompeius verò cognomento Magnus, qui cùm in Syria Romani exercitus Imperatorem ageret, hac aliquoties iter fecit, eam ſuis habitatoribus reſtituit. atq; à Iudæorum imperio exemit, ac prouinciæ Syriæ coniunxit. Quam poſtea à Iudæis vnà cum alijs Syrorum ciuitatibus & vicis vaſtatam eſſe, in Ioſepho legimus.

Eo autem tempore, cùm Regia vrbs totius Iudææ metropolis Hieroſolyma per Veſpaſianum & Titum deſtruenda & euertenda erat, Chriſtiani, qui Hieroſolymis degebant, vt Euſebius Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopus in Eccleſiaſtica ſua Hiſtoria meminit, Diuino oraculo moniti ſunt, Hieroſolymis excedere, & in hanc ciuitatem commigrare. quo & hi ab excidio eſſent liberi, & ablatis ex vrbe ſanctis & iuſtis viris, vindictæ cœleſti fieret locus, tam de vrbe ſacrilega, quàm de populo impio per excidium patriæ, euerſionemq; ſumendæ. Nunc autem priſtino nomine retento, vicus prægrandis eſſe ſcribitur, vt Niger author eſt.

75.

*4.Reg.5. Hieron.de loc.Heb. lit.F. Fret.pa.6. Nig.geog. Aſ.com.4.*

PHARPHAR, aliàs Pharfar, Farfar, & Farfarus, profundus & amœnus Damaſci fluuius eſt. qui in radicibus Libani montis Damaſco propinquis emanans, eam vrbem interſecat. Deinde Antiochiam tendens, eius mœ-



nia allambit, tandemque mari mediterraneo commiſcetur.

76.

*Ioſeph.3. bell.18. Niger geograp.Aſ. com.4.p. 503.*

PHIALA ſiue Phiale, corruptè Syala; fons, ex quo Iordanis fluuius, vt Ioſephus & Egeſippus teſtantur, ducit originem. qui quidem ſitus eſt in regione Trachonitide, non longè à via, qua à Cæſarea Philippi ſeu Paneade inter Orientem & Auſtrum in Trachonitidem aſcenditur. à qua ciuitate ad centeſimum vigeſimum ſtadium, ſiue quindecim mille paſſibus diſtat. Et propriè quidem à rotunditate Phiala dicitur, rotæ ſpeciem præferens.

Eſt autem fons hic imperſcrutabilis profunditatis, ac ſemper intra ſua labra cohibet vndam, perpetuò aqua plenus, nec vnquam deficiens, nec vnquam exuberans: ſed quantum aquæ ſcaturigine inijcitur, tantum per abditos ſubterraneos meatus in Dan ſiue Paneadem fontem Iordanis ejicit atque tranſmittit. Multò tempore ignoratũ fuit hoc eſſe Iordanis principium: quod tandem à tetrarcha quõdam Trachonitidis Philippo hac arte deprehenſum eſt. Is namq; miſſis in Phialã paleis, inuenit eas apud Panium in fontẽ Dan redditas, vnde antea fluuius Iordanis naſci credebatur. Id ipſum poſtea & ab alijs ſimili praxi ſæpius probatum eſt.

*Brocard. itin.2. Breid.ibi. Salig.tom. 9.cap 6: Fretel.p.7. Tyr.13.bel. ſac.18.& 16.bel.ſ.9. Sup.nu.66.*

Saraceni hoc ipſum fontis nomenclatura indicant, nam eum Medan, hoc eſt, aquas Dan vocant. מי me ſiquidem lingua illorum, quæ Hebraicæ affinis eſt, aquas ſignificat. A quo quidem nomine & ampliſſima adiacens ei regio appellatur Campeſtria & planicies Medan. Porrò ſunt qui locum hunc à Matthæo Magedan, & à Marco Dalmanutha appellari putant: quos errare ſupra à nobis declaratum eſt.

77.

PVTAHA, locus trans Iordanem. vbi Hieroſolymorum Rex Balduinus tertius cũ Noradino Damaſcenorum Rege pugnauit, eumque vicit. Tyr.18. bel.ſacr.21.

78.

*Broc.iti.3. Breidenb. iti.2.& 3. Fretel.p.7.*

PYRAMIS ſepulchri B. Iob, quæ etiamnũ in planioribus locis terræ Hus ad Orientẽ Sueræ ciuitatis monſtratur, ac à Græcis alijſq; gentibus, quòd Propheta Iob ibi ſepultus ſit, in honore habetur.

79.

RAGABA, caſtellum vltra Iordanem in Geraſinorum finibus ſitum, quod Alexander Iannæus Iudæorum Rex obſidens, naturæ conceſſit. Ioſeph.13.ant.21.

80.

RASALINAE, locus in finibus Damaſci. vbi Sanguinus iuratus Chriſtianorum hoſtis quondam caſtrametatus fuit. Tyr.15. bel.ſacr.8.

81.

SALOME, vicus in campeſtribus Medan ſitus, qui à Chriſtianis inhabitabatur. Quapropter & à Chriſtianorum exercitu, cùm hac Damaſcum iter faceret, loco huic parcitum fuit; atque habitatoribus eius, quaſi fratribus fratres vſi ſunt. Tyr.13. bel.ſac.18.

82.

SARDINELLA, magnus vicus ad Orientem Damaſci, qui ſe à Chriſtianis ſolùm admittit incoli: alios verò ante confectum primum habitationis annum enecat. Bonauentura.

83.

*Cant.4. Niger.geograph.Aſ. com.4.pa. 504.& 517.*

SEIR, qui aliâs Seyr, Hebraicè Schir, Ioſepho Seira, item alio nomine etiam Sanir aliquoties dicitur, mons excelſus eſt trans Iordanem, ad Orientalem plagam terræ Hus ſitus, atque à Septentrione monti Hermon, ab Auſtro monti Galaad coniungitur; à ciuitatibus verò Capharnao & Corozaim verſus æſtiualem ſolis ortũ alicubi quatuor, alicubi ſex, & pluribus miliaribus diſtat.

*Geneſ.32. 33. Ioſeph.1. antiq.27. Broc.iti… 3.4.& 6. Breidenb. itin.3.4. & 6.*

Nomen autem Seir, præter alios, de quibus ſupra, etiam hic mons accepit ab inhabitatore ſuo Eſau: qui quòd piloſus & hirſutus eſſet, cognomine Seir fuit appellatus. Habitauit autem Eſau in hoc monte eo tempore, cùm frater eius Iacob cum vxoribus ac liberis & facultatibus è Meſopotamia Syriæ rediit. atq; huc Iacob ad eum ex itinere nuncios miſit, vt eius gratiam caperet. Eſau verò accepto nuncio, quod frater rediret, cum quadringentis viris armatis ei obuiam profectus eſt, ac iuxta torrentem Iacob illi occurrit. vbi cùm ſibi mutuò reconciliati eſſent valedicentes, Eſau multis acceptis muneribus Seir repetijt, Iacob autem iter ſuum in terram Chanaan proſecutus eſt.

*Ioſ.12. 1.Par.5.*

Poſtquam Iſraëliticus populus occiſis Seon & Og Regibus totam, quæ trans Iordanem eſt, ditionem occupaſſet, mons hic filijs dimidiæ tribus manaſſe in ſortem ceſſit, & multis ſæculis ab ijs poſſeſſa fuit.

*Seir villa aut vrbs. Geneſ.32. Thren.4. Hieron. comme.in Thren.5*

Ab hoc monte & vrbs aut villa, quæ in eo ſita fuit, etiam Seir dicta videtur. nec non & tota monti adiacens regio, idem quoque nomen ſortitum fuit, quæ aliâs etiam Edom & Idumæa vocatur. Quam Propheta Ieremias cùm deſtructam Hieroſolymam lamentaretur his verbis per Ironiam alloquitur: Gaude, inquit, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus, ad te quoque perueniet calix: inebriaberis, atque nudaberis, ſeu, vti Hebræi habent, & eris vomens. Completa eſt iniquitas tua (pœna ſcilicet iniquitatis tuæ) filia Sion, non addet vltrà, vt tranſmigret te. Viſitauit iniquitatem tuam filia Edom, diſcooperuit peccata tua. Calix namque vindictæ Domini venit etiam ad terram hanc, inquit Hieronymus, quando Nabuchodonoſor Rex vaſtata Iudæa, cæteras gentes ſimili modo deuaſtauit.

## 84.

*Deuter.3. Ioſ.12 13. 1.Paral.5. Hieron.de loc.Hebr. lit.S.dict. Selcha. Ortel in ſynon.geogra.dict. Salecha. Tyr.16.bel. ſac 8.*

SELCHA, quæ quoque Salecha, Hebræis Salcha, alijs verò Selchar, ac poſteà Salchata quibuſdam dicta eſt, vetus ciuitas eſt, quondam Og Regi Baſan parens, atque vna ex ſexaginta munitioribus ac validioribus vrbibus regni eius. ſita autem eſt iuxta vrbem Geſſur, montemque Hermon: & Baſanitidis regionis verſus Boream clauſtrum eſt. Hæc etiam ciuitas olim à Gigantibus inhabitata, ac diu poſſeſſa fuiſſe videtur.

Porrò anno Chriſtianæ ſalutis milleſimo centeſimo quadrageſimo tertio nobilis quidam Turcorum Satrapa hanc & Boſtrenſem vrbem, quibus præerat, Hieroſolymam profectus, Chriſtianorum Regi Balduino tertio tradere molitus fuit. Sed vxor eius, dum ipſe hæc agebat, hoſtibus ciuitates aperuit, ac aduerſæ partis præſidiarios in arces admiſit, & Chriſtianis aduentantibus bolum è faucibus eripuit.

## 85.

SELEVCIA, ciuitas trans Iordanem eſt, ſita in Gaulanitide regione ad Semechonitem lacum, in regione delicioſa, fontibuſque irrigua. Denominata autem creditur Seleucia, à Seleuco Syriæ Rege, à quo & putatur condita. Hæc quoque ciuitas ab Alexandro Iudæorum principe expugnata fuit, & Syris adempta, ac Iudæorum imperio ſubdita. Eandemque Ioſeph. Hiſtoricus, cùm Galilææ præerat, vt munitam natura, ita arte quoque longè fecit munitiſſimam: ac inter alia oportuna loca contra Romanos ſolidioribus firmioribuſque mœnibus cinxit. Quibus tamen incolæ ſe poſtea coniunxerunt: Regi Agrippæ, qui à Romanis ſtabat, fœdere ſe ſociantes.

*Ioſeph.13. antiq 21. & 1.bel.4. Ioſeph.2. bell.25.& in vita ſua. Ioſeph.4. bell.1.*

## 86.

SILVA, ſiue nemus vltra Iordanem ab Oriente vrbis Paneadis iuxta locum Copar ſitum. in quo olim Noradini Damaſcenorum Regis exercitus contra Balduinum tertium Hieroſolymorum Regem in inſidijs latuit. Tyr.15.bell. ſacr.9. & 18.bel.ſacr.13.

## 87.

SOBA, aliâs Suba, Ioſepho Oba, & Sophena, regia Syriæ vrbs eſt, à qua & contigua regio in ſacra Scriptura Syria Soba ſiue Sobal nominatur.

Quæ quidem regio multa à diuerſis Iudæorum regibus tulit. Primò ſiquidem eius reges à Saule Iſraëlitarum Rege belli iure ſubacti eſſe leguntur. Deinde Dauid Saulis in regno ſucceſſor ſemel ac iterum cum Rege Soba pugnam committens, egregiam vtraque vice victoriam reportauit. Nam cùm vſque ad fluuium Euphraten imperium ſuum proferebat, cum Adadezer Rege Soba congreſſus, viginti peditum millia, & equites ſepties mille occidit, currus etiam mille cepit, ex quibus incenſis reliquis, centum ſolos ſibi reſeruauit.

*1.Reg.14. Ioſeph.6. ant.7. 2.Reg.8. 1.Par.18. Ioſeph.7. antiq.5. Hieron de loc.Hebr. lit S.dict. Suba. 2.Reg.10.*

Aliâs etiam idem Rex & viciſſe, & ad pendendum annuum tributum regem Soba obligaſſe ſcribitur, quando regi Ammonitarum, qui contra Dauidem arma ceperat, cum viginti peditum millibus ſuppetias ferebat.

*1.Par.19. Ioſeph.7. anti.6.*

Rurſus & Salomon, cùm in Syriam ad condendam Palmiram vrbem proficiſceretur, hac ducens exercitum, vrbem & regionem hanc ſibi aſciuit.

*2.Paral.8.*

Cęterùm cùm in ſenectute à Deo Opt. Maximo ad gẽtium idôla deſciuiſſet, inter alios aduerſarios, quos contra eum ſuſcitauit Dominus, obiecit etiam ſe illi Razon fugitiuus ſeruus Regis Soba, atque ex hac regione cum latronum manu Iſraëlitarum ditionem crebris incurſionibus populatus eſt, rapinis & cędibus omnia miſcens.

*3.Reg.11. Ioſeph.8. antiq.7.*

Poſtremò Holofernes quoq; populabundus per Syriam Sobal exercitum traduxiſſe legitur. Ex hac vrbe originem duxit Igaal, vnus ex fortiſſimis heroibus vel militibus Dauidis.

*Iudith.3. 2.Reg.23.*

## 88.

SOGANE, aliâs Soganne, Gaulonitidis regionis ciuitas eſt, in ſuperiore eius regionis parte, firmiſſimo loco ſita. quæ etiam à Ioſepho contra Romanos muris ac munitionibus circundata eſt. Cuius nihilominus ciues vnà cum Seleucianis in principio defectionis Rex Agrippa ſibi fœdere ſociauit.

*Ioſeph.2. bell.25.& in vita ſua. Ioſeph.4. bell.1.*

## 89.

SOLYMA vicus, qui Gaulonitidem regionem terminat. Ioſeph. in vita ſua.

## 90.

SPELVNCA trans Iordanem in regione Suetæ, à ciuitate Tiberiade ſexdecim milliaribus Italicis diſtans. Sita verò in altiſſimo cuiuſdam mõtis cretacei, cui ſubiectum erat immane præcipitium. Hæc ab vna duntaxat mõtis parte accedi poterat per anguſtum adeò callem, vt vix pedis haberet latitudinem, atq; homini, etiam ab omni onere expedito, abſq; periculo iter non præberet. Intus habebat aquarum fontes, ac tres manſiones ſeu diuerſoria, ita conſtructa, vt per ligneas ſcalas ex vno in alterum aſcenſus ac deſcenſus eſſet.

*Tyr.18.bel. ſacr.21.*

Locus iſte, eò quòd natura & ſitu commodiſſimus eſſet, Chriſtianorum munitiſſimum & inexpugnabile quondam præſidium ſeu municipium fuit. Quod cùm rex Noradinus anno puta poſt virginis partum milleſimo cẽteſimo quinquageſimo ſeptimo ingentibus copijs oppugnaret, aduentanti cum exercitu Balduino tertio Hieroſolymorum Regi ceſſit. ſolutaq; obſidione, dum venienti hoſti occurrit, in pugna, quam cum eo commiſerat, victus eſt.

*Tyr.22.be. ſacr.15.*

Idem hoc munimentum iuratus Chriſtianorum hoſtis Saladinus obſidione cinxit, anno nimirum nati Saluatoris milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono. & ante quintum obſidionis diem dolo & inſidijs non ſine proditionis



*Ty.22.bel. ſacr.21.*

ditionis ſuſpicione per deditionem in ſuam poteſtatem accepit. Verùm id Hieroſolymorum Rex ſtatim proximo anno recuperauit, ac poſt trium hebdomadarum obſidionem, cùm ſtrenuè admodum à ſeptuaginta fortiſſimis viris defenderetur, per deditionem recepit, & armis atque commeatu communiuit, viriſque fidis ac ſtrenuis cuſtodiendum tradidit.

## 91.

SPELVNCA firmiſſima & inexpugnabilis vltra Iordanem in finibus Arabiæ ſita. Quam fratres militiæ templi, quorum tutelæ ac defenſioni commiſſa erat, anno Salutis poſt milleſimum centeſimum ſexageſimo ſeptimo Siracono Chriſtianorum hoſti tradiderunt. De quorum proditorum numero Hieroſolymitanus Rex Amalricus duodecim in crucem egit. Tyr.19.bel.ſacr.11.

## 92.

*Broc.iti.3. Breid.ibid. Ty.22.bel. ſacr.21.*

SVETA, quæ & Suita, Suites, Suhi & Suchi vocatur, inclyta in terra Hus vrbs eſt: diſtans contra Aquilonem, à ciuitate Corozaim & oſtio fluuij Iordanis quatuor milliaribus. Regio autem in qua ſita eſt, frumenti, vini & olei ferax eſt, & cælo ditata eſt optimo. in qua quondam & etiam nunc ſolemnes annuatim habentur nundinæ.

*Iob.2.8. &c. Tob.2. Ioſ.12.*

Ex hac vrbe originem ſimul ac cognomen traxit Baldat Suites ſeu Suhites, vnus ex tribus præcipuis amicis, qui S. Iob in tribulatione eius inuiſerunt. quos in ſuo libro Reges vocat Tobias. Horum Baldad quidem in hac vrbe, Eliphaz in Theman, Sophar verò in Naamath regnaſſe creditur. Nam potentiores quaſque vrbes antiquitus ſuos habuiſſe Reges, ex capite duodecimo libri Ioſue ſatis notum eſt.

## 93.

*Num.23. Geneſ.10. Ioſeph.1. antiq.14. Hieron.in Geneſ.10. et in Amos 1. Euſeb.in chronican. 325 a epromiſſ. Plin.5.na. hiſt.12*

SYRIA, ſiue Suria, maioris Aſiæ regio eſt, ſacris & profanis hiſtoricis celebratiſſima, quæ Hebraicè Aram ſeu Aramæa dicitur, ab Aram filio Sem, qui teſte Ioſepho Aramæos ſeu Aramenos inſtituit, eiſque à ſuo nomine appellationem indidit. Syria autem, vt ait Euſebius, à Græcis appellata eſt paulò ante natiuitatem Moyſi ex vocabulo Syri cuiuſdam indigenæ, à quo & incolæ à Latinis Syri & Syrij dicti ſunt. Hodie Soriam vocari ſcribit Ortelius.

*Niger Aſ. com.4.pa. 495. Hieron.de loc.Act. Apoſt.lit.S Pli.5.nat. hiſt.12.*

Regio quondam fuit, vt inquit Plinius, terrarum maxima, & pluribus diſtincta nominibus. Ab occaſu mare magnum ſeu mediterraneum attingit, quod ab ea Syriacum pelagus nominatur. qua parte à mari præternauigatione trecentorum & quinquaginta millium paſſuum alluitur. A Septentrione habet Ciliciam, & Cappadociæ partem, ac Taurum montem totius Orbis terrarum maximum. ab Ortu Tygride fluuio terminatur. ab Auſtro deniq; vſq; ad mare Rubrum & Aegyptum pertingit. Longitudo huius regionis, vt auctor eſt Plinius, in Ciliciam & Arabiam, quadringentorum & ſeptuaginta milliũ paſſuum eſt, latitudo à Seleucia Pieria ad oppidũ in Euphrate Zeugma, centum & ſeptuaginta quinque millium paſſuum.

*Ty.13 bel. ſacr.2. Vitriac.c. 95.& 96. Brocrad. in præfat. deſcript. loc.terr S. Breid ibid.*

Cùm itaque hæc prouincia ſpacioſiſſima ſit, multas & magnas ambitu ſuo comprehendit regiones, vt ſitu ita & nominibus diſcretas. Quarum quidem eæ, quotquot in ipſius meditullio iacent, Syriæ quoque nomen præferunt, adiuncto duntaxat ad commune vocabulum verbo, quod diſtinctionem faciat. Cẽſentur autem hæ: Cœleſyria ſeu Syria Cœle, Syria Damaſcena, Syria Soba ſiue Sobal, quæ & Sophena, Syria Maacha, Syria Libanica, Syria Roob, Syrophœnicia ſeu Syria Phœnicis, & Syria Antiochena. de quibus ſuo loco retulimus.

*Dion in vita Traiani. Plin.5.na. hiſt.12. Niger. Aſ. com.4.pa. 528.*

His & adiungenda venit Aſſyria, quæ tamẽ non in meditullio, ſed in Orientali Syriæ tractu vltra Euphraten ſita, amne tantùm à Babylonia ſeparatur. Hæc à barbaris commutata S. in T. Attyria vocatur ac poſtea, teſte Plinio, Adiabene dicta fuit. nunc verò ab indigenis Adrinſa nuncupari refert Niger.

*Geneſ.10. Ioſeph 1. antiq.14. Hieron in Geneſ.10. Iſai.7. Mich.5.*

Primum nomen ſortita eſt ab Aſſur filio Sem, qui vrbẽ Ninum condidit, quam Hebręi Niniuen vocant, atque ab eo Hebraicè Aſſur, Græcè autem & Latinè Aſſyria, eiuſque ſubditi Aſſyrij denominati ſunt. vnde & Aſſyriorum pullulauit Imperium ac prima Mundi monarchia, quæ hinc ad Babylonios ac Chaldæos tranſijt, & tandem cum annis plurimis floruiſſet, per Perſas & Medos diſſoluta fuit.

*Hieron.in Iſai.19.*

Notat Hieronymus ſuis in Iſaiã commentarijs, quos veteres Aſſyrios, recẽtiores nunc vocare, Syrios, à parte totum appellãtes. Vbi etiam admonendi mihi ſtudioſi videntur, vt obſeruent Aſſyrios & Syros apud Scriptores penè omnes ſæpius confundi quod varijs auctoritatibus demonſtrare haud foret difficile.

Porrò præter Aſſyriã legimus etiam Cappadociam, quæ in huius regionis confinijs iacet, à Græcis Leucoſyriã, & Cappadoces Leucoſiros, hoc eſt albos Syros nominari.

Et hæ quidem Syriæ partes ſunt, quæ à generali eius vocabulo ſua acceperunt nomina. nunc cæteræ Syriæ regiones enumerandæ ſunt, quæ communem Syriæ appellationem non præferunt.

*Hieron.de loc.Act. lit.M. Gen.25 28 Geneſ 24. Iudic.3. 1.Par.19. Pſalm.59. in tit.*

In Occidentali eius tractu, mediterraneæ Syriæ habentur regiones, Galilæa, Samaria, Iudæa, & Idumæa: in ora maritima ſunt Phœnicia, Palæſtina, & Philiſtæa. Partim in Oriente, partim in Auſtro eſt triplex Arabia, Deſerta ſcilicet, Felix, & Petræa: quarum limites lõgè lateque excurrunt. In Oriente verò Meſopotamiam habet, Cœleſyriæ cõterminam, & inter inſignes duos fluuios, Euphraten videlicet, & Tigrim iacentem. Quapropter etiam Hebraicè Padan Aram & Aram Naharaim vocatur, hoc eſt, Syria duorum fluuiorum, nam dictio Naharaim, dualis eſt numeri, à Nahar, quod eſt fluuius. Quod ipſum quoque vocabulo Græco exprimitur. μέσος enim Græcis medius, & ποταμὸς fluuius interpretatur. Et quia hæc regio, Syriæ pars eſt, aliquoties

*[Gen. 28. Deuter. 23. Pſalm. 59. in tit.]* ties in Sacris Meſopotamia Syriæ appellatur.

Agri eius tam vberi & pingui ſolo ſunt, ait Quintus Curtius, vt à paſtu repelli pecora dicantur, ne ſatietas perimat. Cauſa fertilitatis *[Q. Curt. de reb. geſt. Alexan. magni l. 5. in prin.]* eſt humor, qui ex vtroque amne manat, toto ferè ſolo per venas aquarum reſudante. Ouiũ Meſopotamiæ & Italicarum vnam ſcribit D. *[Hieron in Gen. 31.]* Hieronymus eſſe naturam, vt bis pareant in anno. vnde in Virgilio:

*Bis grauidæ pecudes, &c.*

*[Nig. Aſ. comment. 4.]* Meſopotamiæ coniunguntur aliæ duæ Syriæ regiones; à Septentrione quidem Comagena: hæc propius adiacet Ciliciæ, & à vicino ſibi fluuio Euphrate, nũc Euphratenſis, & Euphrantis, à Bababaris verò Azar dicitur.

*[Plin. 5. c. 12. Ptol.]* A Meridie verò Babylonia, quam etiam Syriæ includi, auctores ſunt Plinius & Ptolomæus. *[Gen. 10.]* Huic regioni ac genti Nemrod nepos *[Ioſ. 1 ant. 9. Hierony. in Gen. 10.]* Cham originem dedit. Is enim vir audax & manu promptus, inſuetam primus in populo tyrannidem arripuit, ac iuxta Euphraten vrbem magnam condidit, quæ ab eo, quod ibi confuſæ ſunt linguæ turrim ædificantium, Babel & Babylon appellata eſt. Hic primus Mundi tyrannus regnauit. Ab hac vrbe & circumiacens regio nomen deduxit, quæ in Propheta *[Mich. 5.]* Michea à conditore ſuo etiam Terra Nemrod nuncupatur. *[2. Paral. 36. Iere. 25. & 29.]* In qua populus Iudaicus, iuxta Ieremiam Prophetam, ſeptuaginta annis captiuus detentus fuit.

Babyloniæ paret, eique adhæret Chaldæa, *[Geneſ. 10.]* Arabiæ deſertæ finitima, quæ etiam ad Syriam pertinere videtur. Cuius incolæ ab Arphaxad filio Sem orti ſunt, qui imperio gentis potitus, *[Ioſ. 1 ant 14.]* eos, inquit Ioſephus, à ſe Arphaxadæos nomi- *[Hieron. in Gen 10. & 22.]* nauit. Poſtea à Caſed ſeu Chaſed filio Nachor fratris Abrahæ, Hebraicè Caſdim ſiue Chaſdim vocatos ſcribit Hieronymus. Eoſdem quoque à Chaldęo Rege, qui quartus decimus à Nino fuit, Chaldæos; & regionem eorum Chaldæam appellatam inuenimus.

Vtraque hæc, Babyloniorum ſcilicet, & Chaldæorum gens antiquiſſima eſt, atq; iugi multorum ſæculorum cæleſtis motus, Solis puta, Lunæ, aliorumque ſiderum obſeruatio- *[Pli. 6. ca. 26.]* ne, anni, menſis, dierumque rationem primi deprehendiſſe à quibuſdam ſcribuntur. Sed melius mihi ſentire videntur, qui ſideralem ſcientiam ac cæleſtium rerum cognitionem ſtatim ab orbis primordio liberis Seth, Adami *[Ioſ. 1. ant. 4.]* primi hominis filij attribuunt. Qui, vt ſcribit Ioſephus Iudaicarum antiquitatum libr. 1. cap. 4. cùm ab Adamo intellexiſſent vniuerſalem rerum omnium fore interitum, vnum aquarum diluuio, alterum ignis incendio; ne inuenta ſua ex hominum notitia dilaberentur, & prius perirent, quam pernoſcerentur, duas extruxerunt columnas, aliam quidem ex lateribus, aliam verò ex lapidibus, ac vtriq; ſua inuenta inſcripſerunt: vt ſi lateritiam diluuio *[Pli. 7. ca 56.]* deleri contingeret, lapidea ſuperſtes hominibus diſcendi copiam faceret, & quæ inſcripta continebat, ſpectanda exhiberet. Ex his alteram, nempe lapideam, ad ſuam vſque ætatem in terra Syria durauiſſe idem Ioſephus affirmat.

Eodem ſpectat quod idem auctor, dum ra- *[Ioſ. 1. ant. 3.]* tiones ſeu cauſas profert, ob quas priſcorum ante diluuium vita ad nongenteſimum atque milleſimum vſque annum prorogata fuerit; poſt alia, puta quòd pij eſſent, quòd Dei recęns opificium, quòd commodiore vterentur victũ; etiam hanc referat, nempe tum propter virtutis ſtudium, tum propter inueniendarum artium vtilitatem, vt Aſtronomiæ, ac Geometriæ, Deus illis prolixiorem largitus ſit vitam. quarum certitudinem aſſequi non poterant, ſi minus ſexcentis annis vixiſſent. Ex tot enim magnus annus conſtat.

Proinde credere par eſt, hanc ſiderum ſcientiam ab Hebręis per patriarcham Abraham ad Chaldæos manaſſe. cuius natale ſolum fuit *[Gen. 11.]* Hur Chaldæorum oppidum, aliàs Vr, Ioſepho autem Vra vocatum. Hic porrò, cùm v- *[Iud. 5.]* num cæli, terræ, rerumque vniuerſarũ Deum *[Ioſ. 1. ant. 15.]* coleret, ac Chaldæorum deos adorare nol- *[Neem. 9.]* let, à Chaldæis multum afflictus fuit. Et Di- *[Gen. 11. 12. 15]* uino monitus oraculo, è Chaldæa in Haran *[Actor. 7.]* Meſopotamiæ ciuitatem migrauit, rurſumq; hinc in terram Chanaan ſeceſſit. Fame autem Chananæam premente, in Aegyptum profectus eſt, atque, vt prædictus auctor perſpicuè *[Ioſ. 1. ant. 16.]* demonſtrat, Aegyptios & verum Dei cultum, & Aſtronomiæ, Arithmeticæque diſciplinas primus docuit. Quarum artium ſcientia ab Aegyptijs ad Græcos, inde ad Latinos tandem peruenit.

Cæterùm Babylonios poſt acceptam huius arti scognitionem, præ cæteris fuiſſe aſtrorum obſeruantiores haud negarim. Huiuſce enim rei ſatis clarum argumentum eſt, quòd tempore Ezechiæ Regis Iudæ Solem retroceſſiſſe, *[4. Reg. 20.]* ac diei ſpacia duplicata, etiam in ſuo horizon- *[2. Para. 32.]* te animaduerterint. Quod ſanè miraculum *[Iſai. 38. et 39]* Merodach Rex Babyloniorum obſtupeſcens, *[Hier. in Iſa. 39.]* legatos cũ literis & muneribus ad Ezechiam miſit, vt cur tale portentum accidiſſet, inquirerent.

Præter quàm quòd Babylonij & Chaldæi, *[Abacuc. 1.]* gens Aaſtonomiæ ſtudioſa fuerit, etiam hor- *[Hieron. ibid.]* ribilis, pugnaciſſima, terribilis & velox fuiſſe ſcribitur. cuius roboris & ad bellandum audaciæ omnes penè Græci, qui barbaras hiſtorias conſcripſerunt, teſtes ſunt. Hæc enim non fuit contenta finibus ſuis, ſed huc illucq; diſcurrens ſuper terræ latitudinem peruagabatur. Et hoc fuit opus eius, non vt terram vomere exerceret, ſed vt rapto viueret & gladio, & poſſideret vrbes non ſuas. antequam manum inferret, antequam prorumperet ad bellum, terrorem portabat in vultu. Equi quoque & equites eorum tam pernices ad perſequendum, & cuncta populanda erant, vt pardos ſuperarent, & lupos veſpertinos (lupi ſiquidem nocte vicina, & tota die fame ad rabiem concitati, multò magis ſæuire dicuntur) idcircò Babylon Chaldaicarum gentium caput, & de Regi- *[Plin. 6. c. 26.]* bus triumphauit, & diu ſummam in toto Orbe obtinuit claritatem.

Babyloniæ denique & Chaldææ ab Oriente vltra Tigrim affines ſunt Perſarum, Medorũ, Parthorumque regiones. Regna autem Parthorum,



*[Plin. 6. cap. 25.]* thorum, teſte Plinio, duodeuiginti ſunt omnia. Penes Perſas verò & Medos poſt Aſſyrios & Babylonios, totius Orbis monarchiæ fuit imperium. Quod deinde ad Gręcos, ac poſtea ad Romanos tranſlatum eſt. Hæc de Syriæ regionibus generatim dicta ſufficiant: nunc ad particularia procedamus.

Syriæ prouincia multis ac magnis præclariſq; vrbibus & montibus decoratur, clariſſimiſq; fluminibus fœcunda eſt, atq; ditatur. Inter vrbes, poſt Hieroſolymam, quæ totius Orbis terrarum primas tenet, Damaſcus, Antiochia, Tyrus, Samaria, vtraq; Cæſarea, Palæſtinę ſcilicet, & Philippi, Palmira, Apamea, Hierapolis, Heliopolis Tripolis, Sidon, Berytus, Ptolemais, Seleucia, & Laodicæa numerãtur. Inter montes maximè enitent Libanus, Galaad, Carmelus, Caſius, & Taurus. Ex fluminibus, præ cæteris Euphrates, Tigris, Chryſorrhoas, Orontes, Singas inſignes ſunt. Quorum Euphrates & Tigris iuxta ſacroſanctæ Scrip- *[Geneſ. 2.]* turæ fidem è terreſtri Paradiſo promanant. *[Ioſeph. 1. antiq. 2.]* ſed mox à terra abſorpti, poſt longum ſubterraneum decurſum, tandem ex montibus Ar- *[Hieron. de loc. Hebr. lit. E. & T.]* meniæ maioris, multorum inter ſe millium paſſuũ interuallo rurſum emergũt. Vbi Plin. *[Plin. 5. ca. 24. & 6. cap. 27.]* Ptolemæus, alijq; gentiles Coſmographi eos primùm oriri putauerunt.

*[Ptol.]* Euphrates, ſiue Eufrates, Hebræis Perath ſeu Parath dicitur. cuiꝰ nominis vis apud nos *[Hieron de loc. Hebr. lit. E.]* fœcunditatem atq; fructuum abundantiam ſignificat. Apud Ezechielem Prophetam fluuius hic Chobar, & Hebraicè Chebar vocatur *[Nig. com. 3. pa. 486. & 661.]* iuxta quem idem Propheta ſe viſionem vidiſſe aſſerit. Ioſephus & recentiores accolæ pa- *[Ezec. 1.]* trio vocalulo Phora, Fora, vel Foras modò appellant.

Hic Tigride multò maior eſt, atque plus *[Strab. l. 11.]* terræ obit. Nam ab eo loco, vbi in Armenia maiore erumpit, celer & fremẽs Cappadociam rectà petit. *[Plin. 5. cap. 24.]* Vnde ſe flectens, poſt ducenta paſſuum millia Taurum mõtem, quamquam *[Nig. Aſ. com. 3. pa. 486.]* duodecies mille paſſuum molem ei obijciat, fracto nonnihil curſu perrumpit. Ita naturæ, inquit Plinius, dimicatio illa æquatur, hoc eunte quò vult, illo prohibente ire quà velit. Hinc ſaxoſus & violẽtus Meſopotamiam pręterlabens, diuerſa oppida alluit: nimirum Epiphaniam & Antiochiam, quæ ad Euphratem vocantur, item Zeugma, Apamiam, Seleuciam, & Vram. Babylonem verò mediam ſecat. Quam procul tranſgreſſus, tandem defertur in Perſicum mare, quod in Sacris literis Mare rubrum vocatur.

Tigris, tam Hebræo, quà Græco, Latino, & accolarum idiomate à curſus celerita- *[Plin. 6. cap. 27.]* te nomen ſortitus eſt. Hebraicum enim nomen Hidekel aut Chiddechel, vt & Diglath, quo vocabulo eum Ioſephus nuncupat, ſig- *[Hieron. de loc. Hebr. lit. T.]* nificat velocitatem.

Græca verò & Latina voce Tigris dicitur. *[Plin. 8. ca. 18. & 6. cap. 27.]* quia inſtar Tigridis beſtiæ nimia pernicitate decurrit. Tigris enim, vt habet Plin. animal eſt tremendæ velocitatis. Medis denique, Ar- *[Nig. Aſ. cõ. 3. pag. 486.]* menis, & Perſis, qui hunc fluuium accolunt, Tigris ſagittam ſonat. quòd fluuius veluti ſagitta emiſſa citus volet. *[Coruin. Nouoſor. geogr. pa. 661.]* Ea ſiquidem proripitur velocitate, vt vna die tantum peragat itineris, quantum vir acer & velox ſeptem diebus currendo conficere poſſet,

Prodiens igitur in Armenia maiore, ex lu- *[Strab. li. 6.]* cido conſpicuoque fonte in loco edito, pri- *[Plin. 6. ca. 27.]* mùm per ſexagies & bis mille paſſus ſilueſtris ripis præceps inter ſaxa deuoluitur, & multo- *[Nig. Aſ. com. 3. pa. 487.]* rum torrentium non aquas ſolùm, ſed, etiam ſaxa ſecum trahens, in lacum Arethuſam ſiue Arſiſſam influit. In quem omnia illata pondera enatant. Eſt verò aqua eius laci nitroſa, quæ veſtes in ea lotas dilacerat ac rumpit. Vnum genus ei piſcium eſt, idque tranſcurrentis, Plinio teſte, non miſcetur alueo. ſicut nec è Tigri piſces in lacum tranſnatant. Nec patitur amnis aquam ſecum cõmiſceri, nam & curſu & colore diſſimilis per eum fertur. tranſuectuſq; occurrente Tauro monte, rurſus in ſpecu mergitur. Subterque lapſus, ab altro mõtis latere erumpit in lacum, qui Zoroanda vocatur, & eſſe eundem manifeſtum eſt, quod demerſa perfert. Deinde ter- *[Strab. l. 16]* tium tranſit lacum ſalſum & piſcibus caren- *[Nig. pag. 755.]* tem, qui Thoſpites ſeu Thopitis appellatur. atque ipſe quidem piſcibus plena nõ permixta aqua in alteram ripam peruenit, rurſuſq; in cuniculos multo cum ſonitu demergitur. & poſt vigintiquinque millia paſſuum exoriens, mox in Armenia luſtrat Gordiæorum *[Geneſ. 8. Beroſus. Chaldæus libr. 1. de temporib. ante diluuium.]* ſiue Cordyeorum montes, amomi feraciſſimos, in quibus Arca Noë poſt diluuium quieuit. eiuſque reliquiæ Beroſi & Ioſephi vſque tempora oſtenſa ibidem fuiſſe memorantur. vnde & locus, ab Armenis Apobaterion & *[Ioſeph 1. antiq. 5. & 20. anti. 2.]* Gibelnoe, id eſt, egreſſorium Noë vſque modò appellatur. Hinc contra Aſſyrios pergens, eoſque præteriens, citra Seleuciam & Babyloniam centum viginti quinq; millibus paſ- *[Geneſ. 2.]* ſuum diuiditur in alueos duos. Vbi remeauêre aquæ, atque in vnum alueum coiêre, aliquanto ſpacio vectus, in lacus Chaldaicos ſe fundit, eoſque ſeptuaginta millium paſſuum amplitudine implet. Moxq; vaſto alueo pro- *[Ioſeph. 1. antiq. 2.]* fuſus, duobus oſtijs in Rubrum mare defluit. *[Hieron de loc. Hebr. lit. T.]* Inter Euphratis & Tigris oſtia viginti quinq; millia paſſuum fuêre, aut, vt alij tradunt, ſeptẽ millia vtroq; nauigabili.

Duo hi amnes ſimili quidem ratione, ſed *[Plin. 18. cap. 17. & 18.]* maiori felicitate quàm Nilus Aegyptum ſtatis temporibus reſtagnãtes, Syriæ humum irrigant, opimant, atque Aegypti ſolo reddunt fertiliorem. Limum autem nõ inuehunt, ſicut in AEgypti Nilus. *[Cic. de na. deor. lib. 2.]* verùm quotannis quaſi nouos agros creantes, Syriam vbertate terræ *[Plin. 13. c. 5. 6. & lib. 20. cap. 5.]* Chanaan penè parem efficiunt. Vnde, vt etiã Plinius meminit, varijs arborum, fructuum, herbarumq; generibus abundat, ac in hortis operoſiſſima eſt. Indeq; prouerbium Græcis: Multa Syrorum olera.

Sed, vt ad regionis huius gentem acceda- *[Hier. tom. 3. epiſt. præfat. in lib. Regum.]* mus, Syrorum lingua, vt & Chaldęorum, magna ex parte Hebræo ſermoni confinis eſt, atque eodem quidem literarum, ſiue elementorum ſono, ſed diuerſis duntaxat in ijs exprimendis vtuntur characteribus.

Ipſi verò Syri, molles ſunt, effœminati, delicati, & ad res nouandas magnoperè leues. Perunguntur oleo precioſo, & liniuntur vnguentis. Ludis præterea, celebritatibuſq; dediti, ad nullam aliam rem prõptiores ſunt, quã ad iracundiam. Adhæc aſtutiæ nota infames ſunt, & mercaturæ lucroq; maximè addicti. *[Ezech.27.]* vnde etiam apud Prophetam Ezechielem mercatores Syri, nũdinas Tyri ſuis mercibus frequentaſſe ſcribuntur, atq; gemmam, purpuram, ſcutulata, ſiue veſtes diuerſorum colorum, byſſum, ſericum, & chodchod, hoc eſt corallia in mercatu eius propoſuiſſe. Cui ſuffragatur D. Hieron. *[Hieron. in Ezech.27.]* dum ait: Vſq; hodie permanet in Syris ingenitus negotiationis ardor, qui per totum Mundum lucri cupiditate diſcurrunt: & tantam mercandi habent veſaniam, vt occupato nunc Orbe Romano, inter gladios & miſerorum neces quærant diuitias, & paupertatem periculis fugiant.

Hoc autem obiter hîc inſerendum duximus, fluuium Euphratem quondam deſignatum fuiſſe Iſraëliticæ terræ terminum. *[Exod.19.]* Elegerat namque ſibi Dominus Deus filios Iſraël de *[Deut.1.]* cunctis terræ populis in peculium, & regnum *[Ioſue.1.]* ſacerdotale, ac gentem ſanctam, ipſiſq; in poſſeſſionem daturum ſe promiſerat omnem terram à deſerto Pharan & torrente Aegypti, qui iuxta Rhinocoruram mari magno influit, vſq; ad fluuium magnum Euphraten. Terram ſanè lacte & melle manantem, ac nõ tantùm, vt Plinius ait, *[Plin.6. cap.26.]* totius Orientis fertiliſſimã, ſed, vt ſacra Scriptura teſtatur, inter omnes *[Ezech.20.]* terras maximè egregiam. De qua & D. Hieronymus *[Hieron. in Ezech.20.]* in hæc verba ſcribit: Inclytam eſſe terram Iudææ, & cunctis terris fertiliorem, dubitare nemo poterit, qui à Rhinocorura vſque ad Taurum montem & Euphratem fluuium cunctam conſiderauerit terram, & vrbium potentiam, amœnitatemque regionum, Palæſtinam videlicet, & Phœnicen, Arabiam, Syriam Cœlen, Ciliciam, & cæteras regiones.

*[2.Reg.8. 10. 1.Paral.18. 19. Ioſeph.7. antiq.5.6.]* Ac venit quidem terra hæc in Iſraëlitarum poteſtatem regnante Dauide, qui, vt & ſupra attigimus, in regno Iuda & Iſraël iam confirmatus, ſubiugatis ſibi multis in circuitu nationibus, Philiſtæis nempe, Iudumæis Amalecitis, Moabitis, & Ammonitis, cæſis plurimis Syrorum millibus, vniuerſam Syriam ſubegit, & vſque ad flumen Euphratem imperium ſuum dilatauit, diſpoſitiſque oportunis in locis præſidijs, Syros omnes annua tributa ſibi pendere compulit. A qua victoria triumphator Hieroſolymam reuerſus, compoſito Pſalmo, *[Pſal.59. in titulo.]* qui Latinis quinquageſimus nonus eſt, Deo ter Optimo Maximo epinicia cecinit.

Cæterùm non diu Iſraëliticus populus has regiones poſſedit. *[2.Para.9.]* Solus enim Dauidis filius Salomon, regni paterni ſucceſſor omnibus Regibus à flumine Euphrate vſque ad *[3.Reg.20.]* terminos Aegypti pacificè dominatus fuiſſe *[4.Reg 6.7. 13.16.&c.]* ſcribitur. Poſt cuius mortem continua quæ Syri tum filijs Iſraël intulerunt bella, Iſraëlem non Syris, ſed Syros Iſraëli magis imperaſſe declarant.

Accidit autem Iſraëlitis clades hæc, quòd *[Hieron. in Ezech.20.]* pro omnipotente Deo, ipſum Baal, Beelphegor, Beelzebub, Aſtaroth, Aſtarte, Moloch, Melchom, Chamos, vitulos aureos, aliaque gentium colerent idôla, eaque DEO Optimo Maximo præferrent. Hanc enim ob cauſam ſæpe & ipſi inferiores famulos, promiſſionis iure ſibi ſubdendos, rebelles ſentire debuerunt; & à Chananæis, Philiſtæis, Moabitis, Madianitis, Amalecitis, Ammonitis, Syris, *[Iudic.3.4. 6.10.]* Aſſyrijs, Babylonijs, & Chaldæis ſuperari, ſubigi, atque eis ſub tributi ac captiuitatis iugo *[4.Reg.17. 18.25.]* ſeruire. ac iuſtè, quæ ipſis fuerant promiſſa, *[1.Par.5.]* perdere meruerunt. Incredulitatis ergo vitio *[2.Par.36.]* aſſcribendnm eſt, quòd non diutius has terras Iſrael poſſederit.

Neque enim, vt Hieronymi verbis vtar, ſponſor in crimine eſt, ſi ille, cui repromittitur indignum ſe fecerit ſponſione, præſertim cùm proponatur optio promittentis: *[Iſai.1.]* Si volueritis, & audieritis me, quæ bona ſunt terræ comedetis. Sin autem nolueritis: & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius, deuorabit vos. Eliguntur ergo præſentia; nec ſtatim qui eligitur, tentari non poteſt, nec perire: quia & Saul electus in regem, & Iudas in Apoſtolũ, ſuo poſtea vitio corruerunt.

Et mihi, inquit idem auctor, in Euangelio *[Hier. tom. 3. epiſt.27. ad Dardanum.]* promittuntur regna cœlorum: quæ inſtrumentum vetus omnino non nominat. Sed ſi non fecero quæ præcepta ſunt, nequaquam erit culpa in promittente, ſed in me, qui promiſſum accipere non merui. Vbi enim optio proponitur ad eligendum, qui operari renuis, fruſtra cupias quod promiſſum eſt. Hactenus Hieronymus.

Alexandro Iannæo apud Iudæos regnum ſimul ac pontificatum gubernante, *[Euſeb. in chron.]* centeſimo circiter ante natiuitatem Chriſti anno, Syria, quæ eouſque à ſuis Regibus poſſeſſa, & gubernata fuerat, per Gabinium ſuperata, & Romanis adſcita fuit.

Anno autem poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo trigeſimo ſexto à Saracenis duce Haomaro *[Onuph. in chron.]* Romanis eſt erepta. deinde anno milleſimo nonageſimo octauo magna eius pars duce Godefrido de Bullion ab Occidentalibus Chriſtianis occupata, ac diu retenta fuit. Quæ poſtea à Saracenis recuperata, & tandem anno poſt ſeſquimilleſimum decimoſeptimo à Selimo Turcarum Imperat. capta eſt. à cuius ſucceſſoribus etiamnum poſſidetur.

## 94.

TABERNACVLA Cedar. Inter Suetam & Cedar ciuitates, & fontem Phialam, *[Tyr.13. bel. ſacr.18. & 16. bell. ſacr. 9. Fretel.p.7. Brocard. itin.3. Breid. ibi.]* vberrima & amœniſſima ſunt campeſtria, longè lateque patentia, proſpectibuſque libera, quæ læta pecoribus ſubminiſtrant paſcua. In quibus, vt olim, ita etiamnum hac noſtra ætate ſtatis anni temporibus celeberrimæ aguntur nundinæ. eoque ex Palæſtina, Syria, Meſopotamia, Arabia, Ammonitide, Moabitide, & AEgypto, cæteriſque Orientalibus regionibus, innumeri mercatores cum pecoribus diuerſiſq; alijs mercibus conueniunt.

Qui cùm toto æſtatis tempore illic nundinentur, tẽtoria erigunt, quo ſe ab aëris intemperie tueantur. Hæc quia varijs precioſiſſimiſque coloribus tincta ſunt, pulchrum admodum proſpectum præbent ex ciuitate Cedar ea deſpicientibus. atq; hinc in Salomonis canticis Tabernacula Cedar vocantur. Catholica *[Cant.1.]* ſiquidem Eccleſia, Chriſti ſponſa, ſiue fidelis quæque anima, quam illis verbis Doctores penè omnes deſcriptã intelligunt, foris propter perſecutionum, tentationum, tribulationumq; afflictionem nigra & fuſca, meritò dicit: Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. *[Pſal.44.]* Quia vera pulchritudo filiæ Regis, puta, recta, ſinceraq; fides, ardens & caſta charitas, omniſque virtutum varietas, non tam foris quàm intus eſt.

## 95.

*[Iob.1. Hieron. in Geneſ.10. & de loc. Heb. lit. V. & in Iere. 25. & in Thren.4.]* TERRA Hus regio, quæ Hebraica voce Hus, ſiue Huz, Vs, & Vz dicitur. à Septuaginta interpretibus Græcè αὐσῖτις Auſitis, quaſi οὐσῖτις, Huſitis nominatur.

Sita autem eſt vltra Iordanem in Trachonitide regione, inter Palęſtinã & Cœleſyriã media. *[Geneſ.10 Ioſeph.1. antiq.14.]* Iuxta Ioſephum & Hieronymum condita eſt, ac nomęn accepit ab Hus filio Aram, filij Sem, filij Noë, qui & Trachonitidis & Damaſci quoque conditor fuit: *[Hieron. in Geneſ.10.]* & in hac regione primus habitationem & principatum tenuit.

*[Iob.1. Brocard. itin.3. Breidenb. ibid.]* Ibidem poſtea, vti ſacra narrat hiſtoria, etiam beatus propheta Iob habitauit, & principatum habuit, quem malè quidam de genere Eſau fuiſſe exiſtimant: Hebræi enim, & D. Hieronym. *[Geneſ.22. Hieron. in Geneſ.22. & 36.]* conſtanter aſſerũt eum de ſtirpe Hus primogeniti Nachor fratris Abrahami, ex Melcha vxore eius deſcendiſſe.

Scribit Philo quòd Iob in vxorem accepe- *[Bened. in Iob.1.]* rit Dinam filiã patriarchę Iacob, & ex ea quatuordecim habuerit filios, & ſex filias. puta ſeptem filios & tres filias antequã percuteretur, & totidem pòſt. Cuius quidem percuſſionis hæc compendio hiſtoria eſt.

*[Iob 1.]* Erat Iob vir ſimplex & rectus, ac recedens à malo, & timens Deum, omniq; rerum copia diues. Maior quippe erat omnibus filijs Orientis, cui non erat ſimilis in terra. Cùm tantus eſſet, pro filijs ſuis viciſſim conuiuantibus humili obſequio quotidie Deo offerebat holocauſta. Hanc, ac alias eius virtutes non ferens Satan, obtenta à Deo ipſum vexandi facultate, tum, per Sabęorum & Chaldęorum in eum irruptionem, tum cœlitus miſſo igne, omnes oues, boues, aſinas, camelos, & ſeruos Iob perdidit. Deinde maximo ventorum impetu ſeptem filios & tres filias eius, ruina domus oppreſſit. *[Iob 2.]* ac poſtremò ipſum Iob à vertice ad plãtam vſq; peſſimo vlcere percuſſit, ita vt carens domo, carens & foco, nudus ſederet in ſterquilinio, ac teſta ſaniem raderet. Cui præterea & illud malum acceſſit, vt & conthoralis vxor ſua ipſi inſultaret.



Tres quoque Reges amici ipſius, *[Tob.2.]* Eliphaz Themanites, Baldad Suites, & Sophar Naamatites, qui conſolandi gratia ipſum viſitabant, Diabolicæ iniquitatis verſutia peruerſi ſunt, vt multis verbis illi inſultarent, aſſerentes qđ *[Iob.3.4.5. &c.]* grauiter eum peccaſſe oportebat, qui tam acerbè à Deo puniretur.

At pius Iob patienter omnia ferens, pro malis quæ patiebatur, in Diuinas laudes erupit, Deumq; innocentiæ ſuæ teſtem aſſeruit, & in Redemptore ac Saluatore ſuo confidẽs, in futura corporum reſurrectione veram iuſtitiæ retributionem expectabat.

Cæterum placuit Deo non poſt hanc vitam *[Iob.42.]* ſolùm, ſed etiam nunc illud patientiæ meritum compenſare, eumq; ex ſumma hac miſeria in priſtinam ſanitatem & felicitatem reſtituere, liberos quoq;, & cuncta, quæ amiſerat, reddere duplicia.

Vixit poſt flagella hæc annos centum & quadraginta; ac ſatur dierum in pace quieuit. *[Tob.2. Ezech.14. Iac.5. Ma.78.]* Sacræ literæ eum inter indigetes referunt, ac poſteris patientiæ proponũt exemplum. Huius viri ſepulcralem pyramidem apud Suetam etiamnum oſtendi paulò ante meminimus.

Porrò regionem Hus, ſiue Auſitidis plures *[Ierem.25.]* ſub ſe comprehendiſſe ciuitates, ex Propheta *[Thren.4.]* Ieremia ſatis colligere eſt. qui cunctos Reges terræ Auſitidis Diuinitùs puniendos fore prædixit. Nam olim, vt ſupra indicauimus, *[Ma.92.]* celebriores quæque ciuitates ſingulos habuerunt Reges.

## 96.

THEMAN, *[Iob.2.4.6. Tob.2. Brocard. itin.4. Breid. ibi. Fret.p.a.5.]* aliâs Thema, Hebraicè Teman & Tema. ciuitas eſt in terra Hus, vbi olim Eliphaz amicus Iob Rex fuiſſe ſcribitur; à qua & Themanites cognominatur.

## 97.

TRACHONITIS, ſiue Traconitis, aliâs *[Plin.5. cap.18.]* Trachon & Tracon, nõ parua, ſed, vt Pli. ait, regni inſtar regio eſt, trãs Iordanem inter *[Hieron. de loc. Hebr. lit. I. dict. Ituræa. & lit. T. dict. Trachonitis.]* Palæſtinam & Cœleſyriam ſita. Quæ verſus Septentrionem, Damaſcum reſpicit. ad Oriẽtem deſerto Arabiæ, quod Boſræ Arabiæ deſertæ metropoli iungitur, contermina eſt. Incipiens enim, vti Ioſephus eã deſcribit, *[Ioſeph.3. bell.2.]* à monte Libano & fontibus Iordanis, vſq; ad Tiberiadi proximum lacum, latitudine panditur. A vico autem qui appellatur Arphas, ad Iuliada oppidum longitudine tendit: & habitatur ab incolis Iudęis Syriſque permixtis. Sunt qui opinantur Trachonitidem & Ituræam, vnius eiuſdemque regionis eſſe vocabula: ſed vt nomina, ita & regiones, quæ his vocabulis ſigni- *[Luc.3.]* ficãtur diuerſas eſſe, ac Iordane medio diſtinctas prouincias, tum ex ſacro Lucæ Euangelio, tum ex alijs ſcriptoribus, qui in Iturææ deſcriptione à nobis citantur, ſatis apertè liquet. *[N.60.]*

Quod ad prouinciæ Trachonitidis originẽ attinet, non Chore filius Eſau, vt D. Hieron. *[Hieron. in Thren.4.]* in Lamentationis Hieremiæ commẽtans ait, ſed prout idem auctor in quæſtionibus ſeu tradi-

*Hieron. in Geneſ. 10. Ioſeph. 1. antiq. 14. Geneſ. 10.* traditionibus Hebraicis in Geneſim, & Ioſephus in Iudaicis antiquitatibus manifeſtè ſcribunt, Hus filius Aram, nepos patriarchę Noë, primus eam inhabitauit, ac gentem hanc inſtituit. Qui, vt etiam ſupra meminimus, Palæſtinam inter & Syriam cognomine Cælen tenens principatũ, non ſolùm Trachonitidem, verum & terram Hus, vrbemque Damaſcum condidit.

Trachonitis autem regio hæc appellatur, quòd ſaxoſa & aſpera ſit, atque ſubterraneis meatibus ac cauernis abundet. Τραχὼν enim Græcis *Tyr. 16. bell. ſacr. 9. Vitr. c. 47.* locum ſaxoſum ſignificat, & trachones etiam dicuntur occulti ſub terra meatus ac ſpecus. Fontibus & riuis hæc regio penitus caret, ide- *Nig. co. 4.* oque pluuiales aquas incolæ per trachones, hoc eſt, meatus ſubterraneos in lacunis tam naturalibus, quàm artificioſè factis diligenter colligunt. ac eorum pleriq; in trachoni- *Ioſeph. 15. antiq. 12.* bus, id eſt, ſpeluncis & cuniculis commorantur, ac ferarum more deliteſcunt. Rapto libēter viuunt, aſſueti in Damaſcenorũ aliorumque propinquorum agros ſimul & vicos excurſiones facere, populari, exercere latrocinia, colonos vexare, pecora in ſua receptacula abigere, prædas agere, atq; his artibus victũ quærere.

Habebant autem in ſuis habitaculis paratam cibariorum & aquæ copiam, vt externa vi petiti, poſſent ſatis diu bellum in latebris trahere. Specus enim illi aditus habent anguſtos, nec niſi vnum poſt alium hominem admittentes. ſed intus ſunt ampliſſimi & ſupra quàm credas, capaces, plano ſolo deſuper tecti. Nam totus is locus conſtat ex petra aſpera, & non facilè meabili, niſi aliquo ducente per ſemitas: quæ non per directum feruntur ſed multis meandris flexuoſæ ſunt.

*Ioſe. 15. an. 12. 13. & 1. bell. 15.* Imperatoris Octauiani Auguſti tempore cũ Zenodorus Trachonitarum princeps propter lucrum quod illi inde cedebat latrocinia iſta foueret, idem Imperator Trachonitidem, eiq; continentem Batanæam & Auranitidem Zenodoro abſtulit: atq; Herodis maioris regno ea lege contribuit, vt ſua diligentia latrones coërceret, latrociniaq; extingueret. Qui mox adhibitis ducibus Trachonem luſtrans, latronum receptacula expugnans, eos maleficijs abſtinere, & agriculturæ operam dare cogens, magnam circumuicinis peperit ſecu- *Ioſeph. 16. an. 4. & 9.* ritatem. Verùm cùm hoc vitæ genus Trachonitas gladio & raptu viuere aſſuetos nō delectaret, ſemel iterumq; ab Herode defecerunt, atque ad priſtina latrocinia & prædas reuerſi ſunt. Sed denuò Herodis opera perdomiti, imperata facere ſunt compulſi.

Porrò anno Chriſti ſeptimo Herodes cùm ſe iam moriturum eſſe ſentiret, Trachonitidē vnà cum Gaulonitide, Batanæa, & Paneade regionibus, extremæ voluntatis codicillo filio ſuo Philippo, fratri Herodis tetrarchæ Galilææ aſſignauit. vnde & in Euangelio D. Lucæ, Trachonitidis & Ituræ regionum tetrarches fuiſſe ſcribitur: quibus, vt Ioſephus meminit, triginta ſeptem annis pacificè præfuit. Poſtea Claudij Cæſaris donatione eaſdem regiones poſſedit Rex Agrippa prędicti Herodis nepos. Ab hac regione vicini montes, qui in Sacris voluminibus Seir & Hermon vocantur, Straboni Trachones montes appellantur. *Ioſeph. 17. antiq. 10. et 2. bell. 4. Luc. 3. Ioſeph. 18. antiq. 9. Ioſe. 2. bell. 17. & 3. bell. 2.*

## 98.

TVRRIS Libani, quam magnificus Iſraëlitarum Rex Salomon in monte Libano prope Damaſcum conſtruxit, ea quidem celſitudine, vt inde Domus Damaſci numerari poterant; tanta verò pulchritudine, vt idem Rex in Canticis canticorum de Chriſti ſponſa ſcribat: Naſus tuus, ſiue, vt Hebræi habent, facies tua, ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum. *3. Reg. 9. 2. Paral. 8. Bened. in Cant. 7. Cant. 7.*

## 99.

VIA Baſan. Num. 21. Deut. 3.

## 100.

VIA Trachonitidis, quæ à Cæſarea Philippi verſus Phialam fontem in Trachonitidem aſcenditur. Ioſeph. 3. bell. 18.

## 101.

ZORA. locus clarus & celebris, habitatoribus frequens, qui à Damaſcena non procul diſtat vrbe. quem Hieroſolymorum Rex Balduinus quartus contra Damaſcum ducens exercitum, expugnauit. Tyr. 22. bell. ſacr. 20.

## 102.

HIC Chriſtus inter nauigandum in nauis puppi ſuper ceruical dormiuit, atque exorta interim in mari magna ventorum tempeſtate, à diſcipulis, propter periculum territis, excitatus, ſuo ſtatim imperio tempeſtatem ſedauit, cunctis qui aderant, ob facti miraculum ſtupentibus atque admirantibus. Matth. 8. Marc. 4. Lucæ 8.

Tri-




TRIBVS NEPTALIM
videlicet, ea Terræ Sanctæ pars, quam in diuiſione regionis tribus Neptalim accepit.
PARS DIMIDIÆ TRIBVS MANASSE.
Pars Maris Galilææ.
DECAPOLIS PARS. 40.
TRIBVS NEPTALIM.
Arbellis Regio.
BERIM REGIO. 21.
GALILÆA SVPERIOR SEV ITVRAE: A. 60.
Paneas Regio. 75.
Abilina Regio
Regio Chalcidis
Syria Libanica. 63
Bacar vallis 20
Deſertum Capharnai. 41.
Vallis Sennim. 97.
GENTIVM. 50.
PARS TRIBVS ASER.
PARS TRIBVS ZABVLON.
Via Galgalæ. 99
Via Maris. 100.
Emath Regio et Amathitis. 45.
Libanus mons et ſaltus libani. 85.
Jordanis fluuius. 59
Aquæ Meron. 11.
Miliaria vnius horæ
1 2 3 4 5

# N.

## Tribus Neptalim, & finitima eius.

### I.

*Geneſ.30. Num.1. Num.26. Num.34. Ioſ.19. Ioſeph.5. antiq.3. Broc.iti.7. Deute.33.*

NEPTALIM, ſiue Nephtali, ſextus filius Iacob ex Bala ancilla Rachel vxoris ſuæ prognatus, in tãtum Abrahę ſemen in AEgypto propagauit, vt de tribu eius iuxta montem Sinai numerati & inuenti ſint viri ad pugnam apti, quinquaginta tria milla quadringẽti. Quorũ filij, illis ad vnũ omnibus in deſerto mortuis, & ipſi viri bellatores quadraginta quinque millia quadringẽti promiſſam terrã ingreſſi, ſorte omnem eam poſſederũt regionem, quæ ad Orientem tribus Aſer ſita, totam penè cõplectitur Galilæam ſuperiorem, fontes Iordanis, & partem montis Libani vſq; Damaſcum. Cuius regionis longitudo ab eodem Libano, Meridiem verſus ad mare vſq; Galilææ & tribum Zabulon pertingit. Latitudo verò à ciuitate Aſor ad Iordanem vſq; patet. qui ab ortu Solis totam hanc tribum ſuis fluentis irrigat, ac tam fœcũdum eius ſolum reddit, frugibuſque abundans, vt Moyſi hæc in ea impleta cernatur benedictio: Neptalim abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini.

## Loci tribus Neptalim.

### 2.

*Ioſeph.7. antiq.11. Hieron.in loc.Hebr. lit. B. in dict.Bethmacha. Mercat. Io.Bene.in 2.Reg.20 2.Reg.20 3.Reg.15. 4.Reg.15.*

ABELA, quæ Abel & Bethmaacha ſiue Abel domus Maacha, Ioſepho Abelmachea, Hieron. Bethmacha, alijs verò Abelmaacha & Machanedam vocatur, inſignis ac munita ſuperioris Galilææ vrbs eſt, ac Iſraëlitarũ metropolis, ſita in tribu Neptalim in planicie regionis Berim, non procul à Cæſarea Philippi, à Iordane autem ſexaginta ſtadijs diſtans.

Ad quam vſq; Dauidici exercitus dux Ioab perſecutus eſt perduellem Sebam. Quem cùm in vrbe hac obſidione cinxiſſet, eiuſque cauſa vrbem ſubuertere moliretur; pia ſimul & prudens quędam mulier pręciſum rebellis caput è mœnibus proiecit.

Eandem vrbem Benadad Syriæ regem, qui habitabat in Damaſco, multis poſt annis expugnaſſe legimus.

Quam & poſtea à Teglatphalaſar Aſſyriorum rege captam eſſe Regum libri docent.

### 3.

ABELMAIM, Ioſepho Abelmaen, aliâs Alabella, ciuitas eſt tribus Neptalim. quam etiam prædictus Syriæ rex Benadad, vt hiſtoria Paralipomenon narrat, expugnauit. 2. Paral.16. Ioſeph.8. antiq. 12.

### 4.

ABILA, aliâs Abyla & Abela, egregia Cœleſyriæ vrbs eſt ad Libanum montem ſita. à qua Abilene, ſiue Abilina regio nomen accepit. A Romanis huic vrbi præfectus eſt, huiuſq; regionis conſtitutus tetrarcha Herodis ſenioris filius Lyſanias, frater Archelai tetrarchæ Iudææ, Idumææ & Samariæ, & Herodis tetrarchæ Galilææ, & Philippi tetrarchæ Ituræ & Traconitidis regionis. qui à ſuo nomine vrbem hanc Lyſanium vocari voluit. vnde factum eſt, vt coniũctis vocabulis à Ptolomæo Abylalyſanij vocetur.

*Luc.3. Ioſeph.19. ant.5.& 20.an.9.& 5.bell.3. Ptolom.*

Poſt promulgatum Chriſti Euangelium vrbs hæc Epiſcopali dignitate aucta, Damaſceno Archiepiſcopo paruit. Cuius Epiſcopus Priſcillianus, vt Hieronym⁹ in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum teſtatur, multa edidit opuſcula. ac tandem Treuiris à Maximo tyranno cæſus eſt.

*Ty.14.bel. ſacr.12. Hier.tom. 1.epiſt.53. ad Dextrũ Eraſm.ibi*

### 5.

ADAMI, ciuitas in tribu Neptalim, quæ imperio vrbis Neceb ſubiecta erat. Dicta autem Adami, quod Hebræis rubrum ſignificat, à ſoli, in quo ſita eſt, rubedine. Ioſu.19. Io.Benedict.ibid.

### 6.

ADDEMNE. Hieronymo locus eſt in tribu Neptalim. Hieronym. in loc.Heb. lit.A.

### 7.

AHION, ſeu Aion. vrbs tribus Neptalim muris cincta. quam etiam cum alijs, quarum meminimus, Benadad rex Syriæ cepit. Quæ tandem quoq; à Teglatphalaſar Aſſyriorum rege expugnata, eiuſdem imperio ſubiecta fuit. 4.Reg.15.

*3.Reg.15. 2.Para.16.*

### 8.

AMERYTHA, ſuperioris Galilææ vicus prærupto ſitu. quem Ioſephus hiſtoricus, dum magnanimum ac prudentiſſimum Galilææ præſidem ageret. vti optimo loco contra Romanos ſitum, muniuit. Ioſeph.in vita ſua.

### 9.

AMORRAEI, qui Libanum montem à tergo Phœnicis tenuerunt. quos Rex Salomon tandem imperio ſuo ſubegit, & ad tributa ſibi pendenda compulit. Ioſ.11. 3. Reg. 9. Bonauent.Mercat.

### 10.

AMOTHDOR, aliâs Ammothdor & Hammothdor, Hieronymo autem Emathdor dicta ciuitas, quæ cum ſuburbanis ſuis de tribu Neptalim Leuitis aſſignata eſt. Ioſu.21. Hieronymus de locis Hebræorum litt.E.

### 11.

*Ioſ.11. Hieron.in loc Hebr. lit.M. Ioſeph.5. antiq.9. et 3.bel.18. & 4.bel.1. Brocard. iti.2.& 3. Breid.ibi. Sal.tom.9. cap.6. Hieron.in Zach.11.*

AQVAE Meron ſiue Merom,quæ Hieronym.Merrom,Ioſepho & alijs Samachonitis & Semechonitis lacus, hodie autem Aquæ Maron vocantur,lacus eſt triginta ſtadijs latus,& ſexaginta longus.qui inter Cæſaream Philippi & Mare Galilææ quaſi in medio ſitus eſt: quem Iordanis fluuius medius perfluit. Qui quidem lacus tempore reſolutionis niuium à Libano monte defluentium, valdè accreſcit ac dilatatur.at æſtiuo tempore ex maiori parte exſiccatur. Quo fit vt diuerſi generis herbæ arbuſta,& arbores in ſiluam eo loci excreſcant.quæ leonibus, vrſis, pardis, alijſq; feris maximè abundat. ac Regibus Principibuſque viris gratam & iucundam præbet venationem.

### 12.

HOC loco, qui ad Aquas Meron & vrbem Berothi eſt, Iabin rex Aſor, ac alij viginti quatuor Chananæorum reges, cum peditum trecentis millibus, equitum decem millibus, curruum verò duobus, aliàs viginti millibus contra Iſraëlitas conuenerunt, ac caſtrametati ſunt.Quibuſcum fortiſſimus Iſraëlitarum dux Ioſue manus conſerens, Deo adiutore primo impetu hoſtes fudit,fugauit, fugientes per octodecim miliaria vſq; Sidônem, atque adeo vſq;Aquas Maſerephot perſecutus eſt, Reges ad vnum omnes occidit,equos vniuerſos ſubneruauit,& currus combuſſit.Ioſ.11.Ioſeph.5.antiq.2.Lira.in Ioſu.11.Brocard. itin.2. Breidenb. ibid.

### 13.

ARAMA, ciuitas munita ſortis Neptalim.Ioſ.19.

### 14.

*Ioſeph.12. antiq.13.*

ARBELLIS, aliàs Arbela,ſuperioris Galilææ oppidum eſt in tribu Neptalim ſitum:à quo & circumiacens regio Arbellis dicta eſt.vbi Bacchides Demetrij regis Syriæ dux Machabæorum tempore caſtra poſuit.1. Machab.9.Ioſeph.12.antiq.18.Mercat.

### 15.

ARBELORVM ſpelunca. quam prædictus Bacchides per regionem Arbellem exercitum ducens, expugnauit; ad quam magnus Iudæorum numerus cõfugerat. Eandem Ioſephus hiſtoricus dum Galileæ præeſſet,contra Romanos permuniuit. Ioſephus in vita ſua.

### 16.

AROSETH gentium,ſiue Haroſeth gentium, Hieronym. Aſiroth, ciuites erat Siſaræ principis exercitus Iabin regis Aſor, ſita in tribu Neptalim ſuper lacum Samachonitidem. Aroſeth quidem,quod ſiluam Syriacè ſonat, à vicino nemore dicta eſſe videtur: gentium autem, quod à diuerſæ nationis gentibus incoleretur. Iudic. 4. Ioſeph.5. antiq.9. Hieron.in loc.Hebr.lit. A. Liran. in Iud. 4. Io. Bened.ibid.& interpret. Hebraicorum nominum.

### 17.

*Ioſeph.8. antiq.6.& 9.antiq.11. Broc.iti.2. Breid.ibid.*

ASOR, quæ aliâs Azor, Aſſor, Haſor, Hazor, Eſer & Heſer, Ioſepho autem Aſora, Aſorum, & Aſara dicitur, vrbs eſt tribus Neptalim in campo ſita,& vetuſtate & quondam Imperij dignitate inſignis. verſus Boream à caſtro Thoron quatuor, contra Africum à Ceſarea Philippi ſex, à mari autem magno verſus Orientem nouem miliaribus diſtans.

*Ioſ.11.12. 19.*

Antiquitus Regni ſedes, totiuſq; regionis Chanaan metropolis & caput fuit, atque inter omnia Chananæorum regna tenuit principatum. In qua habitauit potens ille rex Iabin,qui cùm viginti quatuor regib⁹ innumerabilem hominum multitudinem, quæ arenam maris æquare videbatur, contra Ioſue eduxit,ac cum eo ad aquas Meron pugnauit. Quibus à Ioſue in fugam actis, plurimis proſtratis,Regibus occiſis,reliquos fugiẽtes vſq; Sidônem perſecutus eſt.Indeque reuerſus,ſolam Aſor ciuitatem primariam ac munitiſſimam mox cepit,eamq; Rege & incolis illius trucidatis,flamma conſumpſit.

*Iudic.4. 1.Reg.12. Ioſeph.5. antiq.9.*

Quam cùm poſtea Chananæi reſtauraſſent, alius Chananæorũ Rex & ipſe Iabin dictus, in ea regnauit,anno nimirum à cæde prioris Iabin centeſimo trigeſimo ſeptimo. Hic cùm armis bellicis egregiè inſtructus eſſet,( habebat enim,vt ſacri libri referunt,ferreos & falcatos currus nongẽtos (Iſraëlitas ob idololatriam iuſto Dei iudicio,ſuo ſubiugauit imperio, & ſubiugatos viginti annis vehementer oppreſſit.Quibus euolutis Deus Opt. Max. vt reſipiſcentes Iſraëlitas à tam graui iugo regis Iabin liberaret, eius militiæ ducem Siſarã ad montem Tabor à Debora Propheriſſa & Barac victum,& profugum in tabernaculum Aber Cinei,in manus Iahel occidendũ tradidit.

*3.Reg.9. Ioſeph.8. antiq.6. Hieron.de loc.Hebr. lit.E. 4.Reg.15.*

Commemorat ſcriptura poſt eiectos ex hac vrbe incolas Chananæos Salomonem quoq; vrbem hanc inſtauraſſe. Et eandem ruſum ducentis ſexaginta poſt annis à Teglatphalaſar Aſſyriorum rege captam eſſe.

*Hieron.in loc.Hebr. lit.A. 1.Mac.11. Ioſeph.13. antiq.8.*

Cùm poſthæc in campo huius ciuitatis Ionathas Machabeus caſtra poſuiſſet,Demetriani ſtructis in propinquis montibus inſidijs, ei ſe in eodem campo oppoſuerunt. quibuſcum hîc dimicans,egregiam ibipſis victoriam retulit.

*Broc.iti.2. Breid.ibid.*

Tempore prædicationis Chriſti vrbs hæc vna fuit ex decem principalibus ciuitatibus regionis Decapoleos.Quæ nũc Antiopia vocata cum nomine priſcam ſuam gloriam & magnificẽtiam mutauit. qualis verò olim & quã magnifica fuerit, heroicæ eius ruinæ etiamnum teſtantur. Eſt aliud eiuſdem nominis oppidum in tribu Beniamin, quod Hier. ait nouum appellatum.VVeiſs.

18. ASSE-



### 18.

ASSEDIM, Hieronymo Aſſeddim, munita ciuitas eſt in tribu Neptalim.Ioſu. 19.Hieron.de loc.Hebr.lit.A.

### 19.

AZANOTH THABOR, ciuitas. quæ verſus Meridiẽ terminus eſt tribus Neptalim.Ioſu.19. Hieronym. in loc. Hebr.lit. A vbi ſupra.

### 20.

BACAR vallis, ad Septentrionales montis Libani radices porrecta, in Orientem vſque Palmiram nobilem Syriæ vrbem ſeſe extendit.Quæ in ſui medio multis diſiuncta paludibus, opimo ſolo, vberrimiſq;paſcuis, gregibus atque armentis abundat. Adhæc ab incolarum quoq; frequentia,& vrbecularum multitudine commendatur. Hic olim Hieroſolymorum rex Balduinus quartus cum Damaſci præſide dimicans,multis interfectis,captis innumeris, reliquos in fugam vertit, ac cum maxima armentorũ & ſupellectilis pręda victor ad propria reuerſus eſt. Tyr. bell. ſacr.lib.15.cap.8.& lib.21.cap.11.& lib. 22. cap.17. Breid.itin.5.

### 21.

BERIM regio, cuius in libris Regum in Hebræo textu fit mentio.2. Reg.20. Io.Bened.ibid.Mercat.

### 22.

BEROTHA, terminus terræ Iſraëliticæ verſus Septentrionem.Ezech.47.

### 23.

BEROTHI,aliâs Berotha.ciuitas Galilææ ſuperioris,ſita inter Cedes Neptalim & aquas Meron.iuxta quã olim reges Chananæi caſtra fixerunt.Ioſeph.5.antiq.2.

### 24.

BETHANA, Hieronymo locus eſt in tribu Neptalim.Hieronym.in loc. Hebraicis lit.B.

### 25.

BETHANATH, Hieron.Bethna. vrbs fortis virorum in ſorte tribus Neptalim.è qua cùm priſtinos habitatores tribus Neptalim initio expellere non valuiſſet, ſub tributi iugum redactos in quiete aliquamdiu habitare permiſit.Ioſ.19.Iud.1. Hieronym. de locis Hebr.lit.B.

### 26.

BETHSEMES,Hieronymo Bethſamis,ciuitas in tribu Neptalim firma & valens cuius etiam priſtinos cultores tribus Neptalim expellere non potuit. ſed & in ipſa permãſerunt ſub. tributo. Ioſ.19. Iudic.1. Hieron.in loc. Heb.lit.B.

### 27.

CAPHARNAVM, Græcè Capernaum, glorioſum & præclari nominis emporium erat,atq;ex decem primarijs, regionis Decapoleos vrbibus vna, adeoque florentiſſima totius Galilææ metropolis. quæ reliquas pulchritudine, (à qua & nomen ſortita videtur) opibus,faſtu,luxuq; excellebat.

*Matth.4.*

Sita eſt ad mare Galileæ ſuper ripam Iordanis fluuij, in finibus Zabulon & Neptalim,in amœniori & feraciori Galilææ agro, atque ab Oriente quidem Iordanis, qui mox in mare Galilææ influit.ab Auſtro verò ipſum mare vrbis mœnia lambunt.

*Brocard. itin.3. Breid.ibi. Fretell. pag.8. Matth.4. Matth.9. Marc.1.2. 3.7.9.*

Inter vicinas autem ciuitates hic eius ſitus eſt.verſus Eurum à Cedes Neptalim , verſus Auſtrum à ciuitate Sueta , & contra Occidentem à ciuitate Cedar, à ſingulis quatuor miliaribus diſtat. contra Orientem verò à Monte Chriſti tribus dũtaxat miliaribus abeſt.Cùm vrbs hæc & commoditate ſitus,& pulcherrimorũ ædificiorum ſplendore,& ciuium multitudine ac opulẽtia nobilis imprimis & illuſtris eſſet: Chriſti tamen Dei filij inhabitatione longè facta eſt illuſtrior. Qui relicta patria ſua ciuitate Nazareth , in qua & conceptus & educatus fuerat, in hac vrbe ſibi habitationẽ delegit. accommodatam aut conductam, vt videtur, domum habuit. in qua Euangelicæ prædicationis tempore cum electis ſuis duodecim Apoſtolis triennium duxit; atque Capharnaum ſua ſiue eius ciuitas appellata eſt. eademque de cauſa Chriſtus & Apoſtoli Capharnaum, domumq; ſuam rediſſe ab Euangeliſtis frequenter memorantur.

*Matth.4. Iſai.9. Matt.13. Marc.1.2. 7.9. Luc.4.*

Præter habitationis beneficium Saluator vrbem hanc prima ſalutis annunciatione honorans.primùm in ea cæpit palam prædicare Euangelium regni Dei .Quo eius facta hanc Iſaiæ prophetiam impletam eſſe Euangeliſta teſtatur:Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon & terra Neptalim , iuxta viam maris trans Iordanem Galilææ gẽtiũ. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: & ſedentibus in regione vmbræ mortis.lux orta eſt eis. Atq; non ſolùm tum priuatim in domo ſua diſcipulos,tum publicè ſabbatis in ſynagôga vniuerſum populum docendo hâc ciuitatem Euangelicæ lucis gratia plurimùm illuminauit:verùm etiam multa variaq; miraculorum coruſcatione eandem, ſicut Euãgelium docet,permouere ſtuduit.

*Luc.4. Matth.9. Marc.2. Luc.5. Matth.9. Matth.8. Luc.7. Matth.9. Marc.5. Luc.8.*

Nam præter alia, quæ Euangeliſtæ non referunt.hîc in domo ſua cõfertam hominum turbam docens,paralyticum per tectum in lecto ante ſe dimiſſum,primùm à peccatis, deinde & à paralyſi, dicto curauit. Ibidem duobus cæcis viſum reddidit, atq; dæmoniacum mutum incolumitati reſtituit.Hic in platea ambulans,à paralyſi Centurionis ſeruum verbo ſanauit. Hæmorrhoiſſam ſimbriam veſtis ipſius firma fiducia tangentem,à ſanguinis profluuio liberauit,atq; mox Iairi archiſynagôgi ædes ingreſſus,duodennem eius filiam à morte ſua voce excitauit.

Præ-

*Luc.7.* Prædictus Centurio, vir licet gentilis, gentem Iudæorum ſummo ſemper proſecutus eſt amore, Iudaicæq; religionis tam fuit auidus, vt ſuis ſumptibus hac in vrbe pro Iudaicę religionis exercitio magnificam curauerit extrui Synagogam *Marc.1. Luc.4.* in qua etiam Chriſtus Saluator noſter Diuinitatis ſuæ præclara exhibuit argumenta. hîc enim ſpiritum immundum, ipſum Sanctum Dei confitētem, ſuo imperio ex homine expulit. Hîc, quaſi præludens gentibus Diuina Euangelij reuelanda eſſe myſteria, *Ioan.6.* coram frequenti hominum turba, quam pane corporali refecerat, ſpiritualem æternumq; animæ cibum quærendum docens, egregio ac prolixo ſermone panis myſteria tractauit. Ac primùm verba habuit de manna, quod Deus olim duce Moyſe Iſraëlitis in deſerto ex aëre depluerat. Deinde de ſe pane vero ac viuo diſſeruit, quem Pater iam miſiſſet è cælo in Mundum, vt daret vitam credentibus. Poſtremò verò & ſe quoq;, panem viuificum ſalutiferumq; qui ſit caro ſua, eaque ipſa quam traditurus eſſet pro mundi vita, eis daturum dilucidis verbis promiſit.

Cæterùm cùm huius vrbis incolæ diuitijs & (quæ ex eis plerunq; emanant) faſtu, ſuperbia ac luxu nimium elati eſſent, neq; quotidiana Chriſti conuerſatione, neq; frequentibus eius concionibus, nec plurimis deniq; per ipſum editis miraculorum ſignis ad agendam ſcelerum pœnitentiam commouerentur; hâc *Matth.11. Luc.10.* tandem de ſe à Domino Saluatore pronunciatam audiuerunt ſententiam: Et tu Capharnaum, quæ vſq; ad cælum exaltata es: vſq; ad infernum demergêris. Quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te: manſiſſent vſq; in hāc diem. Verumtamē dico vobis, quòd Sodomis remiſſius erit in die iudicij quàm tibi.

Hæc Chriſti de Capharnao ſententia, etiam iuxta literā impleta cernitur. Quamuis enim *Hieron.in loc.Hebr. lit.C. Broc.iti.3. Breid ibi. Salig.to.9. cap.8.* D. Hieronymus in ſuam vſq; ætatem Capharnaum oppidum extitiſſe teſtetur: tamē poſtea, & etiamnum adeò deſolata eſt, vt vilis & humilis exiſtens vicus, vix ſeptem piſcatorum habeat caſas.

### 28.

*Ioſeph.3. bell.18.* CAPHARNAVM ſiue Capernaū fons vberrimus muro circundatus, qui, vt Ioſephus teſtatur, hoc nomine ab indigenis appallatur, ab alijs autem Fons viuus dicitur.

*Broc.iti.3. Breid.itin. 3.& 4. Sal.to 9.c. 8.& 9. Herold. 3. conti.bel.9. ac.17.* Scaturit è pede montis Chriſti, ac mox in fluuium excreſcit, qui ſimiles coracino Alexandrino generat ac nutrit piſces, qui in Nilo Ægypti flumine duntaxat reperiri ſolent. vnde nonnulli fontem hunc Nili venam eſſe opinantur.

Diuiditur autem hic fluuius in tres riuos. quorum primus inter fontem hunc & vrbem Capharnaum medius, mare Galileæ ingreditur: ſecūdus ſuo aqueductu Bethſaidam ciuitatem tranſit: tertius verò terram Geneſar ſiue regionem Genezaris irrigat, & tandem à mari Galileę etiam abſorbetur. Ab hoc fonte tota, quæ per duo miliaria vſque ad Iordanem extenditur regio, etiam Capharnaum nominatur.

### 29.

HOC in littore maris Galileæ loco, qui à ciuitate Capharnao verſus Occidentem miliario vno, à riuo autem fontis Capharnai *Ioan.21. Broc.iti.3. Breid.ibid.* contra Orientem viginti paſſibus diſtat, poſt reſurrectionem ſuam quodam die primo diluculo ſtetit Ieſus: ac Petrum, Thomam, Nathanaêlem, Iacôbum, Ioannem, alioſq; duos diſcipulos tota nocte in mari Galilææ ducentis à terra cubitis fruſtra piſcatos allocutus, Pueri, ait, num quid pulmentarij habetis? Iiſque ſe nihil habere reſpondentibus, rete ad dexterā nauigij partem emitti iuſſit. qui iuſſis parētes, mox magnos ceperūt piſces centum quinquaginta tres, quo miraculo Petrus per Ioannem Dominum agnoſcens, in mare ſe coniecit, ac Dominum adijt.

Hoc igitur loco tria à Domino Ieſu lapidi veluti ceræ impreſſa veſtigia, multis ſæculis ſunt viſa. quem quidem lapidem paucis abhinc annis à Saracenis ablatum teſtatur in ſuo libello Saligniacus. *Sal.tom. 9.cap.8.*

Decem inde paſſibus locus viſitur, vbi reliqui ſex diſcipuli nauem egreſſi, poſitas viderunt in littore prunas, & piſcem ſuperpoſitū, & panē vbi vnà cū eis Ieſus prāſus eſt. Qui ibidem à prādio Petrum an ſe diligat ter ſciſcitatus, ter id profitenti, ter ſuas oues paſcēdas cōmiſit. ipſumq; in ſenectute ſua crucis martyrio comſummandum, Ioannem verò placidè moriturum ſignificauit. *Ioan.21. Broc.iti.3. Brei.ibid. Sal.tom. 9.cap.8. 2.Petr.1.*

### 30.

CARIATHAIM, ciuitas tribus Neptalim, quæ cum ſuburbanis ſuis, Leuitis conceſſa eſt. 1. Paral.6.

### 31.

CARTHAN, aliâs Chartan, & Carthar, Hieronymo Cartam ciuitas in tribu Neptalim, quæ etiam cum ſuis ſuburbanis, ſacerdotibus & Leuitis ſeparata fuit. Ioſ.21. Hieron. de loc. Hebr. lit.C.

### 32.

CEDES ſiue Chedes, magna & munita tribus Neptalim vrbs eſt, ob agri adiacentis vbertatem nullis non rebus abundans. Quæ ad diſtinctionem aliarum eiuſdem nominis ciuitatum in tribubus Iſachar & Iuda ſitarum, plerumq; Cedes Neptalim vocatur. Ioſepho Caedeſa, Cedeſis, Cydida, aliâs Seſecha, Cades, & Tarſa dicitur. Hieronymi verò ætate Cidiſſus appellabatur. *Ioſeph.5. antiq.2.& 3.& 9.antiq.11.*

Sita eſt in Galilæa ſuperiore ſuper montem Neptalim, & verſus Boream à ciuitate Sephet quatuor, totidemq; contra Corū ab vrbe Capharnao miliaribus diſtat: à Tyro autem viceſimo, ſecundum Hieronymum, miliario abeſt. *Hieron.in Ezec.48. & de loc. Heb.lit. C.*

Inuictus Iſraëlitarum dux Ioſue cęſo huius vrbis *Ioſ.12.19. 20.21.*



*1.Para.6.* Rege, ciuitatem cum ſuburbanis ſuis ſacerdotibus & Leuitis habitandam dedit. eamque fugitiuis, qui incauti homicidiū perpetrarent, pro aſylo deputauit.

*Iud.4.* Hinc oriundus fuit ſtrenuus Iſraëliticę gentis dux Barac, qui Siſaram ducem exercitus regis Iabin ad montem Tabor deuicit.

*4.Reg.15.* Cùm Aſſyriorū rex Teglatphalaſar in Paleſtinam populabundus vagaretur, inter alia, hanc quoque ciuitatem ſuo imperio adiecit. *Broc.iti.3. Breid.ibi.* Poſtmodum verò in Romanorum poteſtatem redacta, vnà cum alijs nouem inter præcipuas regionis Decapoleos ciuitates numerata fuit. *Ty.21.bell. ſac.26.* Et tādem cùm Chriſtianam religionem amplexa eſſet, Epiſcopali honore aucta fuit. Magnæ hîc etiam nunc extant ruinæ, & pulcherrima antiquorum ſepulcra, quæ priſtinum ciuitatis redolent ſplendorem.

### 33.

CENERETH, quæ & Ceneroth, & Cenneroth, munita ciuitas in tribu Neptalim. quam etiam Benadad Damaſci & Syriæ rex expugnauit. Ioſ.11.19.3. Reg.15.

### 34.

CHALCIS, potens Syriæ vrbs eſt, ad Septentrionem Libani montis ſita. à qua regnum Chalcidis ſeu Chalcidica regio, cui Herodes & Agrippa reges, & Berenica regina, præfuerunt, nomen habet. Ioſep. 14. antiq. 5.15. & 19. anti. 5.8. et. 20. antiq. 5.9. Item. 1. bell. 7. & 2. bell. 10.11. & 7. bell. 27. Hunc principatum Genebrardus ex Ioſepho docet eundem eſſe cum Abilinæ.

### 35.

CHANANAEI, qui Libanum montem vſque ad vrbem Amathi incolebant. quorum reliquias Rex Salomon ſub ditionem ſuam redactas, tributa ſibi pendere coēgit. Iud.3.3. Reg.9. Ioſeph.5. anti.2. & 8. antiq.6.

### 36.

CHARABE, Galiææ ſuperioris vicus prærupto ſitu. quem etiam Ioſeph. cùm Galiææ præfectum ageret, contra Romanos muniuit. Ioſep. in vita ſua.

### 37.

*Geneſ.14.* DAN, Ioſeph Dana, vetus & præclara Phœniciæ vrbs eſt, ſita ad radices montis Libani, vbi fontes Ior & Dan commiſcentur; *Iudic.18.* in agro compaſcuo & fœcundo, ac omnis generis fructibus affluenti.

*Broc.iti.2. Breid.ibi. Ioſeph.5. antiq.7. Hieron.de loc.Hebr. lit.D.dict. Dan.* A Borea ad ſextum lapidem ſeu miliare ciuitatem Aſor reſpicit, contra Orientem verò vndecimo miliario, vel, vt Ioſeph. vnius diei itinere, à Sidône ſeparata iacet. Verſus Auſtrum porrò à locis vbi Ior & Dan ſcaturiunt, quatuor Italicis miliaribus, vt ſcribit Hieronymus, abeſt.

Eſt autem vrbs hæc à Septentrione, vt ciuitas Berſabee ab Auſtro, terræ Iſraël terminus: vnde quoties ſacra Scriptura vtrumq; longitudinis limitem deſignare vult, duas extremas prouinciæ nominat ciuitates, Dan & Berſabee. Hinc celebratū in Scriptura adagium: A Dan vſque Berſabee. Vt primo Regum tertio: Cognouit vniuerſus Iſraël à Dan vſque Berſabee, quòd fidelis Samuel Propheta eſſet Domini. Item ſecūdo Regum vigeſimo quarto: Dixid Dauid ad Ioab; vade, numera populum à Dan vſque Berſabee. Similiter alijs ſexcentis penè Scripturæ locis. *1.Reg.3. 2.Reg.3. 17.24.&c.*

Quod verò ad ciuitatis nomenclaturam attinet, primò Lais ſeu Lays, & Laiſa, aliâs Layſa atq; Leſen ſiue Leſem dicta fuit. At cùm quidam ex filijs Dan propter Chananæorum incurſiones ſedem mutare cogitantes, miſſis quinque exploratoribus huius ciuitatis populum ocioſum atq; ſecurum inueniſſent; ſexcenti bellicoſiſſimi viri huc iter inſtituerunt. atq; aleam oppugnādi vrbem tentantes, eam mox vi occupauerunt, occupatam ferro ac igne deuaſtauerunt. Quam rurſum extruentes, ex antiquo vrbis vocabulo Leſen, atq; ex nomine Dan patris ſui, coniunctis dictionibus vocauerunt nomen eius, vt vulgaris Latina habet translatio, Leſendan, ſeu potius, vt habent Hebræi, vocauerunt Leſem, Dan. hoc eſt, ciuitatem, quæ prius Leſem vocabatur, ſecundum nomen Dan patris ſui ſimplici nomine appellauerunt Dan. Qui hîc conſidentes, argenteum idôlum ſibi erexerunt, quod vnà cum Ephot & ſacerdote ex domo Michæ in monte Ephraim habitantis violenter abripuerant: idq; coluerunt vſq; ad diem captiuitatis ſuæ. *Ioſ.19. Iudic.18. Ioſeph.5. antiq.7. Hieron.in loc.Heb. lit.L.dict. Laiſa & Leſem. Vitria.ca. 35.& 55.*

A quorum ſuperſtitione non diſpar fuit Ieroboam decem Iſraëliticarum tribuum rex, qui vt populum ſuum à vero Dei cultu ſeduceret, in eadem hac vrbe vitulum aureum Diuino honore adorandum poſuit. Meminerūt hui9 vrbis ac idololatriæ Iſaias, Ieremias, Ezechiel, & Amos prophetæ. Ob ſcelera, maximè, vt ſacri libri docent, ob idololatriā primùm ciuitas hæc à Benadad Damaſci & Syrię rege fuit expugnata, eiuſq; populus tandem à Teglatphalaſar & Salmanaſar Aſſyriorum regibus cum reliquo Iſraele captiuus in Aſſyrios abductus. *3.Reg.12. Ioſeph 8. antiq.8. Iſa.10. Ierem.8. Ezec.27 Amos 8. 3.Reg.15 2.Par.16. 4.Reg.15. 17. Ioſeph.8. antiqui.12. 9.anti.15.*

Poſtea cùm vrbs hæc Romanæ parēret poteſtati, tam à Græcis, quàm Latinis hiſtoriographis, à Paneade fonte, qui eam alluit, Paneas appellata eſt. quod præcipuè nomen poſterioribus ſæculis retinuit. Quo tempore is illi honor acceſſit, vt non ſolùm in numero decem nobiliorum Decapoleos ciuitatum cenſeretur: verùm etiam Ituræ & Traconitidis regionum metropolis eſſet. *Hieron.in loc.Hebr. lit.D.& L.*

Quam Philippus Herodis maioris filius, Herodis autem tetrarchæ Galilææ frater, cùm Ituræ & Traconitidis tetrarcham ageret, tetrarchiæ ſuæ ſedem eligens, ampliauit, ac nouis mirabilibuſq; ædificijs inſtaurauit. qui porrò vt ciuitatem glorioſo nomine illuſtraret, in Tiberij Cæſaris honorem, & celebrandam ſui nominis æternitatem, eam Cæſaream Philippi nominari voluit. *Luc.3. Ioſeph.18. ant.3.et 2. bell.8. Hieron in loc.Act.Apoſt.lit.C. & in Matt. 16.*

Cùm CHRISTVS Seruator noſter vnà cum diſcipulis ſuis huius ciuitatis confinia & pagos peragraret, in via eos interrogauit, quem *Matth 16 Marc.8. Luc.9.*

quem ipſum homines eſſe dicerent. qui reſponderunt: alij Ionnem Baptiſtam, alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex propheris. Cum autem quid ipſi de ſe ſentirent quæſiſſet. tum Petrus omnium nomine: Tu es, inquit, Chriſtus Filius Dei viui. Ob quam cõfeſſionem Ieſus Petrum beatum pronunciauit, ac ſuper hanc petram, ſuam nunquam expugnandã pollicitus eſt ſe ædificaturũ Eccleſiã: ſeq́; ei regni cælorum daturum claues, tanta cũ poteſtate, vt quicquid ligaret ſolueretq́ue ſuper terram, id gratum ratumq́ue foret & in cælis.

*Ioſeph.20. antiq.16.*

Poſt hæc Agrippa rex, cùm & ipſe Cæſareę, quæ Philippi dicebatur, dilataret pomæria, mutato nomine ad honorem Imperatoris Neronis, eam Neroniam ſiue Nerodiada nũcupauit. Quo nomine non diu fuiſſe vocatam inde liquet, quod eam Hieronymus ſua ætatẽ priſco vocabulo Paneadem appellatam ſcribat. quo etiam nomine à pleriſque Scriptoribus celebratur. Ptolomæo autem coniunctis nominibus Cæſarea paniæ & Panias, ab alijs interdum Cęſarea Paneadis vocatur. A qua inſcriptione etiam adiacens regio Paneas cognominata eſt.

*Hie. quaſ. Hebr. in Geneſ. 14. & in Iſai. 24. & Ierem. 4. & in Ezech. 27. 48. & Daniel. 11. & Amos 8.*

Huius vrbis ciuis mulier illa fuit, quam ſanguinis fluxu laborantem, fimbriæ Chriſti adtactu in Capharnao ſanationem rapuiſſe, Diuinorum Euangeliorum teſtatur ſcriptura in qua & domus eius magnifica, ſimulq́ue admirãdum quoddam collati Seruatoris in eam beneficij, & grati eius erga benefactorem ſuum animi monumentum ac trophæum multis ſeculis fuit viſum.

*Euſeb. hiſt. Eccleſ. li. 7. cap. 14. Nicep. Eccleſ. hiſt. li. 6. cap. 15.*

Pro foribus namq; domus ſuæ ad fontem quendam ſub dio, in editiori loco ſuper baſem duas præclaras ex ære fuſas erexit ſtatuas. quarum altera mulieris ipſius feminæ habitu, genibus flexis palmiſque protenſis ſubplicantis prę ſe tulit imaginem. altera autem huic ex aduerſo collocata, directo viri ſtatu, diploide cum decenti quadam grauitate amicti, dexteram inclinatæ mulieri porrigere viſa eſt.

Ad huius pedes ex baſi herba quædam enaſcebatur noua & ſpecie cunctis medicis omnino incognita. quæ cùm ad æreæ illius diploidis fimbriam excreuiſſet, eamq́ue ſummo vertice tetigiſſet, præſentiſſimas inde accipiebat vires, ad omnis generis ægritudines, morbos, languoresq́ue medendos. ita vt quæcunque illa fuiſſet infirmitas corporis hauſtu exiguo madefacti ſalutaris graminis depelleretur. nihil omnino virium gerens, ſi antequam ænee fimbriæ ſummitatem creſcendo contigiſſet, decerperetur.

Hanc ſtatuam ad ſimilitudinem vultus Ieſu, eiuſq́ue formam ac habitum conflatam fuiſſe, illamq́; viuidè expreſſiſſe, vera certaq́ue maiorũ traditione ac ſcriptis celebratum eſt. Inſigne hoc Chriſti trophæum non ſolùm vſque ad illuſtris hiſtorici Euſebij Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopi permanſit ætatem, qui florens ſub pijſſimo Conſtantino Magno, huc profectus. id oculis ſuis ſe inſpexiſſe ſcribit: ſed & ad impijſſimi **Imperatoris Iuliani** Apoſtatę tempora perdurauit.

*Sozomen. hiſt. Eccl. li. 5. ca. 20. Hiſto. Tripart. lib. 6. cap. 41. Nicep. Eccle. hiſt. li. 10. ca. 30.*

Qui anno à Virginis partu trecenteſimo ſexageſimo tertio, deſerta Chriſtianorum religione, gentilium errorem amplexus, hanc Saluatoris noſtri ſtatuam deiecit: ſuamq́ue in eius locum conſtituit. In quam mox ignis è cælo ſumma vi delapſus, caput vnà cum collo à pectore auulſum in terram proſtrauit. Cuius facti memoria in truncata ſtatua, fuliginoſa fulminis macula, veluti per inſcriptionem columnæ inciſam, longo tempore firmata. fuit.

Cùm iſta à Iuliano tentarentur, Gentiles Chriſti ſtatuam loco ſuo emotam funibus ad pedes vinctis, per mediam traxêre viam, omniq́ue impietatis genere contumelioſiſſimè affectę prominentia membra confregerunt, & caput è trunco diuulſum diſtraxerunt. Quod Chriſtiani clam ſublatum, vnà cum alijs corporis particulis hinc inde collectis, conſeruarunt: ac poſtea in Eccleſia honoratiore loco poſitum cultu conuenienti proſecuti ſunt, honorem, quem imagini exhibebant, ad ipſius archetypum & prototypũ, primariumq́ue exẽplar, quod illa repręſentabat, referẽtes. Porrò tam prædictã Chriſti effigiem, quàm truncũ Imperatoris ſimulacrum atro adhuc fulminis ictu ambuſtum, præclarus ſcriptor Sozomenus Salaminus in Eccleſiaſtica ſua hiſtoria, quam circa annum Domini quadringenteſimum trigeſimum Imperatori Theodoſio iuniori nuncupauit, in dictis locis ſuo etiamnũ tempore extitiſſe teſtatur. Poſt promulgatum Euangelium Cæſarea Paneadis, de qua agimus, ſalutari Chriſti fide exculta, Epiſcopatu exhonorata fuit. Quæ tandem vnà cum alijs Paleſtinæ ciuitatibus à Saracenis diu occupata eſt. atq; ab Occidentalibus Chriſtianis recepta. Rurſumq́ue ſub Hieroſolymitano rege Fulcone à Damaſcenorum rege Chriſtianis violenter erepta, paucis poſt annis à Chriſtianis acerrimè impugnata, per deditionem recuperata eſt. Sæpius deinde nunc à Saracenis, nunc à Chriſtianis & obſeſſa & occupata; hodie durũ Turcæ imperium ſuſtinet. atque vulgò à Barbaris Belina, Belinas, Bellena, Bellinas & Belenas vocitatur.

*Lib. 5. c. 20.*

*Ty. 14. bell. ſacr. 12.*

*Ty. bel. ſac. li. 14. c. 17. & l. 15. ca. 7. 8. 9. 10. 11. & li. 18. ca. 12. 13. 15. & li. 19. ca. 10. & libr. 20. cap. 33. Broc. iti. 2. Breid. ibid.*

38.

DAN viculus eſt, qui vſque hodie, inquit, Hieronymus, ſic vocatur. in quarto ab vrbe Paneade miliario, Panio antro, fontiq́; Dan adiaçens. Hieronym. de loc. Hebr. lit. D. dict. Dan.

39.

DAPHNIS, aliâs Daphne, fons, qui aquis abundantiſſimis Reblatam vrbem irrigat. atque inſtar celeberrimi ac delicioſi illius Daphnes Antiochiæ ſuburbani ac tuti aſyli, frequentiſſimis lauris & amœnitate inclytus eſt. Num. 34. 2. Machab. 4. Ioſephus 4. bel. 1. & 14. antiquitatum 25. Hieronym. in Ezech. 47.





40.

*Matth 4. Marc. 5. 7. Ioſeph. in vita ſua. Hieron de loc. Heb. lit. D. Plin. natural. hiſt. li. 5. cap. 18. Ty. 13. bell. ſa. 18. et 16. bell ſac. 13. Brocard. 5. Breid. ibid. Sal. 10. 9. cap. 7.*

DECAPOLIS, id eſt, decem ciuitatum regio, in Euãgelica hiſtoria celebris, quæ à decem principalibus vrbibus, quibus præter multas alias, ea regio maximè fulget, Græco vocabulo nomen accepit. Longitudo eius triginta milliaribus, latitudo autem paulò minor cenſetur. à Septentrione Libanum montem & Damaſcum, ab Occidente Sidónem vrbem, à Meridie ciuitatem Bethſan, quæ & Scythopolis appellatur, fines habet. ad Orientem verò trãs Iordanem & mare Galilææ vltra Gadaram, Hippum, & Pellem ſeſe extendit.

Porrò ciuitates, à quibus regio Decapolis dicta eſt, hæ cenſentur, Cæſarea Philippi, Aſor, Cedes Neptalim, Sephet, Corozaim, Capharnaum, Bethſaida, Iotapata, Tiberias, & Bethſan, quæ aliâs Scythopolis.

41.

DESERTVM Capharnai. in quod Chriſtus aliquoties ſeceſſiſſe, & ibidem oraſſe ſcribitur. Marc. 1. Luc. 4. 5.

42.

EDEMA, munita ciuitas in tribu Neptalim. Ioſ. 19.

43.

EDRAI, vrbs valida tribus Neptalim. Ioſ. 19. Hieron. in loc. Heb. lit. E.

44.

ELCESE, ſeu Helcheſæi, Galilææ locus eſt, ex quo Nahum propheta oriundus fuit, vnde & Elceſæus ſiue Helcheſæus appellatur. De quo Hieronymus in hæc verba ſcribit: Helkeſæi vſque hodie in Galilæa viculus eſt, paruus quidem & vix ruinis veterum ædificiorum indicans veſtigia: ſed tamen notus Iudæis, & mihi quoque à circumducente monſtratus. Hieronym. in loco Hebr. lit. E. & proœmio in Nahum prophetam.

*Naum. 1.*

45.

EMATH, quæ & Hemath, Amath, Hamath, Ammad, Ammath, Hammath, Hebraicè Chamath & Chammath, Hieronymo etiam Aemath, Ioſepho Amathe, Amathi, Amatheos, & Emathin, eiuſq́; indigenæ Amathei, Amatheni, & Hematheni vocantur; munitiſſima vrbs eſt, antiquitate & claritate memorabilis.

Sita autem eſt in tribu Neptalim, iuxta mõtem Libanum, in confinijs regionis Damaſci. à qua & circumiacens territorium Terra Emath, & Amathites, Ioſepho Amathetis & Amathenſis regio nominatur. in qua olim Ionathas Machabęus caſtra metatus fuit. ex qua Zieglerus & Mercator Ituræam faciunt.

*4. Reg. 23. 25. Ier. 39. 52. 1. Mac. 12. Ioſeph. 13. antiq. 8. Num. 34. Ezech. 47. 3 Reg 8.*

Eſt verò vrbs hæc Iſraëliticæ terræ ad Aquilonem terminus. cuius longitudo aliquoties in ſacris literis ab introitu Emath, vſq; ad torrentem ſeu riuum Aegypti cenſetur.

Condidit, & à ſuo nomine appellauit, atq; inhabitauit hanc vrbem Amathæus vndecimus filius Chanaan.

*Geneſ. 10. Ioſeph. 1. antiq. 12. Num. 13. Ioſeph 3. antiq. 17.*

Ad hanc vſq; vrbem duodecim illi viri trãſierunt, qui ſinguli ex ſingulis tribubus à Moyſe de Cadeſbarne ad conſiderandam terram Chanaan miſſi ſunt exploratores.

*Ioſ. 13. & 19. Iudic. 3.*

Poſt expugnatam à Ioſue & Iſraëlitis promiſſionis terram, vrbs hęc Neptalimitę tribui ſorte aſſignata eſt. quam tamen Chananæi eius inhabitatores, viri fortes multis ſęculis retinuerunt.

*2. Reg. 8. 1. Para. 18. Ioſeph 7. antiq. 5. Hieron, in Paral. 18.*

Vnde cũ inuictiſſimus rex Dauid anno regni ſui nono Philiſtæos, Moabitas, Adadezer regem Soba, Syriam Damaſci, alioſq́; Iſraëlis hoſtes armis ſibi ſubiugaſſet, huius vrbis Rex nomine Thou iam ſibi timens, filium ſuum in dolo, inquit Hieronymus, cũ muneribus, antiqui ſcilicet operis vaſis aureis, & argenteis, & æreis, ad Dauidem miſit:, eiq́; de parta ab hoſtibus victoria congratulatus eſt, atque pacem ſocietatemq́; ab eo poſtulauit, & impetrauit.

*2. Par. 8. Ioſeph. 8. anti. 6.*

Verùm Dauidis filius & regni ſucceſſor Salomon, expugnata vi vrbe, Chananęos eiecit hancq́ue & alias ciuitates in regione Emath fortiſſimè muniens, reſtaurauit.

*4. Reg. 14. 4. Reg. 17. 18. 25. Iſa. 10. 11. 36. 37. Ier. 39. 49 Ezech. 47. 48. Zach. 9. Amos 6. Hiero ibi. 1. Mach. 1. Ioſeph. 1. antiq. 12. Hier. quaſ. Heb. in Gene. 10. & in lo. Heb. lit. A. dict. Aemath. & Amath. & lit. E. in dict. Emath. quater. & in Iſai. 10 & Ezec. 47. & Zac. 9.*

Quam à Syris occupatam, Iſraëlitarum rex Ieroboam Amaſiæ regis Iuda tempore, Ionæ prophetæ verbis excitatus, iuuante Deo recuperauit, ac Iſraëli reſtituit. Eandẽ poſtea Rex Aſſyriorum expugnatam, ſui iuris effecit. Huius vrbis & regionis frequens in Regum, Iſaiæ, Ieremiæ, Ezechielis, & Zachariæ prophetarum libris mentio eſt. Cæterum in prophetia Amos, Emath rabba, hoc eſt, Emath magna, pro Antiochia Syriæ ſumi, D. Hieronymus & alij nonnulli interpretantur: ideoq́; ad huius quaſi altera minoris diſtinctionem, magnam appellari.

Porrò truculentiſſimus Antiochus Epiphanes, hoc eſt, illuſtris ex Macedonum regum ſemine ortus, vrbem hanc, cùm in Syria regnaret, nomine cõmutato, à ſe Epihaniam nuncupari voluit. quo nomine plerunque à Macedonibus celebratur.

Ioſephi tamen & Hieronymi temporibus adhuc florens, tam, à Syris, quàm ab Hebræis, nunc Amathe, nunc Syris ſermone Amath ſeu Emath, nunc Gręco vocabulo Epiphania vocitabatur,

46.

ENAN, aliâs Enam, Henan, Henam; item Enon, & Haſer Enon, hoc eſt, atrium Enõ ſeu Enan, atque Seranan; uilla ſiue vicus eſt in terminis regionis Damaſci ſita. quæ à Septentrione terræ promiſſionis terminus eſt.

*Num. 34. Ezech. 47. 48. Hier. ibid.*

47.

ENASOR, ſiue Enhaſor, aliâs Haſor, & Naſor, firma & robuſta ciuitas, quæ in tribu Neptalim ſupra Aſor poſita eſt. Ioſ. 19. Hieron. de loc. Hebr. lit. E,

48.

FONS hortorum, cuius in Canticis Salomonis fit mentio, & ex monte Libano procul

*Cant. 4.*

*Bened.in 2.Mac.14. Broc iti.1. Breidenb. ibid. Vitr.c.33. Sal.tom.9. cap.10.*

à Tripoli ſex millibus paſſuum cum impetu ſcaturit. ac breui ſpacio auctus, in vehementem curſuq; velocē fluuium excreſcit; ſuiſque aquis, quæ limpidiſſimæ, frigidæ & dulces ſunt, omnes hortos (vnde & fons hortorum vocatur) totamq; regionem, quæ inter Libanum & Tripolim eſt, irrigat ac fœcundat. Præter minores aliquot, in tres magnos riuos ſe diuidit, quorum prior inter Tripolim & montem leopardorum in mare magnum labitur. alter leopardorum montem circumiēs, idem mare influit. tertius inter Arcas & Raphanæas Agrippæ regni ciuitates fluens medius, Antaradumq; alluens, in prædictum tandem mare ſe exonerat.

*Ioſeph 7. bell.24. Vitr.c.84.*

Fluuium hunc Ioſephus etiam Sabbaticum appellari ſcribit, ob quoddam peculiare miraculum cognitione digniſſimum. cuius videndi gratia Titus flumen adire, & idipſum coram explorare operæ pretium duxit. quod Ioſephus his verbis deſcribit. Nam cùm ſit quādo fluit plurimus, neq; meatu ſegnis, tamen interpoſitis ſex diebus à fontibus deficiens, ſiccum exhibet locum videre. Deinde quaſi nulla mutatione facta, ſeptimo die ſimilis exoritur: atq; hunc ordinem ſemper eum obſeruare pro certo compertum eſt. Vnde etiam Sabbaticus appellatus eſt, à ſacro Iudæorum ſeptimo die ſic denominatus. hæc Ioſephus.

Cùm hic locus à Criſtianis habitaretur, plurimis ad fluuij huius riuos religioſorū extructis monaſterijs & eccleſijs frequens erat.

## 49.

GALGALA, oppidum tribus Neptalim. 1. Machab.9.

## 50.

*Ioſ.13. Iudith.1. 1.Mac.1. & cat. Ioſeph.3. bell.2. Egeſipp.de excidio Ieruſal.li.3. cap.6. Hieron in loc. Act. Apoſt, lit.I.*

GALILAEA, vberrima & pulcherrima Syriæ regio, in ſacra Scriptura celebris. inter montem Libanum & Samariam ſita eſt. Cuius Septentrionalis tractus Tyro, Tyriorumq; finibus terminatur. A Meridie Samaritis, & Schythopolis, Iordanisq; fluuius ſuis eā terminis claudunt. A Solis occaſu ciuitatis Ptolemaidis territorio, & monte Carmelo diſterminatur. (vnde ab hiſtoricis plerunque Phœnici annumeratur.) Ab Oriente verò vltrà fluenta Iordanis longè lateque ſe extendens, Gaulanitidem, Hipenen & Gadarim cōplectitur.

*Hieron.in loc.Heb. lit.G & in lo.act.Apoſt.lit.G. Tob.1.*

Galilæa autem duplex eſt, ſuperior ſcilicet, & inferior. Superior qua parte intra Iordanē eſt, Cæſareæ philippi, Capharnao, Tyro, & Ptolemaidi vicina, in tribubus Neptalim & Aſer ſita eſt. cuius longitudo à vico Baca, qui terram dirimit Tyriorum, vſque ad ciuitatem Berſaben: latitudo autem à vico Thella Iordani proximo. vſq; ad Meroth extenditur. ac tam in latitudine quàm longitudine diei & ſemis iter continet.

*Iſai.9. Math.4. 3.Reg.9.*

In Iſaia & Euangelio hæc prouincia Galilæa gentium vocatur. vel quòd hîc vſq; ad Salomonis tempora gentes habitauerint, vel quòd Salomon viginti eius ciuitates gentili Tyriorum regi Hiram donauerit, vel quòd extima eſſet Palæſtinæ vicinis vndiq; gentibus cincta.

*Sal. tom.9. cap.7.*

Inferior verò Galilæa circa Tiberiadem & ſtagnum Genezareth in tribubus Zabulon & Iſachar poſita eſt. cuius longitudo à ciuitate Berſabe vſq; ad vicum Xaleth, qui in Campo magno ſitus eſt, viginti miliaria complectitur. Latitudo autem à Mari Galilææ atque Iordane, vſq; ad vrbem Zabulon Ptolemaidi vicinam, & montem Carmelum, quatuordecim miliaria perficit.

*Ioſeph.9. bell.2.et.2. bell.26.*

Vtraq; hæc regio olim opima admodum & fertilis erat, fontibus aquæ perennis atque torrentibus irrigua. totaq; frumenti, vini, ac cunctorum fructuum, maximè autem olei ferax, etiam agriculturæ minimè ſtudioſos vbertate ſua prouocabat. ideoq; vniuerſa ab incolis exculta, omniumque generū arboribus conſita, nec pars quidem eius vlla erat ocioſa.

*Ioſeph.in vita ſua.*

Quin & ciuitates ibi crebræ erant, & vbiq; vicorum multitudo. Nam Ioſepho teſte, quadringenta quatuor partim oppida, partim vicos videre hîc erat, adeò propter opulentiām populoſa, vt ſupra quindecim fortiſſimorum colonorum millia in minimo eius vico recēſerentur. Galilæi enim ab infantia fortes & pugnaces, & omni tempore plurimi erant.

*Matth.2. 3.4.9.17. Marc.1.6. Lu.1.2.4.8. Ioan.4.*

Sicut alia quælibet loca multum Chriſti præſentia enexit: ita & Galilæam ſua habitatione concionibus & miraculis longè reddidit illuſtriorem. Hîc enim conceptus & educatus eſt. hîc vt plurimum habitauit & verſatus eſt. hîc Euangelicæ prædicationis ſemen primùm ſpargere cæpit. ac promulgandi Euangelij gratia vnà cum Apoſtolis, qui pleriq; Galilæi erant, Galilæam totam bis circumiuit, ſingulaſq; eius ciuitates & vicos peragrauit. docens vbiq; in ſynagôgis, eijciens dæmonia, & curans omnem morbum & omnem languorem in populo.

*Matt.26. Luc.23. Act.1.2.*

Atq; ob hanc educationem & conuerſationem ſuam, quam in Galilæa duxit, Chriſtus Galilæus vocatus fuit. Præter quam rationem Apoſtoli, quòd plerique hîc nati eſſent, etiam Galilæi appellati fuēre. Quapropter & Imperatori Iuliano Apoſtatæ, vt Euſebius & alij ſæpe memorant ſolenne erat, vt Chriſtum Galilæum, & tum à Chriſto, tum ab Apoſtolis, Chriſtianos omnes Galilæos nominaret.

*Euſ.10.hiſ. Eccleſ.35. Hiſt.trip. li.6.c.4.& 24. Theodo.3. hiſt.Eccle. 8.& 25. Nicep.10. hiſt.Eccle. c.4.& 20.*

## 51.

HAMON, ſeu Amon, aliâs Ammon & Hammon, ciuitas eſt, quæ cum ſuis ſuburbanis de tribu Neptalim Leuitis data fuit. 1. Paral.6.

## 52.

HELEB, aliâs Helph & Beleb, ciuitas, quæ terminus erat tribus Neptalim. Ioſ.19.

## 53.

HELIOPOLIS Cæleſyriæ vrbs, quondam Archiepiſcopali ſede inclyta, quæ hodie



hodie Malbec, Poſtello Balbec, Arabicè Bahalbeth dicitur. Ptolom. Tyr. belli ſacr. libr. 9.cap.15.& libr.14.cap.12. & libr. 21. cap. 6. 8. 11. Vitr.cap.45. Niger.geogr. Aſ.com 4.

## 54.

HELON, ſiue Elon, ciuitas in tribu Neptalim. Ioſ.19.3.Reg.4.

## 55.

HOREM, quæ & Horez, Hieronymo Orā. fortis & valida ciuitas in tribu Neptalim. Ioſ.19. de loc. Heb. lit. O.

## 56.

IAMNIA, ſuperioris Galilææ vicus prærupto ſitu, quem Ioſephus, cùm Galilææ præeſſet, contra Romanos communiuit. Ioſeph. in vita ſua.

## 57.

IEBNAEL, ſiue Iebnahel, Hieronymo Iabnel, ciuitas in tribu Neptalim. Ioſ. 19. Hieron de loc. Hebr. lit. I.

## 58.

IERON, aliâs Giron, Hebraicè Iron præualida ciuitas tribus Neptalim. Ioſ. 19. Hiero. in loc. Hebr. lit. I. vbi ſupra.

## 56.

*Ioſeph.3. bell.18. Ma.75. Hieron.de loc.Hebr. lit.D.dict. Dan. Geneſ.14. Ioſeph.1. ant.18.& 5.antiq.3. Hierony. qua Hebr. in Gen.14. & de loc. Heb.lit.L. dict Laiſa. et in Eze. 27 & in Matth.16. Tyr.21.be. ſacr.28. Broc.iti.2. Breid.ibi. Sal.tom.9. cap.6. Ioſeph 5. ant.5.et 8. antiq.8. Ioſeph.3. bel.18. Broc.iti.3. Ioſeph.3. bell.18.*

IORDANIS, Hebraicè Iarden, maximus & amœniſſimus totius Palęſtinæ fluuius eſt, vtriuſque teſtamenti ſcripturis celeberrimus. Qui, præterquam quòd è fonte Phiala, in Traconitide regione ſito, (vt in eiuſdem Phialæ deſcriptione declarauimus) primam ſuam ſumat originem; ad tadices montis Libani quarto, inquit Hieronymus, à Cæſarea Philippi ſeu Paneadis miliario, ex duobus fontibus haud procul à ſe diſſitis, Ior ſcilet, & Dan (qui & Danus, Paneas & Paneus dicitur) bicornis erumpit.

Quorum prior in fluuium Ior, alter in fluuium Dan (ad quem olim Saladinus caſtra locauit) mox deriuatur. Hi ante portam Cæſareę Philippi in vnum confluentes, vt aquis, ita & vocabulis coniunctis, Iordanis, qui minor vocatur, & nomen & fluuium efficiunt.

Hinc regiones perquàm amœnas præterlabens, poſt longos, quos facit circumitus, Tracontidem ab Ituræa & Galilæa ſuperiori ſeparando, poſtquam vrbem Seleuciam à ſiniſtris alluit, in vallem quandam, inter Cæſaream Philippi & mare Galilæę medio loco ſitam influens, ſtagnum facit, latitudinis triginta, & longitudinis ſexaginta ſtadiorum, quod Aquæ Meron, & Samachonitis lacus nominatur.

Inde lacum hunc tranſgreſſus, & oppido Aroſeth gentium à dextris ſalutato, curſum ſuum verſus Orientem flectit, & fontibus aliquot auctus, centum viginti alijs præteritis ſtadijs inter Capharnaum & Corozaim nobiles Galilææ ciuitates quas aquis ſuis allābit & ditat, in Mare Galilææ ſeu lacum Genezareth, qui iuxta Plinium ſedecim millia paſſuum longus eſt, latus verò ſex millia paſſuū, latè ſe diffundit.

*Plin.nat. hiſt.*

*Ioſeph.4. bell.11.*

Hoc mare medium tranſemenſus, ad auroram auream Iouis templum è longinquo proſpicit, & ab Occidente torrētis Ciſon, ab Oriēte autem fluuij Iaboc vberrimis auctus aquis, deinceps Iordanis maior appellatur. Tum Perçam à Samaria, & Moabitidem à Iudæa regiones diuidēs, Conuallem illuſtrem, quæ à lacu Geneſareth ad Aſphaltiten vſque ducētorum triginta ſtadiorum longitudine patet, midiam ſecat, variaſq; tum vrbes, tum pagos, & à Solis ortu Cāpeſtria Moab, ab Occaſu palmiferos Ierichontis agros ſuis fluentis irrigādo fœcundat. & præter minores aliquot fontes, Dibon, Iezrael, Taphuæ, Carith & Elizæi fontium & torrentium & Iazer & Arnon fluminum recipit.

*Ioſeph.5. bell.4. Tyr.13.bel. ſacr.18.*

*Hieron.de loc.Hebr. lit.I.dict. Iordanis. Plin.5.na. hiſt.15. Hierony. tom.1.epi. 28.ad Lucinum,& in Ezech. 47.*

Arnon fluminum aquis in ſe receptis, poſt multos circumitus, ac ſinuoſos flexus, tādem iuxta prædicti Arnonis oſtium velut inuitus, inquit Plinius, in Mare mortuum ſiue lacum Aſphaltitem dirum natura delabitur. Cui commixtus, & nomen amittit, & limpidiſſimas eximiæ dulcedinis, & ſaluberrimas laudataſque ſuas aquas perdit peſtilentibus mixtas. Quas vbi piſces, quibus Iordanis abundat, guſtauerint, ilicò aut renatant, aut moriuntur.

Poſtremò & peſtiferum hoc mare latum centum viginti, longum ducentis triginta ſtadijs medium præterlapſus, breuique ſpacio egreſſus, in horenda quadam terræ voragine atque abyſſo abſorbetur.

*3.Reg.7. 2.Para.4. Hieron.de loc.Heb, lit.A.dict. Aulon. Tyr.18.bel. ſacr.18. Vitr.c.53. Broc.iti.6. Breid.ibi.*

Vniuerſa verò Iordanis longitudo, qua ab ortu ſuo ſub monte Libano, vſque ad deſertum Pharan ſe extendit, centum circiter miliaria conficit. qui toto hoc decurſu ex vtraque ſui parte latis, amœnis, argilloſis, & vberrimis campis cingitur. Illique vtrinque multis & altiſſimis montibus, ſibi inuicē ſuccedentibus & cohærentibus circumdantur.

Eius eſt naturæ hoc flumen, quod ripas aluei meſſis tempore impleat, quod factum eſt in Iſraēlis tranſitu. Veiſſ.

Atque in his quidem campis ſeu Iordanis campeſtribus, quæ ætate Hieronymi à Palæſtinis Hebræo vocabulo Aulon vocabantur, nobiles hæ viſebantur vrbes, Tiberias, Scythopolis, Salem, Iericho, & aliæ multæ. Sed & innumeri hîc erant pagi, prata vrirentia, peramœna prælia, horti, arundineta, carecta, arbuſta, & ſaltus, in quibus morabantur leones, timidi damæ, ceruique fugaces, denique omne ferarum genus. vnde etiam ſecundum literam illud Prophetæ intelligi poſſet; aſcendit leo de Iordane.

*1.Mach.9. Hieron.in Zach.11. Ierem.4. 49.*

*Ioſ.3. 4.Reg.2. 4.Reg.5. Luca 4. Matth.8. Marc.1. Ioan.3.*

Hunc fluuium primò Iſraelitæ, poſtea Elias & Eliſæus, aquis eius miraculosè diuiſis, ſiccis pedibus tranſierunt. In eodem Naaman Syrus Eliſæi iuſſu ſepties ſelauans, à lepra purgatus fuit. In eodem fluuio Chriſti præcurſor Ioannes Baptiſta confluentes ad ſe vndique Iudæos, ſua confitentes peccata baptiſmo pœnitentiæ baptizauit.

*Matth.3. Marc.1. Luc.3.4. Ioan.3.4. Hierony. in ep.1.epiſ. 17. Clemens lib.5.hypotypoſ. Pratum ſpirituale cap.176.*

Inter alios verò & ipſe Ieſus à Ioanne hoc flumine baptizatus, mundiſſimæ carnis ſuæ contactu eius fluenta ſanctificauit: illiſq; atq; omnibus totius Mundi aquis regenerandi virtutem indidit. Quo facto, ipſe primùm ſuos diſcipulos, deinde per eos multos alios, plures quàm Ioannes ex Iudæis ibidem baptizans, baptiſmum in remiſſionem peccatorum promulgauit. In cuius rei memoriam Chriſtianis peregrinis & accolis ſolemne eſt, vt corpora & veſtimenta ſua in Iordanis aquis abluant. At tamen Clemens Petrum duntaxat à Chriſto baptizatum, à Petro reliquos.

## 60.

*Geneſ.25. Benedict. Tyr.bell. ſacr.li.9.c. 13 & l.21. cap.11. Vitr c.47. Brocard. itin.1.& 3. Breidenb. itin 13. & 5. 1.Para 5. Ioſeph.13. antiq.18. Strabo. l.b.17.*

ITVRAEA, à Ietur ſiue Ithur filio Iſmaëlis ſic appellata, montoſa ac nemoroſa eſt regio ad radices montis Libani in longum porrecta. Nam à fluuio Iordane ſumens initium, iuxta eundem Libanum verſus Occidentem ad montes vſq; Sidoniorum & Tyriorum extenditur. aliquoties etiam Saltus Libani nuncupatur. Sunt tamen qui Ituræam ad Septentrionalem quoque montis Libani partem extendi putent, atque in ſacris litteris aliquoties ſaltum Libani nuncupari.

Huius regionis habitatores Ituræi vocãtur. Quos Ariſtobulus primus poſt Babylonicam captiuitatem Iudæorum rex & pontifex bello diuicit: eoſque comminatione exilij circunciſionem, cæteroſq; Iudaicos ritus admittere coëg.

*Lucæ.3. Hieron.de loc.Hebr. lit.I.*

Eidem regioni à Romanis, ſicut in Euangelio Lucæ legimus, tetrarcha præfectus fuit Philippus Herodis ſenioris filius.

## 61.

LECVM, aliâs Lecun, Hebraicè Lacum, Hieronymo Lachum, ciuitas, quæ ad Iordanem ſita. Neptalimitidis tribus terminus erat. Ioſ.19. Hieron. in loc. Hebr. lit. L.

## 62

LEPROSORVM valetudinarium, iuxta ciuitatem Capharnaum ſitum, ex quo leproſus ille fuiſſe videtur, quem Dominus ad pedem montis Chriſti mundauit. Matth.8. Marc.1.

## 63.

*Num.34. Ioſeph.5. antiq.4. Plin 5.na. hiſt.20.*

LIBANVS, Hebraicè Lebanon, inſignis Phœnices mons, ſacris literis celebratiſſimus, qui terræ promiſſæ fines à Septentrione claudit. Nam à tergo Sidonis orſus, verſus Orientem vltra Damaſcũ tendens, mille quingentis ſtadijs, teſte Plinio, hoc eſt, centum octuaginta ſeptem millibus paſſuum, ad Simyram & Palmirenam vſque regionem porrigitur.

*Broc.iti.2. Hieron.2. loc.Hebr: lit.L. — Hieron.in Zach.11.et Oſee.14. — Deu.3.34.*

Ob eminentem autem ſuam altitudinem procul tum in terra exiſtentibus. tum in mari nauigãtibus à quadrageſimo miliario conſpiciendum ſe præbet. Omnium quippe, quos habet Syria, montium altiſſimus, ſimul ac amœniſſimus & fœcundiſſimus eſt. vnde & quibuſdam Mons montium appellatur. Nihil enim, inquit D. Hieronymus in Zachariã ſcribẽs, Libano in terra repromiſſionis excelſius eſt, nec nemoroſius atque condenſius. Et in Oſee. Mons Libanus fertiliſſimus & virens, denſiſſimis arborum comis protegitur. Ideo que magno eius videndi deſiderio Moyſes tenebatur, quem tamen nõ niſi procul è faſtigio montis Nebo, à ſexageſimo ſcilicet miliario ſpectare ei datum fuit.

*Hieron.in Ezech.27. Ierem.18. Sueton. Broc.iti.2. Vitr.c.83.*

Dictus autem eſt Libanus à Liban, quod Hebræis album vel candidum, & thus ſignificat. Nam thus quidem plurimum optimumque, ac fragrantiùs ſpirans in eo legitur, & niuibus perpetuis albeſcit. In ipſius etenim ſummitatibus, ac præcipue quæ Cæſareæ Philippi imminent, (nam ibi ſe altiorem Libanus tollit) nullo non anni tempore, etiam media ęſtate, cùm feruentiſſimi calores ibidem eſſe ſolent, frigidiſſimæ niues inueniuntut. quę inde ſub paleis, ne nimio cœli æſtu liqueſcant, conſeruatæ, per duorum vel plurĩũ dierum iter in circumiacentes vrbes, vt vinum ſua commixtione refrigerent, deferuntur.

*Niger geograp. Aſ. com.4. pag.503.*

Refert ex problematibus Alexãdri Aphrodiſei Dominicus Marius Niger in hoc monte ex cæleſti rore coagulum quoddam dulciſſimum fieri, quod ſacchar accolæ vocitant, proximum ſalis glebulis, candidum & fragile. vnde fortè nos ſacchari nomen accepimus.

*Breidenb. in deſcrip. mont. Iſrael.*

Propter roris abundantiam, pluuiarumque frequẽtiam, ac naturalem ipſius humiditatẽ Libanus nobiliſſimis ſcatet aquarum vẽnis, celeberrimorumque fontium ac fluminum principium & origo eſt. Ex eo enim, præter cætera, inclyta hęc erumpunt flumina, Chryſorrhoas, Iordanis, Eleutherus, Leon, Lycus, Adonis, qui nunc Canis dicitur, & Fons hortorum, qui magno impetu emanans, tribus fluuijs in mare currit.

*Hieron.in Oſee.14. 3.Reg.5. 4.Reg.9. 2.Paral.2. Pſa.28.36. Iſa.2.90. Hieron.in Iſai.60.& Ezec.27.*

Eadem quoque ratione præſtantiſſimarum arborum & herbarum Libanus fertiliſſimus, vtiliſſima variæ electæque materiæ ſilua, & medicinæ hortus eſt. Et quantum ad arbores huius montis attinet, earum natura ex parte his verbis à Hieronymo deſcribuntur, Arbores Libani qantum in auras conſurgunt vertice, tantum radicem in eima demergunt: vt nulla tempeſtate quatiantur, ſed ſtabili mole conſiſtant. Harum arborum rami huc illucq; tenduntur vt veniant volatilia cæli, & habitent in eis. Crebræ hîc creſcunt cedri, enodes & imputribiles, miraque proceritate (quibus idcirco in ſacra ſcriptura ſuperbi cõparantur) ſublimes. Rectæ quoque & electæ abietes, odoriferæ cupreſſi, ſeu cypariſſi, pingues oliuæ, pini, buxi, diuerſæq; arbores thuriferæ. quarum gummi, electũ olibanum à medicis nuncupatur.

*Oſee 14. Breidenb. vbi ſupra.*

Porrò quantum ad herbas, varijs Libanus fragrat aromaticarum medicarumque herbarum generibus quarum optimè redolenti odore virulenti ſerpentes, aliaq; venenoſa animalia porcul inde fugantur. Omne tamen ſilue-



ſtrium ferarum, canorarumque auium genus in eo admodum frequens eſt.

*Brocard. itin.2. Breid.ibi. & in deſcrip.mon. Iſrael. — Oſee 14.*

Valles Libani olim mirum in modum feraces erant, ac optimo tritico, vineis, pomarijs, hortis, atque vberrimis paſcuis abundabant. vnde ob graminum perpetuò virẽtium copiam, animalia, quæ à ſacerdotibus iuxta legis præſcriptum quotidie Hieroſolymis in templo offerenda erant, in compaſcuis eius paſcebantur. De eximijs huius montis donis & virtutibus clariſſimè Oſee propheta in perſona Dei ad pœnitentiam conuerſis in hæc verba loquitur. Ero quaſi ros Iſraëli, germinabit ſicut lilium: & erumpet radix eius vt Libani, ibunt rami eius. & erit quaſi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani. Conuertentur ſedentes in vmbra eius: Viuent tritico, & germinabunt quaſi vinea. memoriale eius ſicut vinum Libani.

*Ioſ.13.Ty. 14.bell.ſa. 23. Brocar.in præfat.de ſcrip.loc. terr.S.& itin.2. Breid.ibi. Ioſe.1.bell. Ty.22.bel. ſac.8.*

In hoc monte, eiuſq; vallibus, nec non adiacenti ei regione, quæ ab eo Libanica, & aliâs Syria Libanica denominata eſt, multi & diuerſæ tum nationis, tum religionis habitant populi. Syri nempe, Armeni & Græci; item Chriſtiani; qui ſe à Gallis originem traxiſſe gloriantur Iacobini, Georgiani, Maronitę & Neſtoriani. Ex quibus vno tempore octingentos exercitui ſuo adiũxiſſe Herodes legitur. Ex Maronitis autem anno poſt Chriſtum natum milleſimo centeſimo octuageſimo ſecundo, quadraginta bellicoſiſſimorum virorum millia, abiurato errore, orthodoxam Catholicamque fidem amplexi ſunt. Ex quibus omnibus & admiranda huius montis preſtantia, & accolarum frequentia facilè colligere fuerit.

## 64.

MAGDALEL, aliâs Magdiel, turrita & munita ciuitas in tribu Neptalim. Ioſ. 19. Hieron. de loc Hebr. lit. M.

## 65.

MASALOTH vrbs, quæ eſt in regione Arbellis. quam Machabæorum tempore Bacchides expugnauit, eiuſque ciues trucidauit. 1. Mach. 9.

## 66.

MELCHA, ſiue Meltha, lacus monti & ciuitati Sephet vicinus, ſecus quem Balduinus tertius, Hieroſolymorum rex caſtrametatus, Turcarum ex inſidijs paſſus eſt eruptionem. ac quibuſdam ex ſuis cæſis, nobilibus autẽ plurimis captis, ipſe cum paucis vix euadẽs, in oppidum Sephet ſe recepit. Tyr. 18. bell. ſacr. 13. & 14.

## 67.

MERGIVM, locus qui inter montes Meſaphar & Eleutherum fluuium in planicie iuxta collem quẽdam ſitus eſt, ad quem olim Chriſtiani caſtrametati fuerunt. Tyr. 21. bell. ſacr. 28.

## 68.

MESAPHAR vicus, qui inter caſtrum Toronum & vrbem Paneadem in ſummis montibus ſitus eſt: vnde in totam ſubiectam regionem vſq; ad radices Libani & Paneadem patebat proſpectus. Tyr. 21. belli ſacr. 28.

## 69.

*Broc. iti. 3. Breid.ibi. Fretell. pag.8. Sal.tom.9. cap.8.*

MONS CHRISTI, ſic dictus, quod Seruator noſter Ieſus Chriſtus in eo ſolitus ſit orare & prædicare. Qui à ciuitate Sephet verſus Orientem tribus, ab vrbe Capharnao contra Occidentem totidem miliaribus, non procul à Mari Galiææ abeſt.

Formam habet oblongam. nam in longitudine duos teli iactus, in latitudiue autem lapidis iactum continet. Altitudo eius tanta eſt, vt ex eo non ſolùm totum Mare Galiææ, & terra Zabulon & Neptalim, ſed & ciuitas Cedar, ac Traconitis & Ituræa regiones, deniq; & Seir, Hermon atq; Libanus montes. procul conſpici poſſint.

*Luc.6. Marc.3. Matth 10. Mar.3. Lucæ6. Act.1.*

Natura totus herboſus, floridus & amœnus eſt, ac cæleſti Philoſophiæ conuenientiſſimus. vnde & Chriſtus frequenter hoc loco orauit & docuit. hîc Diuina oratione integras noctes traxit. hîc omnibus ſuis diſcipulis ad ſe vocatis, duodecim ex eis delegit, quos & Apoſtolos ordinauit ac nominauit. Simonem nempe, quem nominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum Zebedæi filium, & Ioannem Iacobi fratrem: quibus impoſuit nomina Boanarges, quod eſt filij tonitrui: Philippum, Bartholomæum, Matthęum publicanum, Thomam, Iacobum Alphęi filium, Simonem Cananæum, qui vocatus fuit Zelotes, Iudam Thaddæum, quem Græci Lebbæum vocant, Iacobi Alphæi fratrem, & Iudam Iſcarioten, qui & prodidit illum.

*Mat.5.6.7. Breiden. itin.3. Sal.tom. 9.cap.8. Brocard. cui etiam fauere videtur Vitr. cap.53. Hieron.in epiſt.ad Marcel.et in epita. Paulæ.*

Hic vnà cum eiſdem ſedens, prolixo & inſigni ſermone, quem D. Matthæus tribus capitibus deſcribit, de octo beatitudinibus ac Euangelicis perfectionibus diſſerit. clarè diſſerteque in Apoſtolis nos inſtituẽs, quibus in rebus vera ſita ſit beatitudo, veteriſque legis Chriſtiana perfectio. Modum item docens vtiliter eleemoſynas erogandi. Deum Patrẽ orandi, & ſincerè ieiunandi. Monens etiam non alibi quàm in cælo theſaurizandum, omnemque de victu & veſtitu ſolicitudinem in Deum proijciendam. Atqui ſedulò præcipiens non temere iudicandum aut docendum, orationi verò vigilanter inſtandum. Vrgens porrò arctam virtutis viam ſine mora capeſcendam, & per anguſtam portam ad vitam intrandum. Deniq; à pſeudoprophetis diligenter cauendum. ſuæque huic doctrinæ firmiter inhærendum. Oſtenditur etiamnum ibi lapis, in quo Ieſus Chriſtus prędicans ſedit; & loca in quibus Apoſtoli conſediſſe memorantur.

Sunt qui Chriſtum hoc quoque in monte quinque panibus & duobus piſcibus, quinque hominum millia ſatiaſſe cenſent, ideoq; locum

locum

*Fretell. Sal vbi ſupra.*

locum hunc Chriſti & Apoſtolorum menſam appellant. nonnulli verò iuxta Tiberiadem ciuitatem id contigiſſe autumant. quod tamen vltra mare Galilææ factū eſſe, ex Matthæi, Marci, & Ioannis Euangelio manifeſtè patet. qui ſcribunt Dominum vnà cum Apoſtolis Mare Galiææ traieciſſe. atque peracto hoc miraculo, Apoſtolos idē rurſum tranſnauigaſſe mare. Ieſum verò ſuper maris aquas peditem tranſiuiſſe, tandemq; vnà in terram Geneſar veniſſe. Mihi verò alterū multiplicatorum panum miraculū hoc loco peractum fuiſſe videtur, quo nempe ſeptem panibus & paucis piſciculis quatuor hominum milibus ſaturatis, ſeptē ſportæ impletæ ſunt reliquiarum fragmentis, quæ ſaturis ſuperfuerant: & quod Dominus ſcribitur dimiſſa turba nauigio profectus in terram Magedan ſiue Dalmanutha; intelligēdum eſſe de nauigatione, qua non quidem ad oppoſitum maris littus nauigarit; ſed in eodem littoris latere maris oram circumlegerit. Quod Euāgelicæ hiſtoriæ ſatis conuenire videtur, cúm non dicatur híc trāsfretaſſe, ſed veniſſe in fines Magedan.

*Vide in tribu Manaſ. 2.43.*

*Matth.15. Marc.8. Ianſen ca. 63. concor. Euang.*

Ad pedem huius montis etiam Dominus Ieſus languentium, & à ſpiritibus immundis obſeſſorum multitudinem curauit. ac ibidem prædictum de vita beata ſermonem, ſtans in loco campeſtri ſummatim coram copioſa plebis multitudine replicaſſe videtur.

*Luca 6.*

70.

HOC loco ad radicem Montis Chriſti, Dominus leproſum ſupplicem ſuo tactu mundauit: & mundatum ad ſacerdotes, ab eis iudicandum remiſit. Matth. 8. Marc. 1. Luc. 5.

71.

NAASON, ſeu Naaſſon, cuius in principio libri Tobiæ fit mentio, antiqua in tribu Neptalim ciuitas eſt. quæ à Mari magno verſus Orientem nouē, infra vrbē Neptalim contra Occidentem tribus à ciuitate autem Dothaim verſus Aquilonem totidem miliaribus, in valle quadam ſita eſt.

*Tob.1. Tyr.21.bel. ſacr.28. Brocard. itt.4.&7. Breidenb. itin.4.*

72.

NECEB, Hieronymo Nezeb, tribus Neptalim ciuitas eſt, quæ tanquam domina ciuitati Adami imperabat. Ioſ.19. Hieron. in loc. Hebr. lit. N.

73.

NEPTALIM, ſiue Nephthali, inſignis in Galilæa ſuperiori trib. Neptalim vrbs eſt, ſupra Naaſon, à qua tribus verſus Orientem miliaribus abeſt, poſt Viam maris, quę ducit ad Occidentem ſita. In ſiniſtro habens vrbem Sephet, paulò plus vno miliario verſus Aquilonem ab ea diſtantem. A ciuitate autem Dothain contra Aquilonem tribus, à Bethſaida verò verſus Occidentem totidem miliaribus ſeparata eſt.

*Tob.1. Ty.21.bel. ſacr.26. Brocard. itin.4. Breid.ibi.*

Situ, locique natura firma ac munita ſanè vrbs eſt. ab Occidente enim præalto ei adiacente monte munitur. qui non niſi ab Orientali ſui parte per anguſtiſſimam viam aſcendi poteſt.

Glorioſiſſimi regis Salomonis ætate huic vrbi ab ipſo præfectus erat Achimaas, qui Baſemath eiuſdem regis filiam duxerat vxorē. vnde non obſcurè colligi poteſt, inter præclariſſimas Iſraëlis ciuitates hanc vrbem debere recēſeri. Quæ inſuper natiuitate & vita pij, iuſti, & patientiſſimi Tobiæ multum nobilitata fuit. qui anno Ezechiæ regis Iuda ſexto à Salmanaſar Aſſyriorum rege, vnà cum decem tribubus Iſraël hinc in Niniuen Aſſyriæ metropolim captiuus abductus; licet inter gentiles in captiuite ageret, Diuinæ tamen legis præcepta, viamque veritatis, ac pietatis opera non deſeruit. cœcitate denique à Deo tentatus, patientiam non perdidit.

*3.Reg.4. Tob.1. 4.Reg.17. 18.*

Quidam longè à veritate aberrantes, vrbem Neptalim tēpore Hieroſolymitani excidij Iotapatam, aut vitioſè Ionapam ſeu Ioſapatam dictam fuiſſe putant. Nunc autem Arabis Suziz, Siziz, vel Syrin vocari, plurimorum authoritate conſtat. Sunt qui Chriſtianorum tempore Epiſcopali ſede Neptalim decoratam fuiſſe cenſeant.

74.

NIGRAGVARDA, caſtellum in monte extructum, ex quo Paneadenſis ciuitas videri poteſt. Tyr. 18. bell. ſacr. 15.

75.

PANEAS regio, à Paneade vrbe nomen habēs, quam vnà cum Trachonitide, Tanęa & Gaulonitide regionibus, Herodes ſenior filio ſuo Philippo, tetrachię nomine teſtamento aſſignauit. Ioſeph. 17 antiq. 10. & 2. bell. 8.

76.

PANIVM antrum, ſpecus ſiue ſpelunca eſt, licet vmbroſa, amœniſſima tamen, in altiſſimi ſaxoſique montis, qui Panius appellatur, radice ſita. vnde Dan fons Iordanis fluuij profluit. ex qua parte ſpecui ſubiecta eſt in immenſum hians terræ deuexitas, plena aquis ſtagnantibus, tam inperſcrutabilis profunditatis, vt demittentibus aliquid, donec terrā inueniant, longitudo nulla ſufficiat. Paulò aliter de hoc antro Siegle. ſub monte, inquit, excelſo Libani, in cuius latere antrum hoc vmbroſum aperitur profundi præcipitij, vnde grauis odor exhalat. foris ad pedes montis & fauces antri ſcaturiunt fontes, vnde Iarden fluuius concipitur. Zieg. 21. b.

*Ioſeph.15. antiq.13. & 1.bell. 16.& 3. bell.18.*

Naturalis Panij pulchritudo, regijs opibus & Agrippæ diuitijs magnificentiùs accurata eſt. Cui loco alioquin celeberrimo, non parum honoris contulit marmoreum illud templum, quod in loco ei vicino, Auguſto Cæſari ab Herode ſeniore erectum fuit.

In prædictum aquæ receptaculum gentili patrioque quodam errore accolæ celebri ac feſto die congregati, victimam dæmoni neſcio cui proijcere ac immolare ſolebant. Quæ mirificè dæmonis illius aſtu & opera ſubitò diſparebat. Quo cùm adſtantibus perſuaderetur, hoſtiam inuiſibiliter in cælum eſſe ſublatam, ea res pro ingenti miraculo vbique ce-

*Euſeb.7. hiſt. Eccl. 13. Niceph.6. Eccl.hiſt. 14.*





lebrata fuit. Accidit autem ſub Galieno Imperat. dum hæc gererentur, adeſſe Romanæ vrbis ſenatorem, Regia proſapia, opibus, ac nomine clariſſimum Aſterium, illuſtrē poſtea Chriſti matyrem. Qui cùm ſpectatores omnes miraculi huius ſtupore animaduerteret conſtringi, humanos miſeratus errores, cum gemitu & ſuſpirio oculos ſimul & palmas ad cælum tendens, rerum omnium Deum tota fide profuſis lacrymis inuocat, vt fallacis dęmonis, illis aquis innatantis præſtigias diſpelleret, ac fraude & errore tanto miſeros illos mortales liberaret.

Hæc illo cum fletibus ſpplicante, cōfeſtim ſubnatans victima illa, quæ inuiſibiliter credebatur aſſumpta, ſuperferri aquis vedetur, & conſpectibus omnium redditur.

Ita vnius Chriſtiani prece diabolicus tantorum ſæculorum dolus, ac longè lateq; celebratum miraculum, hominumque de eo portentoſa opinio, adeò ſublata eſt, vt deinceps nihil eiuſmodi in eo loco ſit factum.

77.

PLANICIES maxima, quæ inter montes Meſaphar, & ſcabras rupes fluuio Eleuthero imminentes ſita eſt. In qua Hieroſolymorum rex Balduinus quartus inita cum Saladino pugna, multis Turcarum interfectis, cæteros in fugam vertit. At redintegrato ibidem prælio, victoribus victis, plurimiſq; Chriſtianorum captis, reliqui in caſtrum Belfort ſe cōtulerunt. Tyr. 21. bel. ſacr. 28. & 29.

78.

PONS, quà ex vrbe Capharnao per Iordanem in ciuitatem Corozaim tranſitus erat. vbi certi ad hoc deputati receptores, Roman. nomine (quòd ipſi fortè pontem vt commodè per eum è Iudæa in Syriā traiectus eſſet, extruxiſſent) vectigal, quod Gallico vocabulo Paſſagium nominant, à tranſeuntibus accipiebant. Hos quidam à Chriſto didrachmum, de quo in Matthæi Euangelio agitur, híc exegiſſe putant. Attamen non deſunt, qui hoc didrachmum (quòd valebat ſeptē ſtuferos noſtrates, aut, quod idem eſt, ſeptem ſolidos Gallicos Turonicos) Romanis alia ratione annuatim pendendum fuiſſe exiſtiment. Interim Dominus cùm Regis eſſet filius, ideoque ab omni vectigali & tributo immunis, ne exactores offenderet, Petro iuſſit hamum in mare mittere, & ſtatêrem in ore piſcis inueniendū, pro ſe & illo exſoluere.

*Matt.17.*

79.

RAMA, vicus in tribu Neptalim, qui haud procul ab vrbe Sephet in excelſo colle ædificatus eſt.

*Hieron. in loc. Hebr. lit. R. Brocard. itin 6. Breid. ibi.*

Admonet hoc loco Diuus Hieronymus varijs diuerſarum tribuum ciuitatibus & viculis idcircò eadem nomina Rama aſſignari; quia cùm apud nos vnum nomen ſonare videantur, apud Hebræos tamen, quòd diuerſis ſcribantur literis, diuerſa eſſe nomina. Omnes interim iſtæ Ramę in excelſis collibus ſitæ ſunt: nam Rama Hebræis excelſum & ſublime interpretatur.

80.

REBLATHA, aliâs Rebla. Hebraicè Ribla, inclyta vrbs in terta Emath, ac tribu Neptalim, iuxta fluuium Iordanem ſita, quæ limpidiſſimis fontis Daphnis aquis irrigatur.

*Num.34.*

In hac vrbe (licet id quidam in Antiochia Syriæ factum putent) Pharao Nechao Aegypti rex exceritum ad ſe Ioachaz regem Iuda ligauit: ac ligatum inde in AEgyptum tranſtulit.

*4.Reg.23. Hieron. de loc. Heb. lit. R.*

Huc & Sedechias rex Iuda, à Chaldæorum exercitu in campeſtribus Iericho comprehenſus, ad Nabuchodonoſor regem Babylonis perductus eſt. Qui cùm de rebellione & periurio Sedechiā acriter increpuiſſet, mox eius filios, omneſque Principes & nobiles Iuda in conſpectu eius hîc occidit. Deinde oculos ipſi Sedechiæ eruit, ac catenis compedibuſque vinctum, in Babylonem ſecum abduxit, & perpetuis mancipauit carceribus. Atque ita Diuina vtriuſque Prophetæ, tam Hieremiæ, quàm Ezechielis vaticinia, quamuis à Sedechia; quod diuerſa ac contraria eſſe videbantur, contempta, ipſo euētu ſunt impleta. Hieremiæ quidem, quod Hieroſolymæ præſens regi Sedechiæ ſemel, iterum, tertioque, ipſum à Chaldæis capiendum, & in Babylonem abducendum obnunciauerat. Ezechielis verò, quod eodem tempore apud Babylonem prophetans, etiam Hieroſolymam tranſmiſerat, Regem quidem capiendum, at Babyloniam non viſurum.

*4.Reg.25. Ierem.39. 52. Ierem.32. 34.38. Ezec.12. 17.32. Ioſeph.10. Antiq.9. & 10.*

81.

RECCATH, quæ & Rechath, Racath, & Raccath, præualida in tribu Neptalim ciuitas eſt. Ioſ. 19. Hierony. de loc. Hebr. lit. R.

82.

SAANANIM, aliâs Sannanim, Sahannim, Sahananim, & Sahanannim, Hieronymo Sienaim, ciuitas & quercetum in tribu Neptalim. Ioſ. 19. Iud. 4. in Hebr. Hierony. in Hebr. loc. lit. S. Mercat.

83.

SABARIM, ciuitas aut villa, quæ inter terminum Damaſci, & confinium Emath ſita, ad Septētrionem terræ promiſſæ limes eſt. Ezech. 47. Hieronym. ibid. & in loc. Hebr. lit. S.

84.

SABVL, aliàs Cabul, ſeu Chabul caſtrum, etiamnum forte & munitum à Saracenis Zabul dictum, quod à valle Sennim, quam

verſus Vulturnum reſpicit, duobus: verſus Septentrionem verò à ciuitate Sephet totidē milliaribus diſtat. Ab hoc caſtro etiam adiacens regio terra Sabul ſiue Zabul appellatur. Brocard.itin.3.Breidenb.eod.

85.

SALTVS LIBANI, hoc nomine in ſacra Scriptura, tota ſilua, tam quæ Libanum montem tegit, quàm quæ vel ad Meridiem, vel ad Septentrionem iuxta eum protenditur, intelligenda venit. Tyr.18.bell.ſac.11. Vitria.cap.35.

86.

SEDADA, Hieronymo Sadada. vrbs ſeu pagus, qui Septentrionalis terminus eſt terræ promiſſionis Num.34. Ezec.47.Hiero. ibid. & in loc.Hebr.lit.S.

87.

SEPHAMA, oppidum aut vicus, inter villam Enam & vrbem Reblata in ripa Iordanis ſitum. terminus Iſraëliticæ terræ ad Solis ortum.Num.34. Hieronym.de loc. Hebr.lit.S.

88.

SEPHET, ſiue Cephet, Zephet,& Saphet. vrbs in tribu Neptalim inter montana in altiſſimo monte ac loco pulcherrimo ſita, cuius liber Tobiæ meminit. (*Tob.1.*) Quæ à ciuitate Neptalim ad ſiniſtrum, hoc eſt,ad Septētrionem paulò plus vno miliario,& contra Auſtrum à caſtro Zabul tribus,verſus Occidentem à Mōte Chriſti totidem,contra Africum à Cedes Neptalim quatuor,verſus Orientem autem à mari magno decem miliaribus diſtat.

*Tyr.bell. ſacr.li.18. c.14.li.21. c.28.l.22. cap.16. Vitr.c.49. & 95. Brocard. itin 3. Breidenb. ibid. Salig.tom. 9.c.a.8. Herold.3. contin.bel. ſacr.8.*

Hæc vna fuit ex clariſſimis regionis Decapoleos ciuitatibus. ac Chriſtianorum tempore elegantiſſima firmiſſimaque arce munita, quæ tutum ac inexpugnabile Chriſtianorum fuit aſylum,totiuſque Galilææ munitiſſimum: quod dominis militiæ templi ſeruandum defendendumque commiſſum erat. Rebus Chriſtianorum in terra ſancta deficientibus arx & vrbs hæc per deditionem in Saladini Damaſcenorum & Aegyptiorum Soldani poteſtatem deuenit, Qui eo ceu altiſſimo tutiſſimoq; nido vtens, totam inde Galilæam, ſortes ſcilicet tribuum Zabulon, Iſachar, Manaſſen,Neptalim,& Aſer,omnemque terram Ptolemaidem,Tyrum & Sydonem vſq; multo tempore ſibi parere coëgit. Nunc verò Turcis paret.

89.

SER, ciuitas eſt in tribu Neptalim, munitione præſtans.Ioſ.19.

90.

SILVA PANEADIS, quæ olim nomine Saltus Libani etiam comprehenſa, poſtea ab vrbe Paneade, cui proxima adiacet, vulgò Paneas ſilua dicta fuit, locus paſcendis gregibus maximè idoneus eſt.

In quo cùm Balduinus tertius, Hieroſolymorum rex, innumerabilem Arabum & Turcarum multitudinem, paſcuarum ſequentes commoditatem, Arabum more in tentorijs habitare, ac magnam gregum armentorumque vim pabulandi gratia, vnde vitam ſuſtentarent, eò adducere pleno conſenſu permiſiſſet:tandem ære grauatus alieno, cùm militibus non eſſet ſoluendo, impia quorundam ſuggeſtione,contra datam fidem ac pacta eos per milites ſuos partim occidit, partim fugauit, partim in ſeruitutem redegit, cunctaque eorum pecora diripuit. Ex quo tempore multæ eum calamitates ſecutæ ſunt. Tyr. bel. ſac. lib. 18. cap. 11. lib.21.cap. 10. & 27. Vitriac. cap.35. Niger geogr. Aſ.com.4.

91.

TABERNACVLVM ABER CINAEI, quod olim haud longè à ciuitate Aſor, in valle Sennim, verſus Vulturnum quatuor à Caſtro regio, contra Africum autem à caſtro Zabul tribus miliaribus tetenderat. Ad quod cùm Siſara princeps exercitus Iabin regis Aſor à Debora & Barac iuxta montem Tabor victus,profugiſſet, à Iahel vxore Aber Cinæi clauo tabernaculi per tempora mallei ictu transfixo,occiſus eſt.Iudic.4.5. Broca. itin. 3.Breidenb.ibid.

92.

TELONIVM, domus erat mari Galilææ iuxta Capharnaum adiacens; in qua Publicani, hoc eſt,qui publica Senatus populiq; Romani tributa & vectigalia à ſubditis pendēda certo conſtituto precio redemerant; ea à prætenauigantibus & applicantibus recipiebant. Quorum licet officium, vt eſt Reipublicæ neceſſarium, ita ſine peccato conſiſtere poſſit:quoniam tamē huiuſmodi hominum genus plerunque nullam religionis habet rationem,& quæſtui & auaritiæ penitùs addictum,vi & rapina peccare,& ſupra quàm ipſis à principibus præſcriptum eſt, à populo extorquere,ſuique commodi ex publicis incommodis negotium agere ſolet;ob hæc Publicani, quaſi publici peccatores apud Iudæos (vt apud Chriſtianos publici fœneratores) vel maximè erant infames. His accedit, quòd olim Iudæi ab huiuſmodi tributo liberi, contra Diuinæ legis libertatem, à Publicanis Romanorum miniſtris iniuſtè & tyrannicè hac extorſione ſe premi putauerint.

Hac cùm Ieſus quondam præteriret, Matthæo publicano, quem in telonio menſæ vectigalis adſidere videbat, ait; Sequere me. (*Matt.9. Marc.2. Luc.5.*) Cuius vtriq; occultæ Diuinitatis Maieſtate atque fulgore, quæ etiam, vt habet D. Hieronym. in humana facie relucebat, Matthæus totus cōmotus eſt. (*Hieron.in Matth.9.*) & ſicut Magnes ferrum aut annulos ſibi copulat:ita & Chriſtus etiam primo aſpectu eius ad ſe cor attraxit, vt mox ſurgens, cùm in domo ſua Dominum vnà cum

multis



multis publicanis & peccatoribus magno, opulento,& honorifico conuiuio ſplendidè excepiſſet;negotijs, rebuſq; ac poſſeſſionibus omnibus relictis, deinceps ſecutus eſt eum.

Referunt qui hanc terram diligentius perluſtrauerunt,locum vnde Matthæus vocatus fuit, extra Capharnaum circa mare etiamnum demonſtrari. (*Ianſen. commen. in concord. Euang.ca. 33.*)

93.

TEMPLVM AVGVSTI elegantiſſimum,quod prope fontes Iordanis Herodes ſenior Cæſari Auguſto etiamnum viuo è candido marmore exſtruxit ac dedicauit. Ioſeph.15.antiq.13.& 1.bell.16.

94.

THELLA, aliâs Thalla, vicus Iordani proximus,qui verſus Orientem Galilæam ſuperiorem finit.Ioſeph.3.bell.2.

95.

TICHON,aliâs Thicon & Ethicon, vrbs ſiue pagus, qui eſt iuxta terminum Auranitidis regionis.Ezech.47.

96.

VADVM IACOB, locus eſt in pago Cades Neptalim, diſtans à Cæſarea Philippi miliaribus decem. vbi per pōtem tranſitus vltra Iordanem erat.

Vadum autē Iacob ideo appellatur, quod Maiorum traditiones habeant, hunc eum eſſe locum, vbi Iacob patriarcha à facie fratris ſui Eſau in Meſopotamiam Syriæ profugiēs, Iordanem tranſiuit,nihil ſecum præter baculum conferens. vnde cùm multo grege ditatus reuerteretur, lætus dixit. (*Geneſ.32.*) In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum: & nunc cum duabus turmis regredior.

Eodem hoc loco anno Chriſti ſupra milleſimum & centeſimum ſeptuageſimo octauo Hieroſolymorum rex Balduinus quartus ſuper ripas Iordanis in colle mediocriter eminenti ſex menſium ſpacio, miræ fortitudinis caſtrum in quadrum exædificauit:quò Saracenorum ex Damaſco in terram ſanctam repelleret excurſiones. Tyr.bel.ſacr.lib.18.ca. 13.& lib.21.cap.26.& lib.22.cap.22.

97.

VALLIS SENNIM, inter Caſtrum regium & caſtrum Sabul, non procul à ciuitatibus Aſor & Cedes Neptalim ſita. in qua Aber Cinæus tetenderat tabernaculum, in quo Siſara occiſus eſt,Iud.4.Brocar.iti.3.Breidenbach.ibid.

98.

VCVCA, aliâs Vcoca, Hucuca, & Hucoca, Hieronym.Icoc.ciuitas ſortis Neptalim, quæ in confinio tribuum Neptalim & Zabulon, haud procul à tribu Aſer ſita eſt.Ioſ.19. Hieron.de loc.Hebr.lit.I.

99.

VIA, quæ ducit in Galgala, quà Bacchides caſtra duxit.1.Machab.9.

100.

VIA maris, cuius in prophetia Iſaiæ, libro Tobiæ,& Euangelio Matthæi fit mentio, indeque nomen habet, quod è Syria in Occidentem ad Mare magnum ſeu mediterraneum ducat; publica quædam via eſt. (*Iſai.9. Tob.1. Matth.4. Lira.ibid. Brocard. itin 3. Breidenb. ibid.*) Quæ initium in Syria ſumens, per montana Traconitidis regionis & ciuitates Cedar & Corozaim, atque Iordanem fluuium, tandemq; vrbem Capharnaum tranſit, illincque per littus Maris Galilææ procedens, iuxta ciuitates Bethſaidam, Neptalim, Sephet,& Naaſon præterit; & per Galilæam gentium, ac vallem Aſer, quæ nunc S. Georgij appellatur, Ptolemaidē decurrens, merces ſuas in vniuerſum Occidentem diſtrahendas,ad mare magnum exonerat.

101.

ZEPHRONA, ſiue Sephrona, aliâs Ebrona, Hebraicè Ziphrona, ciuitas aut vicus, qui ad Septentrionem terræ promiſſæ terminus eſt. Numer.34. Hieronymus in Ezech.47.

# P.

## Pharan deſertum, & confinia eius, cum parte Ægypti.

### I.

*[Geneſ. 21. Num. 10. 13. 20. Deu. 1. 32. 1. Reg. 25. 3. Reg. 11. Ierem. 2. Iud. 5. Breidenb. die 10. Septembr.]*

PHARAN deſertum ampliſſimum, vaſtiſſimum, inuium, & inaquoſum, continens à monte Sinai vſque Cadesbarne iter vndecim dierum, cuius terra nec arari poteſt, nec ſeri, tota arida eſt, ſterilis & ſqualida, inhabitabilis, hominibus, villis, domib. & caſis carens; vbi nec homines videntur, nec beſtia, nec aues; imò nec arbores, nec germen aliquod, ſed non niſi rupes & mõtes ſaxoſi, altiſſimi, aſperrimi, vndiq; prærupti & præcipites, mixti coloris, rubei & nigri, ſolis ardoribus exuſti; quo ſplendente videntur ſaxa refulgentia, quaſi eſſent oleo inuncta, quæ ipſo viſu horroris ſpeciem & mortis imaginem præ ſe ferũt. Terra autem cæloque aquarum penuria eſt; iacent arenæ ſteriles, quas vbi vapor ſolis accendit, feruido ſole exurente veſtigia, intolerabilis æſtus exiſtit. Luctandum inſuper eſt, non tantùm cum ardore & ſiccitate regionis, ſed etiam cum tenaciſſimo ſabulo, quod præaltum & veſtigio cedens, ægrè moliuntur pedes. *[Deut. 2. 8. 29. Num. 14. 26.]* In hoc deſerto vagati ſunt filij Iſraël annis triginta octo, quo toto tempore, nec manna, nec aqua eos defecit; non veſtimenta, non calceamẽta eorum detrita ſunt; atque ex ipſis plus quàm ſexcenta virorum millia, præter mulieres & paruulos, ibi mortua, eorumque cadauera conſumpta ſunt. *[Num. 10. 12. 13. Deut. 1.]* Accipitur autem aliquando Pharan pro prima parte deſerti Arabiæ, prope montem Sinai; aliquando pro vltima parte verſus terram promiſſionis; aliquando vocatur deſertum Sin צ, quæ litera apud Hebræos eſt; aliquando deſertum Sinai, ab ipſo monte: ſed hoc nomen Pharan, viſum fuit nobis inter huius longiſſimi deſerti nomina generaliſſimum.

### 2.

ADORA, quæ & Abora, quæ & Doreon, vrbs Idumææ, quam cepit Hircanus. Ioſeph. 13. antiq. 16. 21.

### 3.

*[Pſalm. 77. 78. 104. 105. Geneſ. 10. Ioſeph. 1. antiq. 12. Hiero. quæ in Gen. 1. Euſeb. in chronicis. Ioſeph. 5. bell. 11.]*

AEGYPTVS regio, quæ & terra Cham ſæpe in ſacris literis dicitur, à filio Noë Cham, eius principe. A Prophetis appellatur lingua Hebraica Meſraim, ſiue Miſraim, à Meſraim filio Cham ita nuncupata; quondã Aëria dicta eſt. Et quidem inter cæteras orbis partes munitiſſima: nam & terra difficilis acceſſu, marique importuoſa eſt. Ab Occidente aridam Lybiam habet obiectã; à Meridie verò limitem, qui Syenẽ ab Aethiopia dirimit, nauibuſque inuias Nili fluminis cataractas; itemq; ab Oriente Mare rubrum, ad Copton ciuitatem vſq; diffuſum; Septentrionale verò munimentum habet terram vſq; ad Syriam, aut potius Palæſtinam, & quod dicitur Aegyptium pelagus, totum portubus carens. Atq; eſt regio ipſa latiſſima, in qua raro pluit, ſed Nilo ſtatis anni vicibus inundante, fœcundatur & irrigatur; frumenti, cucumerum, peponum, porrorum, ceparum, alliorum, holerũ, cæterorumq; terræ fructuum fertilitate, carnium, piſciumq; copia abũdat; adeo quidem, *[Num. 11.]* vt Romanorum tempore maxima fuerit imperij pars, propter frumentariam functionẽ: vt Veſpaſianus putaret, cùm primùm ad imperium aſſurgeret, ſi Aegypto potitus eſſet, vi quoq;, ſi perſtaret, deijciẽdum Vitellium; nec enim perpeſſurum eſſe populum Romanum ſe fame opprimi. Vrbes habet inſignes, Incolarum aliquando 750. myriades, præter plebẽ *[Ioſeph. 2. bell. 16.]* Alexandrinorum. Gens tota delicata eſt, libidini & ignauiæ dedita, quæ voluptatibus ſolùm & captãdis vndecunq; lucris occupetur: *[Hieron. in Iſai. c. 19.]* & quia vinum ibi rarum eſt, cereuiſia (potione ex frugibus aquaq; confecta) maximè vtũtur: mortalium pene omnium ſuperſtitioſiſſimi, vt qui beluas etiam & pecora Diuorum loco habeant; Apim, Pan, taurum, ſimiã caudatã, canes, hircos, aſinos, arietes, accipitres, noctuas, &c. Et de Api quidem multa memorant Plinius, Herodotus, Solinus, & alij. Erat *[Hierony. con. Iouin. lib. 2. & in Ezech. 29.]* autẽ bos corpore toto niger, candida in frõte macula, quem cùm ad ſe adductum Cambyſes, qui primus Perſicorum regum Aegyptum ſubiugauit, in femore vulneraſſet: dignus ſanè, inquit, Aegyptiorum Deus. Enimuerò ſingulæ pene vrbes, ſingulas in Aegypto beſtias venerabantur; vnde ab ipſis animalibus, ciuitatibus ibi nomen indebatur; vt Leonto, Cyno, Lyco, Buſyris, Tmuis, à leone, cane, lupo, buſyride, boue, hirco, vt videlicet conſtaret omnibus, quales ibi Deos colerent. Ingreſſo *[Hieron. in Iſai. 19.]* autem in eam terram Chriſto, ſimulacra & idôla omnia corruerunt; prædicante verò ibi ſancto Marco Euangeliſta, præ cæteris nationibus Chriſtianorum & eremitarum nobilitate & multitudine floruerunt. *[Exod. 1.]* Atque in hac terra filij Iſraël, multis annis duriſſimis operibus luti & lateris oppreſſi, deſeruierunt, atque inde maximo miraculo liberati, in terram promiſſam deſcenderunt.

*[Hieron. in Ezech. 28. 29. Ioſeph. 2. antiq. 9. & 8. antiq. 6.]*

Cæterùm, quemadmodum apud Romanos Cæſares & Auguſti reges eorum appellantur à primo C. Ceſare, & adoptiuo eius filio Octauiano, qui poſtea Auguſtus eſt appellatus; apud Syros, Antiochi; apud Perſas, Arſacidæ; apud Philiſtæos, Abimelec: ita apud Aegyptios, Pharaonis, & poſt Alexandrum Ptolomæi vocabulo regia dignitas demonſtrabatur. Patrum noſtrorum memoria, euerſo Sultani & Mamalucorum imperio, tota ea terra Selymi Turcarum Imperatoris poteſtati ſubiecta eſt; & ad hunc diem poſſidetur. *[Paulus Iou. in hiſt. tom. 1.]*

### 4.

MARE AEGYPTIACVM. Iſa. 11. totum caret portubus. Ioſep. 5. bell. Iud. 11.


PHARAN deſertum, et
confinia eius cum parte Ægypti. ea vi:
delicet terræ regio, in qua filij Iſraël poſt
exitum de Ægypto triginta octo annis
vagati ſunt antequam terram promiſſam
ingrederentur.
Deſertum Moab
PARS TRIBVS RVBEN.
ARABIÆ PETRÆÆ PARS.
AMALECITIS gens et regio quæ hinc ad Ægiptũ uſq. extenditur. 9
Euila ſolitudo. 43
Deſertum in quod et Cades. 22. et 113.
Pars Maris Mortui
PARS TRIBVS IVDÆ.
Montes Seir
EDOM QVÆ ET IDVMEA
Via maris rubri. 111.
Mons Sinai
Deſertum Sinai
Deſertum Sin
MARE RVBRVM
SINVS ARABICVS. 86
Terra Madian
Deſertum Thebaidis. 102
Thebais Regio
PHARAN. ſeu planicies Pharan. 74
Campeſtria
Cedar Regio
Iſmaëlitarum ſeu Agarenorum quos nunc Saracenos vocant. 27.
Deſertum Etham. 41.
Terra Geſſen 46
ÆGYPTI
PARS. 3.
OCCIDENS.
MERIDIES.
AQVILO
ORIENS
Tabernaculum
Caſiotis Regio. 25
Sirbonis lacus
Via Ægypti 106
Cedar Regio
Caſius mons 25
PARS MARIS MAGNI
MARE ÆGYPTICUM. 4

5.

ASIMON, locus deſerti, deniq; & ipſum vocabulum incultam terram deſertamque ſignificat. Hieron. in loc. Hebr.

6.

*Ierem. 46. Ezech. 30. Naum 3. & ibi Hie.*

ALEXANDRIA, Hebraicè quondam No dicta. fuit vrbs potens, & totius AEgypti celeberrima, populoſa, opulenta, muniſſima. Habet enim pro muro aquas circumquaque. Hinc Nilo, inde lacu Mareotico ſeu Meotide, ab alia parte mari ipſo cingitur. Hāc iuxta Prophetarum vaticinia, à Nabuchodonoſor, & Chaldæis deſtructam, diu poſt, ante Chriſti aduentum anno 320. Alexander Magnus Macedonum Rex, ad effigiem Macedonicæ clamidis, orbe gyrato, ſpacio ſeptendecim dierum, vt Iuſtinus teſtatur, libro 11. extructis muris, qui ſe extenderent ad ſex millia paſſuum, magnificè reſtituens, de ſuo nomine appellauit Alexandriam. Vrbs omnium poſt Romam maxima, longa ſtadijs triginta, lata decem, ambitu ipſo complectitur paſſuum millia quindecim. Eſt autem vel in primis admirandus vrbis illius portus; cùm ſit ea loci natura, vt difficilimū videatur vel tranquillis circumquaque omnibus eò pertingere: nam & oſtium peranguſtum habet, ſaxiſque latentibus à directo curſu deflectitur; & læua quidem pars manufactis brachijs cingitur; à dextera verò Pharus obiecta inſula, turrim maximam ſuſtinet, ad trecenta vſq; ſtadia nauigantibus igne lucentem, vt quàm longiſſimè difficultatem applicandarum nauium præcaueant.

*Ioſeph. 2. bell. 16. & 5. bell. 11.*

*VVil. Tyr. 19. bel ſac. 27. & cæt.*

Circa hanc autem inſulam opere inſtructo ingentes muri ſunt, quibus afflictum pelagus, & obiectis obicibus fractum, aſperiorem facit meatum, eoque periculoſum per anguſtiam aditum: intus tamē portus ipſe tutiſſimus eſt, & triginta ſtadijs magnus, in quem tam quæ deſunt illi terræ ad beatitudinem deuehūtur, quàm quæ ſuperāt ex domeſticis & indigenis in totum orbem diuiſa exportantur. Propter loci cōmoditatem metropolis fuit totius Aegypti, & celeberrimum orbis emporium, populis & diuitijs abundans. quo tempore Romanis paruit, pendebat plus tributorum ſingulis menſibus, quàm Ieroſolyma toto anno; & præter pecuniam, quatuor menſium annonam Romanæ plebi miniſtrabat. Habuit ſcholam omnium diſciplinarum, & bibliotecam inſtructiſſimam, quæ continebat 40. librorum millia; quam primus dicitur inſtituiſſe Ariſtoteles, magnificè auxiſſe Ptolomæus. Sed hic tantus theſaurus, cum incomparabili totius orbis detrimento, in illa Iulij Cæſaris fuga, & mox victoria, totus igne perijt. Annunciauit hic Chriſtum Euangeliſta primus D. Marcus; cumq; ibi Epiſcopus ſediſſet annis viginti, laqueo ſtrangulatus eſt; cuius tumulum etate Hieronymi pijſſimus quiſque ibi venerabatur. at verò excelluit mox viris clariſſimis, atque ob cultum diuinum iſthic florentem, plebiſque ſanctimoniam paradyſum Domini veteres eam nuncupabant. Fuit enim illuſtris prælatione ſanctorum Patrum Athanaſij & Cyrilli, eorumq; tumulis decorata: habuit Origenem, Philonem, Dionyſium, Didimum, vt infinitos alios taceamus; quem poſtremum vt docētem audiret, eò contendit Hieronymus. atque ibidem S. Catharina virgo decollata, vt multi autores ſunt, lac pro ſanguine fudit. Obtinuit ſecundum inter Patriarchas locū AEgypti, Lybiæ, Pētapolis, & multarum prouinciarum reuerenda metropolis: iam à Turcis poſſidetur, & multum ab illa priſtina nobilitate degenerauit, quemadmodum & Antiochia.

*Strab. Geogr. lib. 13.*

*Hieron. in loc. Actor.*

*VVil. lib. 19. bel. 27. Hieron. de vir. illuſtr. Breidenb.*

7.

ALVA, quæ & Alia, ciuitas Idumæorum. Geneſ. 36. 1. Paral. 1.

8.

ALVS; vbi decima manſio filiorum Iſrael in deſerto. Num. 33.

9.

AMALEC ciuitas; vnde & Amalecitis regio, & populi Amalecitæ, orti ab Amalec filio Eliphaz primogeniti Eſau ex Thāna concubina Eliphaz: hi impugnarunt in Raphidim Iſraelem aſcendentem ex Aegypto, cuius iniuriæ memor Dominus, voluit illos per Saul internecione deleri.

*Num. 13. Geneſ. 14. 36. 1. Reg. 15. Brocar. & Breid. it. 6. Ioſeph. 2. antiq. 1. Exod. 17.*

10.

AMORRHAEVS mons, qui & Melani montes à Græco dicuntur; & hîc habitabant quoque Amorrhæi. Fit etiam in ſcripturis mentio fluuij Amorrhæi.

*Ptolom. 5. cap. 17. Deute. 1. Iud. 1. 4. Eſdr. 1.*

11.

AQVAE contradictionis. Manſio 33. Petra hæc, Dei precepto & iuſſu, virga Moyſis bis percuſſa, effudit Iſraelitis aquas largiſſimas: & quoniam Moyſes & Aaron Deo non confiderant, idcirco neuter eorum potuit introire terram promiſſionis. etiamnum tempore Hieronymi rupes ea hîc oſtendebatur. atque hinc miſſis ad Edom nuncijs à Moyſe tranſitus petitur, ſed non impetratur.

*Nu. 20. 27. Deut. 32. 33. Pſalm. 80. 104. 105. Sapien. 11. & alib. Hieron. in Gene. & in loc. Hebr.*

12.

ARADA, manſio 21. Numer. 33.

13.

ASERIM ciuitas, in qua Heuei, ſiue Euei gigantes habitarunt, orti primùm ab Euæo filio Chanaan. ſita eſt in dorſo montis Seir, inter Aegyptum & Chananæam, vt quibuſdam videtur. Aſeroth appellata ſunt hæc loca; ſed Hebræi Aſerim nominant.

*Deut. 2. Ioſue 13. 4. Reg. 17. Hieron. in loc. Hebr.*

14.

ASEROTH, quæ & Eſerimoth, manſio decima quarta; vbi Maria & Aarō murmurauerunt cōtra Moyſem propter Aethiopiſſam: quapropter Maria lepra perfuſa, & ſeptem

*Nu. 11. 12. 13. 33. Deute. 1.*

*Hieron in loc. Heb.*

ſeptem diebus extra caſtra ſeparata, oratione Moyſis recepit ſanitatem. Hebręis appellatur Aſedoth, vt quidam volunt, ſed, quemadmodum inquit Hieronymus, Aſedoth eſt alia ciuitas, quam expugnauit Ioſue, Rege eius interfecto.

15.

*Num. 33. Deuter. 2. 3 Reg. 9. 2. Par. 8. 20 3. Reg. 22.*

ASIONGABER, manſio 32. eaque vltima ſolitudinis Pharan, ciuitas & portus Iudæorum fuit in littore maris rubri, in terra Edom; quo Reges Iudę ad Iudaicas nauigationes vſi ſunt: vnde & rex Solomon ibi claſſem fecit, eamq; mittens in Ophir Indiæ, quę poſt aurea terra nominata eſt, magnam vim auri inde aſportauit. Rex Iudæ Ioſaphat cùm hoc ipſo loco claſſem inſtruxiſſet, nauigaturam in Ophir pro auro, tota vi tempeſtatis contrita eſt, eò quod ſocietatem inijſſet cum impio Rege Iſraël. Ioſephi tempore Berenice vocabatur; Hieronymi autem Eſſia. Sed quod in Regum libris ſcribitur, claſſem iuiſſe in Tharſis, varia doctiſſimorum hominum ſententia eſt: nam vel Indiæ reio eſt hoc nomine, vel certè omne pelagus Tharſis appellatur. Coſmographis creditur eſſe in Africa, & nunc Zaphalla vocari, vbi aurifodina inueniatur. Et Hieronymus alibi docet, per Tharſim ſignificari vel vrbem Ciliciæ, vel Carthaginem Africæ, vel Indiam.

*Ioſeph. 8. antiq. 6. Bened. in 3. Reg. 10. Hieron. ſuper 10. cap. Iere. & in loc. Hebr. & in Iſai. 2. cap.*

16.

AVRIFODINA, Hebraicè Dizahab, Gręcè catachryſea dicta; vbi auri eſt plurimum. Sunt autem mõtes auri fertiles in deſerto, itinere vndecim dierum de Oreb, iuxta quos Moyſes Deuteronomium ſcripſiſſe perhibetur: ſed & metalli æris, quod noſtro tempore corruit, monteſque venarum auri plenos olim fuiſſe vicinos exiſtimant. Deuter. 1. Hieronym. in loc. Hebr. & epiſt. ad Fabiolam manſ. 42.

17.

BEELSEPHON, alij Bahalſephon, locus ſeu ciuitas ad rubrum mare ſita. Exod. 14. Num. 33. Ioſeph. 2. antiq. 13.

18.

BENEIACHAN, quæ & Beroth filiorũ Iachan, manſio 28. Nume. 33. Deutero. 10.

19.

BOSRA, aliâs Bozra, egregia in Idumæa vrbs eſt, non longè à ciuitate Theman diſſita; habet à firmiſſima munitione nomẽ. Patria fuit Iobab. Gen. 36. meminit huius Iſai. 36. Ierem. 49. Amos 1. & iterum Iſai. 63. ſed ſenſu Allegorico, vt tradũt Hieron. in eum locum, & Dionyſ. Areopag. cæleſt. hier. cap. 7.

20.

BVZ, ciuitas Idumææ, in terra Cedar; cõtra quã prophetauit Ieremias. Iere. 25. Hier. ib.

21.

*Geneſ. 14. 16. 20. 30.*

CADES, vrbs in finibus Edom; vbi principes Amalec à Chodorlahomor cęſi ſunt: per anticipationem dicta eſt fons Meſphat, ſiue Miſphat, id eſt, fons iudicij, quod ibi Deus populum iudicauit, à qua & adiacens ſolitudo appellatur deſertum Cades.

*Hieron. in quæſt. & loc. Heb. Num. 13. 20. 23. 27. Deut. 1. 32. Iud. 11. Pſalm. 28.*

22.

DESERTVM Cades, vbi manſio 33. quæ fortè rectius ponetur in ipſa Cades. In hac manſione anno quadrageſimo egreſſionis de AEgypto, Maria ſoror Moyſi mortua eſt, & ſepulta; cuius ſepulcrum monſtrabatur ibi ætate Hieronymi. Sed & ſcriptura deſertũ Cades contra faciem Aegypti extẽdi memorat, ad quod primùm venerunt Hebræi, mari rubro tranſuadato.

*Hieron. in loc. Hebr. Num. 20.*

23.

PALMA Cades. Eccleſiaſt. 24.

24.

*Num. 13. 14. 32. 34. Deuter. 1. 2. 9. Ioſ. 10. 14. 15.*

CADESBARNE ciuitas, quod probabilius eſt; alij volunt locum fuiſſe in deſerto Pharan. Hinc Moyſes exploratores duodecim miſit, ad conſiderandam terram promiſſionis: qua diligenter explorata à deſerto Zin vſq; Roob & Emath, & inde verſus meridiem vſq; Hebron, cùm redijſſent de Neheneſcol, deferẽtes palmitem cum vua ſua in vecte duo viri, & pæne omnes terræ, quam conſpexerant, detraherent, ſuadentes populo redire in AEgyptum, à Deo iuſſi ſunt reuerti per viam maris rubri in deſertum, & circumire montem Seir annis triginta octo, atque ita vagari per deſertum annis quadraginta, donec morerentur illi omnes, qui murmurauerant, à viginti annis & ſupra, cadaueribus ipſorum ibi conſumptis, filijs eorum in poſſeſſionem terræ ſanctæ deducendis; & ab hoc loco quoniam redierunt in deſertum, vocant deſertum Cadeſbarne. Brocard. & Breidenb.

*VVilh. 19. bell. 12. Brocard. itin. 6. Breid. eod.*

25.

CASIVS mons, & ciuitas, vt quidam volunt, in quo eſt Caſij Iouis templum, & ſepulcrum Pompeij Magni, qui haud procul inde nauigans occiſus fuit. Hinc Caſiotis & Caſſiotis regio. Ioſeph. 5. bell. 14. Hiero. in Iſai. 19. Plin. lib. 5. & alij. eſt & terminus Syrię & Aegypti: eſtq; alter eiuſdem nominis mons Caſius apud Antiochiam Syriæ, de quo Solin. c. 49. de cuius excelſa altitudine dies noxq; pariter oſtenduntur, ait Plin. lib. 5. cap. 22.

26.

CASTRA ad mare rubrum, vbi manſio 7. iuxta ſinum quendam maris rubri, qui carecto, iuncis & ſcirpis plenus erat. Num. 33. Hieron. de 42. manſ. ad Fabiolam.

27.

*Geneſ. 21. 25. 37. Iud. 8. 1. Par. 1. 3. 27.*

CEDAR, hebr. Chedar, regio deſerti, à Cedar filio Iſmaëlis ita cognominata, in qua habitabãt Iſmaëlitæ, ſic dicti ab Iſmaële filio Abrahę, qui & Agareni ab Agar ancilla Abrahæ; nunc peruerſo & falſo nomine Saracenos ſe vocant, à Sara vxore Abrahæ, mendax ſibi nomen aſſumentes Prophetauerunt contra hanc Iſai. & Hieremias, fuerunt Iſmaëlitæ ſemper fortes & feroces ſagittarij, gens ſemper vaga, & ſine certis ſedibus paſſim inerrantes, camelorum lacte & carnibus viuunt, & cùm ita totam illam ſolitudinem peruagẽtur, infeſti ſunt finitimis omnibus, vt compleretur verbum Domini de Iſmaele: hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, & è regione vniuerſorum fratrum ſuorum figet tabernacula. Atq; his artibus & prædandi licentia paulatim longè lateq; dominati ſunt. degunt mitrati & intonſo crine, labra ſuperiora non radunt, cætera tonſi; ſagittas veneno inficiunt. ex his ortum & originem habent Arabes, qui quaſi ex traditione videlicet ſuorum maiorum decimo tertio ætatis anno pueros ſuos circumcidunt, quod ea ætate Iſmael à Patre ſit circumciſus. Ex hac Iſmaelis Arabumq; gente ortus eſt Mahometus Arabs, qui cum moriens ſeſe in cælum dixiſſet abiturũ, illis diu & nequicquam rei miraculum expectantibus, tandem tetro coacti odore, cadauer eius ferrea arca, quam ſibi viuus pro monumento extrui iuſſerat, incluſerunt, & ſeruant ad cultum & idolum poſterorum.

*Pſalm. 8. Thren. 3. Iſai. 21. 60. & ibi. Hie. Iere. 2. 49. Ezech. 25. 27. Hieron. quæſt. Heb. in Gene. et in loc. Heb. & contra Iouinian. Geneſ. 16. Ioſeph. 1. ant. 20. 21. Lodoi. Ro. nauig. li. 1.*



28.

CEELATA, manſio 19. vbi quidam ligna colligens ſabbato, ob hoc incarceratus, Dei voce condemnatus, & extra caſtra lapidatus eſt. Numer. 15. 33.

29.

CENEZ, Hieronymo Cene, ciuitas & regio principum Idumæorum; cuius incolæ appellantur Cenezæi. Geneſ. 36. 1. Paralipo. 1. Geneſ. 15. Num. 23. Hieronym. in loc. Hebr.

30.

HIC Cananæus rex Arad pugnauit contra Iſrael, & victus eſt, qui loco nomen anathema indiderunt. Num. 21.

31.

DAPHCA, alijs Daphchah, vbi manſio 9. Mum. 33.

32.

*Hieron. in loc. Hebr. VVilh. Ty. 20. bel. 20. 21. 22 &c.*

DARON, meminit Ezechiel, quod Symmachus vertit in Africum. A Chriſtianis autem caſtrum fuit exædificatum apud torrentem, qui dicitur Aegypti, & primùm quidem ab Amalrico, poſtea ab alijs auctum ſuburbijs.

33.

*Iſai. 21. Ie. 25. 49. Ezech. 25. 27. 38. & ibid. Hier. & in loc. Hebr.*

DEDAN, quæ & Dadan, & Dedanim, & Dodanim, vrbs Idumææ; contra quam prophetarunt Iſaias & cæt. ſita eſt in excelſo loco. Meminit & ſaltus iuxta Dedanim Iſaias cap. 21.

34.

DENABA, ciuitas Idumææ, in qua regnauit Bale rex Edom. Geneſ. 36. 1. Paralippom. 1.

35.

*Iſai. 21. & ibi. Hiero. & in tradition. Hebr. in Geneſ. Ioſeph. 3. bell. 2.*

DVMA, quæ & Idume, & Idumæa, vna ex vndecim Iudææ toparchijs. Idumææ metropolis, vnde etiam per Antonomaſiam pro Idumæa ſumitur. Eſt & regio Duma, ſic dicta à Duma Iſmaelis filio.

36.

ELA, vrbs Eſau & Idumæorum, cuius dux nominatur. Gene. 36. 1. Paral. 1.

37.

*Deut. 2. 3. Reg. 9. 4. Reg. 14. 16. 2. Para. 8. 26. Hieron in Ezech. 47. & in vita Hilarion.*

ELATH, quæ & Ahilath, & Ailat, & Aloth, & poſt Aila, ſiue Haila, vrbs regni Edom, in littore maris rubri ſita; vnde ex Aegypto in Indiam, & inde ad Aegyptum nauigatur, quam tranſierunt filij Iſrael. ædificauit aliquando hanc Ozias rex Iuda, & redegit ſub imperium ſuum; ſed non ita multò poſt eripuit Raſin Rex Syriæ, eiectiſque Iudæis reſtituit eam Syriæ. Tempore Hieronymi morabatur ibi, & erat in præſidio legio Romanorum, cognomento decima. Fuit & Elamitarum quondam natio, cui imperauit Chodorlahomor, cuius & in Actis quoq; Apoſtolorum fit mẽtio; & in Regnorum libris vrbs quædam Palæſtinæ Elam ſcribitur. Hieron. in loc. Hebr.

38.

SPELVNCA Eliæ in monte Oreb, vbi vidit, quantum homini licet, tranſeuntem Dominum. 3. Reg. 19.

39.

ELIM, manſio 6. Hîc filij Iſrael repererunt duodecim fontes aquarum & ſeptuaginta palmas. Exod. 15. 16. Numer. 33. Vocat hanc Helim VVilh. Tyr. 11. bell. ſacr. 29. Eſt etiam Elim nomen ciuitatis Moabitarũ. Exo. 16. Num. 35. & nomen putei, Iſaiæ 15. aut etiam ciuitatis Moabitarum, & debet legi Beer-elim, Benedictus.

40.

ESMONA, Hierony. Aſmona, vel Aſemona, manſio 26. Num. 33.

41.

ETHAM, deſertum magnum & arenoſum ad mare rubrum, quod tranſiuit populus Iſraeliticus, ante ingreſſum maris. Exod. 15.

## 42.

*Exod.13. 33.34. Num.22. 33.& alib.*

ETHAM, manſio 3. Hîc primùm viſus eſt Dominus,& cæpit adeſſe Iſraëlitis in columna nubis per diem, & ignis per noctē, quæ deinceps interdiu ſuper eos extēſa obumbrabat & protegebat eos ab æſtu ſolis,& tota nocte lucens, illuminabat eos, quotieſcunq; autem migrandum erat aliò, ceu dux præcedens ignotæ viæ iter oſtendebat. Eſt & fluuius Ethan,quem ſicco alueo tranſierunt Iſraëlitæ; ſecundum illud Pſal.73. Tu ſiccaſti fluuios Ethan.fortè tamen dicendum erit,nō tam proprium hoc eſſe nomen fluuiorum, ſed à terra, vel deſerto, per quod fluunt ita deſcribi.

## 43.

EVILA ſolitudo. hucuſque extendebat ſe habitatio Iſmael, & poſterorum eius. Ab hac vſq; Sur percuſſit Saul Amalecitas.Gen.25. 1.Reg.15.Hier.in loc. Hebr.

## 44.

FACIDIA, vicus Rhinocoruræ. Hieron. in Vita Hilarion.

## 45.

GADGAD,mons, vbi manſio 29. Num.33. Deut. 10. Nominatur & Gaggada ab Hieronymo(fortè Ietabata)locus in ſolitudine, vbi aquarum torrentes ſunt. Hierony. in loc. Heb.

## 46.

*Geneſ.45. 46.47.50. Exod.8. Iudith.1. Hier.quæ Hebr. in Geneſ.*

TERRA GESSEN, ſiue Ieſſen, Hebraicè Goſen, regio paſtoralis,optima totius Aegypti,& paſcendis gregibus aptiſſima; quam parenti ſuo Iacob,& fratribus à Pharaone impetrauit Ioſeph, inq; ea habitarunt & multiplicati ſunt nimis.Hanc nonnulli Iudæorum aſſerunt nunc Thebaidem vocari.

## 47.

HEBRONA, vbi manſio 31.Num.33.

## 48.

*Iſai.19. Ioſeph.2. antiq.7. Geneſ.14. Ezec.30. & ibi Hie. Ioſeph.13. anti.4.& 7.bel.30. & 14. anti.16.& 1.bel.7. Hieron.in Dani.c.11. Matt.2. Sal.tom. 10.ca.6. Brocar.in deſcript. Aegypti.*

HELIOPOLIS, id eſt,ciuitas ſolis, Hebraicè dicta On, quæ & Thebe aliâs vocatur, vrbs Aegypti heroica, ambitu centum quadraginta ſtadiorum,inſignis publicis priuatiſque ædificijs. Huius ſacerdos erat Phutiphar, cuius filiam duxit in vxorem Ioſeph. In agro huic vrbi ſubiecto habitauit cum ſuis liberis Patriarcha Iacob. Inibi Onias Iudæorum ſacerdos ſub Ptolomæo Philometore ædificauit templum Hieroſolymitano ſimile, quod permanſit vſq; ad imperium Veſpaſiani, annis trecentis quinquaginta,à quo & vrbs Onion & Onij,terra circumiacens regio Oniæ nuncupata eſt. Eo ipſo in loco puer Ieſus, ſexennio Iudæa exul, cum parentibus commoratus eſt:vbi etiamnum oſtenditur fons Ieſu, aut B.Mariæ paruus quidem, vberrrimè tamē fluens, & irrigans hortū balſami;ex quo puer Ieſus, B. Maria, & Ioſeph ſæpè bibiſſe feruntur, qui ob id venerationi ab incolis habetur, non modò Chriſtianis,ſed & Saracenis. Exiſtimat autem Breidenbachius propter nobilitatem aquarum fontis illius ibi balſamum oriri:cui argumentum ponit, quod nuſquam alibi niſi de illius aquæ creſcat fœcunditate; tum ſi ramuſculi balſami de illo loco ſumantur,& alibi plantentur, ſtatim exareſcant; atque adeò deficiente hac ipſa aqua deficit balſamum.ſed de hoc,vt quiſque volet, ita ſentiat : quidam hanc volunt à Græcis dictam Thebe;mihi quidem veriſimile non fit, hanc vel eſſe,vel fuiſſe, quā miraculo magno penſilem memorant hiſtorici; ideoque eam poſt deſcribemus; niſi quis duas ponat huius nominis vrbes:quarum altera Thebe,quæ & Heliopolis;hæc verò Thebæ in plurali dicantur ſunt alij,qui eā fuiſſe dicunt Heliopolim,quæ recentioribus dicta eſt Damiata:de qua in Peluſio dicemus.

*Breid die 6.Octob.*

*VVilh.Ty. 19.bel. 24 & 20.bell. 9.*

## 49.

HEROVM, ciuitas Aegypti. hucuſq; occurrit obuiam venienti patri ſuo Iacobo Ioſeph filius. Ioſeph.2.antiq.7. Hieron.in loc. Hebr.

## 50.

*Num.20. 21.23. Deut.32.*

HOR, mons excelſus, vbi manſio 34. in huius montis vertice, anno quadrageſimo egreſſionis Iſraël de AEgypto, Aaron mortuus eſt,& ſepultus;Elezar filius eius loco Pontifex à Moyſe conſecratus.neq; repugnat, quod Deute.10 Aaron in Moſeroth dicatur mortuus.neque enim Moſeroth longè diſtat ab Hor monte. VVeiſs.

## 51.

DESERTVM idumææ.4.Reg.3.Pſalm. 62.fit & mentio Campeſtrium Idumææ apud. VVilhel.Tyr.20.belli ſacr.29.

## 52.

IETABATA, vbi manſio 30. in terra, vbi erant torrentes aquarum. Num.3. Deuteronom.10.

## 53.

*Num.11. Hieron.in loc.Hebr.*

INCENSIO, ſiue Incendium, Græcè ἐμπυρισμος, manſio 13.In qua cùm populus, ob laborem & tædium itineris, murmuraret contra Dominum, ideoque caſtrorum partem cæleſtis ignis combuſſiſſet, orante Moyſe ignis extinctus eſt,humum verò flamma vorax conſumpſit.

## 54.

LEBNA, vbi manſio 17,Num.33.

## 55.

MACELOTH, vbi manſio 22.Num.33.

## 56.

*Ge.25.37. Abacuc.3. Ioſeph.2. bell.11. Exod.2.3. 4.18. Actor.7. Hieron.in loc.Hebr.*

MADIAN, vrbs regia gentis Amalec,ſita in littore maris rubri, ſic vocata à Madian vno filiorū Abraham, ex Cethura progenito; atq; hinc Madianæi, Madianitæ, & finitima regio terra Madian & Madianæa vocatur; eſtq; admodum fertilis camelorum &

ouium,



ouium. In regionem Madian fugit Moyſes occiſo Aegyptio, & ſuſceptus à Raguel ( qui & Iobab, & Ietro ) ſacerdote vrbis Madian, duxit Sephoram filiam eius vxorem habitauitq; ibi annis quadraginta, paſcens greges ſoceri ſui.ſed tamen quæri poteſt, an non hæc ad eos pertineant,qui deſcribuntur in Ruben. niſi quis continentem dicat,& vſque ad mare rubrum ſe extendiſſe Madian.

## 57.

*Ierem. 44. 46.*

MAGDALVM, vrbs Aegypti, in qua habitarunt reliquiæ Iudæorum, qui poſt necem Godoliæ, aſſumpto Hieremia, fugerant in Aegyptum metu Babyloniorum: ſed inuenit eos ibi manus Domini , atq cùm eorum plurimi à Nabuchodonoſor Aſſyriorū rege cæſi fuiſſent, cæteri capti, & in Babylonem abducti. ſecundum vaticinium Hieremiæ. diſtat ipſa vrbs Peluſio mille & ducentis paſſibus.Benedict.Hierem.44.

## 58.

MAGDALVS, locus in monte ſitus iuxta quem caſtra metati ſunt filij Iſrael. Exod.14.Num.33.Bened.in Hierem.c.44.

## 59.

MARA, ſiue Marath, fons;vbi manſio 5. Huius aquas amaras & impotabiles Moyſes,immiſſo in eas ligno, dulces fecit & potabiles.Exod.15.Num.33.Iudith.5.

## 60.

SEPVLCRVM Mariæ, ſororis Moyſis & Aaronis fratrum; de hoc & ſupra diximus in deſerto Cades.

## 61.

*Ioſeph.12. anti.12 & 13.ant.16 17. 21.& 14.anti.3. & alibi.*

MARISSA, Mariſa, & Adiſſa,vrbs Idumææ potens & opulenta; quam expugnauit & euertit primùm Iudas Machabæus; poſt eandem Hircanus cepit, Pompeius inſtaurauit,Pharthi rurſum euerterunt.

## 62.

*Ioſeph.8. antiq.6.*

MEMPHIS, Hebraicè Noph, ampliſſima Aegypti vrbs, & populoſiſſima, formā habet perſpicilli, ſita iuxta Heliopolim, eo loco,quo Nilus ſcinditur, & Δ formam facit, condita à Minæo Aegypti rege, vrbs poſt Alexandriā eius terræ longè maxima. alij fabulantur ante ingreſſum in Aegyptum Abrahæ,ab Ogdoo rege ædificatā, ambitu ſtadiorum centum quinquaginta; cuius filia Memphis ei nomen dederit,cum qua Nilus concubuerit ſub imagine tauri . poſita eſt in ripa Nili,tranſitque per eam riuus aquarū, à Nilo defluens;cui infra vrbem iterum iungitur, regia antiquitus monarcharum Aegypti . Viſebantur ibi opera regum varia, & faſtus Aegyptiaci, Pyramides,regū ſepulturę,&c.erantque ibi Magicarum artium peritiſſimi,& quę tum nominis eius vera fuit ſignificatio, primi Philoſophiæ magiſtri; quæ cauſa fuit,quod Pythagoras, & Plato philoſophorum laudatiſſimi, ad audiendos Memphiticos vates in Aegyptum ſe contulerint,malentes aliena verecundè diſcere,quàm ſua impudenter ingerere.neque non ſuperſtitioni fuit addictiſſima,vt quę Metropolis totius ſuperſtitionis ſit habita. Colebatur ibi etiamdū tempore Hieronymi æneum bouis ſimulacrum pro Deo; fuerat enim ibi quondam Apis,Apidis vel Serapidis templum, vbi conſultus dæmon reſponſa reddebat. Prophetarunt contra hanc Iſaias, Hieremias,Ezechiel & Oſee. ait etiam B. Hieron. Iudæos,qui profugi metu Babyloniorum conceſſerant in Aegyptum , ibi habitaſſe.Cepit illam poſtea deditione Antipater Herodis pater: poſt dicta eſt Aegypti Babylonia,nūc Arabū lingua Cayrus, vulgo Alcair,ſedes Sultani principis locorum illorū, de cuius magnitudine(eſſe ſcilicet quinquies Lutetia Pariſiorum maiorem ) & incredibili populorum frequentia, mira narrant noſtri temporis hiſtorici. Sed, vt rectè ait Breidenbachius, cùm multa ad eum modum retuliſſet,& inter cętera, quod plures ibi homines ſub dio viuant, proprijs ſedibus carentes, quam Venetijs habitatores; ſubiungit mox, ſe audita referre,neque enim ſe numeraſſe. Ait Lodoicus Romanus eſſe fama longè inferiorem, neque maiorē ambitu vrbe Roma, licet ſit multo frequētior; ſed fefellit, inquit ,complures ſuburbanus ager,qui vicis propè innumeris diſpergitur;ob id rati ſunt eam eſſe Babylonis partem, quod non conuenit. Poſſent de hac infinita propemodum referri, ſed conſilium non eſt hîc hiſtoriæ deſcribendæ vacare; ſed locorū duntaxat notitiam aperire, quantum ad Bibliorum intelligentiam confert. Eſt interim memorabile, quod narrat Breidenbachius, eſſe lacum propè hanc vrbem, qui ſingulis annis rubeſcat inſtar ſanguinis. Patrum noſtrorum memoria à Selimo Turcarum imperatore capta eſt, occiſo prius Campſone in acie, mox Tonumbeio ex fuga retracto, ſublato Mamaluchorum imperio;qua de re in hiſtorijs ſuis diſſerit paulus Iouius, & continuat. VVil. Ty.

*Breid.14. die Octob.*

*Hieron.in vita.S.Hilarionis.*

*Hieron.in Ezec.30.*

*Iſai.19. Ierem.2. 44.46. Ezech.3. Oſee 9.& ibi.Hier.et in lo.Heb. Ioſeph.14. antiq.16.*

*Nauig.lib. 1.cap.1.*

## 63.

METHCA, vbi manſio 25.Num.33.

## 64.

MOSEROTH, quæ & Moſera, manſio 27.Hiero.Maſurit.Num.33.Deut.10.

## 65.

NAIM, vicus Idumææ,muro cinctus inſtar caſtelli.Ioſeph.5.bel.7.

## 66.

NITRIA, oppidum Domini in Aegypto, in quo puriſſimo virtutum nitro ſordes lauantur quotidie plurimorum . Hieron. in epita. Paulæ.

## 67.

*Geneſ.2. 1.Par.13. Eccleſ.24. Benedic. in inter. nom.Heb.*

NILVS, qui & Geon,heb.Sior dicitur,fluuius nobiliſſimus, maximus,& celeberrimus,in Paradiſo terreſtri ortus (cuius tamen iam fruſtra ſperet ſe quiſquam veſtigia vlla conſecuturum, propter cataclyſmi, & aquarum maximas inundationes, quæ priſti-



nam

*VVilh.Ty. 11.bel.ſac. cap.31. Ezech.29. 30.& ibid. Hieron.*

ſtinam terræ formam prorſus immutatunt) atque inde vniuerſam Aegyptum & Aethiopiam perfluit; à Syene autem (quæ vltima Aegypti vrbs eſt verſus meridiem, in confinibus Aethiopiæ, ſub tropico cancri directè locata, vnde medio ſolſtitij die ſol nullam prorſus vmbram in ea facit, vbi cataractæ Nili ſunt; atque ad hunc vſque locum, de noſtro, hoc eſt, magno mari Nilus nauigabilis eſt) vſque Memphim ſeu Babyloniam, per ducenta quadraginta miliaria in vno fluit alueo, ac deinde ita ſe diuidit, vt triquetram terræ figuram, ac Δ græcæ literæ ſimilitudinem faciat; vnde apud hiſtoricos & alios coſmographos paſſim legimus, inferiorem illam Aegypti partem Delta appellari; atque ipſum Delta diuiditur in ſeptem partes ſeu oſtia, videlicet Peluſiacum, Taniticum, Mendeſicum, Phœneticum, Sebenniticum, Bolbiticum, & Canopicum; per quæ in mare proximum ſeu Aegypticacum Nilus exoneratur. Sed de hoc ipſo variæ Autorum ſententiæ ſunt: quantum enim conſtat, veteres fere arbitrati ſunt ſeptē eſſe oſtia, inde hoc:

*Plin.lib.5. cap.9. Ioſeph.1. bel.7.& 2. belli 21.*

—*ſeptemplicis oſtia Nili*, quam etiam nos, vt communiorem ſententiam, in deſcriptione ſequimur. VVilhelmus verò Tyrius diligenter & ſtudioſè ſibi inueſtiganti, non niſi quatuor oſtia reperta conteſtatur: quarum prima pars, inquit, quæ noſtram Syriam reſpicit, inter duas antiquiſſimas & maritimas vrbes Taphium & Pharaniam mare ingreditur; ſecunda apud Damiatam fretis adiungitur; tertia apud Sturionem; quarta apud Reſſith, qui locus Alexandriæ conterminus eſt. vnde plurimum miramur antiquos Nilium ſeptemfluum dixiſſe: neque aliud nobis de ſolutione orcurrit, niſi aut ſerie ſæculorum antiquiſſima faciem locorum alteratam, fluuiumque ſicut alijs amnibus crebrò ſolet accidere, alueum mutaſſe, aut priſtinæ ætatis viros rei veritatem non aſſecutos, &c. Vbi autem oriatur Nilus, longè maior ſcriptorum diſcrepātia eſt, vt in tam repugnantibus omnium ſententijs, Breidenbachij ratio longè ſit omnium expeditiſſima: ait enim à multis ſæpe Soldanis, miſſos fuiſſe cum nauibus viros, illarum rerum peritiſſimos, commeatu & alijs vitæ neceſſarijs inſtructos; quæ toto biennio aut triēnio ſufficerent, ſed illi cū tanto tēpore abfuiſſent, etiam vltra Indiam (ita ſæpe vocant partem ſuperioris Aethiopiæ) longè proceſſiſſent, redeuntes dicebant ſeſe finem vel terminum Nili vllum inuenire nō potuiſſe, neque aliud certi referre, quàm quod ab Oriente emanet, cùm etiam dicerent in Iudia nullam eſſe hominum habitationē, ſed terram prorſus inhabitabilem, tantum etiam ſolis ardorem, quod ferre nequaquam potuerint. hactenus ille. Aqua Nili turbida eſt, ſed vbi ad modicum tempus ſteterit, fit clara, dulcis & ſuauiſſima. Alit animalia venenoſa, & quæ plurimum hominibus noceant, crocodilos & enidros, alioqui piſcium vſque adeo abundans, vt appareat toto orbe parem huic fluuio nullum eſſe. Narrat etiam Breidenbachius, Nilum Dei diſpoſitione totā Aegyptū ſemel in anno irrigare, cumulis arenarū claudentibus oſtia eius, ne defluat in mare; poſt irrigationem autē ſolutis cumulis redire in alueum ſuum, & ſic tandē in mare delabi. Quod miraculo ſimile incredibile cuiquā videatur, vt proinde verius ſit acceſſione aliarum aquarum, aut alia naturali & abdita cauſſa, quēdamodum alia flumina, etiam Nilum creſcere, & adaugeri, atq; inde in proximos campos exūdare, eosq; irrigare; qua de re Pli.lib.5.cap.9.

*Lib.19.bel. ſac.ca.33. Ioſ.13. Die 7. Oct.*

## 68.

OBOTH, māſio 37. in fine terræ Edō. Nu.21.33.

## 69.

OREB, mons ſanctus, qui & Horeb, & Choreb, iugum eſt montis Sinai, atq; inde vno nomine mons Dei appellatur, & ſcriptum eſt, Legem datam nūc in Sinai, nunc in Oreb. Quidam verò exiſtimant Orientalem iſtius montis partem dici Sinai, Occidētalem Oreb; Hieronymo autem videtur, quod duplici nomine idem mons, nūc Sina, nunc Choreb vocetur. communior autem ſententia eſt, montes illos inter ſe diſtinctos eſſe, ſed radicitus cohærere; eſſe etiam Oreb multo inferiorē altitudine monte Sinai: eſt autē ferax optimarū herbarum, ideoq; paſcuis valdè commodus. In huius montis pede Deus in rubo apparuit Moyſi, oues Ietro ſoceri paſcenti, in rubo ardente, ſed rubi fruticē, ramos, frondes, & flores non comburēte; accedere iuſſus eò Moyſes, venit, ſed diſcalceatis pedibus. Huius petra, virga Moyſis percuſſa, effudit ſitienti populo flumen aquarū. In Oreb montis cacumine orante Moyſe eleuatis manibus, Ioſ. debellauit Amalecitas: inq; huius ſpelunca, vt diximus, ſtans Elias vidit Deum in ſibilo auræ tenuis.

*Hieron.in loc. Heb. Ioſeph.2. antiq.12. Exod.3. Act.7. Pſal.105. Exod.17. 3.Reg.19.*

## 70.

OSTRACINA, Oſtracine, quę & Aſedech, hebraicè He. & Cheres, vrbs aquę inops; quamobrem aduectitia vtuntur indigenæ. Ioſep.5.bel. In.cap.14. Hiero.in Iſai.19. & in. loc. Heb. ciuitas maritima Abrabię Coſſioti. VVe.

## 71.

PELVSIVM, hebraicè dicta Sin vel Sain, vrbs magna, ſtadiorum viginti ambitu; quæ ab Ezec. Proph. robur. Aegypti appellatur, eò quod portum habeat tutiſſimū, & negotiationes maris ibi vel maximè exerceantur: eſt aūt ſita prope vnū ex ſeptē oſtijs Nili Iudææ proximū, vnde & oſtium Peluſiacū. Oppugnauit hanc vrbem aliquando Sennacherib, & cùm multū tēporis contriuiſſet in apparatu diſponendo, iamq; aggerem propemodū mœnibus adæquaſſet, & videretur aſſultū propediem facturus, audito aduentare Regem Aethiopū, properè inde cum ſuis abijt. Expugnauit eā multis poſt annis Antipater Herodis regis pater. Poſtea Damiata dicta eſt; etiam Belbeis, vt teſtis eſt VVil. Tyr. Hāc aliquando vi expugnatam Amalricus rex Palæſtinæ euertit. Si quis tamen accuratius VVilhelmi dicta conſideret, diſtinguit Peluſium à Damiata; quam ponit in

*Ezech.30. & ibi Hie. Ioſeph.10. antiq.1. & 14.ant. 12.16. Item 1.bel. 6.7. et alib. 19.bel.ſac. 13.& 20. bel.ſa.5.6. 16.& alib.*



nit in ſecundo Nili oſtio, eam ſcilicet, quam fruſtra obſedit Amalricus, poſt illam Peluſij euerſionem. Hanc Damiatam, triplici muro, eoq; latericio cinctam, cūm Chriſtiani cruce ſignati, qui ad bellum illud Innocentij Rom. Pontificis, & Concilij Lateranenſis hortatu ſe contulerant, diu obſediſſent, magno miraculo capiunt. Reperitur ingens theſaurus, auri, argenti, gemmarum, precioſæ veſtis, ſupellectilis exquiſitiſſimæ, ad faſtidium vſque parta præda; quæ tandem magno omnium commiſeratione, ingenti fortiſſimorum militum luctu, Meledino Soldano redditur. Hanc eandem expeditionem cum Lodouicus decimus Galliarum rex ex voto ſuſcepiſſet, Damiatam à præſidiarijs deſertam, ſed incendio magnoperè deformatam, mox occupat; ſed inde digreſſus, & concluſus, à Soldano cum fratribus captus Damiata cedit, ideoq; ſolutus liber reuertitur in Syriam. Dum captus tenetur rex, quidam authores ſunt, Margaritā reginā vxorem Lodouici, filium peperiſſe, quē Triſtanū nominauerit. Iuxta Peluſium vorago eſt, quæ ſe extendit ad Caſium montem vſque, vt ea parte difficilem aditum Aegyptus habeat, vocaturque Campus de Gallo.

*Cōt.VVil. Tyr.3.cap. 4.5.6.7. Cont.Tyr. 4.c.6.7.8. & alibi.*

## 72.

INTRANTE Chriſto Aegypti ſimulacra corruerunt. Iſai.19.

## 73.

PHARAN, mons vmbroſus & condenſus, vicinus & contiguus monte Sinai. Deut.33. Abac.3. Eſt etiam hoc nomine oppidum, de quo Geneſ.14. Hier. in loc. Hebr.

## 74.

PLANICIES, ſiue Campeſtria pharan. Geneſ.14.

## 75.

PHAROS, eſt turris iuxta Alexandriam, in vſum nauigantium, de qua ſupra diximus in Alexandria. Huius imitatione idem nomen alijs etiam turribus inditur, vt Genuę, & cæt.

## 76.

PHATVRES, vrbs Aegypti, quæ & Phetros, hebræis Phatros, ſiue Patros; in cuius terra & regione profugi habitarunt Iudæi. eſt & vicus, vt notat Brocar. in deſcrip. Aegypti.

## 77.

PHIAIROTH, ſiue Phihahiroth, manſio 4. vbi filij Iſraël vtrinque concluſi fuerunt, hinc mari, inde Pharaone inſequente; Dei gratia autem per ſiccum mare tranſierunt. Exod.14. Num.33. Os vallis, ex Hebræo interpretatur, quod præter mare à ſiniſtris, & Pharaonem à tergo imminentem, reliquis lateribus montium faucibus concluderentur. VViſſ.

*Iſai.11. Ierem.44. Ezech.29. 30. Hieron.in loc.Hebr.*

## 78.

PHITON, quæ & Phitom Aegypti ciuitas, quam filij Iſraël ſub iugo Aegyptiacæ ſeruituti poſiti ædificarunt Pharaoni regi Aegyptiorum.

## 79.

PHVNON, ciuitas quondam principum Eodom, poſtea viculus; vbi æris metalla damnatorum ſupplicijs effodiuntur. Fuit hîc manſio 36. Quo loco cùm populus Iſraëliticus, propter itineris tædium, murmuraſſet contra Deum & Moyſem, manna verò tam quam leuiſſimum panem faſtidiuiſſet, immiſſis à Deo ignitis ſerpentibus, multi perierunt, aut vulnerati ſunt; ſed Moyſes mox Dei iuſſu erexit ibi ſerpentem æneum in pertica, quem qui aſpexiſſent, continuò ſanabantur. Quæ vtiq; figura erat cæleſtis illius ſacrificij, à Chriſto Seruatore noſtro in cruce perſoluendi: Sicut enim Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

*Nu.33.21. Hieron.in loc.Hebr. Ioan.3.*

## 80.

PTOLOMAEVS, Aegypti fluuius. Brocard. & alij.

## 81.

RAMESSE, vrbs in extremis Aegypti finibus, quam, cùm Aegyptiacæ ſeruituti ſubeſſent, filij Iſraël ædificauerunt; olim (vt ait Hieron) pagus Arſenoites dicta fuit. Appellatur & Rameſſe tota illa prouincia, quam cum liberis ſuis inhabitauit Iacob. Apud hanc vrbem conuenit populus Iſraëliticus, Aegyptum exiturus, ſexcenta virorum millia abſq; mulieribus & paruulis; ibique comederunt agnum Paſchalem. Eſt autem manſio prima.

*Geneſ.47. Exod.1.12. Num.33. Hieron.in quæſt.& loc.Hebr.*

## 82.

RAPHIDIM, manſio 11. in qua, ictu virgæ Moyſi, è petra Oreb aquæ fluxerunt ſitienti populo. ibidem Amalecitæ oppugnauerunt caſtra Iſraël, ſed Moyſe in monte Oreb eleuatis manibus orante, deuicti ſunt.

*Exo.17 19. Num.33.*

## 83.

REMMONPHARES, manſio 16. Numer.33.

## 84.

RESSA, manſio 18. Num.33.

## 85.

RETHMA, ſiue Rithma, manſio 15. Numer.33.

## 86.

MARE rubrum, quod Hebræi Iamſuph, Græci Erythræum, alij ſinum Arabicū ſeu Perſicum vocant. Aqua erat coloris rubei (quod tamen negat Lodouicus Romanus) tempeſtuoſum mare, & magnorum animalium, propter profunditatē capax. Huius aquis Dei virtute inſtar muri vtrinque diuiſis, filij Iſraël, ſexcenta ſcilicet virorum millia, abſq; mulieribus & paruulis, & vulgo promiſcuo innumerabili, per medium ſicco pede tranſierunt; quo loci latitudo maris extendebat

*Aloyſ.Cadamuſt.nauigat.cap.53.& 56. Num.33. Hieron in loc. Actor. Nauig.lib.1.cap.31. Vitr.c.84.*

*Sapien 10.*

bat ſe ad ſex miliaria; quos inſequens eques Pharao cum ſuis principibus equitibus, ſexcentis curribus,& ſelectiſſimo totius Aegypti exercitu, aquis ictu virgæ Moyſi rurſum confluentibus, omnes ad vnum ſubmerſi ſunt: quos mortuos & littori adnatantes, Iſraëlitæ armis & veſtibus ſpoliarunt, lætique gratias Deo cum cantu,in tympanis & choris peregerunt.

87.

SALMONA,manſio 35. Num. 33.

88.

SEPHER, mons pulcer & aſpectu decorus,vbi manſio 20. Num. 33.

89.

*Nu. 11. 33. Deut. 9. Ioſeph. 3. ant. 12 Pſalm. 77.*

SEPVLCRA concupiſcentiæ, Ioſepho Cabrothaba; vbi manſio 13 Hîc populus cùm manna faſtidiſſet, Aegyptias carnes deſiderauit. Apparens autem Deus Moyſi, conquerentis ſpiritum & onus in ſeptuaginta ſeniores diuiſit,qui omnes cum prophetaſſēt, mox vis maxima coturnicum tota caſtra oppleuit;atque inde ſaturatos vſque ad nauſeam & vomitum,ira Dei occidit: à quorum ſepultura loco nomen inditum eſt,

90.

*Hier. epiſt. ad Fab. de 40. Manſionib. Exo. 16. 17. Num. 33.*

SIN deſertum. Omnis ab Elim vſque ad mōtem Sinai eremus Sin vocatur; in qua ſunt manſiones quinque: Caſtra ad mare, Sin, Daphca, Alus, & Raphidim; & ex tota prouincia etiam octaua manſio Sin nomen accepit; in quod Iſraëlitæ peruenerunt die egreſſionis ex Aegypto trigeſimo primo. Atque ibi farina deficiente,quam Aegypto ſecum extulerant, murmuranti populo propter famem, apparens gloria Domini in nube, pluit veſpere coturnices, & poſtera luce manna, quod deinceps in deſerto per annos 40. quotidie,præterquàm Sabbatis, manê ſimul cum rore decidit.

91.

SINA, vel Sinai,deſertum: quo peruenerūt filij Iſraël die quadrageſimo ſeptimo egreſſionis de Aegypto,caſtraque fixerūt è regione mōtis Sinai;fuitque manſio 12. Exod. 9. & alibi.

92.

*Ioſ. 15. Exod. 19. Leuit. 7. Num. 1. 3. 9. 33. & alibi.*

SINA, qui & Sinai, mōs præclarus & ſanctus, (cuius pas quędam eſt Oreb; vnde legem datam nunc in Sinai, nunc in Oreb ſcriptum eſt ( eſtque rotundus, omnium in ea regione celſiſſimus, & aſcenſu difficillimus. Continet in altitudine graduum ſeptem millia, demptis locis, in quibus rectis paſſibus aſcenditur, & non per gradus:nomen accepit ab eo, quod rubis abundet; quemadmodum & herbis optimis ad paſcua, &c. Fuerat iam olim inacceſſus paſtoribus, quod vulgato rumore numen illic habitare diceretur; ideoque tanquā religioſum magna cum reuerentia habebant. In huius montis vertice die 50. egreſſionis Iſtaël de Aegypto, Deus terribili igne &

*Ioſeph. 2. antiq. 12. et 3. an. 6.*

ſonitu legem ſuam promulgauit Iſraëlitis, eamque, ſuo digito duabus tabulis lapideis inſcriptam, dedit Moyſi,cùm ibi per quadraginta dies totidemq; noctes ieiunaſſet; qui ob vitulum aureum ab Aarone conflatum, & ab Iſraëlitis adoratum,tabulas ad radicem montis confregit & proiecit, vitulum contriuit, reos occidit,atque rurſum aſcendens montē, vidit gloriam Dei tranſeuntem, & nouas tabulas decalogi ſcriptas diuinitus à Deo accepit,quibuſcum deſcendēs facie adeò reſplenduit, vt filij Iſraël oculos in vultum eius intēdere nō valuerint, quamobrem neceſſum fuit,vt velamine tectus, ita tandem populo loqueretur. Hîc cōmoratus eſt,& ſedit Iſraël toto anno & diebus quatuor:quo tempore conſtruxit Moyſes & dedicauit tabernaculū, Pontificem, Sacerdotes, & Leuitas conſecrauit;leges tulit,quæ ad ſtatum religionis & politicū ſpectabant, populum numerauit, caſtra diſpoſuit. Media pars Exodi, totus Leuiticus liber & principium Numerorū completi ſunt in hac manſione. In huius montis ſummitate poſtea corpus S. Catharinæ ex Alexandria Aegypti ab Angelis delatum & ſepultum eſt: ex cuius membris virgineis olei fluit vnda ſalubris. In Sinai abbas fuit Io. Climacus tempore filiorum Cōſtantini Magni. Tritem. in Climaco. Ad radices huius montis à Iuſtiniano Imperatore fūdatum eſt monaſterium S. Catharinæ monachorum;eſtq; vnum monaſterium de regula S. Baſilij,vbi plus quàm nouem millia deſcriptorum quieſcunt corpora monachorum. Habuit poſterioribus temporibus, cùm Chriſtiani ea loca poſſiderent, ſedem Epiſcopalem,ſed ſuffraganeam. Dictus hic mōs Arabibus Agar aliquando, vt quibuſdam placet;nunc verò Tur. VVeiſſ.

*Exod. 19. 20. 31. 32. 33. 34. Hieron. manſ. 13. Breidenb. 24. Sept. die & 26. VVilh. Ty. 14. bell. 12. Vitr. c. 56.*

93.

SIRBONIS,palus vel lacus. Ptolom.

94.

SOCOTH, manſio 2. in finibus Aegypti eſt; vbi filij Iſraël primùm tabernacula tetenderunt;vnde & ex re locus nomen accepit: Socoth quippe interpretatur tabernacula ſiue tentoria. Græci regionem hanc τρωγλοδύτιν vocant, vt quidam annotarunt.

*Exo. 12. 13. Num. 33. Hieron de Manſion.*

95.

SVR deſertum; extenditur vſque ad mare rubrum, & ad Aegypti confinia:eius multa in ſcripturis mentio eſt. Gen. 16. 19. & alibi. Hieron. in loc. Hebr.

96.

TANIS, quæ & Taphnis, Hebraicè Soan, ſiue Zoan dicitur, Aegypti vrbs inſignis, maxima, & vetuſtiſſima, ſeptem annis poſt Hebron condita à ſeptendecim Titanibus filijs Noe,poſt diluuium genitis, teſte Beroſo;à qua oſtium Tanicum Nili denominatur. Metropolis fuit Aegypti quondam, in qua tēpore Moyſis & Ieremiæ erat regia domus Pharaonis. In huius campo illa per Moyſem Deus operatus eſt, quorum hiſtoriam in Exodi libris deſcriptam legimus. Prophetauerūt cōtra hanc Iſaias, Hieremias, & Ezech. VVilhelmus Tyrius nominat illam Tapium, docetque ſuo tempore parui ad inſtar oppidi fuiſſe. In hac etiam habitarunt Iudæi, qui metu Babyloniorum cum Hieremia fugerant, vbi eundem Hieremiam ipſos de idololatria corripientem lapidauerunt : quem honorantes Aegyptij, ob fugatos ipſius oratione ab eodē loco ſerpentes, honorificè ſepelierunt, iuxta ſepulcra Regum ſuorum, magnaque eum ibi religione venerantur.

*Num. 13. Ioſeph. 1. antiq. 9. Pſalm. 77. Iſai. 19. 30. & ibi Hie. Ezech. 29. & 30. & ibi Hier. VVil. Tyr. 20. bel. ſac. 3. 15. & cōtin. 3. cap. 7. 8. Ierem. 2. 43. 44. 46*



97.

HIC infans Moyſes in fiſcella ſcirpea proiectus & expoſitus in flumen,à Pharaonis filia ſublatus & educatus eſt. Exod. 2.

98.

THAATH,manſio 23. Num. 33.

99.

THAMNA, ciuitas principum Idumæorum. Geneſ. 36. Hieron. in loc. Hebr.

100.

*Num 33. 16. 17.*

THARE, manſio 24. His caſtris Core, Dathan & Abiron,alijque ducenti quinquaginta proceres Synagogæ conſurrexerunt in Moyſen & Aaron; qua propter terra dehiſcente cum ſuis omnibus deſcenderunt viui in infernum,ignisque egreſſus à Domino cōbuſſit ducentos quinquaginta ſocios eorum; poſtridie, rebellante populo, quatuordecim millia & ſeptingentos incendio Deus ſuſtulit,ſtanſque Aaron cum thuribulo inter mortuos & viuos, ſuis precibus graſſantem Dei plagam reſtinxit. Poſteà accepit, iuſſu Dei, Moyſes virgas duodecim , pro numero tribuum inſcriptis ſingularum nominibus, poſuitque eas in tabernaculo coram Domino, vt oſtenderet ipſe, quem delegiſſet in Pontificem , & poſtridie manè inuenta eſt virga Aaron flores & amygdalas germinaſſe.

101.

*Hierony. quæſt. in Geneſ.*

THEBAE,quondam potentiſſima & maxima;quæ dicitur habuiſſe portas centum, in quarum ſingulis memorantur ducenti cuſtodes excelluiſſe equis & curribus. atque hinc ſubiecta regio Thebais vocatur; vnde legio Thebeorum Martyrum,quorum Colonię celebris memoria eſt.

102.

DESERTVM THEBAIDOS , in quo S. Antonius, Paulus, & alij eremitæ vixerunt.

103.

THEMAN, aliâs Thema, Hebræis Teman & Tema, alia eſt vrbs ab ea, quam ſupra in tribu Manaſſe deſcripſimus, metropolis Idumææ, & regia Principum Edom: ſita in montibus Seir, in Auſtrali parte Idumææ; diſtat à Petra Arabiæ quinque millibus paſſuum; ita dicta à Theman, primogenito Eliphaz,primogoniti Eſau. Ab hac vrbe tota Idumæorum Auſtralis regio nomen accepit. In hac olim viguit ſapientiæ ſtudium. Hiere. 25. & 49. mentio huius vrbis frequens eſt apud Prophetas. Hieronymi ætate villa erat. Hieronym. de loc. Hebr.

104.

*Breidenb. die 25. Septemb. & 1. Octobr.*

THOR, vel Thour, emporium & portus nominatiſſimus maris rubri; vbi applicāt omnes naues onuſtæ mercibus aromaticis ex India:ſunt autem non clauis ferreis,ſed ligneis tenaculis coniunctæ, propter ſcopulos magnetis,quos trāſire debent,ne ab eis attrahantur, & collidantur. atq; hinc Alexandriam, atque inde Venetias, aut aliò transferuntur.

105.

TRAIANVS fluuius. VVilhel. 3. cont. 8.

106.

VIA AEGYPTI. Geneſ. 37. Iſaiæ 10. 19. Hierem. 2.

107.

HAC B. Maria cum puero Ieſu, deducente ſponſo Ioſeph, fugerunt in Aegyptum; propter metum Herodis Matt. 2.

108.

Via montis Amorrhæi. Deut. 1.

109.

VIA terræ Philiſtijm,tota ſabuloſa. Exo. 13.

110.

HAC Iacob,præcedente Iuda, deſcendit in Aegyptum cum animabus 70. Geneſ. 46.

111.

VIA Maris rubri. Numer. 14. 21. Deut. 1. 2.

112.

VIA SVR. Geneſ. 16.

113.

ZIN deſertum, quod aliâs Cades; vbi manſio 33. Num. 13. 20. &c.

# R.

## Tribus Ruben, & confinia eius.

### I.

*Geneſ.29. 25.49. 1.Par.5. Hiero qu. Hebraic.in Geneſim.* RVBEN, primogenitus Iacob ex Lia vxore, cũ quaſi aqua, quæ vaſculo non continetur, voluptatis effuſus eſſet impetu, & cum Bala patris ſui concubina ſtupri commercium habuiſſet, perdidit ordinem natiuitatis ſuæ, regnum, ſcilicet & ſacerdotium, quod primogenitis iure debebatur, in fratrum tantùm manens numero: procedente verò tempore ita progeniem ſuam auxit, vt de tribu eius apud montem Sinai recenſiti & inuenti ſint, viri bello apti quadraginta ſex millia; quibus omnibus in deſerto mortuis, eorum filij, quadraginta tria millia & ſeptingenti triginta vltra Iordanem verſus Auſtrum, pro ſua poſſeſſione acceperunt in regione Moab terram, optimis herbis vberem, paſcendiſque gregibus commodam.

*Nu.1.26.* *Num.32. Ioſ.13.*

### 2.

*Num.21 23.27.33. Deut.3.4. 32.33.34. Hieron.in loc. Hebr. 2.Mach.2. Breidenb.* ABARIM, mons (vt alij montes) cuius altior & ſublimior pars dicitur Nebo; vertex autem ipſe Phaſga; à quo & circa eum regio, ætate Hieron. appellabatur Phaſga; fuitque ad montes Abarim Iſraëlitarum manſio 41. In montis huius ſpelunca, puteo, vel ciſterna, Ieremias Propheta, vt multi autores tradunt, recondidit ignem perpetuum, cum altari incenſi. Abraim montana ſunt ſecundum Iordanis tractum à Moabitis incipientes verſus Galaad montes in longum portenduntur, atque ſuo limite terram Amorrhæorum ab Ammonitica ſeiungunt. Habet hic mons montium iuga plurima, vt Nebo, Phaſga, &c. VVeiſſenbung.

### 3.

HIC in Abarim & Phaſgæ montis vertice ſtans Moyſes, Deo Domino ipſi oſtendente, vidit & contemplatus eſt inde vniuerſam terram promiſſionis, à Dan vſque ad Berſabee, & ad mare nouiſſimum; quã ingredi non potuit, ſed ibi mortuus eſt, annorum centum viginti, & ſepultus ab Angelis in valle terræ Moab contra Bethphogor, & non cognouit homo ſepulcrum eius: quòd cùm diabolus reuelare & prodere vellet Iudæis, ad idololatriam pronis, impeditus eſt & prohibitus ab Archangelo Michaële.

*Deut.34.* *Hieron.ad Fabiolam. de manſio. Iudæ 1.*

### 4.

ABELSATHAIM, quæ & Belſathim, hoc eſt, luctus aut vallis ſpinarum, non procul à Iordane; atque illic fuit manſio 42. locus autem ipſe, vt iam diximus, à ſpinarum copia nomen accepit.

### 5.

ABILA, ciuitas in campeſtribus Moab, agrum habens palmetis conſitum; vbi aduocata concione Moyſes populo explicuit Deuteronomium. Deut.1.2.3. Ioſep.4.ant.6.

### 6.

AEMATH, vrbs; alia ab illa, de qua in tribu Neptalim. Num.45. Hier. in loc. Heb.

### 7.

APHEC, ſiue Apheca, terminus Amorrhæorum ſupra Iordanem. Ioſue 13. ſed & ætate Hieronymi caſtellum fuit Apheca nomine, iuxta oppidum Paleſtinæ. Hiero. in loc. Hebr.

### 8.

ASEDOTHPHASGA, ciuitas quondam Amorrhęorum. Ioſ.10.13. Eſt & alia ciuitas eiuſdem nominis, non tamen in tribu Rubẽ, quam expugnauit Ioſue Rege eius interfecto. Ioſ.12. Hiero. in loc. Hebr.

### 9.

FANVMBAAL, locus excelſus. quò cùm maledicturus populo Iſraëlitico, euocatus fuiſſet à rege Moabitarum Balaam, benedixit illis. Numer.22.

### 10.

BAALMEON, quæ & Beelmeon, ciuitas inclyta. Num.32. Ioſ.13.1. Para.5. Ezech.25. & ibi Hieron. qui teſtatur ſuo tempore fuiſſe vicum maximum Moab.

### 11.

BAARAS vallis, vbi radix eodem nomine gignitur, nocte inſtar flammæ fulgurãs, quæ dæmonia ex obſeſſis abigit; de qua mira ſcribit Ioſephus 7. bell. Iudaic.25.

### 12.

BAMOTH vallis, quam Iſraëlitæ tranſierunt. Num.21.

### 13.

BAMOTHBAAL, hoc eſt, excelſa Baal, ciuitas & mons, in quo colebatur Baal, in quo & benedixit filijs Iſraël ariolus Balaam. Num.22. Ioſ.13. Ioſeph.4.antiq.5.

### 14.

BEER puteus, quem foderunt principes & duces populi baculis ſuis, ac data eis diuinitus aqua, carmen gratulantes Deo cecinerunt. Num.21.

### 15.

BEERELIM, vt alij, Beerelin, id eſt, puteus Blim, ciuitas, poſtea iuxta prædictum puteum, vt videtur, ædificata; de qua Iſaiæ 15. vbi Adam. Saſbout.

### 16.

BETHABARA, aliàs Bethania, ſed mendosè. Hîc Ioannes baptizabat (propter aquarum copiam & deſertum proximum) in *Ioan.1.10. 11.*

pœni-



TRIBVS RVBEN
hoc eſt, ea Terræ Sanctæ regio, quę
in diuidendo tribui Rubē aſſignata eſt.
Miliaria vnius horæ
1 2 3 4 5 6
PHILADELPHIÆ PARS.
Solitudo Cademoth 22
Gallim 33
Mathana Solitudo. 46
Deſertum Deblatha 26
ZARETH VALLIS. 70
Deſertum Moab. 54
Aemath. 6
Arnon torrens
Abie
Aroer
Arnonas
Nahaliel 50
Deblathaim 27
Helmondeblathaim 34
Beerelim
Dibongad 28
Mephat. 48
Remmon 62
Cademoth quæ et Jethſon. 21
Ramoth vallis. 12
Abarim montes
BITIS RE GI
Baalmeon 10
Carioth 24
Damnaba 25
Maſepha. 49
MO A
TRIBVS RV BEN.
PERÆA REGIO
Madian, vrbs et Regio. 45
Vallis Saue 67
Memrim 57
Torrens Zareth. 70
Petra deſerti 59
O. 50
38
Jeabarim 39
Eſebon 31
Vineta
Oronaim
Sabama 63
Fanum Baal. 9
Phogor mons
Nebo mons
Phaſga mons 3
Cariathaim 23
Deſertū ſaſa.
Bamoth Baal. 13
Betphogor. 18
Eleale 30
Jaſa. 36
Iſraël
Amorræi
Bethieſimoth 17
Campes tria Moab 52
Abelſathaim
Nabo 55
Baaras vallis. 11
Balneæ 41
Laſa n. Callirhoe 41
Machærus 44
Deſertum 20
Boſor 19
Sethim 68
Liuias 42
Bethabara al. Bethania. 16
Tophel. 69
Sarthan
Edom. 29
Elias 53
Abila
Sarathaſar 65.
Saor. 64
Helon 35
VAL LIS
Aphec
Dibon
PARS TRIBVS GAD
Dabir
Jordanis flu.
Ataroth
Naaratha
Lod
Lodadid
Hadid
Ono
Samaraim
Vallis caſis
Almon
Bethagla
Bethalla
Betharaba
Segor
Engaddi
PARS TRIBVS EPHRAIM.
PARS TRIBVS BENIAMIN.
MARE MORTVVM, dictum et mare ſalſum ſiue ſalis atq̃ ſolitudinis, et lacus Aſphaltidis
Adama
Seboim
Sodoma
Gomorra
PARS TRIBVS JVDÆ.

pœnitentiam. Significat autem Bethabara domum tranſitus, fortè quod loco nomen hoc inditum ſit, quoniam ibi traieciſſent Iſraëlitæ, cùm ſiccato flumine Chananæam ingrederentur; aut quod ibi traiectus eſſet Iordanis; atque ita cùm frequens eſſet locus & oportunus, eum Ioannes ad baptizandum elegit. vbi & teſtimonium perhibuit de Chriſto, eumque digito demonſtrans populo, denunciauit eſſe Agnum Dei, qui tollit peccata mundi: vnde & temporibus Hieronymi, plurimi credentium ibi renaſci cupientes, vitali gurgite baptizabantur.

*Hieron in loc. Heb. Vitr. c. 58.*

17.

*Num. 33. Ioſ. 12. 13. Ezec. 25.*

BETHIESIMOTH, aliâs Bethſimoth, & Bethſimon, vrbs inclyta, limes Septentrionalis campeſtrium Moab.

18.

*Deut. 3. 4. 34. Ioſ. 13.*

BETHPHOGOR, id eſt, domus hiatus ſeu aperturæ, Latinè Phanum, ſeu Fanum Phogor, ciuitas, in qua colebatur Beelphegor, qui à gentibus appellatur Priapus.

19.

*Deut. 4. Ioſ. 20. 21. 1. Paral 6. 1. Mach. 5.*

BOSOR, vrbs munita, in terra campeſtri ſita iuxta deſertum, aſſignata homicidis pro aſylo refugij, & attributa Leuitis.

20.

DESERTVM, ſiue ſolitudo Boſor. Deuter. 4. Ioſ. 20. 21.

21.

CADEMOTH, quæ & Cedimoth, & Iethſon, ciuitas Leuitarum. Ioſ. 13. 21. 1. Paralip. 6.

22.

CADEMOTH ſolitudo, ſeu deſertum; ex quo Moyſes miſit legatos ad Seon regem Amorrhæorum, pro pacifico tranſitu, quem ille negauit. Deuter. 2. Hierony. in loc. Hebr.

23.

*Geneſ. 14. Deut. 2. Num. 31. Ioſ 13. Ierem. 48. Ezech. 25. Hieron. in loc. Heb.*

CARIATHAIM, vrbs antiqua & valida, quam olim Emim gens robuſta, horrida, terribilis, vt quæ de gigantum eſſet progenie, inhabitauit; cæſa & contrita pene eſt à Chodorlahomor, ſed eorum poſteros Moabitæ penitus exſtirparunt. Reædificarunt vrbem & reſtaurarunt filij Ruben. Prophetarunt de illa Ieremias & Ezech. tempore Hieronymi Chriſtianis omnibus florens, appellabatur Coriatha, eratque in decimo miliario iuxta Medabam vrbem Arabiæ, contra Occidentalem plagam, vicina eius loci, qui appellatur Bare.

24.

CARIOTH, vrbs in regione Moabitarũ, Iere. 48. Amos 2. eſt eiuſdem nominis in Iuda, niſi eadem eſt.

25.

DAMNABA. Hieron. in loc. Hebr.

26.

DEBLATHA deſertum, vt alij volunt, ciuitas. Ezech. 6.

27.

DEBLATHAIM ciuitas in terra Moab. Ierem. 48. Hiero. in loc. Heb. alij negant ciuitatem.

28.

DIBONGAD in ſolitudine; & ibi manſio 39. Num. 33.

29.

EDOM, aliâs Adom, vrbs. Ioſ 3.

30.

ELEALE, vrbs validiſſima, ſita in terra fertili vinearum: vſque Hieronymi ætatem villa oſtendebatur grandis, in primo miliario ab Eſbus.

*Num. 32. Iſa 15. 16. & ibi. Hie. Ierem. 48. & in loc. Hebr.*

31.

ESEBON, vrbs glorioſa, & inſignis & munita valde; ſita in montibus, cincta muris coctis lateris; cui tanquam dominæ maximus pagorum numerus ſeruiebat: quæ cùm fuiſſet ante Moabitarum, ab Amorrhæis belli iure poſſeſſa eſt; inque ea Seon habitabat rex Amorrhæorum. quo cum populo ſuo ab Iſraëliticis occiſo, vrbs hæc à filijs Ruben eſt reædificata, & data Leuitis. contra quam prophetauerũt Iſaias & Ieremias, in viſione Moab. ætate Hierony. vocabatur Eſbus, diſtans à Iordane viginti miliaribus.

*Nu. 21. 32. Iudic, 11. Deut. 1. 2. 3. 4. 29. Ioſ. 9. 12. 13. 21. 1. Paral. 6. Iſai. 15. 16. & ibi Hie. & in loc. Hebr. Ierem. 48. 49.*

32.

PISCINAE ESEBON, quarum pulcritudini comparantur oculi ſponſæ Chriſti, ob claram Dei cognitionem. Cant. 7. Nominatur & terra Eſebon. Brocar. ditin. 6.

33.

GALLIM, Hebraicè Eglaim, ciuitas in finibus regionis Moab, ſita in paluſtribus; vnde fuit Phalti, qui poſt fugam Dauid, Michol vxorem eius acceperat. meminit & huius loci Iſaias in viſione contra Moab, Hieronymi ætate vocabatur Agallim.

*1. Reg. 25. Iſai. 10. 15. Hieron. de loc. Heb.*

34.

HELMONDEBLATHAIM, manſio 40. Num. 33.

35.

HELON, ciuitas in terra Moab, Nume. 2. Iſai. 48. Ierem. 48.

## 36.

*Num.21. Deut.2. Ioſ.13 21. Iud.11. 1 Para.6. Iſai.15. Hiere 48. Hieron.in loc.Hebr.*

IASA, quæ & Iaſſa, & Ieſſa, ſiue Geſſa, & Iahaſath, vrbs in tribu Ruben; quam ſublatis Amorrhæis attribuerunt Leuitis. Prophetauerunt contra hanc Iſaias & Hieremias; & vſq; ætatem Hieronymi oſtendebatur. Vrbs fuit Moabitarum, extra terram promiſſam, neque vnquã, quod legimus, à Iudæis poſſeſſa, quod trans Arnonem, Orientalis terræ terminum Auſtrinum, mari mortuo immineret; vbi Moabiticum regnum tum temporis finiebatur, reliquis ab Amorrhæo vi poſſeſſis. VVeiſſ.

## 37.

HIC filij Iſraël debellarunt Seon Regem Amorrhæorum. Num.21.

## 38.

DESERTVM IASA. Num.21.

## 39.

IEABARIM in finibus Moab; vbi manſio 38. Num.21.33.

## 40.

IETHSON, Hebraicè Cadimoth, ciuitas Leuitarum. Ioſ.21. Hieron. vocat Cedſon, in loc. Hebr. vide ſupra in Cademoth.

## 41.

*Geneſ.10. Hiero.qu. Hebraic.in Geneſim. Ioſeph.17. antiq.9. & 1.bell 21.et 7.bell.25.*

LASA, ciuitas antiqua, quæ poſt Græcè Callirhoe dicta eſt, cò quòd pulcrè fluat: ibi enim diuerſi aquarum fontes, calidi & frigidi, dulces & amari profluentes, præter vim medicam potu quoque iucundæ ſunt. Oſtenditur autem hîc quædam rupes ſeu ſaxum, ſuper quod duo veluti vbera, paululum inter ſe diſtantia, eminent; quorum vnum fundit fontem calidiſſimum & dulcem, alterum frigidiſſimum & amarum: quæ aquæ inter ſe mixtæ, lauacrum gratiſſimum præbent, multiſque morbis & vitijs ſalutare; maximè verò neruorum contractioni conueniens; atque inde profluens in mare mortuum effunditur: habetque idem locus metalla ſulfuris & aluminis. Huc ſub mortem ſuam de conſilio medicorum profectus Herodes ſenior, & immiſſus in ſolium oleo plenum, inibi fouẽdus, viſus eſt illis animam agere: quare exorta cõploratione familiariũ excitatus, & ad ſe reuerſus, nullamque amplius ſalutis ſpem supereſſe intelligens, ingenti liberalitate in amicos, duces, milites, vſus eſt; & paulò poſt delatus in Hiericho mortuus eſt.

## 42.

LIVIA, ſeu Libias, vrbs quam Herodes in honorem Liuiæ matris Tiberij Cæſaris exſtruxit. Euſeb. in chrõ. Hier. in Ioel. & lo. Heb.

## 43.

LVITH, oppidum Moab, in monte ſitum; quod ætate Hieron. vocabatur Luitha. Iſaiæ 15. & ibi Hier. & in loc. Hebr.

## 44.

*Ioſeph.13. ant.22. & 14.ant.10. 11 12. & 18 anti.9. & 7.bell. 25.*

MACHERVS, oppidum & caſtrum munitiſſimum, in ſaxoſa rupe alta & vndique pręcipiti ſitum, vallibus ex omni parte cinctum, loci natura & firmitate inacceſſum & inexpugnabile, magnitudine ſimul & pulcritudine admirandum. Propter commoditatem loci primùm ab Alexandro rege exędificatum, poſt inſtauratum ab Herode, & præcellenti in medio eius regia exornatũ eſt. Ait autem Ioſephus Ioannem Baptiſtam, quod Herodes vereretur, ne aliquando populus ipſius doctrina commotus, defectionẽ aliquam pararet, vinctum miſſum in Machęrum, & ibi occiſum fuiſſe. Quod factũ ſecuta eſt Iudæorum exiſtimatio, ab irato Deo perditum eſſe Herodis exercitum; pugnauerat enim infœliciſſimè contra Aretam. Dicitur hóc eodem loco ſepultus à quibuſdam D. Ioannes inter Heliſæum & Abdiam prophetas. cùm autem caſtellum ipſum eſſet munitiſſimum, vt diximus, & ciuitatem haberet colli ſubiectam, qua aſcenſus erat in arcem, inter cętera, quę ibi viſenda erant, natura, vel hominum induſtria excogitata, Ruta erat mirabilis magnitudinis; à nulla enim ficu vel celſitudine vel magnitudine vincebatur. quæ perſeuerauerat ibi abuſque Herodis tẽporib. manſiſſetque vlterius niſi à Iudæis, qui locum tenebant, exciſa eſſet. Sed cùm Lucilius Baſſus expugnationem tentaſſet, caſus caſtellum tradidit. Rufus enim miles Aegyptius, cùm cepiſſet ſingulari audacia Eleazarum fortiſſimum iuuenem, ei, tanquam mox ſuſpendendo, cùm crucem defixiſſet Lucilius in cõſpectu Iudæorum, miſeratione ſimul & deſperatione ad deditionem coëgit obſeſſos. *(18.ant.10. Fretell.)*

## 45.

*Ioſ.12.13. Nu.25.31. Iud.6.7.8. Hieron.in loc.Hebr. & Actuũ.*

MADIAN, regalis vrbs, eiuſdemque nominis regio, habet camelorum, ouium, caprarumque multidudinem; atq; his opibus ferè victitant incolæ. Huius filiæ pellexerunt filios Iſraël ad fornicationem & idololatriam; quamobrem Dei iuſſu Madianitæ omnes cũ ſuis quinque regibus, præter virgines, internecione deleti, eorumque vrbes, pagi & caſtella combuſta ſunt. Poſt verò cùm Madianitę ſibi ſubiugaſſent Iſraëlitas, eorum millia centum triginta quinque cum duobus aut quatuor Regibus, à Gedeone memorabili victoria cæſa ſunt. Aetate Hieronymi vrbis huius ruinæ tantummodo demonſtrabantur, atque hîc Moyſes apud Ietro ſocerũ ſuũ exulabat, vt idem autor eſt. Vide, quæ ſuper hoc nomine ſupra notauimus in deſerto Pharan.

## 46.

MATHANA ſolitudo, quam tranſierunt Iſraëlitæ. Num.21. eſt & eiuſdem nominis ciuitas, ſita in Arnone; quæ Hiero. Methane dicitur; vnde Mathanites. 1. Par.11. Hieron. in loc. Hebr.

## 47.

*Num.21. Ioſ.13. 1.Par.19. Iſai.15. & ibi.Hiero. 1.Mach.9. Ioſeph.13. antiq.16. Hieron.in loc.Heb.*

MEDABA, quæ & Madaba, & Medeba, & interpretatur aquæ doloris vel manantes, primaria quondam Ammonitarum vrbs, ſita in planicie, cui & nomen dedit: poſtea Amorrhæorum, qui eam iure belli abſtulerant,



lerant, & muris cinxerant. Habet in circuitu mõtes, paludes, & ſaltus. Huius ciues cùm Ioannem Machabæum interfeciſſent, in eius vltionem multi eorum à Ionatha occiſi ſunt. Quam poſtea Hircanus non ſine labore ſexto demum menſe cepit, permanſit vſq; ætatem Hieronymi antiquum nomen retinens.

## 48.

*Ioſ.13.21. 1.Para.6. Ierem.48. Ioſeph.12. antiq.12.*

MEPHAAT, quæ & Mephet, & Miphaat, & Maſpha; Ioſephus alibi Mellen, ſiue Mellam vocat, barbarorum vrbem; qua aliquando expugnata, mares omnes neci tradidit Iudas Machabæus, ædificijs omnibus incendio conſumptis. Ciuitas Leuitarum fuit.

## 49.

MASSEPHA in Moab; ad quam profugus Dauid, cùm Saulis inſidias declinaret, venit. Hier. in loc. Hebr.

## 50.

MISOR, Leuitarum ciuitas, ſita in planicie, quondam Og regis Baſan; eſt apud Ieremiam regio Moabitarum. Ioſ. 21. Hiero. in loc. Heb.

## 51.

*Geneſ.19. Ierem.48. Iſai.16. Gen.14. & ibi.Hiero. Deut.2. 2.Reg.8. Iſai.15. Ierem.48.*

MOAB, genitus ex inceſtu Lot cum filia maiore, ex quo orti Moabitæ, gens magna, potens, & ſuperba valdè; vnde & vrbs Moab, (quæ aliâs Aroer nunc Areopolis, de qua ſupra egimus in tribu Gad) & Moabitis regio nomen acceperunt: illam enim regionem, expulſis gigantibus Emim, hoc eſt, terribilibus & horrendis, poſſederunt. Eſt autem terra ipſa fertilis, & bonarum frugum abundantiſſima, atque aliquando tantum potentia & viribus potuerunt, vt dominati fuerint etiam Iſraëli. Erant autem idololatriæ dediti, & maledictionem ſeminis ſui moribus & vita exprimebant; venerabantur autem potiſſimo cultu idolum Chamos, quem Deum eorum alibi legimus in ſcripturis. Et quidem cauit Deus, ne primo ingreſſu in terram promiſſionis, eorum regiones occuparent Iſraëlitæ, quod cognati eſſent & filij promiſſionis Lot; ſed cùm ſæpe obſiſterent Deo, neque aliter quàm inimicum perſquerentur, ſępe quidem contriti, cæſi ſunt, & profligati, multæq; eorum vrbes occupatæ; tandẽ à Dauide prorſus ſubiecti ſunt, ſeruieruntque ei ſub tributo: & quoniam in gentem vſq; adeò impiam & refractariam maledicta congeſſerant prophetæ, habuit illud Dei iudicium hunc exitum, vt vaſtantibus Iſraëlem Aſſyrijs, quod in libris Regum & Paralipomenon legimus, etiam ipſi grauiſſima ſuſtinerent fortunarum ſuarum detrimenta. dicitur autem terra ipſa Moab propriè, vt Breidenbach. & Brocardus annotarunt.

## 52.

*Nume.22. 26.27.33. Deut.1.2. 3.& 31. Hieron.in loc.Heb.*

CAMPESTRIA MOAB., vbi Iſraëlitarum fuit manſio 42. ibique Moyſes ſecundò numerauit populum nouum, & Ioſue ſibi conſtituit ſucceſſorem, & Deuteronomium Iſraëli explicauit, & benedicens filijs Iſraël extremum cantauit canticum. tempore Hieronymi Araba, vel Araboth Moab.

## 53.

HIC Elias curru igneo raptus in Paradiſum terreſtrem tranſuectus eſt, Oriẽtem verſus in ſummo terræ cacumine ſitum, vt maximi autores docent 4. Reg.2.

## 54.

DESERTVM MOAB, Nume.21. Deu.2. nominat etiam Montana Moab Brocard. itin.6.

## 55.

*Nu.32.33. 1.Paral.5. Hieron.in Oſee 8. & 9. & alibi.*

NABO, quę & nebo, nobilis & præclara ciuitas, quam reſtaurarunt filij Ruben. fuit in ea quondam, vt Hieronymus arbitratur, idolum Chamos, quod alio nomine Beelphegor appellatur: eſt & mons Nebo, ſeu Nabo, de quo ſupra in Abarim diximus.

## 56.

NAHALIEL, ſeu Naaliel, hoc eſt torrẽs Dei, quem præterierunt filij Iſraël, Num.21. Iuxta hunc, tranſierunt filij Iſraël ſiccis pedibus torrentem Arnon, Dei miraculo ſcopulis torrentis ſe inclinantibus, mõtibus & collibus exultantibus. Pſal 113. rectius tamen per figuram hæc interpretabimur; vt lætitiam quandam terræ intelligamus, quæ impijs poſſeſſorib. expulſis, pios recipere gaudeat, famula creatoris ſui.

## 57.

*Iſai.15. ibi. Hierony. Ierem.48. Hieron.in loc.Heb.*

NEMRIM oppidum terræ Moab, ſuper mare mortuum, ſalſis, & amaris aquis, & ob hoc ipſum ſterilibus. Nunc autem vicus eſt nomine Benamerium, ad Septenrionalem plagam Zoaræ.

## 58.

ORONAIM, vrbs, aut potius duæ vrbes Moabitarum, videlicet ſuperior & inferior. Iſai.15. Ier.48. & ibi Hier. Nominatur etiam Orona, vel Oronas, vrbs Arabiæ à Ioſep. in libris Antiq.

## 59.

*Iſa.16.42. Ioſeph.4. antiq.3.5. & 14.ant. 2.& 9. Egeſip.li.1. cap.14. Plin.lib.6. cap.28. Brocard. Breidenb. Ioſeph.1. bell.5. Num.31. Hieron.in loc.Heb.*

PETRA deſerti, ita à Græcis dicta, ait Ioſephus, Hebraicè Sela, olim Arce, Arcem, aut Arecen, Archis, poſtea Recem, Receme, nunc Crac Mons regalis, & Mozera nominata; ſita circa mediũ Maris mortui, arx & vrbs vetuſtiſſima, primaria & metropolis in regno Moab, adeoq; vrbs & ſedes regia Arabiæ, quæ ab hac Petræa dicitur; inque ea palatium erat Regis Arabum. VVeiſſ. aliam vult eſſe Petram deſerti, quæ Moabitarum eſt; aliam Petram Arabiæ vrbem, cuius profani auctores ſæpè, Biblia nunquam meminerint. Regnauerat in hac quondam Recem, quem inter cæteros Reges Madian interfecerũt Iſraëlitę, vnde & Rex Madian dicitur: fuit & patria Ruth Moabitis, vt autor eſt Hieronymus. Hanc cùm aliquando Scaurus cum Romano exercitu oppugnatum veniſſet, quia difficilis ad

eam eſſet aditus, circum uicinos agros populatus, ſuaſu Antipatri remiſit vaſtationem & bellum, redimente pecunijs Areta rege. Cępit illam aliquando Amaſias rex Iuda, occiſis prius decem hominum millibus in valle Salinarum, vocauitq́; eam vrbem Iezethel. Erant prope eam montes, neq; longe aberat mons Hor, vbi Aaron obijt. Et quidem Ieroſolymorum rex Balduinus, hanc aliquando ampliando iſti regno ampliauit, ſed nunc à Soldano tenetur, qui in ea reponit theſaurum totius Aegypti, & Arabię. Tempore Chriſtianorum accepit Latinum Epiſcopum, cùm ante, quantum colligitur, Græcum habuiſſet; eratq́ue huius ciuitatis princeps, dominus totius terrę trans Iordanem.

*4.Reg.14. Broc.iti.6. Brei.iti.6. VVil.Tyr. 20.bel.3. 28.29.& alibi.*

60.

PHASGA mons, qui propter vehemens præruptum, vocatur exciſus, ſeu potius vertex ipſe montium Abarim; ex quo, vt ſupra diximus, Moyſes contemplatus eſt Palæſtinam; à quo & circa eum regio vſque nunc appellatur Phaſga. Hier. in loc. Heb.

*Nu.21.23. Deut 3.4. 34.*

61.

PHOGOR mons, propter vehementem celſitudinem ita dictus; Hieronymo Agri ſpecula nominatur. In huius verticem Balaam ariolus à Balac rege Moab ductus, vt malediceret filijs Iſraël, Dei inſtinctu eiſdem benedixit. Et quoniam paululũ diſtat à Bamoth Baal, in cuius monte fanum erat Baal, qui & hîc colebatur, quidam quæ hîc geſta ſunt, inibi facta eſſe contendunt. Eſt etiam Phogor Idolum Moabitarum. Sed & hodie villa Fogor ſeu Phogor haud procul à Bethlehẽ cernitur, quæ nunc Phaora nuncupatur. Hieronymus in loc. Heb.

*Nu.23.25. Deut.3.4. Ioſ.21.*

62.

REMMON, huius meminit Iſaias in viſione contra Moab. Hieron. in loc. Heb.

63.

SABAMA, quæ & Sabam, vrbs validiſſima, quam reædificarunt filij Ruben; ſuburbana eius & territorium vineis abundabãt. diſtat ab Eſebon quingentis paſſibus, vt autor eſt Hieronymus.

*Num.32. Ioſ.13. Iſa.16. Ierem.48. Hieron.in Iſa.16.*

64.

SAOR in tribu Ruben, ſuper Iordanem Hieronymus in loc. Heb.

65.

SARATHASAR, in tribu Ruben in mõte conuallis Beth phogor. Ioſ.13.

66.

SARTHAN, locus erat, iuxta quem ſiccis pedibus tranſierunt Iordanis alueum Iſraëlitæ. Ioſ.3.

67.

SAVE, aliâs Sabe, antiqua ciuitas eſt ſuper regionem ſodomæ, in plano campo ſita: quæ vſque hodie, inquit Hiero. ſic vocatur. in qua olim habitarunt Emim ſeu Ommæi, vel Ominæi, gens ſtatura & aſpectu terribilis, quę percuſſa eſt á Chodorlahomor rege Aclamitarum; reliquias verò eius excidiſſe legimus Maobitas: atque huic adiacens planicies Vallis Saue appellatur.

*Geneſ.14. Deut.2. Hierony. epiſt. ad Euagrium & qu. Hebr. in Geneſ. & alibi. Bened. in interpret. Heb. nom.*

68.

SETHIM, ſiue Setim, Hebraicè Sitim, Hieronymo Sattim. Hic fornicatus eſt populus Iſraël cum filiabus Moab & Madian: ibiq́; Phinees Iſraëlitem cum Madianitide fornicãtem pugione transfixit. Hinc & Ioſue miſit exploratores ad inueſtigandam & noſcendã terram Iericho: fortè ab hoc loco nomen acceperunt arbores Sethim, quarum ligna ſunt omnium leuiſſima, nitidiſſima & pulcerrima, & quæ putredinem non ſentiunt; vnde cunctæ tabulæ arcæ tabernaculi & templi factæ ſunt. Fit & mentio Torrẽtis Setim, aut Sitim, id eſt, ſpinarum, Ioel.3. vbi legitur: Irrigabit torrentem ſpinarum. Hier. ibid.

*Num.25. Hieron.in loc.Heb. Ioſ.2. Mich.6.*

69.

THOPHEL, ſiue Tophel, Hieronymo Thaphol, locus eſt in deſerto trans Iordanem è regione Iericho; vbi Moyſes ſcripſit Deuteronomium & edidit. Deute.1. Hieron. in loc. Hebr.

70.

ZARED, ſiue Zareth, torrens & vallis; quem ſiccis veſtigijs tranſierunt Iſraëlitæ. Num.21. Deut.2. Hier. in loc. Hebr.


TRIBVS SIMEON
nempe ea Terræ Sanctæ portio, quam tribus Simeon in ingreſſu nacta fuit.
CEDAR regionis Iſmaelitarum ſeu Agarenorum quos nunc Saracenos uocant pars
Miliaria vnius horæ
1 2 3 4
SEPHELA REGIO CAMPESTRIS.
TRIBVS SIMEON
DA RO MA
Gerari tica Regio.
EX TE RIOR. quære in tribu Iuda.
PHILIS TINI quære in tribu Dan
TRIBUS DAN.
PARS MARIS MAGNI
Solitudo Berſabee
Deſertum Arenoſum 12
Torrens et fluuius Ægypti. 4.
Torrens 30
Beſor
Aſcalon 15
Gaſa. 46
Berſabee. 28
Raphia
Rhinocorura
Maioma 56
Anthedon = p. Agrippas. 11.
Aſenna. 17
Aſerſua. 19
Baala. 23
Menois. 58
Bethelea. 33
Lebaoth. 34
Bethlebaoth 34
Beth. 31
Bola. 39
Ether. 45
Seſenna 70
Aſem. 16
Thalca 73
Aſan 13
Lacus
Sicelag. 71
Sarohen
Selim 69
Aſar. 14
Medemena 57
Elebolad 42
Bethberai 32
Aſergadda 18
Bethphalet 36
Thocen. 74
Aſerſual 20
Berdan
Puteus judicij. 61
Nemus Abrahæ 2
Sabee. 66
Barad. 25
Balaath 24
Juniperus 52
Elias
Palus
Cellula S. Hilarionis
Tabatha 72
Bethmarchaboth 35
Mons Samſonis. 67
Lacus 53
Angaris mons 10
Azotus
Eſthaol
Sarara
Barach
Amarkaloh
Cremmon
Remmon 61
Etam 44
Harma 49
Dabir 41
Saarim. 65
Eſil. 40
Athar. 22
Bethul 37
Molathi. 60
Aenda. 6
Molada 39
Gerara 47
Torrens et vallis Geraræ. 48
Puteus vagentis et videntis
Berramoth 27
Iſmael. Fons Agar.
Ader
Cariathsin
Sama
Dauma
Japhan
fether
PARS TRIBUS JUDÆ.

## S.

# Tribus Simeon, & confinia eius.

## I.

*Geneſ.29. Num.1. & 26. Ioſ.19. 1.Par.4.*

SIMEON ſecundus Iacob filius ex Lia vxore in tantum filios & nepotes ſuos propagauit, vt de tribu eius ad montem Sinai numerati & inuenti ſint viri apti ad pugnam, quinquaginta nouem millia, trecenti; quibus omnibus in deſerto mortuis, ipſorum filij, bellatores viginti duo millia ducenti in terra promiſſionis proprium funiculum non ſunt conſecuti: ſed pro hæreditate ac poſſeſſione ſua obtinuerunt de terra tribui Iuda prius aſſignata cis Iordanem, terram Auſtralem, deſerto & mari magno contiguam: quapropter mirandum non eſt, ſi in hac tribu ciuitates, &c. legantur, quæ ante tribui Iuda fuerint attributæ.

## 2.

NEMVS ABRAHAE, plantatum ab Abraha. Geneſ. 21.

## 3.

ADIA, villa iuxta Gazam. Hieron. in loc. Hebr.

## 4.

*Geneſ.15. Num.34. Ioſ.15. 3.Reg.8. 4.Reg.24. 2.Paral.7. Iſ.21.27. Ezech.47. &c.*

TORRENS, qui & fluuius Aegypti, in literis ſacris appellatur; cuius frequens in ſcriptura mentio eſt, de eremo veniens iuxta vrbem Rhinocoruram, mari magno influit; vnde pro torrēte AEgypti 70. interpretes Rhinocoruram tranſtulerunt. Hieronym. in Prophetas & epiſt. ad Dardanum.

## 5.

*Ioſ.15.19. 21. 1.Par.4.5.*

AEN, quæ & Ain, Ahim, Aijm, hoc eſt, fons, vel oculus, ciuitas ſic dicta, prius Iudæ, poſt Simeonis, ſeparata ſacerdotibus. Hieronymus videtur eam Bedhennim ſiue Benhennim appellaſſe.

## 6.

AENDA ciuitas, quam Aſa rex Iuda expugnauit, & ſubuertit. 2. Paral. 14. Hiero. in loc. Hebr.

## 7.

*Geneſ.15. 17.25.*

FONS AGAR, vbi Agar abiecit & depoſuit puerum Iſmaëlem ſub arbore. Geneſ. 16. 21. quo ipſo in loco Iſmaël creuit & habitauit in deſerto Pharan; atque ibi vxore accepta generauit filios duodecim, ac valde multiplicatus eſt in gentē magnam, à quo Iſmaëlitæ dicti ſunt, qui poſtea Agareni, nunc Saraceni.

## 8.

ALBA, ſpeculum & caſtellum, non longè ab Aſcalone contra incurſiones Barbarorum extructum. VVilhelm. 15. bell. 25. & alibi.

## 9.

AMARKABOB. Hieronym. in loc. Hebr.

## 10.

ANGARIS, qui & Engaris, mons.

## 11.

ANTHEDON, vrbs Idumeæ maritima; quam cùm Alexander Iannæus ante expugnaſſet, poſtea rex Herodes renouās Agrippiadem nominauit, nimiaque beneuolentia nomen amici etiam portæ inſcripſit, quam ipſe in templo ædificauit. *Ioſeph.13. ant.19.21. & 14.ant. 10.& alibi.*

## 12.

DESERTVM arenoſum; terra tota eſt latiſſima, infrugifera, aquarum egens, ſolis aduſta ardoribus, & quæ aſpectu ſui horrorem viſentibus incutiat: caret enim domibus, hominibus, beſtijs, arboribus, graminibus; abundat autem collibus & monticulis non quidem vſitatis & ſolitis, ſed ex arena, quæ vi ventorum in vnum cumulum aggeritur. vt quod in Occidente fieri videmus niue eleuata, hoc ibi tenuiſſimo puluere in modum fumi agitato, longè fiat mirabilius. Neq; ibi vlla certa itineris ratio eſt; nam cùm arenæ (vt alibi teſtatur Hieronymus) ſint molliſſimæ, pergentium veſtigia ſubtrahunt; vnde etiam mare ſabuloſum à poſterioribus ſcriptoribus appellatur, quod ſcilicet ad inſtar maris arena ventorum flatu nunc huc, nunc illuc diffluat, & ſubitò in altiſſimos ſæpe montes erigatur; & quoniam nullus hîc viarum callis appareat, quem hac iter facientes itineris ſui ducem ſequi poſſint, ea propter haud ſecus quàm ſi in vaſto oceano nauigandum eſſet, ad cynoſuram nauticam profectionis ſuæ ſcopum explorare debent. Sed neq; ſic adhuc in tuto ſunt; nam ſi qua ſiniſtra fortuna contingeret, vt qui illac iter agunt, Auſtro ferrentur, vt Septentrione aguntur, ſabulo obruti omnes occumberent. Nam etſi, inquit Ludouicus Rom. proſperis vehebamur flatibus, atro tamen turbine ſabuli adeo inuoluebamur, vt adempto è conſpectu interuallo 10. paſſuum alter alterum non conſpiceret. Ob id incolæ camelis vehuntur caueis incluſi ligneis, inq; eis vitam trahunt, ducibus tamen pilotis, qui non aliter quàm in vndabundo mari pyxide & pagina ducuntur. & ibi ſiti exanimantur complures: quamobrem intelligimus apud Ioſephum Herodis regis beneficium, cùm Auguſti Cæſaris exercitui per loca arida facturo iter, de aquarum copia & reliquis ad vitam neceſſariis abundè proſpexit. *Hieron. in epitaph. Paulæ. Prat. ſpiri. cap. 176. Ludoic. Roman. patr. Nauig. 1. cap. 14. Ioſeph. 1. bell. Iudai. cap. 15.*

Narrat hiſtoriam Nicephorus, quam operę pretium eſt hîc adiungere. M. Antonino, *Niceph. 3. hiſt. Eccl. 37.*

inquit, imperium adminiſtrante, Iudæus quidam in ſolis aridiſque locis iter faciens, communiter cum viatoribus Chriſtianis pſalmos canebat. Cùm verò morbo repentino ita affligeretur, vt crederetur moriturus, atque ibi in locis ijs permanſurus eſſet, magna contentione viatoribus ſuis obſecrando inſtitit, ne eum ita præſidio omni deſtitutum relinquerent, ſed vt diuini lauacri participem facerẽt, ac deinde abirent. Vt autem illi, neq; qui præſtare hoc poſſet, (ſacerdote enim opus erat) neque aquæ copiam adeſſe, quæ in baptiſmo perficiendo & conſuetudine antiqua, & lege certa & inuiolata requirerentur, cauſati ſunt, & propterea in tantarum rerum penuria petitioni eius non annuerunt. Iudæus porrò in ſententia ſua permanſit & iureiurando eos, vt ſibi ſatis facerent, adegit. Illi itaque detractis homini veſtibus, arena, quæ ibi erat, pro aqua vſi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. tertium arena in eum coniecta, baptizarunt. Per hanc tam inſolitam & admirandam ſacrorum myſteriorum initiationem, imbecillitate omni, tanquam vinculo quodam is ſolutus, longè melius quàm illi, validus iam prorſus iter fecit. Poſtquam autem domum ſunt reuerſi rem eam ad Dionyſium Alexandriæ Epiſcopum retulerunt. Ille verò admiratione ſtupens, Eccleſiam de ea conſuluit: cui viſum eſt aqua inſuper ad eum modum initiatum, iuxta Eccleſiæ traditionem abluendum eſſe; vt ita quod ſacro ei deeſſet, ſarciretur.

13.

ASAN, ciuitas Leuitarum. Ioſ. 15. 19. 1. Reg. 30.

14.

ASAR. Hieron. in loc. Heb.

15.

ASCALON, quæ & Aſcalona, vrbs antiqua, nobilis, non tam magnitudine quã robore excellens; vna ex quinque primarijs & ſatripijs Philiſtæorum; ſita in littore maris, forma ſemicirculi portum ambiens, muro cincta validiſſimo: diſtat ab Hieroſolymis ſeptingentis viginti ſtadijs; à Ramula octo miliaribus, vt VVilhelmus Tyr. docet. Deſcribitur à quibuſdam in tribu Iuda. Expugnauit enim illam cum finitimis Iudas, vt legimus in libris Iudicum; atq; ab hac Philiſtinorum reguli Aſcalonitæ nuncupantur. Hîc Samſon occidit triginta viros de Philiſtæis, eorũque veſtes abſtulit, vt eas daret totidem viris, qui problema ſuum ſoluerant, quod erat: de comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo. Vrbs hæc iuxta Prophetarum oracula, ſæpius deſtructa & reſtaurata iterum eſt, Ferunt in hac natum Herodem illum, qui ſe infantium Innocentum ſanguine & cęde polluit, atque ab Auguſto in regno Iudææ confirmatus eſt: à cuius morte Cæſar palatium in ea vrbe dedit Salome ſorori Herodis; ædificauerat enim & Herodes in ea ipſa domum & aulam regiam. Atq; etiamnum hodie, antiquum robur retinens, Saracenorum gentis fortiſſimum propugnaculum eſt. Chriſtianorum tempore cùm haberet Epiſcopum, Bethlehemiticæ tãdem ſedi parochiali iure ſubiectus eſt; habuit & Comitem, vt idem autor eſt. Eius muros cùm Saladinus diruiſſet, Richardus Anglorum rex inſtaurauit. Habebat ſubiectum ſibi campum, aptum equitibus, & vallem, & lacum, de quo poſtea,

*Ioſ 13. 1. Reg. 6. Broc. iti 7. Brei. ibid. Salig. tom. 10. Cap. 4. Ioſeph 5. antiq. 7. & 3 bell. 1. Iud. cap. 1. & 3. Iud. 14. 2. Reg. 1. Ierem. 25. 47. Amos 1. Soph 2. Zachar. 9. 1. Mac. 10. Ioſeph. antiq. 17. VVil. Tyr. 11. bell. ſacr. 12. & 14. bel. 12. & 18 bell. 24. & alibi. & 2. cõtin. 14. Ioſ. 2. bell. 1. Ierem. 47.*

16.

ASEM, quæ & Aſom, & Eſem, ciuitas. Ioſ. 15. 1. 91. Paral. 4.

17.

ASENNA. Hieronymus in loc. Hebr. eſt alia ab hac in tribu Iuda.

18.

ASERGADDA, ciuitas. Ioſ. 15.

19.

ASERSVA, quæ & Aſarſuſim, Aſarſuſa. Ioſ. 19. 1. Par. 4.

20.

ASERSVAL, aliâs Aſarſual, ciuitas, prius in tribu Iuda. Ioſ. 15. 19. 1. Paralip. 4. Eſdr. 11.

21.

ASSEMON, & Aſſemoth, ciuitas. fuit antea tribus Iudæ. Ioſ. 15.

22.

ATHAR ciuitas. Ioſ. 12.

23.

BAALA, quæ & Bala, Balaa, & Abala, ciuitas. Ioſ. 15. 19. 1. Par. 4.

24.

BALAATH, quæ & Baal; Hieronymo Ballath, ciuitas. Ioſ. 19. 1. Par. 4. 5.

25.

BARAD, Hieronymo Barath; inter quam & Cades puteus Agar etiamnum ætate Hieronymi demonſtrabatur. Hieron. in loc. Hebr.

26.

BAZIOTHIA ciuitas. Ioſ. 15,

27.

BERRAMOTH, aliâs Bercameth, ciuitas. Ioſ. 19.

28.

BERSABEE, id eſt, puteus iuramenti, vrbs tribus Iudæ; ſita tamen intra limites Simeonis,



meonis, contigua deſerto magno, viginti miliarib. ab Hebron, vergens ad Auſtrum in regione Geraritica, à Gaza quatuor miliaribus diſtans. Nomen hoc accepit, quod ibi Abraham & Iſaac, cum Abimelec rege Geraræ fœdus iuramento ſanxerunt, ſiue quod ſeptem agnas Abimelec de manu Abrahæ ibi acceperit. Hîc Abraham, Iſaac, & Iacob habitarunt multis diebus; vnde & vocatur oppidum Iſaac. In hac Ioel & Abia, filij Samuelis Prophetæ, iudicabant populum Iſraël iniuſtè, & inique; eſtque terminus terræ Iſraëlis ad Auſtrum. Hieronymi tempore fuit grandis vicus, eratque in ea poſitum præſidium Romanorum militum, eaque ipſa prouincia paullò ante ſuam ætatem Salutaris dicta eſt; nunc autem Gibelina vocatur: cumque diruta fuiſſet, Chriſtianorum tempore, qui loca ſancta recuperarunt, ab ijs magno ſtudio reſtituta eſt; poſito præſidio, & de communi conſilio tradita fratribus domus Hoſpitalis, quæ eſt Hieroſolymis. Ptolomæo Berzana dicta videtur. VVeiſſenb.

*Gen. 15. 21. 22. 26. 28. 46. Ioſ. 15. 19. Iud. 29. 1. Reg. 3. & alibi. 1. Reg. 8. Hier. quæſ. in Gene. & in loc. Heb. et in Amos 5. & 8. VVil. Tyr. 14. bel. 22. Broc. iti. 7. Breid. eod. Fretell. Vitri. c. 36.*

29.

DESERTVM Berſabee; in quod abijt cum filio Iſmaële Agar ancilla Abrahæ, ibiq; abiecit eum ſub arbore, vt ante diximus: fugit etiam huc Elias, ad minas & perſecutiones reginæ Iezabel.

*Geneſ 21. 3. Reg. 29.*

30.

BESOR torrens: vltra hunc Dauid Amalecitas proſtrauit. 1. Reg. 30.

31.

BETH, in tribu Simeonis. Hierony. in loc. Hebr.

32.

BETHBERAI ciuitas. 1. Par. 4.

33.

BETHELEA vicus Gazenſium, valdè populoſus, habensq; templa antiqua, ædificiaq; pulcerrima, & maximè Pantheon in ciuitatis arce locatum, eminens ſuper omnem vicum. Hiſt. Trip. 6. c. 28.

34.

BETHLEBAOTH ciuitas. Ioſ. 19.

35.

BETHMARCHABOTH ciuitas. Ioſ. 19. 1. Par. 4.

36.

BETHPHALET, aliâs Bethphelet, ciuitas. Ioſ. 15. Eſd. 11.

37.

BETVL. & Bethularma, Hiero. Bathul & Bathuel, ciuitas. Ioſ. 19. 1. Par. 4.

38.

BEZEDEL vicus, iuxta quem erat caſtellũ inexpugnabile cum turri. Ioſ. 3. bel. 1.

39.

BOLA. Hieron. in loc. Heb.

40.

CESIL, aliâs Exul, ciuitas, quæ prius fuit tribus Iudæ. Ioſ. 15.

41.

DABIT, quæ & Iabir, vrbs valida & regia, prius Cariathſeima, & Cariathſepher, hoc eſt, ciuitas literarum dicta, ſeu Vniuerſitas & Academia Paleſthinæ. Regem huius occidit Ioſue, vrbem autem expugnauit Othoniel, frater, (vt alij dicunt) filius fratris Caleb iunior, interfectis in ea filijs Enacim Gigantibus; ideoq; data eſt ei Axa filia Caleb in vxorem, cum terra irrigua ſuperius & inferius: Vrbs autem ipſa data eſt, & attributa ſacerdotibus. Hieronymi tempore videtur Daëma dicta.

*Ioſ. 11. 12. 13. 15. 21 Iudic. 1. 1. Paral. 6. Hieron. in loc. Hebr. Broc. iti. 6. Breid. eod.*

42.

ELTHOLAD ciuitas. Ioſue 15. 19. quæ & Tholad. 1. Paral. 4.

43.

EREMMON, vicus Iudæorum prægrandis, in decimo ſexto ab Eleuteropoli miliario, contra meridiem in Daroma. Hieron. in loc. Hebr.

44.

ETAM, ciuitas, fortè villa. 1. Par. 4. Hieron. videtur Etha eſſe.

45.

ETHER, ſortis Simeonis. Hierony. in loc. Hebr.

46.

GAZA, quæ & Gazara, interdum Gazera, Gazer, Gazaris, & hebraicè Aza dicitur, ad Chriſtianiſmum conuerſa Conſtantia dicta eſt, de nomine ſororis Conſtantini Magni: Euſeb. in vit. Conſt. lib. 4. c. 38 Confer, quę infra dicemus in Maioma. vrbs magna, potẽs & celebris, vna ex quinque primarijs & ſatrapijs Philiſtinorum; diſtans à mari ſtadijs ſeptẽ; vt auctor eſt Breid. duo Italica miliaria; terminus olim terræ Chananæorum, in qua erant ciuium millia multa, quod ex eo cõijcere eſt, quoniam quo tempore Alexander Iudæorũ rex eam expugnauit, & ſenatus fortè eo de cõueniſſet, quingenti ſenatores in ęde Apollinis contrucidati ſunt. Cepit vrbem hanc tribus Iuda, duce Caleb viro fortiſſimo; quam tenere tamen non potuit, quod Enacim. hoc eſt, gigantes fortiſſimi reſtitiſſent. Huius ambas portę fores cum poſtibus, & ſera Samſon media nocte abſtulit, & humeris impoſitas detulit in montem vicinum, qui reſpicit Hebron. Atque hic idem poſtea in hac vrbe captus; atq; in carcere coactus molere, cùm erutis in-

*Geneſ. 10. Deut. 2. Ioſ. 10. 11. 13. 15. 1. Mac. 13. 16. Ioſeph. 13. antiq. 19. Iud. 1. 6. 16. 1. Reg. 6. 3. Reg. 4. 4. Reg. 18. Hieron. in loc. Hebr.*

tis inſuper oculis, coram principibus Philiſtinorum luderet, apprehẽſis duabus columnis, quas præmonſtrante puero contigerat, quibus ſcilicet tota illa domus, quæ & maxima & publica videtur fuiſſe, innitebatur; cùm inuocaſſet Deum, vt reſtitutis viribus pateretur ſeſe extremo hoc virtutis opere edito de inimicis ſuis vltionem ſumere, concuſſis fortiter columnis ſeſe ipſum, cum tribus hominum milibus eadem ruina inuoluit & oppreſſit. Volunt autem quidam domum illam templum fuiſſe Dagon, idoli Philiſtinorum; cuius adhuc hodie ibi cernantur veſtigia & ruinæ. Sed quoniam iam olim Prophetæ huic vrbi extremum exitium minabantur, fuit hoc, cùm Alexander Magnus Dario Perſarum regi bellum feciſſet, ipſi verò Perſicum præfectum in vrbem admiſiſſent cum præſidio: ſtatim enim atque Tyrum expugnauit, obſeſſam Gazam, & poſt bimeſtrem obſidionem occupans, in ſempiternum vertit tumulum; vnde ob id & deſerta appellatur. Sed antiquæ ciuitatis locum vix fundamentorum præbent veſtigia; nam quæ nunc cernitur in alio locò, pro illa quæ corruit, ædificata eſt.

*Broc. iti. 7. Breidenb. 29. Augu. Ioſeph. 11. antiq. 8. Act. 8.*

Noua Gaza non longè à veteri ædificata, tempore Machabæorum, Ioſephi, & Hieronymi magnopere floruit, vt ex ijs ciuium copijs exercitus & quidem ſubitus educi potuerit. Et quidem Alexander Iannæus cùm totum annum eam vrbem obſediſſet, Lyſimachus, Apollodori ſtrenuiſſimi ducis, qui ciuitatem tuebatur, frater, inuidia commotus, eo occiſo, introitum hoſti præbuit: atque Alexander primùm quidem pacificè ingreſſus, mox licentiam fecit militi in oppidanos ſæuiendi. trucidabantur igitur Gazenſes, non multi, vt qui plures etiam, quàm ipſi eſſent, Iudæorum interficerent: cùm & deſolatas ædes incenderunt, ne præda potiri poſſet hoſtis: quidam etiam Saguntina rabie ſuiſmet manibus vxores & liberos interimerent, ne ad ſeruitium & iniuriam abſtraherentur. Atque ita iugulatis omnibus, & vrbe diruta, Ieroſolymam redijt Alexander. Poſt ætate Cæſaris Auguſti, cùm eum ſui Teſtamenti executorem nominaſſet Herodes, quod eſſet vrbs hæc græcanici inſtituti, à regni Iudaici terminis ſeparata, & Syriæ eſt attributa. Eſt verò vrbs, vt poſteriores autores ſcribunt, ampliſſima nunc, duplo maior Hieroſolyma, communiter Gazera, Syris Ayan dicitur; ſita in via, quæ ducit in Aegyptum. Habuit turres, ciſternas &c. eſtq; ab ea vſq; ad deſertum arenoſum planicies, iter hinc vſque ad montem Sinai, eſt duodecim, vel tredecim dierum. Cùm ſubeſſet Chriſtianis epiſcopum habuit ſuffraganeum; cùm eam vrbem propter Aſcalonitas vicinos magno ſtudio reſtituiſſent, & tandem fratribus militiæ templi dediſſent cuſtodiendam. Excitauerat autem Balduinus caſtrum prius, poſt à confluentibus eò hominibus, qualiſcunq; vrbs adiecta eſt, quam cùm Turcæ cepiſſent, ab ijs qui in ſuperiore præſidio erant, magna vi pulſi & profligati ſunt. Paſſus eſt hìc mortem propter Chriſtianæ fidei profeſſionem Siluanus epiſcopus cum ſocijs vndequadraginta. Sed & etiamnum magna illius ciuitatis autoritas, & Syriæ vel prima, vel ſecunda eſt.

*Hieron. in loc. Hebr. 1. Mach 7. 9. 13. 14. 15. 16. & alibi. Ioſeph. 13. antiq. 19. Ioſeph. 17. antiq. 17. Broc. iti. 7. Breid. eod. VVil. Tyr. 14. bel. 12. & 17. bell. 12. & 20. bell. 21. & alibi. Niceph. hiſt. Eccl. li. 7. ca. 16.*

## 47.

GERARA, quæ & Geraris, & Vrbaal hebr. vrbs regia, metropolis terræ Paleſtinæ, terminus olim Chananæorum, ad plagam auſtralem; vbi & peregrinatus fuit Abraham, natus Iſaac, ibidemque vigintiquinque annis cum Patre habitauit, atque ex hoc ipſo loco admodum adoleſcentulus iuit ad montem Moriam offerendus Deo, humilis & pia hoſtia. atque hoc iter trium dierum eſt autore Hieronymo. Ab hac Geraritis, ſeu Geraritica regio, cuius creba apud Hieronymum mentio eſt. Vbi Paula intrauit Saræ cellulas, videns incunabula Iſaac, & veſtigia quercus Abrahæ. Monſtrabantur enim tum ibi ædiculæ propter miraculum partus, ea ætate parientis. Scriptura ſacra commemorat fuiſſe eam Geraram, inter Cades & Sur, hoc eſt, duas ſolitudines; quarum vna Aegypto iungitur, ad quam populus trans fretum rubri maris aduenit; altera verò Cades vſque ad Saracenorum eremum extenditur. hæc Hierony. in loc. Hebraic.

*1. Par. 24. 2. Par. 14. 26. Geneſ. 10. 20. 26. Geneſ. 22. & ibi. Hie. Hieron. in epi. Paulæ & alibi.*

## 48.

TORRENS, & vallis Geraræ, Ioſephus Fauces vocat. Hoc loco habitauit Iſaac, diuerſoſq; fodit puteos, quorum nomina ſcriptura ſacra explicat; qui hodieq; in Geraritica regione demonſtrantur.

*Geneſ. 26. Hiero. ibi. & de loc. Hebr Ioſeph. 1. antiq. 28.*

## 49.

HARMA, ſiue Arma, quæ & Harama & Herma, & Horma, hoc eſt, anathema, prius dicta Sephat, Hieronymo Sephet ciuitas regia. Hic cæſa eſt pars populi Iſraëlitici ab Amalec & Cananæo, quem in Deuteronomio Amorrhæum ſcriptura vocat: cepitque vrbem hanc Ioſue, Rege illius interfecto; & huc vſque perſecutus eſt quinque Reges. Horma autem dicta eſt, quod eam, occiſis Rege, populo, ad vnum omnibus anathemate condemnarunt. Fuit etiam Arma locus, ad quem ſpoliorum partem miſit Dauid. Ponitur à quibuſdam in Iuda.

*Nu. 14. 21. Deut. 1. Ioſ. 10. 12. 15. 19. Iudic. 1. 1. Reg. 30. 1. Paral. 4. Hieron. in loc. Hebr.*

## 50.

CELLVLAS Hilarionis. In hac ſolitudine, licet vaſta, terribili, & latrocinijs cruenta, inter mare & paludem S. Hilarion primùm in tuguriolo, quod iunco & carice texerat, deinde in cellula, quæ vix ipſum caperet, plus quàm quadraginta ſeptem annis vixit, ſacco tantum membra coopertus, aut pelliceum habens ependytem, quem illi B. Antonius dederat, humi cubans, incredibili abſtinentia, ieiunijs, orationibus, laboribus, pectoris tunſionibus exeſus, vt vix oſſibus hęrerent membra, varias dæmonum tentationes ſuperans, multiſq; clarens miraculis. Hiero. in vita Hilar.





## 51.

IIM, aliâs Im, ciuitas. Ioſ. 15.

## 52.

IVNIPERVS Eliæ, eſt in deſerto; diſtat à Berſabee itinere vnius diei. Hìc Elias fugiens à facie Iezabel, dormiuit ſub iunipero, petiuitque animæ ſuæ vt moreretur, ſed aſtante mox Angelo allatum ab eo panem & aquam ſumpſit, & ambulauit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

*3. Reg. 19.*

## 53.

LACVS apud Aſcallona. Ioſephus 1. belli 16.

## 54.

LEBAOTH, Hieronymo fortè Labaoth, ciuitas. Ioſ. 15.

## 55.

LEBHEM, villa, vbi eſt puteus. de quo dicunt B. Mariam virginem cum puero Ieſu, & Ioſeph cùm in Aegyptum fugerent, aquam hauſiſſe, ibiq; pernoctaſſe. Breidenbac. d 10. Septemb.

## 56.

MAIOMA, & Maionia, emporium & portus Gazę, diſtans ab ea viginti ſtadijs, cùm Chriſtianis eſſet plena, meruit à Conſtãtino dignitatem & priuilegia ciuitatis, & de filij nomine Conſtantia eſt appellata. Iniuſtũ enim arbitratus eſt Conſtantinus, vt quæ erat Chriſti cultrix, ſubdita eſſet Gazæis idololatris. Poſtea imperante Iuliano Apoſtata, litem Gazæi Cõſtantienſibus intulerunt: quo iudice Conſtantia rurſum Gazæis ſubiecta eſt, & ſublato priori nomine Gaza maritima nuncupata.

*Hieron in epi. Paulæ. & in vita Hilarion. Hiſt. Trip. li. 6. cap. 4 Niceph. 10. hiſt. cap. 4.*

## 57.

MEDEMENA, quæ aliâs Berſabe dicitur, vt Benedictus annotat, ciuitas. Ioſu. 15. meminit etiam huius Iſaias 10.

## 58.

MENOIS, oppidum iuxta ciuitatem Gazam. Hieron. in loc. Hebr.

## 59.

MOLADA ciuitas. Ioſu. 15. 19. 1. Paralipomen. 4.

## 60.

MOLATHI, patria Hadrielis Molathitæ. 1. Reg. 18. 2. Reg. 21.

## 61.

PVTEVS Iudicij, vſque in præſentem diem in regione Geraritica. Vocatur autẽ villa Berdan nomine, quod Latinè dicitur puteus Iudicij. Hieron. in loc. Hebr.

## 62.

RAPHIA, vel Raphace, vrbs magna & maritima; vbi Philopator Antiochum magnum debellauit; cæpitque, & poſſedit hanc Alexander Iannæus.

*Ioſeph. 13. anti. 19. 21. & 14. ant. 10. & alibi.*

## 63.

REMNON ciuitas, prius Iudę, poſt Simeonis; nunc vicus eſt, contra Aquilonem iuxta Aeliam, in decimoquinto eius miliario. Hieron. in loc. Heb.

*Ioſ. 15. 19. 1. Paral. 4. 2. Eſdr. 11.*

## 64.

RHINOCORVRA, quæ & Rhinocolura, vrbs Aegypti olim, poſtea Iudæorum. Sciendum eſt vocabulum hoc apud Hebręos non haberi, ſed ſeptuaginta interpretes pro torrente Aegypti propter notitiam loci, Rhinocoruram tranſtulerunt. Eius vrbis ſępe meminit Ioſephus. cuius incolæ ætate Hieronymi lingua Chananitide, hoc eſt, Syra loquebantur. diſtat à Gaza ſecundum Antoni. m. p. XXXVIII. non procul à mari, apud quam fluuius aliquis in mare delabitur; qui eſt terminus regni Iſraëlitici. VVeiſſenb.

*Ioſeph. 13. antiq. 21. & alibi. Hieron. in loc. Heb et alibi.*

## 65.

SAARIM, ciuitas in tribu Iuda; in qua habitarunt poſteri Simeonis. Ios. 15. 1. Paral. 4.

## 66.

SABEE ciuitas. Ioſ. 19.

## 67.

MONS Samſon. In hunc montem portauit Samſon portas Gazæ. Iud. 16.

## 68.

SAROHEN ciuitas. Ioſ. 19.

## 69.

SELIM ciuitas. Ioſ. 15.

## 70.

SENSENNA, aliâs Senſema, ciuitas. Ioſue. 15.

## 71.

SICELEG, & Sicelech, vrbs aſſignata prius tribui Iudæ, poſtea Simeonis, ſed poſſeſſa à Philiſtæis; quam rex Achis donauit Dauidi, qui in ea ſedit & habitauit totum annum & menſes quatuor; atq; exinde permanſit tribus Iudæ: ſed cùm aliquando Dauide abſente vrbem hanc Amalecitæ cæpiſſent, diripuiſſent, incendiſſent, & prædam omnem abegiſſent, perſecutus eſt eos Dauid vltra torrentem Beſor, & nihil minus metuentes de repente adortus, occidit omnes, prædamq; reduxit.

*Ioſ. 15. 19. 1. Reg. 17. 30. 2. Reg. 1. 4. 1. Par. 4. 12.*

72.

TABATHA, vicus, in quo natus eſt Hilarion eremita. Hieron. in vita Hilarion. diſtat à Gaza quinq; miliaribus

73.

THALCA, in tribu Simeon. Hierony. in loc. Hebr.

74.

THOCEN ciuitas. 1. Paral. 4.

75.

PVTEVS Viuentis & Vidētis; apud quem Iſaac habitauit; & demonſtrabatur adhuc tempore Hieronymi, quemadmodum & alij multi putei Abrahæ & Iſaac, quorum mētionem facit Scriptura. Hier. in loc. Heb.

## Z.

## Tribus Zabulon.

I.

*Geneſ. 30. Num. 1.* ZABVLON, Hebraicè Zebulon, decimus filius Iacob ex Lia vxore eius prognatus, tantoperè ſemen Abrahę multiplicauit, vt de eius familia iuxta montem Sinai recenſiti & inuenti ſint viri bello apti à viceſimo anno & ſupra, quinquaginta ſeptē millia & quadringenti, abſque paruulis & mulieribus. Quorum filij, viri bellatores ſexaginta millia & quingēti, parentibus in deſerto mortuis terrā à Deo promiſſam ingreſſi ſunt. ac miſſa cum alijs tribubus ſorte, habitauerunt circa Iordanem in fertili Galilææ regione. quæ longitudine tendit à lacu Genezareth, vſq; ad littus maris magni, quod iuxra montem Carmelum eſt. Latitudine verò à monte Tabor verſus Septentrionē quinque occupat miliaria. *Num. 26. Ioſ. 19. Ioſeph. 5. antiq. 3. Brocard. itin. 7. Geneſ. 49. Deut. 33.*

## Loci tribus Zabulon.

2.

AFFAREA, Hieronymi ætate villa erat in ſexto miliario vrbis Legionis contra Septentrionem. Hier. de loc. Heb. lit. A.

3.

AMTHAR, aliâs Amphar, Hieronymo Amathar, formoſa ciuitas in Orientali plaga tribus Zabulon. quæ vt & cæteræ infra ſcriptæ ciuitates, nōnullas ſub ſe habebat villas. Ioſ. 19. Hier. de loc. Heb. lit. A.

4.

ANATHON, ſiue Hanathon, aliâs Nathon, ciuitas in Aquilonari patre tribus Zabulon. Ioſ. 19. Hier. in loc. Heb. lit. A.

5.

ANVA, Hieronymo vrbs aut pagus in tribu Zabulon. Hieronym. de loc. Hebr. lit. A.

6.

ARABA, villa in planicie ſita, in finibus Diocæſareæ, quæ olim Saphorine, ſiue Sephoris, dicebatur. Hieronym. in loc. Hebr. lit. A.

7.

ARBEL, vicus in campo pręgrandi, diſtans ab oppido Legionis millib. nouem. Hier. de loc. Heb. lit. A. Srabo lib. 16. Bened. in indice, dictione Arbel.

8.

ASAMON, ſiue Aſachron, celſus & cauernoſus Galilææ mons eſt, vndiq; medius. Contra Sephorim ſitus. In quem cùm multi Iudæorum, qui ſeditionibus & latrocinijs operam dabant, receſſiſſent, à Romanis acerrimè oppugnati, ducentis Romanorum cæſis, amplius quàm duo ſeditioſorum millia trucidati ſunt. Ioſe. 2. bel. 23. Merca.

9.

ASOCHIS, aliâs Aſochitos, Galilææ oppidum in magno campo ſitum, non longè à Sephori diſtans. Quod Aegypti Rex Ptolomæus cognomento Lathyrus ex improuiſo adortus, ſabbato vi capiens, multos hoſtium peremit, & præter magnam aliarum rerum prædam, circiter decem captiuorum. millia abduxit. *Ioſeph. 13. antiq. 19. & 1. bel. 3.*

Hic Ioſephus hiſtoricus, cùm Galilææ Præfectum ageret, ob aduerſa quędam mœſtus & turbatus, mirabili ſomnio noctu conſolatus eſt. *Ioſeph. in vita ſua.*

10.

ATHALIM, ciuitas in terra Zabulon, de qua, vt Hieronymus teſtatur, fuit Aialon ſiue Elon, qui judicauit populum Iſraël. Iud. 12. Hier. loc. Heb. lit. A.

11.

AZANOTH, Hieronymi tempore vicus erat in campeſtribus, ad regionem Diocæſareæ pertinens. Hieronym. de loc. Hebr. lit. A.

12.

BACCADES, vulgò Buccahel, peramænus admodum locus eſt, in finibus Zabulon, in ſummis montium, aquis irriguus, & fructiferarum arborum frequentia conſitus. Cuius habitatores cùm frequentes eſſent, & armis ſuperbi, vicinorum agros rapinis, latrocinijs, & homicidijs infeſtabant, & ſuburbana finitima ſibi faciebant tributaria. Quam inſolētiam Hieroſolymorū Rex Balduinus quartus non ferens, locum hunc ſubitò & vi occupauit, & quotquot fugam nō arripuerant, neci dedit. Tyr. 21. bel. ſacr. 26.



13.

*Broc. iti. 5. Breid. ibi. Iudith. 7.* BELMA, aliâs Helma, poſtea Abelina dicta, villa quondam grandis, in alto & firmo loco ſita. Hanc Holofernes contra Bethuliam ducens exercitum, tranſijt. Teſtantur etiamnum multæ marmoreæ columnæ, & magnæ ruinæ eam fuiſſe olim glorioſam.

14.

BERSABE, aliâs Berſabee, & Berſobe, ciuitas, quæ terminus eſt ſuperioris Galilææ, & initium inferioris Galilæę. Quam Ioſephus, quod locus oportunus eſſet, aduerſus Romanos validiori muro muniuit, ac frumento armiſque inſtruxit. Ioſeph. 2. bel. 25. & 3. bel. 2. & in vita ſua.

15.

BETHAGON, locus in quo duæ tribus, Zabulon & Iſachar, habent confinia. Hieron. de loc. Hebr. lit. B.

16.

*Ioſu. 10. Hieron. de loc. Heb. lit. B. & in Mic. 5. & in Matt. 2. Iud. 12. Bened. in dict. Bethleem.* BETHLEEM. Galilææ ciuitas in tribu Zabulon. ad cuius diſtinctionem altera eiuſdem nominis ciuitas, quæ in tribu Iuda ſita eſt, appellatur Bethleem Iudæ. Ex hac quidam fuiſſe putant Abeſſan Iſraëlitici populi Iudicem: quem tamen Ioſephus teſtatur ex Bethleem oppido tribus Iudæ natum fuiſſe. vide ſupra.

17.

*Ioſeph. 5. antiq. 12.* BETHMAVS, vicus diſſitus quatuor ſtadijs à Tiberiade verſus Sephoritarum vrbem. in quo Ioſephus cum Tiberienſium ſenatu ac primoribus ad ſe accerſitis, colloquium habuit. Ioſeph. in vita ſua.

18.

*Hieron. de. loc. Hebr. lit. B. Brocard. iti. 4. & 5. Brei. ibid. Ioſeph. 18. anti. 3. Luca 9. Sal. tom. 9. cap. 9.* BETHASIDA, clara Galilææ ciuitas quæ inter decem principales Decapolis regionis ciuitates recēſetur. Sita eſt iuxta viam, quę è Syria in Aegyptū ducit, in angulo maris Galilææ, vbi ſe mare ab Aquilone flectit contra Auſtrum. Habebat tamen ſub ditione ſua etiam vicum & deſertum, quæ vltra idem mare iacent. Cōtra Orientem diſtat à ciuitate Neptalim, & verſus Septētrionem à caſtro Magdalo tribus miliaribus. A Septentrione verò non procul Capharnaum fons eſt, è quo riuus quōdam profluebat, qui ciuitatem, irrigabat. Ex hac ciuitate orti ſunt SS. Apoſtoli Petrus, Andreas, & Philippus: vt & in Euangelio Ciuitas Andreæ & Petri appelletur. *Ioan. 1. 12.*

*Matt. 8. Marc. 1. Luca 4.* Veriſimile eſt in hac ciuitate fuiſſe domū Petri & Andreæ, quam Chriſtus ingreſſus, ſocrū Petri in lecto decumbentem, grauiterque febricitantem manu apprehendiſſe, ac dicto ſanaſſe Euangeliſtæ deſcribunt. Vbi quoq; poſt Solis occaſum oblatos ſibi ante ianuam multos malè habentes, ac varijs morbis afflictos, atq; à dæmonijs vexatos curauerit. Narrat Nicephorus, Helenam Conſtantini Imperatoris matrem ex hac Petri domo, pulchrum D. Petro conſtituiſſe templum. at malè, mea quidē ſentētia, id in ciuitate Tiberiade fuiſſe opinatur, cùm nuſquā in Euangelio legamus Chriſtum vnquam Tiberiadi fuiſſe. *Niceph. 8. hiſt. eccl. 30.* Sed vt eò reuertamur, vnde digreſſi ſumus, hîc etiam Chriſtus cœco cuidam in oculos expuens, impoſitis manibus viſum reſtituit, prius quidem imperfectum, poſtea autem perfectum. *Marc. 8.* Denique quam plurima in hac ciuitate fecit miracula. *Marc. 6.* Per quæ cùm Bethſaidēſes, vt & Corozoaimitæ, ad agendam ſcelerum pœnitentiam non fuiſſent commoti, huiuſmodi tandem verbis ipſorum pertinaciæ exprobrauit: Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quoniam ſi in Tyro & ſidône factæ eſſent virtutes, quæ factę ſunt in vobis, olim in ſacco & cinere pœnitentiam egiſſent. Attamen dico vobis: Tyro & Sidôni tolerabilius erit in iudicio, quàm vobis. *Matth. 11. Luca 10.* Scienti enim bonum, & non facienti, grauior debetur pœna, quàm ignoranti. Ob hāc culpam etiam in præſenti ſæculo Bethſaidenſes, vti Corozoaimitæ, Dei vltionem experti videntur. Nam cùm ciuitas hæc olim floruerit, & ædibus frequens fuerit, nunc ita deſerta iacet, vt vix ſex habeat domos.

19.

BETHVLIA, Galilææ inclyta vrbs eſt, ſita inter montana in pulchro, munito, & alto monte, fontibus abundante, qui per totam ferè cernitur Galilæam. Diſtat autem à Dothain verſus Meridiē, miliario vno; à Belma ſeu Abelina contra Orientem, paulò plus miliario; ab vrbe Tiberiade verſus Eurum, duobus, à caſtro verò Magdalo contra Africum, tribus miliaribus. Hanc vrbem quondam obſedit Holofernes dux Regis Aſſyriorum cum exercitu 120. millium peditum, & 22. milium equitum. Quem ebrietate ſopitum Iudith vidua capite obtruncauit. quod mox vbi ex muro Bethuliæ ſuſpenſum fuit, Aſſyrij omnes à Bethulienſibus fuſi ſunt, atq; fugati. *Iudit. 6. 7. 15. Brocard. iti. 4. & 5. Breid. ibi. Fret. pa. 9. Sal. tom. 9. cap. 9. Iudi. 7. 13. 14. &c.* Extat etiamnum in monte hoc quodam caſtellum, & multa pulchra ædificia, plurimęq; vrbis ruinæ, ſicuti etiam in campo verſus Cothain, caſtrorum Holofernis adhuc veſtigia quædam reſtare ſcribuntur. *Brocar. & Breid. vbi ſupra. Bened. in Iudit. 6.*

20.

HIC Achior Ammonitarum dux, iuſſu Holofernis manibus & pedibus ad arborem ligatus fuit. Iudit. 6.

21.

BVRIA, vrbs ſub monte quodam iuxta montem Tabor & ciuitatem Naim in frugifero ſolo ſita. quam Turci vnà cum turri, quæ ſuburbio præerat, expugnauerūt, multiſque incolarum, qui omnes Chriſtiani erant, occiſis, quingentos cum præda captiuos abduxerunt. Tyr. 22. bel. ſac. 14.

22.

CADVMIM, ſiue Cadumin, Hebr. Cedumim, Hierony. Cadomi, torrens eſt, iuxta quem Barac & Debora contra Syſaram bellū geſſerūt; in quo multi ex hoſtibus eorum ſubmerſi ſunt. Iud. 5. Hier. de loc. Heb. lit. C.

23.

CANA, aliâs Chana, Galilæç ciuitas eſt, quę ob id in Euãgelica hiſtoria Cana Galilęç; ac teſte Hieronymo, Cana minor vocitatur, ad diſtinctionem Canæ maioris, quæ eſt in tribu Aſer. Sita eſt à Ptolemaide verſus Eurum, quarto miliario, ab vrbe Sephori verſus Corum, tertio; & à villa Rama verſus Septentrionem, ſecundo. Ab Aquilone autem montem habet altum & rotundum, in cuius decliuo à latere ædificata eſt. Porrò contra Auſtrum, amplum, fertilem, & amœnum campum habet, qui vallis Carmelon appellatur.

*Hieron. de loc. Hebr. lit. C. Broc. iti. 5. Breid. ibid. Fretel. p. 9.*

Ex hac ciuitate fuerunt D. Simon Apoſtolus, & Nathanaël verus Iſraëlita Saluatoris teſtimonio comprobatus. Hîc Dominus noſter in nuptijs Ioannis, vt vulgò cenſent, vt autem Nicephorus ſcribit, in nuptijs Simonis Canaæi, initium fecit miraculorum, aquam conuertẽs in vinum. Quo loco poſtea Helena Imperatrix ſacram ædem ædificauit. Hîc etiam Saluator noſter à Regulo rogatus pro filio ipſius, qui Capharnai animam agebat, verbo filium eius à febri, & patrem ab incredulitate liberauit. Adhuc Hieronymi ætate Cana hæc, oppidum erat. Triclinium autem, in quo nuptiæ celebratæ, & locus vbi ſex hydriæ ſteterunt, in noſtra vſq; tempora oſtendi ſcribitur. Salig. verò ea ſe vidiſſe ait.

*Matth. 10. Marc. 3. Ioan. 1. 21. Ioan. 2. Niceph. 2. hiſt. ecc. 30. Ioan. 4. Hiero. vbi ſupra. Brei. iti. 5. Salig. to. 9. cap. 9.*

24.

CANAN, locus inter duo flumina, qui à Tiberiade vix quatuor diſtat milliaribus. In quo Saladinus Syriæ Rex contra Chriſtianos caſtrametatus ſuit. Tyr. 22. bel. ſac. 16.

25.

CAPHARATH, oppidum in Galilæa, non procul, vt videtur, à Iotapata ſitum, quod Ioſeph. contra Rom. muniuit. Ioſeph. in vita ſua.

26.

CARMELON, ſiue Carmeleon vallis. Pulcherrima, fertilis, & peramœna conuallis eſt, à vicino monte Carmelo nomen habens. Hæc ab Auſtro monte includitur, qui à villa Rama vſque Nazaret pertingit. Contra Septentrionem autem, vſq; Canam Galilææ; verſus Orientem verò vſque Sephorim protenditur.

*Ioſeph. 5. antiq. 3. Broc. iti 5. Breid. ibi.*

27.

CARTHA, alias Carta, & Charta, ciuitas, quæ de Zabulonia tribu cum ſuburbanis ſuis, Leuitis data eſt. Ioſ. 21. cap. Hieron. de loc. Hebr. lit. c.

28.

CASTELLETVM, locus iuxta Tiberiadem ſecus mare Galilææ, vbi quondam Chriſtianorum copiæ coactæ ſunt. Tyr. 22. bel. ſac. 22.

29.

CASTRVM Roberti. cuius mentionem facit Vitriac. cap. 94.

30.

CATETH, aliâs Cathetheth, ciuitas in terminis tribus Zabulon. Ioſ. 19.

31.

CETHRON, quæ aliâs Cetron, Citron, & Tethron ſcribitur, munita vrbs in tribu Zabulon. cuius priſtinos habitatores Zabulonitæ in principio expellere non potuerunt, ſed ad tempus ſub tributo ſecum habitare permiſerunt. Iud. 1. Hieronym. de loc. Hebr. lit. C.

32.

CHESELETHTABOR, ſiue Ceſeleththabor, Hebræis Chiſlothtabor, Hieronymo Chaſſelatabor & Chaſelath iuxta Tabor; ciuitas eſt in tribu Zabulon, quæ eiuſdẽ tribus terminus erat. ſita in campeſtribus ad radicem montis Tabor, in octauo lapide ſiue milliario Diocęſareæ ad Orienten reſpiciens. Hieronymi autem æuo villula tantùm erat, ac Chaſalus appellabatur.

*Ioſ. 19. Hieron. de loc. Hebr. lit. A. dict. Achſap. & dict. Acha ſeluth. & lit. C. dict. Chaſſelata bor. et dict. Chaſeleth.*

33.

CIMANA, ætate Hieronymi vicus erat in campo latiſſimo ſex milibus ab vrbe Legione ad Septentrionalem plagam pergentibus Ptolemaidem. Hiero. de loc. Heb. lit. C.

34.

CISON torrens, qui aliâs Cyſon, Ciſſon, Hebraicè autem Chiſon dicitur, ex pede montis Tabor ſcaturit. moxq; tumore quodã ſeparatus, in riuos duos diuiditur. quorũ minor curſum ad Solis ortum agit. ac multis aquis pluuialibus, quæ de montibus Tabor & Hermon defluunt, in ſe receptis, iuxta caſtrũ Bellifort, non longè à ciuitate Bethſan in mare Galilææ mergitur. Maior verò ad occaſum Solis fluens, oppidum Naim alluit, & mediam planiciẽ campi latiſſimi perlabens, nonnullis alijs augetur riuis. quorum alij de mõte Ephraim, alij de locis Samariæ ꝓpinguis, alij de cãpo magno Mageddo & Eſdrelon colliguntur ac tandem iuxta Carmeli radices, à ciuitate Caipha contra Septentrionem, vno; à Ptolemaide autem verſus Meridiem, tertio miliario, ſe in mare magnum exonerat.

*Iud. 4. 5. Pſal. 82. 3. Reg. 18. Hiero. to. 1. epiſt. 27. ad Euſtoch. et de lo. Heb. lit. C. Broc. ibi. 5. & 6. Breid. ibi. Nig. geog. Aſ. com. 4. Bened. in Iud. 4.*

35.

HIC iuxta torrentem Ciſon minorem, qui verſus Orientem fluit, Debora & Barac dimicauerunt contra Siſaram ducem exercitus Iabin Regis Aſor. & ibid. innumerabiles eius copias proſtrauerunt, fugienteſq; vſq; Mageddo perſecuti ſunt. In qua quidẽ pugna multi Cananæorum in torrente ſubmerſi ſunt. vnde in libro Iudicũ Torrens Ciſon traxit cadauera eorum. Ceterũ ipſe Siſara fuga elapſus, dũ ſe in tabernaculo Aber, Cinæi ſaluare cupit, ab illius vxore callidè interfectus eſt.

*Iud. 4. Pſal. 82. Broc. iti 5. Brei. iti. 6. Fret. p. 11. Iud. 5.*

36.

CISTERNA vetus, aqua carens, quæ non procul à Dothain, in campo iuxta viam q̃ in Aegyptum ducit, etiamnũ ab incolis oſtenditur; in quam Patriarcha Ioſeph à fratribus

tuni

*Geneſ. 37. Broc. iti. 4. Breid. ibi.*



tunica talari & polymita nudatus, cauto conſilio fratris ſui Ruben proiectus fuit, vt ipſum eriperet de manibus eorum, ne ab eis occideretur.

37.

DABIRA, villula Iudæorum in monte Tabor, regionis ad Diocæſaream pertinentis. Hier. in loc. Hebr.

38.

DAMNA ciuitas Leuitarum. Ioſ. 21.

39.

DEBBSAETH, aliâs Dabbaſeth, Hieronymo Daſbath, ciuitas. Ioſ. 19.

*in lo. Heb.*

40.

DOTHAIN, aliâs Dothaim, Dotaim, Dotham, Dothan, & Dotha, oppidum vinetis, oliuetis & ficetis valdè amœnum: quod à Monte Bethuliæ milliario vno in terra campeſtri poſitum, vtrinque montibus non multum altis cingitur. Ager eius qui idem cum oppido nomen ſortitur, fontibus irriguus eſt, alendiſq; pecoribus aptiſſimus; vbi Ioſeph fratres ſuos pecora paſcentes inuenit. In hac ciuitate Eliſæus à Syris obſeſſus, eos omnes excœcauit, ac excœcatos in Samariam deduxit, quæ contra meridionalem plagam duodecimo milliario inde diſtat.

*Broc. iti. 4. Brei. ibid. Geneſ. 37. 4. Reg. 6. Fret. pa 9. Hieron. in loc Heb. lit. D.*

41.

EMMAVS, ſiue Ammaus, vicus non longè à ciuitate Tiberiade: vbi ſunt aquæ calidæ, ſanandis corporum vitijs idoneæ, quas Ioſephus etiam aquas Tiberienſes nominat. Hîc Veſpaſianus pro Tiberiade caſtra poſuit.

*Ioſeph. 18. antiq. 3 in vita ſua. 2. bel. ca. 26. & 4. bel. cap. 1.*

42.

ENABRIS manſio, à Tiberiade triginta ſtadijs diſtans, vbi Veſpaſianus caſtrametatus fuit. Ioſe. 3. bel. 16.

43.

ETHIM, vicus aquationi oportunus, vbi Salahadinus anno 1187. Chriſtianorum exercitum contriuit. Vitr. cap. 94.

*VVil. Her. 1. bel. cont. 6. & 7. & 2. bel. contin. 2.*

44.

FONS Bethuliæ, qui in valle ad auſtrum ciuitatis Bethuliæ ex montibus emanat paulatimque in fluuiolum creſcens, ab auſtrali latere caſtelli Magdali, in mare Galilææ influit. Ad hunc fontem Iudith noctibus exibat, ac ſe Iudęorum more ante orationem lauabat, orans ibidem Dominum Deum Iſraël, vt ad populi ſui liberationem viam ſuam dirigeret.

*Iudit. 7. Nig. geog. Aſ. com. 4. Iud. 12. 13.*

45.

FONS Sephoritanus, fons celeberrimus eſt, prope ciuitatem Sephorim, verſus Nazareth ſitus, vbi propter herbarum ac aquarum copiam Hieroſolymitani reges exercitum cogere ſolebant.

*Vitr. c. 94. Tyr. 20. bel. 27. & 22 bel. 15. 16. 24. 25. 62. 27. VVil. Her. 1. bel. cõt. 2.*

46.

FROBELETH vicus cuius meminit VVil. Tyr. 22. bel. 16. & 26. cap.

47.

GABA, vna præcipuarum Galilææ vrbium, non procul à Ptolomaide, atq; Beſara oppido, à quo vigeſimo ſtadio abeſt, monti Carmelo coniungitur. Huc equites ab Herode demiſſi, coloni deducebantur, vnde & ciuitas equitum appellatur: ciues verò à Ioſepho modò Gabenſes, modò Gabareni & Gabaritæ vocantur.

*Ioſeph. 2. bell. 19. 3. bel. 2. in vita ſua.*

48.

GABARA, ciuitas in campo ſita quadraginta ſtadijs à Iotapa. Ioſeph. in vita ſua.

49.

GABARA, villa in finibus Diocæſareæ, iuxta grandem campum Legionis. Hier. in loc. Hebr. lit. G.

50.

MARE Galilææ, ſic dictum ab adiacente prouincia, aliâs mare Cenereth, Ceneroth, Chenereth, Chinereth, chennereth & Tiberiadis à ciuitate Tiberiade (quam ferunt illis primùm nominibus fuiſſe appellatam) nec non à terra continente ſtagnum Geneſareth, atq; lacus & aqua Geneſar ac Geneſarites nuncupatur. Nunc Tabariæ ab accolis vocari notat Niger, cui aſſentitur Vitriacus. Ioſepho 3. bel. 18. cap. quadraginta ſtadijs in latitudine, centumq; in longitudine patet. Egeſippo vero longius extenditur, & plinio etiam latius, alijq; aliam menſuram aſſignant. Toto autem ambitu ſuo viginti millia paſſuum cõplecti ſcribit Niger. Aqua eius dulcis, fœcunda atque potabilis eſt; ſiquidem nec paluſtris vliginis craſſum aliquid aut turbidum recipit, quia ab arenoſo vndiq; littore circũuenitur, ac præter hoc fluuio & fonte lenior eſt, frigidior tamen paludis æquore, eò quod non in ſtagni morem ſternitur, ſed per diffuſiora lacus ſpatia, frequentius auris ſpirantibus agitatur. Varia autem ſunt in eo piſcium genera, ab alterius loci piſcibus tam ſpecie quàm ſapore diſcreta: mediuſque Iordane fluuio ſecatur, vt notauimus cùm de Iordane ageremus. Oppidis amœnis & celeberrimis circunſeptũ eſt, Capharnao, Tiberiade, Bethſaida, Bethſan, Gadara, Tarichee, Chorozaim, & pleriſq; alijs. Siluas etiam nonnullis in locis, ad auroram præſertim, finitimas habet. In nouo teſtamento cum nauigatione Domini, tum vocatione & piſcatione Apoſtolorũ, alijſque miraculis valdè celebratur. Hic dum Apoſtoli iubente Domino in dexteram nauigij rete miſerunt, 153. magnos cœperunt piſces, quo numero (vt qui omnium piſcium genera complectitur, ſicut teſtantur qui de animanti-

*Num. 34. Deut. 3. Ioſ. 11. 12. 13. 19. Iſai. 9. Ioan. 6. 21. Luca 5. Hieron. in loc. Heb. lit. C. Ortelius in Synon. 1. Mac. 11. Ioſeph. 5. antiq. 1. Nig. geog. Aſ. com. 4. Vitr. c. 53. Egeſip. de excid. Hieron. ſ. lib. 3. cap. 26. Plin. nat. hiſt. lib. 5. cap. 15. Bened. in 13. cap. Ioſ. Ioſeph. & Egeſip. loc. cit. & 5. bell. 4. Ioan. 21.*



manti-

mantium naturis ac proprietate ſcripſerunt) ſignificatum fuit; per Apoſtolicam prædicationem nobiles & ignobiles, diuites & pauperes, & omne hominum genus, de mari huius ſeculi extrahendum ad ſalutem.

*Vide Hier. in 47 cap. Ezech.*

51.

HIC Ieſus cùm turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei: aſcendens in vnã nauim, quæ erat Simônis, rogauit eum à terra reducere puſillum; & ſedens docuit de nauicula turbas. Ibidem etiam, aut non procul inde facta videtur illa ex nauicula concio, cuius meminit. Matth.13. Marc.4. & Luc.8.

52.

HIC Petrus in verbo Domini laxans rete, tam copioſam concluſit piſcium multitudinem, vt rete rumperetur. Luc.5.

53.

HIC Petrus ambulauit ſuper mare; cumq; dubitans mergeretur, dextera Chriſti ſaluatus eſt. Matth.14.

54.

GARISIMA, vbi Ioſephus caſtra poſuit, 20. ſtadiorum interuallo procul a Sephori. Ioſe. in vita ſua paulo ante finem.

5.

TERRA Geneſar, quæ & Græcè Genezareth. Regio eſt, natura, vbertate ſimul & pulcritudine tam admirabilis, vt naturæ magnificentiam hanc eſſe quis dixerit. Eius tanta temperies, vt omnium quæ terra profert conueniat diuerſitati. Illic & quę frigore aluntur ſeſe multipliciter effundũt, & quæ æſtu fouentur, nullumq; pro vbertate ſua negat arbuſtum.

*Matth.14. Marc.6. Ioſeph.3. bel 18. Egeſi.li.3. excid. Hie. cap 26. Lyran. in Matth.8.*

56.

GETHEFER, Getepher, Getacopher, aliâs Geth quæ eſt in Opher ſiue Oter aut Epher, haud grandis eſt viculus in ſecũdo Sephorim milliario euntibus Tiberiadem: vbi natus & ſepultus eſt Ionas Propheta, cuius ſepulcrum tempore Hieronym. adhuc, ibi oſtendebatur. Quod autem additur quæ eſt in Opher, ad diſtinctionem aliarum Geth vrbium pertinet, ait Hieronym. quæ iuxta Etropolim & Dioſpolim hodie quoq; monſtrantur. Eſt autem Opher ciuitas regia, cuius fit mentio Ioſ 12:

*Ioſ 19. Hieron in proœmio in Ionam. 4. Reg.14.*

*Hieron in loc. Hebr. lit. G vbi bis fuit huius loci mẽtionem.*

57.

HOMONAEA locus iuxta Tiberiadẽ. Ioſe. in vita ſua.

58.

IAFIE, ſiue Iaphie, aliâs Iaſie, ciuitas; Ioſue 19 quam fortè Hieronymus intelligit cùm ait. Iaſchie in tribu Zabulon: nunc vſque Ioppevocatur, aſcenſus Iapho. in locis Heb. lit. I.

59.

IAPHA Galilææ oppidum Iotapatæ finitimum, contra expugnationem munitiſſimum. Nam præter naturam, qua tutum erat, etiam duplici muro cingebatur expugnatum tamen à Tito interemptis in ciuitate, & quidem in primo congreſſu XV. millibus: captis autem 2130.

*Ioſeph.2. bell 25. & 3. bel.11. ac in vita ſu.*

60.

IANVA, villa in tertio miliario Legionis, contra meridiem. Hier. in loc. Hebr. lit. I.

61.

IECONAM, aliâs Iacanam, Iachanam, Iechonnam, Iecnal, Iecnam, Iecona, Hieronymo Iethonam, Hebraicè Iochneham. potens Carmeli vrbs, quam Ioſue rege illius interfecto cepit, ac Leuitis attribuit.

*Ioſ.12.19. 21. Hieron. in loc. Hebr. lit. I.*

62.

IEDABA, quæ & Iedala ciuitas. Ioſ.19. forraſſis eadem cum Iadela Hieronym, in loc. Hebr. lit. I.

63.

IEPTAEL, ſiue Iephtaël, torrens & vallis. Ioſ.19. Hieron. in loc. Heb. lit. I.

64.

IOTABATA, aliâs Ionitera & Iacopata, quibuſdã Ionapa, ac Iopſapata, ciuitas Decapoleos omnium Galilææ ciuitatum tutiſſima. Etenim paulo minus tota rupes eſt, ex alijs quidem partibus vndiq; vallibus immenſis præceps, vt earum altitudinem oculis deprehendere cupientiũ, aſpectus ante deficiat. Ab vna verò tantum Boreæ parte adiri poteſt, vbi per tranſuerſum latus deſinentis mõtis ędificata eſt: quod quidem ipſum Ioſephus Hiſtoriographus, cũ ex decreto ciuitatis Hieroſolymitanæ in Galilæam dux miſſus eſſet, ac vtrique Galilææ præfectus, muro ciuitatis fuit amplexus, quo inacceſſa eſſent hoſtib. ſuperiora cacumina. Alijs verò circum montibus tecta, priuſquam in eam peueniretur à nullo poterat conſpici. Poſt longam ac difficilem oppugnationem, ac multas vtrinq; acceptas clades, dolo tandem à Veſpaſiano expugnata eſt. Iotapatenorum quidem quadraginta millia connumerata ſunt excidij tempore ex pugnis mortuorum: mille verò ducenti, ac ipſe Ioſephus capti.

*Ioſe.2. bell.25. & 3. bel.4.7. 8.9.10.13. 14.5. bell. 12.6. bell. 15. in vita ſua. Egeſip.3. excid. Hieroſo.9. Brocard. iti.4. & 5. Brei. ibid.*

65.

LEGIO vrbs Epiſcopalis, ſita ad Orientalem plagam montis Tabor, Hieronymo valde celebris: ab ea enim tanquam à notiori pleraſque aliorum locorum ſumit dimenſiones. Hieronym. in loc. Hebraic. lit. A.B. G.I.N.T.

*VVil. Tyr. 14. beb.12.*

66. MAG-



66.

MAGDALVM, Mariæ Magdalenæ caſtrum, vbi & nata ac ſanata eſt. cuius domum etiamnum ibi videri ait Breidenb. Situm eſt in littore maris Galilæi, & ab Aquilone atque Occidente magnam habet planiciem. Vocatum autem Magdalum à turribus & munitionibus, quibus magnificè erat munitum: Vnde Hieronymus ob Mariæ Magdalenæ ſedulitatem ac fidei ardorem eam Magdalenen, hoc eſt turritam, rectè vocatam aſſerit. Meminit huius caſtri Ioſephus ſcribens Agrippam regem copias miſiſſe, quæ id caperent: cæterùm eas obſidere illud non fuiſſe auſas.

*Broc. iti.4. Brei. iti.4. Nice. hiſt. Eccleſ. l.8. cap.30. Niger. l.3. geogr. Aſ. pag.509. Ioſep. in vita ſua pag. 556. Hier. to.1. epiſt.16. ad Principiam. & to.3. ad eandem in explanat. Pſal.44. et ad Hedib. quæſt.4.*

67.

MEDALAA, aliâs Merala, ciuitas. Ioſ.19.

68.

MEROME nomen loci in excelſo poſiti, in cuius regione contra Siſariam pugnatum fuit. Iudic.5.

69.

MONTES, in quibus ſita eſt Nazarerh. VVilh. Tyr.22. bel.26. Vitriac. c.58.

70.

MONTES ZABVLON. VVilhelm. Tyr.21. bel.26. & 11. bel.22.

71.

NAALOL, aliâs Naalon. Hieronymo Naaloth, vrbs potens data Leuitis. Ioſ. 19.21. Iudic.1.

72.

NAZARA, vſq; hodie in Galilæa viculus eſt, ait Hieronymus, contra Legionem, in quinto decimo eius miliario ad Orientalem plagam iuxta montem Tabor.

*In lo. Heb.*

73.

NAZARETH, quod interpretatur flos, pulcra ac florens Galilææ ciuitas eſt, Capharnaũ vrbi ſubiacens, ædificata ſuper montem, quem coronæ inſtar ambit, duabus leucis à monte Tabor, trium autem dierum itinere ab Ieruſalem diſtans. Hic beata Maria, candens flos virginum, nata eſt. Hic Chriſtus Dominus noſter & Saluator, gloria & corona noſtra; vt flos campi (inquit Hieronymus) naſceretur in flore virtutum; conceptus & educatus eſt, ac viginti quatuor annis habitauit. Vnde & ciuitas hæc, ciuitas ſua, & patria ſua, ipſe verò Nazarenus ſeu Nazaræus & Galilæus appellatus eſt. Sed & nos, qui nunc à Chriſto Chriſtiani, apud veteres quaſi opprobrio â Nazaræo Nazaræi, & à Galilæo Galilæi dicebamur.

Hîc idem Dominus ac Saluator noſter ingreſſus ſynagogam (quam noſtri ſæculi peregrini etiamnum extare referunt) legit illud Iſaiæ: Spiritus Domini ſuper me, &c. Ob hæc igitur, quæ in hac vrbe peracta ſunt myſteria, Apoſtoli poſt Chriſti in cęlos aſcenſionem B. Marię virginis domicilium, in quo ab angelo ſalutata, Chriſtum ſaluatorem concepit, ſacris vſibus dedicauerunt, & ſacris etiam ibidẽ nonnunquàm operati ſunt. Eodemq́ue loco poſtmodum Dei genitrici peramœnum, & quod archiepiſcopali cathedra præcelleret, excitatum fuit templum: in quo tria, ex rupe exciſa, ſunt altaria. ſicut etiam in fine ciuitatis Archangelo Gabrieli templum ædificatũ fuit, vbi fons ſcaturit, qui ab incolis venerationi idcirco habetur, quod puer Ieſus matri ſuæ miniſtrans ſæpe ex eo dicatur hauſiſſe aquam.

*Hieron. in 17. Matth. Brei. iti.5. Iſai.11. Hiero. to.1. epiſt.17. ad Marcel. et in 21. cap. Matth. Cant 2. Matt.2.4. 13. Luc.1.2.4. Ioan.1.19. Act.24. Hieron in loc. Heb. Theod. hiſ. Eccl. lib.3. c.8. in noua. edi. eſt c.7. Lucæ 4. Iſai.61.*

*Brei. iti. 5. Broc. ibid. Sal. tom. 9. cap 7 Vide. hiſto. de origine, migratione, & agnitione ſacri ſacelli. olim B. Mariæ domicilij quæ præfixa eſt reſponſioni aberetici de Apoſtolor. bel.1. et 21.*

*pologetica Franciſci Turriani ad libellum Petri Pauli Vergerij idolo Lauretano. Niceph.8. hiſt. Eccl.30. Hieron. in locis actuum Vitria. ca. 56. Tyr.12. bell.13.13. bell.2.14. bell 12.16. bell.11.17. in indice lib. probibitor. lit. A. Fret. pag.9.*

Porrò quod ad ſacrum angelicæ ſalutationis domicilium attinet: id cùm multo tempore hîc frequẽtatum & in honore habitum fuiſſet, Palęſtina Chriſtianam religionem repudiante, ab Angelis, admiranda ratione Flumen, quod illyrij oppidum fuit, delatum eſt. Verùm cùm incolæ nullam pretioſiſſimi theſauri rationem duxiſſent; tanquam indignis poſſeſſoribus ereptum eſt, ac eorundem angelorum opera, trans mare per aëra vectum, in nobilis cuiuſdam fœminæ (à qua nomen Lauretanum hodieq́ue retinet) ſylua in agro Piceno, ſeu, vt Itali vocant, Recanatenſi collocatũ eſt; vbi cum incredibili hominum piorum concurſu, honoraretur, factum eſt, vt ad eos exſpoliandos, & necandos, in ſylua ſeſe latrones abderent, ac plurimos illuc commeantes interficerent. Quod ſcelus diua virgo execrata domicilium ſuũ aliò tranſferri voluit. Ob eam cauſſam, in duorum fratrũ montem à ſanctis angelis deportatum, & maxima hominum frequentia celebratum, donis ac muneribus pretioſis auctum & exornatum eſt: fratribus hac ratione maguum quidem quæſtum facientibus, ſed acerbè propter lucrum diſſidentibus. Quapropter inde iam quartò in viam publicam Recanati tranſlatum eſt, ac ibi ſedem ſtabilem & quietam recepit. Quàm verò admiranda, quamq́ue multa beneficia homines ibi conſequantur, declarant locus ipſe & templum, quo quatuor tantum muris ſine fundamento admirabiliter conſiſtẽtem ædiculam, cinxerunt; in quo præter innumerabilem tabellarum, cereorum, & aliorum munerum multitudinem, cernitur adhuc integra caſtiſſimæ virginis Mariæ à D. Luca depicta imago. VVeiſſenb. putat vrbem fuiſſe tribus Neptalim, ad occaſum montis Thabor.

74.

HIC voluerunt Iudæi præcipitare Chriſtum. Lucæ.4.

75.

NEELA ciuitas, de qua Zabulon alienigenas non valuit expellere. Hier. in loc. Hebr.

S 3

76. NOA,

76.

NOA, ciuitas & terminus tribus Zabulon. Ioſue 19.

77.

PALMAE, de quibus Ioſe. 5. bel. 4. circa medium capitis.

78.

RAMA, villa ſub monte, qui à Nazareth protenſus includit vallem Carmeleon, in colle excelſo ſita, iuxta viam quæ Sephoro ducit Tiberiadem. Brocard. itin. 5. & 6. Breidenbach. itin. 5.

79.

RASILINE, quod interpretatur caput aquæ, locus haud procul Tiberiade, vbi Salahadinus diebus aliquot caſtra fixit. 22. bel 16. Tyrius.

80.

REMMON, aliâs Remmono, id eſt, altitudo eius, vrbs ſacerdotum aut Leuitarum in tribu Zabulon. Ioſ. 19. 1. Paral. 6.

81.

RVMA, vicus Galilææ, patria duorum fortiſſimorum ducum Netiræ & Philippi. Ioſeph. 3. bel. 9.

82.

SAAB, patria Eleazari filij Samæi, viri prædicatione & memoria digni. Ioſe. 3. bel. 6.

83.

SAFFA, vel Saffra, ciuitas in mõte ſita à Nazareth tribus diſtans miliaribus, patria Zebedæi, Alphęi & Iacobi atq; Ioannis Apoſtolorum, in quorum natiuitatis loco pulcra viſitur Eccleſia. Ioannes de Monteuilla ca. 4. & 20. Ioan. Paſch. in peregrinat. ſ. die 173.

84.

*Brocard. itin. 5. Breid ibid Luc. 4. Homi. fer. 2. poſt Domin. oculi inter homilias Patrũ. Ioan. de Monte vil la. cap. 20. Sal. tom. 9. cap. 7. Fret. pa. 9.*

SALTVS DOMINI, mons altus; vnde videtur mons Tabor & Hermon, ciuitas Endor, Naim, & Iezraël, atque tota ferè planicies campi magni Eſdrelon. In montem hunc tradunt tranſiſſe Dominum, cum eum Iudæi volebant præcipitare, & ſubitò ad tactum veſtis ipſius ſaxũ ſubterfugiſſe, & inſtar cerę liquatum ac reſolutum, quendam effeciſſe ſinum, quo corpus Dominicum muniretur & reciperetur; tantæ vtique capacitatis, quantæ ipſum corpus Domini extitit quantitatis. In quo hodieque vniuerſa lineamenta & rugæ veſtis, quæ à tergo Domini erant, pedumque eius veſtigia veluti manu ſculptoris expreſſa ſeruantur.

85.

SARID, ſiue Sarith, ciuitas & terminus tribus Zabulon. Ioſ. 19.

86.

SARON, ſiue Sarõnas, regio inter montem Tabor & ſtagnum Tyberiadis. Hier. in loc. Hebr. & Act.

87.

SEMERON, quæ & Semron, Sameron & Samaron, vrbs præpotens in tribu Zabulon, cuius Rex contra Ioſue pugnans occiſus eſt. Ioſ. 11. 12. 19. Hieronym. in 1. Paralip. 7. & in loc. Hebr.

88.

*Ioſeph. 14. ant. 10. & 11. 17. ant. 16 18. ant. 3. 2. bell. 3. & 25. 3. bell. 1 & in vita ſua. ac alibi. Egeſip. li. 1. cap. 30. Hieron. in loc. Hebr. lit. A D. G. Broc. iti. 5. Breid. ibid. Fretel. p. 9. Paſch. iti. 174. Tyr. 14. bell. 12.*

SEPHORIS, quæ olim Saphorine Ioſepho iuxta nouam verſionem Saphora, & ſecundum antiquam verſionem, Autocratorida, Egeſippo & Hieronymo Diocæſarea, Brocardo ac Breidenbachio Sephoron, Sephorum & Sephorus dicitur; vrbs eſt opulenta & totius Galileæ maxima, in meditullio regionis tutiſſimo loco ſita, arce, portis, mænibus, muriſq; firmiſſimis munita, & habens circa ſe vicos plurimos; Natalis, vt putatur, locus Beatorum Ioachim atque Annæ Deiparæ virginis parentum. Hanc Gabinius vnam ex Iudæorum curijs eſſe voluit: eandem Varus cœpit, & venditis ſub haſta incolis incendio abſumpſit: Herodes autem totius gentis caput & defenſaculum fecit. Videtur quondam Cathedralem habuiſſe Eccleſiam: Nam Tyrius in Catalogo Pontificum Suffraganeorum Antiochenæ Eccleſiæ, inter Epiſcopatus Seleuciæ Diocæſaream ſecundo nominat loco.

89.

SICAMINVM, aliâs Epha, oppidum ſuper mare, iuxta montem Carmelum, Cęſarea Ptolemaidem pergentibus. Ioſeph. 13. ant. 19. Hier. in loc. Heb. lit. I.

90.

SIMONIAS, vicus in Galilææ finibus, diſtans à campo magno ſexaginta ſtadijs. Ioſephus in vita ſua.

91.

SOGANA, vicus Arabum, Gabaris 20. ſtadijs diſtans. Ioſe. in vita ſua.

92.

SOPHA, in terra Zabulon patria Malachiæ Prophetæ.

93.

SPELVNCAE circa Geneſar lacum, quas Ioſephus muniuit. Ioſe. 2. bel. 25.

94.

TABOR, vrbs Leuitarum, Ioſ. 19. 1. Paralipom. 6.

95.

*Hieron. in loc. Hebr. et in 5. c. Oſe. Polyb. li. 5. Ioſeph. 4. bel. 2.*

TABOR, quem Septuaginta interpretes Itabyrium, alij Tabyrium, Polybius Maſtoim vocat; mons eſt pulcerrimus in medio Galilææ campo mira rotunditate ex omni parte æqualiter finitus, cuius altitudo triginta ſtadijs conſurgens, quæ in mari nauigantibus procul ſpectandam ſe exhibet; aſcenſu difficilis & Septentrionali tractu inacceſſa eſt: in vertice autem viginti ſex ſtadiorum campeſtris planicies patet. Diſtat contra Orientalem plagam à Diocœſarea decem milibus, eſtque cœli temperie ſaluberrimus: vineis, oliuis, varijsq; arbuſtis & fructiferis arboribus totus vndique cõſitus: rore perpetuo vuidus: arborum frondibus verſicoloribuſque herbis ſemper viridis, atque ſuaui omnigenum florum odore fragrantiſſimus. Hinc magna ferarum, maximeque auium hîc eſt frequentia, quarum & grato concentu amœniſſimus eſt, & venatu celebris. Vt paucis dicam, totus hic mons paſcendis oculis, reficiendisq; animis dicatus eſt: ideoque eum Chriſtus Dominus meritò delegit, tum orationi, tum tranſfigurationi ſuæ quo ſole lucidior & niue candidior refulgens coram Moyſe & Helia cœleſtis gloriæ æternæque beatitudinis aliquod ſpecimen diſcipulis ſuis, Petro, Iacobo & Ioanni exhibuit. In cuius facti memoriam D. Helena his tribus Apoſtolis pulcherrimum hoc loco extruxit templum (quod ex VVilhelmo Tyrio apparet fuiſſe cathedrale) multamque reliquit pecuniam in ſubſidium eis, qui ibi manerent, locumque ipſum excolerent. Huic templo acceſſerunt poſtea duo monaſteria, vt hîc eſſent quaſi tria, ex D. Petri deſiderio, tabernacula. Quorum vnum innuenio fuiſſe Græcorum, atque D. Eliæ conſecratum: veriſimile eſt alterum fuiſſe Moyſi dedicatum: vtrunque autem videtur habuiſſe Abbatem. Nunc trium horum templorum. & per ambitum planiciei (quam Ioſephus hiſtoricus quadraginta diebus muro circundedit) aliorum palatiorum, turrium, nobiliſſimorumq; ædificiorum grandes tantùm viſuntur ruinæ, in quibus leones, aliæq; feræ latent. Fuit enim mons hic non ſolum fouendis mulcendiſque ſenſibus idoneus, verùm etiam extruendis, quæ toti patriæ præſidio eſſent, munitionibus aptiſſimus. Vnde in libro Iudicum legimus, deſcendiſſe ab hoc monte exercitum Barac, pugnaturum aduerſus Siſaram. Porrò, in ipſo Dominicæ tranſfigurationis loco, iam hortus eſt, arboribus conſitus, & fontibus irriguus, qui muro ambitur. Quo, qui pedem montis accolunt, propter religionem atque obſeruantiam loci neminem accedere permittunt. Ex hiſce fontibus crediderim oriri torrentem Ciſon, de quo ſupra 34.

*Brocard. itin. 5. Breid. ibi. Pſalm. 88. Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9. 2. Petr 1. Niceph 8. hiſt. eccleſ. 30. Vitr. c. 58. VVil. Tyr. 2. bell. 13. 14. bell. 12. 20. bell. 13. 22. bell. 26. Fret. pa. 9. Sal. tom. 2. cap. 8. Ioſeph. 4. bell. 2. Tyr. 3. contin. 1. Iudic. 4.*



96.

SACELLVM, quod fuit ex parte Occidẽtali, contra Nazareth, ad pedem montis Tabor extructum, in loco, vbi Dominus diſcipulis ſuis dixit: Nemini dixeritis viſionem hanc, &c. Matthæi 17. Breidenbach. itineres.

97.

HIC Chriſtus curauit lunaticum. Marc. 9.

98.

TACASIN ciuitas. Ioſ. 19.

99.

*Hieron. in loc. Hebr. Ioſ 11. Num. 34. Breid. iti. 5. Ioſeph. in vita. Ioan. 6. Ioſeph. 3. bell 2. VVilh. 11. bell. 5. Matt 9. Luc. 5. 3. Reg. 15. Ioſe. 18. antiq. 4. et 3. bell. 16. & in vita ſua. Ioſeph. 2. belli. 26. Breid. itin. 5. Sal. tom. 9. cap 9. Nicep. hiſt. Eccleſ. 8. cap. 30. vide ſupra num. 13. Hieron. de vir. illuſtr. Ioſeph. in vita.*

TIBERIAS, ita appellata, ab Herode Tetrarcha in honorem Cæſ. Tiberij, cùm olim Cenereth, Ceneroth, Græcè Τιβεριὰς, iuxta mare (quod & lacus Genezaret, qui ab ipſa ciuitate nomen accipit Tiberiadis) in longum in triuio ſita, ſub monte, in optimo agro Galilææ. Tiberiadi à meridiana plaga imminet mons tam propinquus mœnibus, vt ſit pro aggere, vnde etiam tela conijci cõtra vrbem poſſunt. Ziegl. Vrbs inſignis, metropolis & terminus Decapoleos, Galilæarum maxima, vnde & mare Galilææ, eſtq; inferioris Galilææ terminus verſus Orientem. diſtat à Tyro miliaribus triginta. Ibi Chriſtus de telonio ad Apoſtolatum Matthæum euocat. In proximo locus eſt, vbi archiſynagogi filiam à mortuis excitauit. Capta fuit à Benadad rege Syriæ; inſtaurata poſt ab Herode, & mœnibus circundata, magnificis exornata ædificijs, magniſque donata immunitatibus. Atq; ita mare & terra circumiacens ab ea nomen acceperunt. Veſpaſiano ſe dedit, cùm ille ad Iudæam expugnandam cum Romanorũ militũ exercitu veniſſet. Erat in ea proſeucha Iudæorum & arx. Terra fertilis, pinguis, abũdans palmis, vineis & oliuetis; & in eius Auſtrali parte ſunt balnea, & aquæ calidæ ad morbos & medicinalia.

Helena mater Conſtantini Tiberiadi τὸ Δωδεκάθρονον, hoc eſt, duodecim thronorũ templum ſtatuit, quo loco Chriſtus quinq; hominum millia pauit, vt auctor eſt Nicephorus. Intra vrbẽ ſocrus petri domo reperta D. Petro pulcrum conſtituit delubrum. Fuit hæc patria Iuſto, qui etiam conatus eſt Iudaicarum rerum hiſtoriam perſcribere, ſed à Ioſepho mendacij arguitur.

Poſt cùm à Chriſtianis occuparetur. Epiſcopali ſede, ſed ſuffraganea inſignita erat; nominatur à Tyrio Dominus Herbertus. Preſuit huic vrbi, primùm quidem Tancredus: poſt Hugo de S. Audemaro; tandem data fuit Ioſcelino, qui ſtrenuè eam rexit, & fines ampliauit præſtantiſſimè: quoniam Balduinus Hieroſolymorum Rex in eius viri induſtria multam ſpem reponebat.

*VVil. Tyr. 14. bell 12. et 18. bel. 6. VVilh. 11. bel. 5. & 22.*

100.

VIA, quæ è Syria ducit in AEgyptum. Hæc via de Galaad veniens, tranſit Bethſaidam, Dothaim, ciſternam Ioſeph, iuxta montes Bethuliæ, ad ſiniſtram montis Tabor procedens per campum Mageddo, ſiue Eſdrelon, aſcendit in montem Ephraim, & venit in Ramathaim Sophim, perque Gazam tandem ducit in AEgyptum. Per hanc viam venerunt Iſmaëlitæ, qui emerunt Ioſeph.

*Brocar & Breidenb. Geneſ. 37.*

101.

VICVS MONTANVS, diſtans quatuor ſtadijs à Tyberiade. Ioſep. in vita.

102.

VLAMA, villa in duocecimo Diocæſareę lapide contra Solis ortum. Hierony. in loc. Hebr.

103.

ZABVLON, validiſſima Galilææ ciuitas, quæ appellatur virorum, vicina Ptole-
maidi, terminus Galilææ inferior ad Occidentem. Ad eam cùm Ceſtius dux Romanorum contendiſſet, & vidiſſet ciues quidem in proximos montes abijſſe, vrbem verò ipſam rerum omnium copia refertam, data in prædam militi, quamuis miraretur pulchritudinem & elegantiam ædificiorum, tamen incendit. Hinc oriundus fuit Elon Iudex, mortuus & ſepultus in Zabulon.

Ioſ.19. Iudic.12. Ioſeph.2. bell.22.& 3.bell.2. Iudic.12.

(·.·)

VRBIS



ORIENS.
IERVSALEM, et ſuburbia eius, ſicut tempore Chriſti floruit, cum locis, in quibus Chriſt[illegible] paſſus eſt: quæ religioſe à Chriſtianis obſeruata, etiã nũ Veneration: habentur. deſcripta per Chriſtianum Ad
Rx.mo et Jlluſtr.mo D.D. Erneſto Archiep. Colon. S. Ro. Jmp. Princ. Elect. et per Jtaliã Archicancell. Epiſc. Leod. Adminiſt. Hildeſ. et Friſing. Princ. in Stabel. Com. Palat. Rheni ſup. et inf. Bauar. Weſtp. Angar. et Bulli. Duci March. Franchimont. &c. Chriſt. Adrichõ Delp. dedic.
IERV SALEM.
Mons Olıueti ſeu Oliuarum. 192.
Hortus Oliueti. 188.
Gethſemani villa. 187.
Sepulcrum B. Mariæ. 198.
Bethania. 179.
Bethphage. 186.
Ficus arida. 184.
Hortus Regius, qui et Hortus conluſus. 188.
Via Captiuitatis. 207.
Via in Jericho, et ad Iordanem. 209.
Petra columbarum. 196.
VAL IOSA PHAT, QVÆ ET VALLIS
Torrens Cedron. 202.
Vallis Cedron.
Siloe fons, et Piſcina. 200.
Via agri fullonis. 206.
Fanum Chamos. 193.
Vicus Ieruſalem. 270.
Mons ſcandali. 193.
Via in Anathot, et Bethel.
Porta Anguli, et Beniamin. 155.
Stagnum ſerpentum. 268.
Monumentum Herodis. 265.
Caſtra Chaldæorum. 258.
SEPTENTRIO.
Collis Gareb.
Erebinthiorum vicus. 261.
Turris furnorum. 172.
Mauſoleum Helenæ reginæ. 263.
Porta Ephraim.
Sapha. 266.
Via in Samariam, et Galilæam. 269.
Horti et prædia. 262.
Porta turrium mulieribrium. 164.
Caſtra Romanor. 259.
Silua frugifera. 267.
Caſtra Pompey. 264.
Mons ſeptentrionalis. 264.
Vallis cadauerum. 242.
Probatica. 70.
Piſcina probatica. 62.
Palatium Pilati.
Xyſtus. 120.
Antonia arx. 29.
Forum magnum. 46.
Bezetha mons. 148.
Forum materiarum. 130.
Platea lata portæ Ephraim. 151.
BEZETHA, 147.
SECVNDA CIVITAS. 125.
NOVA CIVITAS. 147.
Palatium Herodis. 137.
Viuarium. 144.
FILIA SION QVÆ ET CIVITAS INFERIOR. 26.
Archiuum. 30.
Theatrum. 112.
Palatium Machabæorum, poſtea Agrippæ. 56.
Piſcina vetus. 63.
Forum rerum Venalium. 47.
Acra mons. 27.
Amphitheatrum. 28.
Regia Helenæ.
Domus Ananiæ pont. 36.
Mons Moria. 53.
Templum Domini. 75.
Porta aurea, et orientalis. 156.
Porta orientalis, quæ et ſpecioſa. 108.
Atrium gentium.
Atrium Iudæorum. 87.
Sanctum.
Palatium Salomonis. 59.
Thronus Salomonis. 113.
Palatium Reginæ. 58.
Domus ſaltus Libani. 42.
Mello Vorago. 16. quæ & Platea portæ aquarum, atque Vallis Tyropeon. 16
Pons Sion. 19.
MONS SION, CIVITAS DAVID, QVÆ ET SVPERIOR. 2.
Arx Sion.
Palatium Dauidis.
Cypreſſi Sion. 7.
Domus Annæ pont. 8.
Porta Sion. 20.
Piſcina Sion. 18.
Forum ſuperius. 12.
Cœnaculum.
Turris Dauid. 170.



SALEM, et ſuburbia eius, ſicut tempore Chriſti floruit, cum locis, in quibus Chriſt[us] paſſus eſt: quæ religioſe a Chriſtianis obſeruata, etiã nũ Venerationi habentur. deſcripta per Chriſtianum Adrichom Delphum
IERV SALEM.
ADRICHOM
Mons Olueti
Hortus Olueti. 188.
Gethſemani villa. 187.
Oliuarum. 192.
Via Captiuitatis. 207.
Bethania. 179.
Hortus Regius, qui et Hortus concluſus. 189.
Fanum Molchom. 191.
Lucus Moloch. 190.
Gehennom, Vallis Ennom, & Tophet. 186.
Mons Offenſionis. 191.
Idolum Moloch. 186.
Collis. 183.
VAL IOSA PHAT, QVÆ ET VALLIS
Sepulchra
Cedron. 202.
Torrens
CEDRON. 204.
Siloe fons, et Piſcina. 200.
Vallis Siloe. 205.
Via agri fullonis. 206.
Monumentũ Abſalom. 227.
Sepulcrum B. Mariæ. 198.
Porta aurea, et orientalis. 156.
Porta Vallis, et gregis. 165.
Turris Anaeel. 168.
Turris Meah. 174.
Turris Siloe. 176.
Probatica. 70.
Forum pecuarium.
Piſcina probatica. 62.
Palatium Pilati Præſidium Romanor. 57.
Antonia arx. 29.
Forum magnum. 46.
Forum ſcrutatorium. 48.
Xyſtus. 120.
Atrium gentium.
Atrium Iudæorum. 87.
Sanctum. 80.
Sanctum ſanctorum. 78.
Templum Domini. 75.
Domus ſaltus Libani. 42.
Palatium Reginæ. 58.
Palatium Salomonis. 55.
Thronus Salomonis. 113.
Mello Vorago. 16. quæ & Platea portæ aquarum atque Vallis Tyropæon. 16.
MONS SION, CIVITAS DAVID, QVÆ ET SVPERIOR. 2.
Palatium Dauidis, et Regum Iuda. 3.
Arx Sion. 3.
Hortus Regis. 15.
Domus Annæ pont. 8.
Domus Vriæ. 11.
Cypreſſi Sion. 7.
Aceldema. 216.
Antrum Iacobi. 218.
Sepulcrum Zachariæ. 229.
Caſtra Aſſyriorum. 220.
Latibula Apoſtolorum. 226.
Eroge mons meridionalis. 222.
Fouea Ieremiæ. 224.
Antrum Petri. 219.
Ager fullonis. 217.
MERIDIES.
Moria. 53.
CIVITAS INFERIOR. 26.
FILIA SION QVÆ ET
Forum materiarum. 130.
Palatium Herodis. 137.
SECVNDA CIVITAS. 125.
Theatrum. 112.
Palatium Machabæorum, poſtea Agrippæ. 56.
Piſcina vetus. 63.
Forum rerum Venalium. 47.
Acra mons. 27.
Amphitheatrum. 22.
Regia Helenæ.
Domus Ananiæ pont. 36.
Tabernaculum Sion. 24.
Cœnaculum Sion. 6.
Forum ſuperius. 12.
Piſcina Sion. 18.
Pons Sion. 19.
Turris Dauid. 170.
Rupes eminens. 167.
Porta Genath. 159.
Viuarium. 144.



SEPTENTRIO.
OCCIDENS.
VAL LIS IOSA PHAT, QVÆ ET VALLIS CEDRON
Torrens Cedron. 202.
Hortus Oliueti. 188.
Gethsemani villa. 187.
Sepulcrum B. Mariæ. 198.
Vicus Ierusalem. 270.
Fanum Chamos. 193.
Mons ſcandali. 193.
Via in Anathot, et Bethel. 208.
Stagnum ſerpentum. 268.
Monumentum Herodis. 265.
Castra Chaldæorum. 258.
Collis Gareb. 260.
Turris furnorum. 172.
Erebinthonicus vicus. 261.
Mausoleum Helenæ reginæ. 263.
Sapha. 266.
Via in Samariam, et Galilæam. 269.
Horti et prædia. 262.
Porta turrium mulierum. 164.
Castra Romanor. 259.
Silua frugifera. 267.
Castra Pompey. 264.
Mons ſeptentrionalis. 264.
Vallis cadauerum. 242.
Mons Caluariæ. 235.
Christus ſe tibi. Tu te Christo.
Via in Silo, et Gabaon 246
Probatica. 70.
Forum pecuarium.
Piſcina probatica. 62.
Forum ſcrutarium. 48.
Palatium Pilati.
Antonia arx. 29.
Forum magnum. 46.
Piſcina interior. 61.
Bezetha mons. 148.
Forum materiarum. 130.
Platea lata portæ Ephraim. 151.
BEZETHA. 147.
SECVNDA CIVITAS. 125.
NOVA CIVITAS. 147.
Palatium Herodis. 137.
Regia.
Viuarium. 144.
Porta Genath. 159.
Porta Vetus, et iudiciaria. 166.
FILIA SION QVÆ ET
Templum
Domini. 75.
Atrium gentium.
Atrium Iudæorum.
Sanctum.
Moria. 53
Archiuum. 30.
Pons. 64.
CIVITAS INFERIOR. 26.
Theatrum. 112.
Palatium Machabæor. postea Agrippæ. 56.
Regia Berenices.
Domus Ananiæ pont. 36.
Piſcina vetus. 63.
Forum rerum Venalium. 47.
Acra mons. 27.
Regia Helenæ. 75.
Amphitheatrum.
Rupes eminens. 167.
Vorago ſeu Vallis profunda 177.
Porta piſcium, et negotiatorum. 162.
Caſtra Herodis. 231.
Salomon. 236.
Mons Gion. 236.
Fons Gion ſuperior. 233.
Baalpharaſim 230.
Pyri. 238.
Silua fletus. 238.
Via in Ioppen, & ad mare. 245.
Via in Emaus 245.
Via in Gazam,
Via in Bet
Fons Gion inferior. 232.
V L LIS RA PHA M. 244.
Palatium Salomonis.
Thronus Salomonis. 113.
Palatium Reginæ. 58.
Domus ſaltus Libani. 42.
Mello Vorago. 16. quæ & Platea portæ aquarum, atque Vallis Tyropæon. 16.
Pons Sion. 19.
MONS SION, CIVITAS DAVID, QVÆ ET SVPERIOR. 2.
Palatium Dauidis
Turris Dauid. 170.
Siloe fons, et Piſcina. 200.
Via agri fullonis. 206.
Turris Siloe. 176.
Cypreſſi Sion. 7.


VAL
IOSA
PHAT
QVÆ
ET
VALLIS
CE
DRON
Cedron. 202.
Torrens
LIS
Mons Offensionis. 191
Probatica. 70.
Palatium Pilati
Antonia arx. 29.
Forum magnum. 46.
Templum Domini. 75.
Moria. 53
CIVITAS INFERIOR. 26.
Palatium Salomonis
Thronus Salomonis. 113.
MONS SION, CIVITAS DAVID, QVÆ ET SVPERIOR. 2.
Arx Sion. 3.
Palatium Dauidis, et Regum Iuda. 3.
Pons Sion. 19
Mello Vorago. 16. quæ & Platea portæ aquarum, atque Vallis Tyropæon. 16.
Agger fullonis. 217.
MERIDIES.
FILIA SION QVÆ ET
SECVNDA CIVITAS. 125.
Palatium Herodis. 137.
Regia
Vivarium. 144.
Forum mitteriarum. 130.
portæ Ephraim. 151.
Acra mons. 27.
Amphitheatrum. 28.
Theatrum. 112.
Palatium Machabæorum, postea Agrippæ. 56.
Forum rerum Venalium. 47.
Tabernaculum Sion. 24.
Cenaculum Sion. 6.
Sepulcrum Dauid. et regum Iuda. 22.
Turris Dauid. 170.
Rupes eminens. 167.
Vorago seu Vallis profunda. 177.
Castra Herodis. 231.
Mons Gion. 236.
Fons Gion superior. 233.
Fons Gion inferior. 232.
Vallis fontis Gion. 243.
Via in Bet
Via in Emaus
Via in Gazam, ptum, & Aethiopiam. 245.
Via in Joppen, & ad mare. 245.
Baalpharasim 230.
Silua. 240.
Silua fletus. 238.
VAL LIS RA PHA M. 244.
OCCIDENS.
Candido Spectatori.
Colonia Agrippinæ. Anno Christi 1584.

# VRBIS HIEROSOLYMAE, QVEMADMODVM EA CHRISTI D. N. TEMPORE FLORVIT, ET SVBVRBANORVM EIVS BREVIS DESCRIPTIO.

## PRÆFATIO.

### *CHRISTIANO LECTORI*

*Chriſtianus Adrichomius S.*

CVM hiſtoriæ veritas fundamentum ſit & fidei, & intelligentiæ ſpiritalis, Chriſtiane lector, rerum aũt geſtarum hiſtoria abſq; locorũ cognitione cæca ſit, eorũ verò cognitio multũ lucis, tum hiſtoriæ veritati, tũ ſpirituali eius interpretatiõi præbeat, idcircò hoc in opere duo ſumma diligentia mihi obſeruanda exiſtimaui. Primò, vt Hieroſolymæ, vrbium omnium clariſſimę, totoq; Orbe celeberrimę, cuius frequẽtiſſima in ſacris & profanis hiſtorijs ſit mẽtio, verã ac viuã imaginẽ, ſicut Chriſti ætate floruit, perfectãq; tẽpli, fama ſup æthera noti, ac æterna memoria digni, formã, ex ſacroſancta Scriptura, & claſſicis ſcriptorib. atq; vetuſta fideliũ traditione, in tabula Apelleo penicillo ad vnguẽ deliniarẽ: ac ſingulorum locorũ nomina, origines, ſitus, formas, & inſigniores quaſque eorũ hiſtorias Laconica breuitate deſcriberẽ. Secundò, vt paſſionis CHRISTI loca, quę religioſè à maiorib. obſeruata, etiã nunc à fidelibus magna pietate honorantur, ſuo quęq; loco collocarẽ, & quid in vnoquoq; perpeſſus ſit, tanquã iam ante oculos gereretur, viuidè depingerẽ: depicta verò, dilucida breuitate explicarẽ. Hinc enim, quæ quantaq; noſtri cauſa paſſus ſit, & clarius intelligetur, & commodius memoria retinebitur.

*Hieroņ. to. 3 epiſt. 27. ad Dardan.*

*Operis huius ratio.*

Cęterùm, erunt fortaſsè, qui hoc noſtrũ ſtudium minus probabunt, quòd pleraq; ex maiorũ traditione habeamus; quibus reſpõdeo, etiam hic locũ habere poſſe inſignem illam S. Hieron. Eccleſiæ Doctoris ſententiam, omnium Catholicorũ ore probatã: Traditiones Eccleſiaſticas, pręſertim quę fidei non officiant, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt. Vt taceam interim nimis temerarium, imò prorſus impium eſſe, id nunc tandem velle negare, quod piè, quod ſemper, quod ab omnib. eſt receptum. Quicunq; ergò CHRISTI ſanguine abluti, Chriſtianũ ab eo nomen gerimus, atq; ſi nomini fides reſpõdeat, & vita à veritate nõ diſſentiat, Chriſti meritis & gratia ſaluãdi ſumus, credamus quod incorrupta & venerãda credidit antiquitas, nullatenus recedamus ab his, quę Maiores noſtros ſine ſuperſtitione celebraſſe, totius Orbis cõſenſu ad nos vſq; deuolutũ eſt. Grataq; animi pietate ſępè ea recolamus loca, quæ paſſionis Chriſti memoria ſalubriter nobis ingerunt: &, ad quæ hæc tabula nos manu ducit, fidei, mẽtiſq; noſtrę oculis eundem Dei filiũ, quaſi ante nos pręſentẽ inſpiciamus, penituſq; intueamur, maximo ipſum ſalutis noſtræ vrgẽte amore, Paſchali cœna in cœnaculo Siõ peracta, in hortum Oliueti progreſſum, præ imminentium afflictionũ anguſtia orare ac ſanguinẽ ſudare. Mox à ſcelerato Iuda tradi, à Iudęis, vt agnus à lupis, inter clamorũ armorumq; ſtrepitus truculenter capi, vinciri, trudi, & ad domũ Annæ duci. Ibi alapa cædi. Inde ad Caiphę palatium trahi, inibi falsò accuſari, damnari, cõſpui, velari, palmis pugniſq; percuti, ac varijs modis tota nocte illudi & affligi. Manè per vrbis mediũ ad Pilati ædes rapi. Hinc ad Herodis pala-

*Hier. to. 1. epi. 28. ad Lucinium.*

*Paſſionis Chriſti Epitome.*

dis palatium abduci,iterũq; accuſari,ab eo ſperni, illudi, ac morionis inſtar candida
veſte indutum,per aliã ciuitatis viam ad Pilatum reduci. Ibi denuò multorũ crimi-
num accuſari,nudari, dirè flagellari, purpura indui, ſpinis coronari, variè derideri,
conſpui,vellicari,alapis & arũdine percuti: ſicq; tractatũ populo oſtendi,ac morti
adiudicari. Deinde graui cruce oneratum,acerbis & cruẽtis greſſibus,populo om-
ni ſpectãte,per magnã ciuitatis partem, perq; portam iudiciariam,& extra vrbẽ per
arduam & petroſam viam,furenti militum violentia trahi, tundi,vrgeri,& ad Cal-
uariæ montem perduci.Ibi rurſus nudari,laſſum felle potari, ipſoque meridie cruci
adfigi,affixũ in altum erigi.In cruce autem per tres horas ſuſpenſum conuicijs mo-
diſque varijs irrideri,ſitientem aceto potari,denique eum, qui vna ſanguinis gutta
*Num. 21.* Mundũ ſaluare poterat,per quinque vulnerum riuos ſuã toto cum ſanguine vitam
*Ioan. 3.* nobis effundere.In huius ſanè rei figuram,olim ſerpentem æneum à Moyſe in deſer-
to erectum,aſpicere debebant ij,qui ſani & ſalui eſſe deſiderabant. Ad hoc etiã ſpe-
*Cant. 3.* ctaculum Pater cæleſtis fideles quaſque animas euocans: Egredimini,inquit,filiæ
Sion,& videte Regem Salomonem, imò pluſquã Salomonem, in diademate,quo
coronauit illum mater ſua:natura quidem illa mater, corde aũt ſæua eius nouerca,
*Thren. 1.* Synagôga.Similiter & CHRISTVS in cruce pendens clamat: O vos omnes,qui trãſ-
itis per viã,attendite & videte,ſi eſt dolor ſicut dolor meus.Nec ſolũ ad conſideran-
*Exod. 25.* dum & meditandum hæc,ſed & ad imitandum Deus in ſacra Scriptura ſpirituali
*Hebr. 8.* ſenſu interpretata nos hortatur,cũ ait:Inſpice, & fac omnia ſecundum exemplar,
quod tibi in monte monſtratum eſt.Omnia ſiquidem vitæ præcepta, quæ Saluator
noſter toto prædicationis ſuæ tempore, cũ verbo,tũm exemplo nos docuit:ea vno
paſſionis die in ſeipſo expreſſit. Quare ſi Chriſtum non ſolùm verbo,ſed etiã opere
*Liber πα-* imitari voluerimus,ex viua ipſius in monte Caluariæ crucifixi effigie, veluti ex au-
*ναρετός.* reo libro,qui nobili trium electiſſimarum linguarum titulo inſignitus, & lanceæ,
clauorũ,ſpinarum,ac flagrorum calamis in puriſſima Agni immaculati membra-
na,purpureo eiuſdem ſanguine conſcriptus eſt,docti pariter & illiterati facili com-
pendio pefectam Theologiam, ſaluberrima Medicinæ remedia, ſummam Iuris
ac iuſtitiæ peritiam. Artium liberaliũ ſcientiam, Veræ humilitatis,obedientiæ,pie-
tatis,charitatis,patientiæ,omnium denique virtutum perfectiſſima quæq; addi-
ſcere,& ad Chriſti amorem atq; imitationem inflammari poſſumus.
*Contem-* Sic B.Dei genitrix ſtans iuxta crucem,non ſolũ corpore,ſed & corde per fidem,
*platio Cru-* (quę in ea non vacillauit)filij ſui vulnera pijs ſpectabat oculis:eaq; cõferens in corde
*cifixi.*
*Ioan. 19.* ſuo,adeò confortata eſt,vt iam,quemadmodum Ambroſ. ait,pro humani generis
*Ambroſ. in* ſalute etiam mori eſſet parata.Sic Ioannes crucifixi latus lãcea aperiri,atq; inde ma-
*Luc. c. 23.*
*Ioan. 19.* nare ſanguinem & aquam fixis oculis & vidit, & teſtimonium eius perhibuit:qua
quidem conſideratione tantũ profecit,vt hinc tandem abſolutiſſimus Theologus,
Sanctiſſimæq; Trinitatis aquilinus Contemplator euaſerit.Sic latro cũ crucifixum
*Lucæ 23.* videret & audiret,mox ad Chriſtũ conuerſus,ipſumq; confitens,& homicidij pœ-
*Hieron to.* eam(inquit ille ſacri nominis Heros)fecit martyriũ, & crucem mutauit paradyſo.
*1. epiſt 13.*
*ad Paulin.* Sic & Centurio ex hoc ſpectaculo tantũ fidei accepit robur, vt ſub cruce inclytus
*Marc. 15,* factus ſit Chriſti Confeſſor,& poſtea etiam martyrio,vt ait Chryſoſt.ſit coronatus.
*Chryſoſ. in*
*Mat. c. 27.* Quin & Thomas,crucifixi vulnera cõſpiciẽdo & cõtrectando ita fide illuminatus
*Ioan. 20.* eſt,vt Chriſtum & Dominum & Deum ſuum profiteretur. Hæc cũ ita ſe habeant,
& amor,vt Magnes ferrum attrahit, ita amorem illiciat, quis eſt, quæſo,quem tam
vehe-



vehemens Chriſti amor,imò ardor,ac flamma, non afficiat,inflammet, at-
q; accendat? Quis ergo non miretur,cùm moriẽti Chriſto omnes compa-
tiantur creaturæ;Sol obſcuretur,velum templi ſcindatur, terra moueatur,
petræ rumpantur,ſepulcra aperiantur,mortui reſurgant;Quis dico non ad
mirabitur,quis non obſtupeſcet, ſolos duros & induratos Adæ filios, quo-
rum cauſa moriebatur,hoc tanto beneficio non moueri?
Adamas duriſſimus ille lapis, hirci ſanguine,ferrum ignis calore emolli-
tur,& Chriſtiana pectora pluſquã adamantina & ferrea,Chriſti nec ſangui
ne nec igne emolliuntur : at Dei filium rurſum ſibimetipſis crucifigunt,
oſtentui habent, conculcant,& ſanguinem teſtamenti pollutum ducunt. *Hebr. 6. 10.*
Ecquid dignius obſecro, quid iuſtius, quid æquius ac ſalutarius eſſe nobis poſſet, quam vt
ſic amantem redamaremus,atq; amatum imitaremur? Nam,ſi quid in hac re difficile,ſi quid
graue videtur,illud amor ſuaue iugum Domini,leue ac facile reddit:Leuis eſt enim labor om *Gregor. in*
nis amanti:ac iutxa celebrem S.Gregorij ſententiam, Nihil adeò graue eſt,quod non æquani- *quadam*
miter toleretur,ſi Chriſti paſsio ad memoriam reducatur. Parua enim toleramus, ſi recorde- *epiſt.*
mur quàm dura verba, duriora verbera, duriſsima ſupplicia pro nobis ille paſſus ſit,qui in ca-
pite tulit coronam,in oculis velamen, in auribus conuicia, in ore fel & acetum,in facie ſputa
& alapas,in genis vellicationem,in humeris crucem,in corde mœrorem,in viſceribus cõcuſ-
ſionem,in corpore flagella,in membris extenſionem, in manibus & pedibus perfoſsionem,
denique à capite ad pedum plantas vſque innumera ſuſtinuit vulnera & dolores. Vnde ſicut *Iſaiæ 1.*
quondam amarę aquæ Mara, iniecto à Moyſe ligno in dulcedinẽ verſæ ſunt :ita omnis noſtra *Exod. 15.*
tribulatio,ſi Chriſti crux adhibeatur,dulceſcet,eiuſq; fel in mel conuertetur. Harum enim
Saluatoris noſtri afflictionum meditatione fides illuminatur,ſpes roboratur,charitas inflam
matur,virtuteſque omnes augentur.
Quamobrem non minus verè,quàm piè ignitis verbis ad idipſum nos prouocans Eccleſię *Auguſt. li.*
lumen D. Auguſtinus,Inſpice,inquit,vulnera pendentis,ſanguinem morientis,precium redi *de virgini-*
mentis,cicatrices reſurgentis: caput habet inclinatum ad oſculandum,cor apertum ad diligẽ- *tate.*
dum,brachia extenſa ad amplexandum,totum corpus expoſitum ad redimẽdum. Hæc quan-
ta ſint cogitate,hæc in ſtatera veſtri cordis appendite,vt totus vobis figatur in corde, qui totus
pro nobis fixus fuit in cruce. hucuſq; Auguſtinus. Vnde non ſemel hæc meditatum eſſe ſat ſit,
iuuet vſque recolere: decies, imò milies repetita magis ac magis iuuabũt. In cuius ſalutari paſ-
ſionis contemplatione etiamſi multum proficiamus,nunquam ad perfectam eius cognitionẽ
perueniemus,ſed ſemper nobis ſupererit, quod quæramus:cuius plena cognitio cœleſti patri-
æ reſeruatur. Interim in his die nocteque contemplari,in his ociari ac negotiari,in his gloriari
ac totos eſſe:his inuigilare,his indormire, his immori, Chriſtianiſsimum ac maximè ſalutare
eſt. Vale.

# LOCI ALIQVOT SACRÆ SCRIPTURÆ in laudem Ieruſalem.

Threnorum II.

*Haeccine eſt vrbs perfecti decôris,gaudium vniuerſæ terræ?*

Ezechielis V.

*Hæc dicit Dominus Deus:Iſta eſt IERVSALEM,in medio gentium poſui eam, & in circuitu eius terras.*

II. Paralippomen. VII.

*Elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificij.*

Pſalmo LXXIII.

*Deus autem Rex noſter ante ſæcula,operatus eſt ſalutem in medio terræ.*

Eſaiæ II. Mich. IIII.

*De Sion exibit lex,& verbum Domini de IERVSALEM.*

Apocalyp. XXI.

*Vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalẽ nouam,deſcẽdentem de cælo, à Deo paratã,ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.*

Tobiæ XIII.

*Ieruſalem ciuitas Dei luce ſplendida fulgebis,& omnes fines terræ adorabunt te. Nationes ex longinquo ad te venient: & munera deferentes,adorabunt in te Dominum,& terram tuam in ſanctificationem habebunt. Nomen enim magnum inuocabunt in te. Maledicti erunt qui contempſerint te: & cõdemnati erunt omnes qui blaſphemauerint te, benedictiq; erunt,qui ædificauerint te Tu autem lætaberis in filijs tuis,quoniam omnes benedicentur,& congregabũtur ad Dominum. Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent ſuper pace tua,& qui videbunt claritatem IERVSALEM. Portæ IERVSALEM ex ſapphiro & ſmaragdo ædificabũtur:& ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum eius. Ex lapide cãdido & mundo omnes plateæ eius ſternentur:& per vicos eius ALLELVIA cantabitur. Benedictus Dominus qui exaltauit eam,vt ſit regnũ eius in ſæcula ſæculorum ſuper eam. Amen.*

 IERV-

# IERVSALEM, SICVT CHRISTI TEMPORE FLORVIT,

## ET SVBVRBANORVM, INSIGNIORVMQVE HISTORIARVM EIVS BREVIS DESCRIPTIO SIMVL ET LOCORVM, QVAE IESV

*Chriſti & Sanctorum paſsione geſtisq́; decorata, ac religioſè à maioribus obſeruata, & quaſi per manus poſteris tradita, adhuc pia à Chriſtianis veneratione coluntur, ſucinctus Commentarius: per omnia ciffarũ numeris ſuæ nunc æditæ, & ad viuum expreſſæ topographicæ delineationi conformis ac reſpondens, CHRISTIANO ADRICHOMIO DELPHO Auctore.*

Loci originales vbi hæc plerumque plenius fuſiuſq́; tractantur.

## I.

*Pſalm.47. & 86. Matt.4.5. Pſal.73. Ezec.5.38. Hieron 16. Ioſep li.3. bell. Iuda. cap.2.*

IERVSALEM, ciuitas Dei electa, ſancta & glorioſa, fundata in montibus ſanctis, loci eminentia, cæli ſolique fœlicitate cunctas Mundi vrbes ſuperans, in totius Orbis & Iudææ medio ceu centrum & vmbilicus terræ ſita eſt: & tanquam Regia inter omnes accolas, velut caput in corpore, eminet, ſplendidisq; ædificijs ſicut Sol præ cæteris lucet. Tantaq; gloria illuſtratur, vt ſingulari quodã priuilegio vnicus olim electus à Deo locus, ac non tantùm fidelis cuiuſque animæ, verùm etiam militantis Chriſti in terris eccleſiæ, deniq; & beatę illius in cælo triumphãtis exſtiterit figura. Vrbs perfecti decôris, gaudium & exultatio vniuerſæ terræ. Hæc circa annũ à Mundo creato, 2023. tempore Abrahami à Melchiſedec rege condita, Hebraicè SALEM, Græcè verò SOLYMA vocata eſt: atq; ab eo quinquaginta annis poſſeſſa videtur. Quam deinde Iebuſæi, à Iebuſæo filio Chanaan prognati, occupauerunt à quibus Iebus, & Iebuſæum aliquandiu dicta eſt. quo tempore eius regem Ioſue occîdit. Tenuerunt autem eam Iebuſæi annos octingentos & viginti quatuor. tantumq́; vrbis fidebant firmitati, vt Dauide rege ipſam oppugnaturo, per contemptum cæcos, claudos, ac mutilos in mænibus collocarint, dictitantes hos ad arcendum hoſtem ſufficere.

*Deuter. 16. 19. Pſal.47. Thren.2. Geneſ 14. Ioſep.li.2. ant. Iudai. ca.3. & li. 7. bell. Iud. cap.8. Geneſ 10. Ioſ.10.15. 18. Iud.1.19. 2 Reg.5. 1. Para 11. Ioſep li 7. ant. cap 3.*

At Dauid, cùm, diuina ope adiutus, ciuitate potitus eſſet, expulſis Iebuſæis, eam per circuitum reædificans, arce muniens, & inhabitans, totius eam Iudææ prouinciæ Metropolim, ac Regni ſedem & caput fecit: atque deinceps IERVSALEM, quaſi IEBVSSALEM, b. elemẽto euphoniæ gratia in r. mutato; Græcè autem inflexo vocabulo HIEROSOLYMA appellata eſt. Sunt tamen qui ſcribunt à templo, quod Salomon in ea magnificentiſſimum conſtruxit, Hieroſolyma, quaſi Hierõ Salomonis, nuncupatam. Nam Græci ἱερὸν templum vocant. Succedente tempore Salomon alijq; reges Iuda magnam ei acceſſionem adiunxerunt, illamq́ue validiſſimis portis, turribus, muris & foſſis, item templis palatijs, præclariſſimiſq́ue ædificijs ita munierunt atque exornauerunt, vt totius Orbis inter vrbes miraculum eſſet, ideoque ſilentio magis quàm infimo ſermone honoranda ſit. Hoc ornatu ac ſplendore annis quadringentis & ſeptuaginta ſeptem velut terrenus Paradiſus floruit, habens circuitum quinquaginta ſtadiorum. & per gyrum vobis foſſam in lapide exciſam, ſexaginta pedum profunditate, latitudine verò ducentorum & quinquaginta. in qua commorabantur hominum circa centum & quinquaginta milia. Verùm cùm principum populiq́ue impietas non modò templum idolorum abominationibus profanaſſet, ſed etiam ſanguine innoxio crudeliter effuſo vrbem ad os vſque impleuiſſet, Diuina vltione vnà cum Templo principibus & populo, per Nabuchodonoſor Babyloniæ regem (Dei autẽ flagellum) ita funditus euerſa, ac ſeptuaginta annis deſolata fuit, vt Sion quaſi ager araretur, & Ieruſalem quaſi aceruus lapidum eſſet, & mons templi quaſi excelſa ſiluarum: vtq́ue interea, teſte Hironymo, nec auis volauerit, nec beſtia pertranſierit per eam. Poſthæc, templo duntaxat ægrè extructo, portis, turribus & mœnibus carens, à Iudæis de Babylonica captiuitate reuerſis, annos ſexaginta tres inhabitata eſt. Cæterum à Neemia intra dies quinquaginta duos, ambitu triginta trium ſtadiorum, portis, turribus, validoq́; muro cincta, & poſtea à Machabæis, Herode, & alijs, per quã magnificè publicis ac priuatis ædificijs ornata, priſtino nomine ac ſtatu annis 524. glorioſa & pupuloſa claruit: vicos, propter domorum frequentiam ac denſitatem, habens multos & anguſtos. Quo tempore ibi, ceu in theatro, Ieſus Chriſtus ſalutem noſtram operatus eſt: atque inde, velut à centro, Apoſtoli Euangelicam prædicationem, in vniuerſum terrarum Orbem diuulgauerunt.

*Hieron. to. 3. de loc. Heb. lit. I. Euſ Euãg præp. 9. 3. Reg. 3. 5.6 7.9.10. & cat. Ioſep. lib. 8. ant. cap. 2.*

*Ioſep. con, Apion. li, 1. Srabo Geograp. li. 16. 4. Reg. 16. 21.24.25. 2. Par. 28. 33.36. Mich. 3. Ierem. 25. 26.29. Hieron. to. 3. tradit. Hebrai. in 2. Par. 15, 1. Eſd. 1.2. 3.5.6. Neem. 1.2. 3.4.5.6.7. 1. Mac. 12. 13.14. Ioſeph. 6. bell. 6. Ioſe. 1. bell. 13. &c. Pſal. 53. Iſai, 2. Mich. 4. Actor. 1. Mar. 16. Pſal. 18.*

Sed Titus Cæſar Romanus in occiſionis Chriſti vindictam, anno poſt Chriſtum paſſum trigeſimo octauo, eam muro triginta nouem ſtadiorum triduò circũdedit, ac Iudæos ex omni tribu feſtum Paſchæ ibi celebrantes, vrbe velut in carcere cõcluſit. Vnde vrbis illa toti mundo admirabilis, facta eſt & ſpelunca latronum & ſepulcrum mortuorum. Nam inteſtinis cædibus, fame, peſte & gladio, vndecies centena Iudæorum milia in ea perierũt. ipſamq́ue vrbem totam Titus ita funditus eruit, vt qui ad eam acceſſiſſent, habitatam aliquando eſſe vix crederent. Tres autem turres Herodianas, nempe Hippicum, Marimme, & Phaſelum, quę tam magnitudine, quàm pulchritudine, præter alias eminebãt, ciuitatiſq; eam muri partem, quę eas ab occidenti cingebat,

*Ioſeph. 6. bell. 13. & 7. bell. 14. 17. & 18.*

bat,



bat, inconcuſſa reliquit: tum vt eſſet caſtrum Romanis militibus illic cuſtodiæ cauſa relinquendis, tum vt poſteris indicarent, qualem vrbem, quàmve munitiſſimã, Romanorum virtus obtinuiſſet. Sed poſt annos ſexaginta quinque, Iudæis rurſum rebellantibus. AElius Adrianus Imperator multa eorum milia deleuit, ac turres illas cum relicto muro penitus deſtruxit, iuſſitq́ue ciuitatem aſpergi ſale. quo facto, iuxta Saluatoris Oraculum, non eſt relictus vrbis lapis ſuper lapidem, ciuitatemq́ue, pomerijs eius plurimum contractis, denuò extruens, vniuerſum montem Sion, vnà cum Palatio Salomonis, Reginæ, & domo ſaltus Libani: item Portam anguli, & caſtrum Aſſyriorum, totumq́ue eum borealem angulum, ad portam ſterquilinij & Portam Ephraim vſque, vrbis ambitu excluſit: montem autem Caluariæ, & Sepulcrũ Domini, quę prius extra mænia fuerant, vrbis muro ſeptentrionali incluſit & in fronte eius portæ, quà Bethleem ibatur, ſuẽ in marmore ſculpſit, Iudæis eidem ſubiectis, hoc modo ſignificãs, eos Romanæ poteſtati ſubiacere: quibus & edicto interdixit, ne amplius vrbem illam introirent, aut ex loco quopiam excelſiore eminus aſpicerent, eamq́ue deinceps à ſuo prænomine AELIAM CAPITOLIAM nuncupari voluit. Poſt hæc verò à Chriſtianis inhabitata, & Patricarhali ſede inſignita, ſucceſſu temporis recepto nomine IERVSALEM, annis quingentis in Chriſtiana Religione floruit.

*Lucæ 19. Euſeb. in Chroni. & hiſt. Eccle. li. 4. ca 6. Hieron, in loc. Act Apoſt. lit. II. Niceph. 3 hiſt. Eccle. 24. Brocard. in deſcrip. loc. terr. S. itin. 6.*

Porrò anno à Chriſto nato ſexcenteſimo trigeſimo ſexto, à Saracenis in Aegypto regnãtib. capta, & annis quadringentis ſexaginta tribus poſſeſſa fuit.

*VVilb. Ty. hiſt bel. ſa. li. 14. ca. 12. Vitr. c. 55. Onuphr. in Chro. Ecc.*

Deinde anno Chriſti mileſimo nonageſimo nono, à Chriſtianis, duce Godefrido de Bullion, qui & primus vrbis murum tranſcendit, Idibus Iulij magna fortitudine ac ſumma vi expugnata eſt, feria ſexta, hora 9. eadẽ ſcilicet die & hora, qua Chriſtus mortuus eſt. tantaque per ciuitatis plateas, vicos, & angiportus, ac ipſo in templo, tùm ciuiũ, tùm eorum, qui ex vicinis & oppidis & ſuburbanis in eam confluxerant, facta eſt ſtrages, tantaq́; ſanguinis effuſio, vt nemini niſi per interemptorum funera tranſitus pateret, ac talos tenus in occiſorum ſanguine graderentur, vtq́; ipſi victores à planta pedis vſq; ad verticem cruore maderent. Qui vrbe potiti, armis ac ſordibus depoſitis, loca venerabilia, Chriſti præſentia, paſſione, reſurrectione, & aſcenſione ſanctificata, à fidelibus qui in Ieruſalem habitabant, ſibi oſtenſa, nudis veſtigijs mira deuotione diebus ſeptem circumierunt & deoſculati ſunt. Octaua autem die vnanimiter ducem Godefridum elegerunt, ac Regem Ieruſalem creauerunt. At vir Deo plenus, humilitatis cauſa corona aurea, Regum more, in ſancta ciuitate noluit inſigniri. ea contentus, & illi reuentiam exhibens, quam humani generis Imperator in eodem loco vſque ad crucis patibulũ pro noſtra ſalute ſpineam deportauit.

*Vvil. Tyr. archi. hiſt. bel. ſa. li. 8. ca. 5. 18. 19. 20 21. et li. 9 cap. 1. 2. & 9. Iacobus Vitria. ca. 20. B. Salig in epi. ad Io. à Lotharingia Cardi.*

Sic itaque IERVSALEM à Chriſtianis recuperata, ab eiſdẽ per octoginta octo annos retenta fuit. Poſtea, anno nimirum milleſimo centeſimo octogeſimo ſeptimo, ſecunda octobris, ferria, ſexta diſſidentibus, proch dolor, inter ſe Chriſtianorum principibus, à Salahadino Aegypti Soldano per deditionem recepta eſt, ſub eo pacto, vt liceret Chriſtianis tantum efferre, quantum quiſq; ſuis humeris poſſet, qui eam tenuit annis trecẽtis & triginta. Anno autem Domini milleſimo quingenteſimo & decimo ſeptimo, à Selimo Turcarũ Imperatore inuaſa, eodem murorum ambitu à Turcis etiamnum poſſidetur: qui eam Cuzumobarech, ſiue Coſbarich, hoc eſt, vrbem ſacrã nominant. A prima itaq; eius fundatione, in præſentem vſque Chriſti annum milleſimum quingenteſimum octogeſimum quintum, fluxerunt anni ter mille, quingenti, & viginti duo.

*Baſ. Hero. bel ſa. cõt. li. 1. c. 7. & li. 6. ca. 10. Matt. Palmerius in chron. Maſſæus in Chron. Onuph. in Chron.*

# LOCI INTRA vrbem.

## PRIMA PARS VRBIS.

## 2.

MONS SION, qui aliàs MONS DOMINI, Item & MONS SANCTVS dicitur, cæteris montibus multo eſt excelſior, & in prolixitate directior: in modũ theatri forma ſemi circuli vrbem toto auſtrali tractu ambiens. ac veluti ſpecula in eminenti, ſolida, & prærupta vndiq; rupe Diuinitus fundatus, planiciem habebat oppidi inſtar: amœnuſq; exiſtens valde, cæli excellentiam & delitias repræſentabat. Cuius verticem primò Iebuſæi valida arce, ambitum verò eius firmis altiſq́; muris, portis & turribus munierunt. Quos cum Dauid rex expuliſſet, arcem & circumquaque muros, portas, ac turres multò munitiores reddidit, montiſq́; planiciem intrinſecus in plateas & vicos deſtinxit, atq; inibi ſibi ac ſuis heroibus fortibus domos ædificauit, vocauit CIVITATEM DAVID. Quæ etiam à Ioſep. CIVITAS SVPERIOR, & PARS SACRA appellatur. Eundem montem Machabæi per circuitum reædificantes, ſolidis muris ac turribus altiſſimis munitiſſimum fecerunt: ita vt vi nunquam, ſola verò fame capi poterat. vbi & multæ anguſtæ viæ, & frequentes ciuium ædes poſitæ erant. De monte hoc iuxta Prophetarum oracula lex ac lux Euangelicæ veritatis exiuit, & velut ab ipſo capite in omnium gentium ſalutem per totum Mundi corpus effuſa eſt. Quem cum Romani Dei nutu (ſeditioſis ſubitaneo quodam timore hinc inde à muro diffugientibus, & in cloacis ſe occultantibus) præter ſpem & ſine ſanguine cepiſſent, in anguſtias viarum ſtrictis gladijs fuſi, vnumquemque obuium, nullo habito diſcrimine trucidabant, domosq́ue totas, cum omnibus qui eò confugerant, igne admoto concremabant, in multas etiam domos prædæ cauſa irruentes, integras mortuorum familias, & plena (quos fames conſumpſerat) mortuis tecta offendebant, tetrum

*Pſal. 2.23. Ioel. 2.3. Ioſeph. 6. bel. 6 et 15. antiq. 14. Niceph. 8. hiſt. ecc. 37. Broc. iti. 6 Salig. to. 6. cap 6. Iſai. 4. Baſ. Hero. bel ſa. cont. li. 1 ca. 8. 2. Reg. 5. 1. Paral. 11. 15. Pſa. 47.86. Ioſeph. 6. bel. 61 & 1. bel 1. 1. Mach. 4. Ioſe. 7. bel. 5. & 16. Iſai. 2. Mich 4. Iſai. 49. Luc. 2. Act. 13. Ioſeph. 7. bell. 16.*

autem aſpectum illum abhorrentes, vacuis manibus egrediebantur , ac rurſum obuios quoſque transfigendo, & anguſta viarum cadaueribus obſtruendo, totam ciuitatem ſanguine diluebant, quæ, (Ioſepho teſte) cruore adeò fluebat, vt pleraque incēſorum, cædium largiſſimus ſanguis extingueret. Porrò ingruens nox cędes quidem minuit, incendium verò auxit. Poſtero autem die Titus intro ingreſſus, & alia, & ciuitatis munitiones ac turrium cautes miratus eſt, quas tyranni per dementiā ſponte deſeruerant. Conſpecta denique ſolida earum altitudine, itemq́ue magnitudine, ſubtiliq́ue ſingulorum lapidum compagine, quantumq́ue paterent, vel quantum erigerentur, Deo, inquit, planè adiuuante pugnauimus, & Deus qui erat detraxit ab iſtis munimentis Iudæos. Nam quæ hominum manus, aut quæ machinæ aduerſus iſtas valerent? multaq́ue eiuſmodi cum amicis collocutus eſt. Cæterum poſtea mōs iſte vrbe licet excluſus, iterum ædificijs ornatus, & inhabitatus fuit. Nunc autem extra vrbem eorum ruinis plenus, pro maiori parte incultus iacet.

# LOCI MONTIS Sion.

## 3.

ARX SION, antiqua & munita, in vertice montis Sion condita, & inſtar coronæ eum cingens, tutum erat PRAESIDIVM pro decôre & defenſione ciuitatis & templi: ac quaſi tantæ vrbis Capitolium. In hac prius habitauerunt Iebuſæi. Quos Dauid vi eijciens, arcem occupauit, & accipiens ab Hiram rege Tyri lapides, ligna, & artifices, ædificauit ex ea firmum ſibi PALATIVM, & domum cedrinam, ac Solium Regium. In qua quidem arce deinceps ipſe Dauid, alijq́ue Reges Iuda habitauerunt, ac ea pro regni ſede vſi ſunt. Ideoq́; arcta militum cuſtodia aſſiduè ſeruabatur, & paſſim vocata fuit Arx, Regia, & Domus Dauid : aliâs Sedes, Solium & Thronus Dauid: item Aula, & Domus Regis, &c. In hac arce crudeliſſimus tyrannorum Antiochus Syriæ rex, qui Græco vocabulo ἐπιφανής, id eſt, Illuſtris dictus, potius ἐπιμανής, hoc eſt, inſanus dici meruit, poſuit præſidium gentium: vnde tempore Machabæorum diu multumq́ue iudæos afflixit. Quas cùm Simon Machabæus fame ad deditionem compuliſſet, arcemq́ue ab idolorum ſordibus, mundaſſet, intrauerunt in eam cum ramis palmarum, cymbalis, nablis, hymnis & canticis: & collocauit in ea viros Iudæos ad tutamen ciuitatis & regionis. Nunc verò eius ruinæ tantum viſuntur.

*4. Reg. 23. 2. Reg 5. 7. 11. 3 Reg. 1. 1. Paral. 11. 17. Ioſeph 6. bell. 6. Ierem. 17. Luc. 1. Ariſtæas l. de 72. interpret. 1. Mach. 1. 1. Mach. 13. 14.*

## 4.

CARCER REGIVS, cum turri excelſa, quæ eminebat domo regis. In hoc carcere Ieremias, eò quod vrbem capiendam prophetaret, fuit clauſus: & tandem ex eo capta vrbe, per Nabuchodonoſor liberatus eſt.

*Neem. 3. Ierem. 32. 39. 40.*

## 5.

CAESAREVM, & AGRIPPIVM. Regia domus, quam Herodes Aſcalonita in ſuperiori ciuitate ſibi extruxit: ædificauit enim in regia ſua duas ædes maximas ac pulcherrimas, marmore & auro fulgentes, quibus ne templum quidem vſquam conferri poſſet, easq́ue Cæſaris Auguſti, & Agrippæ generi eius, ſuorum amicorum vocabulis, vnam Cæſaream, Agrippam alteram nominauit.

*Ioſeph. 1. antiq. 11. et 1. bel 16. & 6 bel. 6.*

## 6.

COENACVLVM SION, ſitum circa medium montis Sion, magnum, ſtratum, & ornatum erat. in quo Chriſtus in vltima Cœna agnum Paſchalem cum Apoſtolis comedit, eorum pedes lauit, & menſæ accumbens ſub panis viniq́ue ſpeciebus corporis & ſanguinis ſui ſacramentum inſtituit. Inibi die reſurrectionis (ianuis clauſis ingreſſus) ſtans in medio diſcipulorum, eis ſui lateris, manuum & pedum vulnera conſpicienda præbuit, & coram illis comedit : deinde inflando dedit eis Spiritum Sanctum, ſimul & poteſtatem remittendi & retinendi quorumcunque peccata. Octauo poſt die hîc Thomæ Apoſt. lancea & clauorum veſtigia videnda & palpanda exhibuit. Iſthîc & poſt aſcenſionem Domini Matthias in Iudæ proditoris Apoſtolatum ſorte ſubrogatus eſt. Ibidem die Pentecoſtes Spiritus ſanctus vehementi cū ſonitu, ignearū linguarum ſpecie ſuper centum viginti credentes deſcendit ac prima Petri concione ter mille Iudæi conuerſi ſunt & baptizati. Ibidem Iacobus frater Domini, cognomento Iuſtus, primus Hieroſolymorum epiſcopus ab Apoſtolis eſt creatus : atque Stephanus, & reliqui ſex diaconi ſunt ordinati. Ibidem Apoſtoli primum celebraſſe Concilium: & in ſua diuiſione, Apoſtolicum Catholicæ fidei Symbolum condidiſſe videntur.

*Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan 13. Luc. 24. Ioan. 20. Ioan. 20. Actor. 1. 2. Hieron. to. 1. epiſt. 27. ad Euſtoc. virg. & to. 3. epiſt. 1. ad Paulin. Niceph. li. 2. hiſt. ecc. cap. 3. Act. 6. 5.*

Eodem hoc loco Helena Conſtantini Imperatoris mater ampliſſimum longè lateq́ue extruxit templum, in cuius poſtico Cœnaculum circumcluſit. Quo in templo ætate Hieronymi oſtendebatur marmorea illa Columna, cruore Domini infecta, ad quam in domo Pilati vinctus fuit , & flagellatus: cuius pars nunc monſtratur in monte Caluariæ, pars altera olim Conſtantinopolim tranſlata, nunc Romæ in S. Petri baſilica Vaticana ſeruatur. Porrò in præfato Cœnaculi loco poſtea ædificatum eſt monaſterium Franciſcanorum ſiue Minoritarum : qui ibi per aliquot ſæcula diurnis nocturnisq́ue officijs Deo miniſtrauerunt. Cæterum anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo, Turcæ (Franciſcanis in aliud Cœnobium intra vrbem tranſlatis) ex eorum monaſterio Palatium ſibi fecerunt : locumq́ue hunc in tanta habent veneratione, vt non niſi diſcalceati eum intrent.

*Niceph. 8. hiſt. ecc. 30. Hieron. to. 1. epiſt. 27. ad Euſtoc. Brocard. itin. 6. Breid. 12. Iul. Sal. tom. 7. cap. 2. & 8. Paſch. die 182. 183. 184. 227.*





## 7.

CYPRESSI montis Sion valdè excellentes: quarum liber Eccleſiaſticus mentionem facit.

*Eccl. 24*

## 8.

DOMVS ANNAE Pontificis, ſoceri Caiphæ. in qua Chriſtus ab Anna de diſcipulis & doctrina ſua interrogatus, cùm ſe publicè coram omnibus docuiſſe reſponderet , ob id à miniſtro alapa in maxillam percuſſus eſt. Vbi poſtea fabricatum eſt templum SS. Angelorum, in quo etiamnum Græci monachi Chriſtiani habitant , & ſacris officijs Deo ſeruiunt.

*Ioan. 18. Thren. 3. Breid. 12. Iul. Paſ. d. 193.*

## 9.

DOMVS FORTIVM, in qua olim fortes & heroes Dauidis habitabant. vbi etiam ceu in Palæſtra, athletæ & pugiles exercitij cauſſa digladiationibus certabant.

*Neem. 3. Liran. ibi.*

## 10.

DOMVS B. MARIAE VIRGINIS, in qua poſt filij ſui mortem cum Ioanne Apoſtolo habitauit : vbi & eam anno poſt Chriſti aſcenſionem decimo quarto mortis ſoluiſſe debitum , atq́; hinc in cælum migraſſe veterum traditiones & ſcripta habent. Quæ quidem domus, deinde facta eſt Eccleſia B. Mariæ, totius Mundi prima. Qua per Romanos deſtructa, alia eodem in loco à Chriſtianis extructa fuit. quam decôram fuiſſe, eius ruinæ hodie etiam probant. ipſeq́; locus, ne vlla maculetur immūdicie, ſtratis ordine lapidibus adhuc cingitur.

*Niceph. 2. hiſt. Eccle. 3. & 21. Euſeb. in Chroni. VVil. Tyr. bel. ſacr. lib. 8. ca. 5. Breid. 12. Iul. Sal. tom. 7. cap. 2. Paſ. d. 181.*

## 11

DOMVS VRIAE, vnius ex fortiſſimis militibus Dauidis. cuius vxor Bethſabee in fonte (qui etiamnum ibi oſtenditur) ſeſe lauans, ſua pulchritudine Dauidem, è ſolario domus Regiæ ipſam conſpicientem, pellexit ad adulterium.

*2. Reg. 11. 23.*

## 12.

FORVM SVPERIVS. à quo & ſuperior ciuitas aliquoties forum ſuperius vocabatur.

*Ioſeph. 6. bel. 6.*

## 13.

GRADVS ARCIS ſeu caſtri. in quibus ſtans Paulus Apoſt. pro ſe cauſam dixit.

*Act. 21. 22.*

## 14.

GRADVS SION, per quos in ciuitatem Dauid aſcendebatur.

*Neem. 3. 12. Ioſeph. 15. antiq. 14.*

## 15.

HORTVS REGIS, qui & Hortus Oxa dicebatur. in quo Manaſſes & Amon reges Iuda ſepulti ſunt.

*4. Reg. 21. Neem. 3.*

## 16.

MELLO VORAGO ac vallis profunda & lata valdè, quæ montem Sion à ciuitate inferiori diſcernebat: atque à porta aquarum, occidentem verſus vſq́; ad portam piſcium extendebatur. Ab hac voragine Dauid montem Sion per gyrum ædificauit ac muniuit. Huius concauitatem Salomon, vt commoda eſſet platea, coæquauit (vnde etiā Platea portæ aquarum vocatur) eamq́; ædificijs ornauit. quæ collapſa ab Ezechia reſtaurata ſunt. Hîc Ioas rex Iuda à ſuis ſeruis in deſcēſu Sela occiſus eſt. Ioſep. autē ætate hæc vallis Tyropœon appellabatur, in quam, vt ſcribit, domus creberrimæ deſinebant : eratq́; latiſſima, & habitationibus hominum frequentiſſima. Verum nunc vorago ipſa tota repleta eſt, relictis tamen prioris concauitatis veſtigijs.

*Baſ. Hiero. 1. bel. ſac. 8. Broc. iti. 6. 2. Reg. 5. 1. Par. 11. 3. Reg. 9. 11. Neem. 8. 2. Par. 13. 4. Reg 12. Ioſeph. 6. bel. 6. Broc. iti. 6.*

## 17.

PALATIVM CAIPHAE, & ſummi cuiuſque Pontificis, amplum & angulare in quo habitauit olim Eliaſib ſacerdos magnus. In hoc palatio Iudæorum Principes congregati, inter ſeſe conſultabant, quomodo IESVM dolo caperent & occiderent : quibus ibidem à Iuda triginta argenteis eſt venditus. Poſtea etiam à Petro hîc ter eſt negatus, & coram Caipha in ſacerdotum & ſeniorum Concilio à falſis Iudæorum teſtibus accuſatus. quibus cùm nihil reſponderet, à Pontifice adiuratus, vt diceret, an eſſet Chriſtus Dei Filius; cùm id confiteretur, quaſi blaſphemiæ conuictus , Pontifice à Concilio ſententiam exigente, ſexaginta ſex vt (ſcribunt) ſeniores condemnauerunt eum eſſe reum mortis : & reſpondentes, dixerunt, REVS EST MORTIS. Quapropter mox à miniſtris in faciem eſt conſputus oculis velatus, palmis pugnisq́; cæſus, & prophetizare iuſſus, ac tota nocte varijs modis illuſus, multisq́; blaſphemijs vexatus. Nullus mortalium in hac vita cognoſcet, quæ quantaq́; hîc nocte illa perpeſſus ſit. Mane verò facto Iudæorū principes rurſum conuenerunt, vt eum morti traderent: vinctumq́ue abduxerunt, ac tradiderunt Pilato Præſidi. Hoc loco poſtmodum Helena Imperatrix Petro Apoſtolorum Principi pulchrum conſtituit templum. quod poſteri S. Saluatoris nuncupauerunt. idq́ue nunc Armeni profeſſione Chriſtiani tenentes, ſua in eo ſacra Deo peragunt.

*Neem. 3. Matth. 26. 29. Marc. 14. 15. Luc. 22. 23. Ioan. 18. Paſ. d. 194. Thren. 3. Niceph. 8. hiſ. eccl. 30. Breid. 12. Iul. Salign. to. 7. cap. 2. Paſ. d. 194. 195. 196.*

## 18.

PISCINA SION, quæ grandi opere conſtructa eſt.

*Neem. 3.*

## 19.

PONS SION, qua per vallem è ciuitate ſuperiori ad templum tranſitus erat.

*Ioſeph. 15. antiq. 4 & 7. be. 13. 15*

## 20.

PORTAE SION, quas diligit Dominus ſuper omnia tabernacula Iacob.

*Pſalm. 86.*

## 21.

PORTA SVPERIOR, per quam Ioas cùm in templo Rex Iuda eſſet coronatus,

*2. Par. 63.*

Iudæorum Principibus ſtipatus, in Palatium regum Iuda ductus eſt.

22.

*3.Reg.2.11. &c. 2.Par.24. & 26. Neem.3. Ioſep 7. anti.16.& 13.anti.15. capit. 6. an. 17 Act.1. Niceph.8. hiſ ecc.30. Breid.12. Iul. Sal.tom 7. cap.2. Paſ d.184.*

SEPVLCRVM DAVIDIS, vnà cum agro Regalium ſepulcrorum, quod in ciuitate Dauid magnificè in ſublimi collocatum erat. in quo ipſe Dauid, Salomon, alijque Reges Iuda, item & Ioiada Pôtifex, ſepulti ſunt. In hoc monumentum Salomon in ſepultura patris ſui Dauid maximas intulit diuitias. Quod poſteà Hyrcanus Pontifex & dux aperiens, tria milia talentorum argenti inde extulit. Poſtmodum verò Herodes Aſcalonita, Iudæorum rex, & ipſe auferens ex eo theſauri vim magnam, cùm flamma inde exiliens duos ſatellites eius extinxiſſet, ab incepto deſtitit: & ad expiandum ſe, ipſum monumentum candido marmore ornauit. quod longo tempore ibi permanſit. Vbi poſteà Saraceni eccleſiam ſibi conſtruxerunt, quæ etiamnum extat: locumq; hunc mirè colunt ac venerantur: nec Chriſtianorum quenquam illuc introire permittunt.

23.

*Act.8.5. 22. Beda in martyrol. Breui.Ro. VVil.8.be. ſacr.5. Briede.12. Iul. Sal.tom.7. ca.2. Paſ.d.184.*

SEPVLCRVM S. STEPHANI protomatyris, Nicodemi, Gamalielis præceptoris Pauli Apoſtoli, & Abibonis filij eius. quorum corpora, cùm plus minus trecentis ſexaginta annis prope Hieroſolymam, in valle (vt videtur) Ioſaphat, in obſcuro ac ſordido loco iacuiſſent, ſub Honorio Imperatore cæleſti reuelatione monſtrata, inuenta, effoſſa, & ſuaui odore fragrantia, non ſine miraculis ſumma celebritate hîc prope Cęnaculum, & vrbis mænia honeſtius tumulata ſunt.

24.

*2.Reg.6 7. 1.Par.16. Hiero.ibi. 3.Reg 8. 2.Par.5. Ioſeph.7. antiq.4. Breid.12. Iul. Paſ.d.184.*

TABERNACVLVM SION, pellibus tectum, quod Dauid rex fecit, & in colle montis Sion, qui dicitur Gabaon, collocauit, ac in eo arcam Domini maxima veneratione repoſuit, conſtituitque ſacerdotes & leuitas, qui iugiter per ſingulos dies, & vices ſuas coram arca Deo miniſtrarêt. quæ annis quadraginta quatuor ibi manſit: donec à Salomone in templum transferreretur. Inibi & Dauid pro adulterio & cæde Vriæ agens pœnitentiam, ſeptē Pſalmos, quos pœnitentiales appellamus, compoſuiſſe dicitur. Vbi modò Indiani clauſtrum ſibi fecerūt: in quo, ritu ſuo, Chriſto ſeruiunt.

25.

*Zach.14.*

TORCVLARIA REGIS. in quibus Regium vinum exprimebatur.

## SECVNDA PARS vrbis.

26.

*Pſal.9.72. Zach.9. Ioſeph.6. bel.6.& alibi paſſim.*

FILIA SION, ſic appellata, quòd in monte Siō veluti naſci videbatur; quæ & CIVITAS INFERIOR vocabatur, altera vrbis pars eſt: cuius frequens in ſacra Scriptura & Ioſepho fit mentio.

## LOCI FILIÆ SION.

27.

*Ioſeph.13. antiq.9.et 6.bel.6.7. & 7.bell. 13.16.*

ACRA MONS, qui in inferiori ciuitate olim eminens & vndiq; decliuis erat. cuius altitudinem poſteà Simon Machabæus, non intermiſſo per triennium neq; die, neq; nocte populi labore, humiliorem fecit ac cōplanauit, vt ſolum templum omnibus in vrbe locis celſius emineret.

28.

*Ioſeph. antiq.10.*

AMPHITHEATRVM, id eſt, Circus ſpeculatorius, totus vndique rotundus. (qualis aliquando octoginta hominum milia capere poterat) vbi populus gladiatorum & beſtiarum pugnas ſpectabat. quem Herodes ſenior, primus omnium Hieroſolymis in campo maximo, ſumptuoſo opere conſpicuum exædificauit. in quo ad ſpectatorū delectationem luctatores, & gladiatores pugnabant: vel leones, pardi, tauri, vrſi, apri, lupi, aliæue beſtiæ ferocitate eminentes, modò inter ſe, modò cum damnatis hominibus committebantur. Vnde permulti capite dānati, aut in bellis capti, illic cum feris pugnando mortem oppetere cogebantur. Quo tempore Circus arena ſpargebatur, tum ne gladiatores diffluerent, tum, ne pugnantes occiſorum cruore fœdarentur, vel ne cruor ſparſus ſpectantibus eſſet horrori.

29.

*Ioſeph.15. antiq.14. & 18.an.8. Item 1.be. 3.4.16.& 6.bel.6.& alias ſæpè.*

ANTONIA ARX firma & munita valdè, à ſeptentrione templo adiacens. quæ olim ab Hyrcano Machabæo in rupe quinquaginta cubitis alta, & vndique abrupta, extructa, & Turris Baris vocata eſt. Hanc Pontifices à Machabæis orti vſq; ad Herodem incoluêre: vbi in cella ad hoc ipſum ſtructa, ſacra Pontificis ſtola ſeruabatur, præfecto arcis accendente ibi lucernam quotidie. Herodes maior regnum adeptus hanc arcem cūm oportuno loco cohibendis ciuibus, ne quid rerum nouarum per ſeditionem molirentur, ſitam eſſe deprehenderet, eam magno ſumptu inſtaurauit. & intus Regia magnifica inſtar Palatij & ciuitatis formata, & per quatuor angulos quatuor turribus excelſis (quarum tres quinquaginta, quarta verò ſeptuaginta cubitis eminebat) communiuit, vnde totum templum videri poterat, eamque in gratiam M. Antonij triūuiri amici ſui Antoniam denominauit. In qua Romani milites cum armis ſemper excubabāt, obſeruantes ne quid noui populus feſtis diebus in templo committeret. Et ſic tēplum ciuitati, templo autem Antonia caſtrum erat.

30.

*Ioſe 2.bel. 14.& 7. bel.13.*

ARCHIVVM, hoc eſt, tabularium, vulgò Cancellaria. domus ſcilicet, in qua vrbis & ciuium acta, item chartæ publicæ ac creditorum rationes cuſtodiebantur. quam ſeditioſi, fugientibus indè cuſtodibus, incenderunt, vt cuncta creditorum documēta diſperderent, omneſque debitores ſibi adiungerent.



31.

*Ioſeph.12. antiq.6. 1.Mach.1. Dan.8.11. 12. Ioſ.13. ant. 9.*

ARX Antiochi Epiphanis, alta & valida. quam poſt multorum ciuium cædem, vrbis & templi direptionem, pulcherrimorumq; ędificiorum incenſionem, in inferiori vrbe ſuper Acram montem ædificauit, ac firmis muris & turribus muniuit, eiq; Macedonicos milites prę ſidij loco impoſuit, admixtis illis ex apoſtatis Iudæis ſceleſtiſſimis quibuſq;: à quibus iuge ſacrificium triennio eſt ablatum, ipſaq; ciuitas annis viginti ſex plurimum vexata fuit. Deinde verò Simon Machabæus arcem hanc expugnauit & diruit.

32.

*Act.4.5. Ioſe.6.bell. 6.*

CARCER CIVITATIS publicus, in quo Apoſtoli à Iudæorum primoribus incluſi, noctu ab angelo educti ſunt. hunc Ioſephus Betiſo vocare videtur.

33.

*Neem.3.*

COENACVLVM ANGVLI. ædita domus angularis, vbi publicę fiebant cœnæ.

34.

*Ioſ.15.ant. 14. Breid.14. Iul.*

CRYPTA ſubterranea, ab Antonia ducēs in templum, quam fecit Herodes ſenior, imponens ei turrim: vt per eam occultè poſſet intrare templum, ſi quid per tumultum cōtra Regem vellet nouare populus. atq; etiamnum extat mirabilis & lata, ſic quod ſexcenti equi in ea commodè locari poſſent.

35.

*Io.16.be.6. et 7.bel.13. Exod.18. Hieron.to. 3.epiſt.25. ad Fabiol. manſ.11. Num.11. Deut.17. Act.4.5. Act.6.7.*

CVRIA, Hebraicè Gaſith dicta, quæ in inferiori vrbe antiquo ciuitatis muro coniuncta erat. in qua ſeptuaginta Senatores & Iudices ordinarij, qui à Iudæis Sanhedrim, Græcè Synedrium, Latinè autem Concilium ſeniorum & Seniores populi vocantur, Reipublicæ negotia curabant, iura dabant, ambigua & grauiora. etiam aliarum ciuitatum iudicia definiebant, lites & controuerſias dirimebant, & capitalia iudicia ferebant, exceptis duntaxat difficultatibus, quæſtionibus, & cauſis Diuinæ legis Iudaicæq; religionis, quas ſummus Pontifex & ſacerdotes determinabant. In hoc Conſiſtorio Apoſtoli examinati, flagris cæſi, & prædicare prohibiti, ibant gaudentes à conſpectu concilij, quòd digni habiti eſſent pro nomine Ieſu contumeliam pati. Ibidem S. Stephanus coram concilio ſtans, facieq; Angelica fulgens, intentis in cœlum oculis, vidit cœlos apertos, ac gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei. vnde impetu eiectus extra ciuitatem, lapidatus eſt.

36.

*Ioſeph.2. bell.17.*

DOMVS ANANIAE Pontificis, quam tandem ſeditioſi inflammauerunt.

37.

*Breide.26. Iul. Sal.tom.8. cap.6 Iac.Vitri. cap.58. VVilhe.11. bell.ſacr. 1.& 15.bel. ſacr.26. Paſ.d.197.*

DOMVS S. ANNAE auiæ CHRISTI, in qua, vnà cū Ioachim coniuge ſuo, cùm feſta Hieroſolymis ageret, hoſpitabatur: vbi & vterq; obijt. Hic B. Maria virgo concepta eſt: atq; ibidem paſſionis Chriſti tempore manſit. Vbi poſtea pulchrum in honorem S. Annæ ædificatum eſt templum. quo nunc Turcæ turpiter abutuntur.

38.

*Luc.16. Breid.14. Iul. Sal.tom.8. cap.6.*

DOMVS DIVITIS EPVLONIS, in inferno, iuxta Euangelicam hiſtoriam, ſepulti. in qua ipſum habitaſſe fama à maioribus tradita ad nos peruenit. quæ alta muris, etiamnum Chriſtianis peregrinis monſtratur. Vnde conſtat Euangelium de diuite epulone & Lazaro hulceroſo (cuius etiam nomē ibi exprimitur) non parabolam, ſed rei geſtæ eſſe hiſtoriam.

39.

*4.Reg.11.*

DOMVS MESSA. cuius in quarto Regum volumine fit mentio.

40.

*Neem.3.*

DOMVS NATHINAEORVM, qui ligna & aquas in templo miniſtrabant.

41.

*Luc.14.*

DOMVS PRINCIPIS Phariſæorum, in qua Chriſtus hydropicum ſuo tactu ſanauit: atq; in conuiuio tum ſuo hoſpiti, tum inuitatis ſalutis monita dedit.

42.

*3.Reg.7.10. 2.Paral.9. Iſa.22. Ioſ.18 ant. 5.6.7. Hieron.to. 3.epiſt.33. ad Suniam & Fretelā Eccl.2. Liran.in 3. Reg.7.*

DOMVS SALTVS LIBANI, longa centum, lata quinquaginta, alta triginta cubitis. quam Salomon ſplendidè, & opulentiſſimè de polito marmore, lignis cedrinis, auro atque argento decoratis, ac deſuper tecto plano cum deambulatorijs (vt & cætera domorum tecta in Palæſtina fabricari ſolent) extruxit, intus verò viuidis variarum arborum & plātarum picturis tam artificioſè ornauit, vt earum folia agitari quodammodo viderentur. plantauitq; iuxta eam nemus & viridaria cuncti generis arboribus conſita, fontibuſq; irrigua, nec non viuaria ac piſcinas fodit, in quibus eum omnis generis feras, aues & piſces continuiſſe probabile eſt. Erat autem domus hęc, domus epularum, & armamentarium, in quo arma bellica, item vnguenta, pigmenta, & aromata conſeruabantur. quin & ducenta ſcuta aurea equitum, & trecentæ peltæ aureæ peditum, quæ fecit Salomon, in domo hac ab ipſo repoſita ſunt. cuius etiam reliqua omnia vaſa erant aurea. quò ſe Rex & nobiles ferijs Reipublicæ negotijs peractis conferebant, atque epulis, luſibus, & obambulationibus animum oblectabant.

43.

*Luc.7.*

DOMVS SIMONIS Phariſæi, quæ adhuc oſtenditur. in qua Chriſtus menſæ accum-

*Breid.14. Iul. Sal.tom.8. cap.6.*

cumbens Magdalenæ peccatrici, iam pœnitēti, ipſius pedes lacrymis riganti, capillis tergēti, oſculanti, vngenti, multūq; amāti, multa peccata remiſit.

## 44.

*Breid.14. Iul. Sal.tom.8. ca.7. Paſ.d.210. Beth. in deſcript.loc. paſſion. Chriſtiferia 5.*

DOMVS VERONICAE angularis. Hic Veronica lineum capitis ſui peplum dedit Chriſto, quo faciem ſuam tergeret: cui Dominus facici ſuæ imaginem perfectè impreſſit, eique in amoris ſui pignus reddidit. Quod in hodiernum vſq; diem Chriſti facie inſignitum, Romæ in S. Petri Baſilica, in Vaticano monte per Conſtantinum Magnū extructa, grandi honore aſſeruatur: ac ſtatis diebus populo oſtenditur.

## 45.

*Ier.39.*

DOMVS VVLGI. vbi iaculationibus ſe exercebant, & publica conuiuia celebrabant, ac epulis, luſibus, & ambulationibus animum reficiebant.

## 46.

*Ioſ.13. ant. 20. & 1. bell.3.*

FORVM MAGNVM, quod in vrbis medio, Antoniæ arci adhærebat. in quo Alexander Iudæorum rex & Pontifex octingentos Iudæos (vxoribus in conſpectu ipſorū, & liberis in conſpectu etiam matrum, necatis) crucifixit: idq; ſpectaculum ipſe ſuis cum concubinis in Antonia Arce epulans potanſque proſpectabat, propter quā crudelitatem Crucida cognominatus eſt. Eodem in foro Herodes maior cum Parthis, Antigonum in regnum reducere conantibus, magno prælio conflixit. Porrò cùm in obſeſſa per Romanos Ieruſalem iam fames totis regnaret habenis, totasque domos ac familias depaſceretur, & tecta plena eſſent mulieribus exanimatis, atque infantibus; viarum autem anguſta ſenibus mortuis: (quippe coria ſcutis detracta, cinguli, calceamenta, & fœnum, matribus denique proprij filij aſsi, cibus erant) adoleſcentes ac iuuenes turgidi, velut vmbrę mortuorum, per hoc forum verſabantur, & vbi quem caſus occupauerat, decidebant. Cūque ſuperſtites ob multitudinem eos ſepelire, inſepultorum verò fœtorem ferre nō poſſent, in vrbis valles eos ex muro præcipitabant. Quas circumiens Titus, vbi plenas cadaueribus vidit, altamq; ſaniem tabefactis corporibus defluentem, ingemuit: & extentis manibus Deum teſtabatur, factum illud ſuum non eſſe. Contumaces enim Iudæi pacem ſæpius oblatam reſpuerant.

*Ioſ.14.ant. 22. Item 1. bell.11. Ioſe 6. bell. 14. & 7. bel.7. & 8.*

## 47.

*Act.12. Eu. 2. hiſt. Eccl.9. Niceph.2. hiſt. Eccl.12. Breide. 12. Iul.*

FORVM RERVM VENALIVM, quod in ſuperiori inferioris ciuitatis parte ſitum erat: vbi piſces ac varię merces vendebantur. Hoc in foro S. Iacobus maior, frater Ioannis, cum ſuo Spiculatore, qui eum ad martyrium ducebat, primus Apoſtolorum ab Herode Agrippa capite truncatus cum ſanguine vitam profudit. In cuius honorem ſibi poſtea inſigne erectum eſt templum; quod nunc Iacobitæ Armeni inhabitant, atq; in eo Chriſtum ſuo more colunt. Idem hoc forum iubēte Floro præſide milites Romani diripuerūt, ac paſſim obuios trucidauerunt: atque in vniuerſas inſilientes domos, cunctos in ijs habitatores interfecerunt.

*Sal.tom.8. cap.4. Paſ.d.181. Ioſeph.11. ant.2. & 1. bel.14.15. 16.*

## 48.

*Neem.3.*

FORVM SCRVTARIVM. vbi ſcruta, hoc eſt, attritæ vſu veſtes, ac veteramenta omnifaria vendebantur.

## 49.

*1. Mach.1. & 2. Mac. 4.*

GYMNASIVM, id eſt, ſchola gentilitatis. quam Iudæorum pſeudopontifex Ieſus, qui gentilium more Iaſon vocari maluit, alijque apoſtatæ Iudæi, Antiochi Epiphanis permiſſu ſub ipſius arce contra templum ædificauerunt, in qua populus leges & ritus gentium docebatur, & iuuentus, in Grçcorum Philoſophorum ſtudijs ac diſputationibus inſtituebatur: vbi & nudi atque oleo vncti in gymnicis luctationibus, in bellicis certaminibus, ludisque ſcenicis ſe exercebant. Eodem inſuper loco dicti apoſtatæ EPHEBIAM, hoc eſt, Proſtibulum formoſorum iuuenum conſtituerunt, & pulcherrimos quoſque epheborum in lupanaribus ponebant, vbi turpia fœdaque contra naturam peccata exercebantur. Quapropter multi à Dei lege ad gentiles ritus, mores viciaque defecerunt, venundati vt facerent malum: ita vt quidam ſacerdotū relicto templo Deique cultu, palæſtrica exercitia diſcerent. hinc etiam inter Iudęos diuerſæ ortæ ſunt ſectę, Phariſæi nempe, Sadducæi, Eſſæi, &c.

## 50.

*Liran. in Neem 3.*

HABITACVLA SACERDOTVM. quorum Domus ab exteriori parte muro claudebantur: à parte autem anteriori habebant aſpectum verſus templum.

## 51.

*4. Reg.11. Ioſ.20. ant. 15.*

HABITACVLVM SCVTARIORVM, antè occiduam templi porticum extructum. vbi primo Iudęi, poſtea milites Romani in feſtiuitatibus ſtationes habebāt ad templi cuſtodiam.

## 52.

*Ioſ.15. ant. 10. & 17. ant.9.10. 13.14. Item 1. bel. 21. et 2. bel. 2.*

HIPPODROMVS, hoc eſt, Circus oblongus muris ſeptus, qui contra meridionalem regionem templi ſitus erat, in quo equi curſu, agilitate, & velocitate exercebantur: & athletæ ſpectante populo curſu pedeſtri, equorum, bigarum, trigarum, quadrigarum, haſtiludio, aliáue dimicatione certabant. vbi Herodes rex in Auguſti Cæſaris honorem quinquennale certamen inſtituit, propoſitis victoribus magnis præmijs. Idem moriturus è tota ditione ſua cuiuſque vici nobiliores Iudæorum, minaci edicto pœnam capitis intentante non parentibus, conuocatos,



tos in hoc circo fecit concludi, vt poſt mortem ſuam omnibus illis ibi occiſis, etiam inuita omnis Iudæa, omniſque domus illi illacrymaret.

## 53.

*Geneſ.22. Mich.3. 1 Mach. 13 16 Iſai.10.16. Ioſ 15. ant. 14. & 6. bell.6. Hieron. in Gen.22. & in 2. Par.3. citatur à concil. Nicæn.2. Act. 4. 1. Par 21. Ioſ 7 anti. 13. 2 Para 3. 36.*

MONS MORIA, qui alibi terra viſionis, & mons templi, atque mons filiæ Sion dicitur, orientali ciuitatis muro prope adiacens, excelſus, ſaxoſus, & vndique præceps atque decliuis erat. In hoc monte Abraham immolans filium ſuum Iſaac, loco eius arietem cornibus inter vepres hærentem obtulit. Cuius rei imago (vt hoc obiter contra noſtri temporis imaginum oſores annotem) etiam tempore Gregorij Nyſſeni in vſu fuit. De hac enim imagine in oratione pathetica de pictura ſic ait: Vidi ſæpius inſcriptionis imaginem & ſine lacrymis tranſire non potui, cùm tam efficaciter ob oculos poneret hiſtoriam. Hūc ipſum montem Dauid ab Orna Iebuſæo ſexcentis ſiclis auri emit: & extructo in area eius altari, holocauſtum Deo obtulit, quod ignis à cœlo conſumpſit.

Eodem in monte poſtea Salomon templum Domino, magnitudine & pulchritudine excellentiſſimum ædificauit. Quod poſt annos quadringentos quadraginta & vnum à Nabuchodonoſor deſtructum, & ſeptuaginta annis deſolatum, Zorobabel reſtaurauit. Idq; poſt annos quingentos octoginta ſex à Tito demolitū, ac pluſquā trecentis annis deſolatum, eodem in monte, multùm tamen per Romanos complanato, tādem Chriſtiani reædificauerunt. Quod poſtea à Saracenis, & iterum à Chriſtianis, rurſumq; à Saracenis occupatum, modo à Turcis poſſidetur.

*Broc.iti.6. Salig.to.8. cap.8.*

## 54.

*Ioſ.6. bell. 67. &c.*

MVRVS PRIMVS, qui & antiquus dicitur, tum propter valles imminentemque his deſuper collem, in quo firmiſſimè Dauidis & Salomonis, aliorumq; regum largiſſimis impenſis operi inſumptis, ſtructus erat, tum etiam propter ſexaginta turres, in quas diuidebatur, validus & robuſtus erat valdè.

## 55.

*2. Par.27. 33. Neem.3. 11. Liran in Neem.3 Ioſ.2. bell. 18. & 6. 7. bel.13.*

OPHEL, quam Ioſephus Ophlam nominat, erat turris enormi altitudine quaſi nubi caput inſerens, atque ARX munita, firmo muro cincta, tēplo propinqua extra murum tamen, qui habitationem ſacerdotum claudebat. In huius muro Ionatham rex multa conſtruxit. Atque Manaſſes eouſque vrbis muros reparauit. In hac habitabāt Nathinæi. In hanc fugiens Manahemus tyrānus, captus eſt & occiſus. Hanc tādem Titi milites combuſſerunt.

## 56.

*1. Mac.13. 10.17. ant. 14. & 20. ant 15. Itē 2. bell. 2.16.17. & 7. bell.15.*

PALATIVM MACHABAEORVM, in præcelſo loco ad occidentem templi ab eis ædificatum. ex quo vrbem, & quæ in ea fiebant contemplari volentibus, pulcherrimus & delectabilis patebat proſpectus. Quod poſteà Agrippa rex inſigni amplitudine in Aulam ſibi extruxit: vnde è ſuo triclinio quicquid in templo ageretur, ſpectabat. Quamobrem Iudæorum primates excelſum parietem ædificaueruut ſupra exedram templi interioris, ad Solem occiduum ſitam, qui Regis proſpectum impediebat. Id indignè tulit tam Rex Agrippa, quàm Feſtus prouinciæ Præſes: qui etiam Præcepit eis parietem diruere.

At illi rogauerunt, vt liceret ſibi legatos ea de re ad Neronem Imperatorem mittere, dicentes ſe non poſſe viuere, ſi quid demoliretur de templi ædificijs. Quo impetrato, miſerunt Iſmaëlem ſummum Pontificem & Helchiam gazophilacem, ſimul & decem de ſuis primaribus. Nero autem, vxore ſua Poppea pia femina pro Iudæis deprecante, & veniam geſti operis condonauit, & parietem ſic manere permiſit.

## 57.

*Pſal.37. & 72. Iſai.1.50. 53.63. Matt.27. Marc.15. Luc.23. Ioā.18.19. Breid.21. Iul. Sal.tom.8. cap.7. Paſ.d.180. Bet.fer.4.*

PALATIVM PILATI, & præſidum Romanorum, quod ab aquilone Xyſto & Antoniæ adhęrens, omnibus ciuitatis ædibus multò amplius, pulchrius, & eminentius erat: & ad minus viginti octo marmoreis gradibus aſcendebatur. Hic cùm Chriſtus à Principibus populoque Iudaico, quòd populum peruerteret, tributa dari Cæſari prohiberet, ſe Chriſtum Regem diceret; quodque ſeditioſus eſſet, falsò accuſaretur, ac crucifigendus poſtularetur; huiuſmodi ſententiæ forma, vt ex vetuſtis annalibus prolatum inuenimus, à Pilato ad virgas condemnatus eſt: *Ieſum Nazarenum virum ſeditioſum, & Moſaicæ legis contemptorem, per Pontifices & principes ſuæ gentis accuſatum, expoliate, ligate, & virgis cedite. I lictor, expedi virgas.* Quapropter à militibus Pilati in atrium Prætorij ductus, corā vniuerſa cohorte eſt nudatus, ad columnam ligatus, & crudeliſſimè flagris verberatus, totoq; corpore vulneratus ac laceratus. Deinde chlamyde purpurea circūdatus, ſpinis dirè coronatus, arundine in dextra data, irriſoriè vt Rex ſalutatus, & genu ante eum flexo adoratus, varijs modis illuſus, conſputus, genis vellicatus, alapis cæſus, ac ſuper coronatum ſauciumque caput arundine percuſſus. Quo loco in tantarum pęnarum Chriſti venerationem, ſpecioſum poſteà à Chriſtianis extructum fuit templum. Nunc autem habitat ibi Præſes, qui Turcæ nomine Hieroſolymis dominatur.

PRAEDICTI domus Pilati gradus Romam poſtmodum tranſlati, etiam nunc ſunt pro foribus templi S. Ioannis Lateranenſis, in Cælio monte à Conſtantino Magno ædificati, atq; à Romanis Scalę ſanctę appellantur, locusq; in eis olim Chriſti ſanguine conſperſus, cancellis eſt opertus: & quia Chriſtus tempore paſſionis per eas bis aſcendit, magna animi pietate viri ac mulieres flexis genibus eaſdem aſſiduè aſcendunt.

58.

*3.Reg.7.9. 2.Para.8. Ioſeph.8. antiq.5.*

PALATIVM REGINAE. quod Salomon propè palatium ſuum ex pretioſis ac politis lapidibus pro vxoris ſuæ Pharaonis filiæ habitatione, heroicè ædificauit.

59.

*3.Reg.7. 10. 2.Par 8.9. Ioſ.8.an.5. Broc.iti.6. VVilh.12. bell.ſacr.7. Vitriac. cap.65.*

PALATIVM SALOMONIS, magnum & pulchrum nimis. quod in parte auſtrali montis Moriæ pro habitatione ſua è candido marmore & lignis cedrinis, multis columnis ſuffultum, magnificè ſumptuoſiſſimeque tredecim annis ædificauit: ac præterquam quod vndique admirabili auri atque argenti ſplendore exornauit, eius quoque vniuerſa vaſa fecit aurea. Eodem in loco poſtea Chriſtiani reges Ieruſalem palatium ſuum habuerunt, atque ibidem ordo militiæ templi initium ſumpſit.

60.

*Sal.tom.7. cap.1.*

PISANVM CASTRVM, validis foſſis & turribus cinctum. quod in occidua ciuitatis parte à Chriſtianis Piſarum Italiæ oppidi incolis, tempore quo terræ ſanctæ tenebant dominium, conſtructum eſt. vbi primò Piſani, deinde Saraceni, nunc verò Turcæ à terræ ſanctę perigrinis ſacrilegum accipiunt tributum.

61.

*2.Reg 20. 2.Par.32. Eccle.48. Brocard. itin.6.*

PISCINA INTERIOR, grandis, quam Ezechias rex fecit in medio ciuitatis ad aquilonem templi. Fontis enim huius aquas è ſuperiori fonte Gion per ſubterraneos canales introduxit in vrbem, & fecit eas ſcaturire in piſcina hac: ædificauitq; ad eam puteum, vt totam irrigaret ciuitatē, ne populus in obſidione poſitus aquæ laboraret penuria.

62.

*Ioan.5. Brocard. itin.6. Sal:tom.8. cap.5.& 6. Ioſeph.6. bell.6. Ioan.5. Paſ.d.192 Hier.to.3. de lo.Heb. lit.B.*

PISCINA, quæ vocatur Græcè PROBATICA, hoc eſt, ouina ſeu pecualis, eò quòd oues, aliæque pecuales litandæ, in ea lauabantur: Hebraicè autem Betheſda, (corruptè Bethſaida) id eſt domus effuſionis, quòd aquę pluuialęs ad eam confluebant. ſita inter portam vallis & templum, ampla & præcipua erat piſcina totius vrbis, quinque porticus habens. quam Rex Salomō fecit pro miniſterio templi, atque hinc à Ioſepho ſtagnum Salomonis nominatur: in hac enim piſcina Nathinæi lauabant hoſtias, quas tradebant ſacerdotibus in templo offerendas. Huius aqua certis temporibus ab Angelo Domini mouebatur, & qui poſt eius motum primus deſcendebat in eam; à quacunque detinebatur infirmitate, ſanus fiebat. Ideoque in porticibus eius iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum aridorum, expectantium aquæ motum. ex quibus Chriſtus ſanauit hominem, qui triginta octo annos languerat Tempore Hieronymi oſtendebantur gemini lacus, quorum vnus hybernis pluuijs ſolebat adimpleri: alter mirum in modum rubens, quaſi cruentis aquis, antiqui in ſe operis ſigna teſtabatur. Sunt, qui exiſtiment, hunc fuiſſe locum, vbi ſacrum ignem quondam recondiderunt ſacerdotes, quem cùm requireret reuerſus Nehemias, eius loco reperit aquā craſſam. 2. Mach. 1.

63.

*Iſai.22. Ioſeph.7. bell.24.*

PISCINA VETVS. vnà cum amne, qui ex eo per totam ciuitatem decurrens in torrentem Cedron defluit.

64.

*Io.14.ant. 8.& 15.an. 14. & 1. bel 5. Itē 2.bell. 15.16.& 7. bel.6.13.*

PONS & Porticus cum portis, per quem è Xyſto & ab Antonia trans vallem Cedron patebat acceſſus in templū; quem primò fautores Ariſtoboli contra Pompeium: poſtea ſeditioſi contra Florum, ne per Antoniam templum occuparetur, interciderunt.

65.

*Neem.12.*

PORTA CVSTODIAE. ſic dicta, quòd aliqui Regis ſtipatores, Rege templum ingreſſo, cuſtodiam ibi agerent.

66.

*Neem. 3. Lira.ibid. & in Ierem.31.*

PORTA EQVORVM, ſic nominata, quod homines ad illum vſq; locum equitare poterant: ſed inde dimſſis equis, in templum pedites procedebant. à quo loco incipiebant Habitacula ſacerdotum.

67.

*Ioſeph. 6. bell.6.*

PORTA ESSENORVM. Quæ ab Eſſenis nomen habens, in antiquo ciuitatis muro ſita erat.

68.

*Zach.14.*

PORTA PRIOR. cuius Zacharias mentionem facit.

69.

*3.Reg.7. Lira.ibid.*

PORTICVS COLVMNARVM ante Palatium Salomonis ſita, quæ quinquaginta cubitis longa, triginta verò cubitis lata erat, & validis ſuffulta columnis: in qua Salomō iudicia communia tenebat.

70.

*Ioan.5. Aug.ibid.*

PROBATICA, hoc eſt, FORVM PECVARIVM, vbi oues, boues aliæque pecudes ſacrificandæ, ſub dio aut in macello venales erant.

71.

*Act. 25. 26. Ioſ.2.bell. 15.16.17.*

REGIA BERNICES REGINAE, ſororis Regis Agrippæ. quæ cum fratre D. Paulum Cæſareæ coram Feſto perorantem audiuit. & poſtea Hieroſolymis vota Deo ſoluens, nudipes ante tribunal coram Floro in ciues ſæuiente, fruſta pro eis deprecata eſt.

72.

*Ioſeph 5. bel.9.*

REGIA GRAPTE cognatæ Izatæ regis Adiabenorum quam ipſa ſibi ædificauit. in qua



In qua poſtea Ioannes dux ſeditioſorum degens, ſuas ibi pecunias & tyrannidis ſpolia depoſuit.

73.

*Ioſ 20.an. 2.& 6.bel. 7.& 7 bell: 13. Euſ.2.hiſt eccl.12. Oroſius li. 7.cap.6. Act.11.*

REGIA HELENAE, quæ in Acræ medio eminebat. Hæc Adiabenorum, gentis vltra Euphratem habitantis, exiſtens Regina, à gentiliſmo ad Iudæorum religionem conuerſa, Hieroſolymam habitatum commigrauit. vbi Chriſtiana facta, cū magna illa fames (quam Agabus futuram prædixerat) ſub Claudio Cæſare in vniuerſo terrarum Orbe, maximè verò in Iudæa vigęret, ſuis impenſis magnam frumenti vim ex Aegypto delatam, Hieroſolymæ egenis diſtribuit.

74.

*Ioſ.6.bel.7.*

REGIA MONOBAZI regis Adiabenorum, filij Helenæ, quæ in orientali ciuitatis parte ſita erat.

75.

*3.Reg.5.& 6.7.8.9 2.Par.2.3. 4.5 7. Ioſ.8. antiq.3. Ariſteas l. de 72.interpret. 4.Reg.25. 2.Par.36. 1.Eſ.3.5.6. Ioan.2. 2.Mac.3. Ioſ.2.bell. 17.& 7. bell.10. 1.Mac.1. 4.6.13.*

TEMPLVM DOMINI, aliâs Domus Domini, & Sanctuarium dictum. quod Salomon rex pacificus ex præparata à patre ſuo Dauide materia; & ex electis, ſectis, ac politis ſaxis & lignis de Libano monte ſucciſis, pluſquam centum quinquaginta trium milium hominum opera in monte Moria ſine vllo ſecuris aut mallei ſonitu, ſeptennio exædificauit, vſque adeò intus & extra fulgenti auro ſumptuoſum ac magnificum, vt totius Mundi miraculum haberetur. De cuius admirabili excellentia nihil dici poteſt, quod non ſit infra eius dignitatem. Hoc templum, cùm id Salomon dedicaret, nubes & gloria Domini impleuit: & ignis è cælo miſſus ſacrificia in eo oblata deuorauit. Quin & Deus oraculo tum reſpondit: Sanctificaui domum hanc, & elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificij. Quod ad introitum templi huius attinet, is contra ac nunc moris eſt, ad Solis ortum, poſteriora verò eius ad occaſum reſpiciebant, vnde & hic ſacerdotes vnà cum reliquis Iudæis ad Occidentem verſi orabant, & Dei cultum ſumma cum reuerentia peragebant, donec Regum populique Iudaici impietate idolorum ſpurcitijs aliquoties profanaretur, quod aliquoties factum eſſe, ſacræ hiſtoriæ commemorant: vbi etiam celebris memoria eſt, quod poſt annos à prima eius fundatione quadringentos quadraginta & vnum, Dei vltione per Nabuchodonoſor Babyloniæ regem penitus eſt combuſtum, deſtructum, ac ſeptuaginta annis deſolatum. Deinde verò, vt ibidem narratur, illuſtris Iudæorum dux Zorobabel de quadratis & dolatis lapidibus, ligniſque imputribilibus eodem in monte annis quadraginta ſex templum magnificè inſtaurauit. Et hoc etiam tantæ erat æſtimationis, vt per vniuerſum Mundum honoraretur, ac vndiq; maximis Regum & Principum muneribus honorarijſque illuſtraretur. Quod poſt annos trecentos quinquaginta quatuor ab Antiocho Epiphane Rege Syriæ ſpoliatum, ac idôlis pollutum, tertio contaminationis anno fortiſſimus Iudæorū dux Iudas Machabæus purgauit: eique vaſa aurea & Dei cultum reſtituit. ac ne iterum à gentibus contaminaretur; in modum Caſtri altis foſſis, firmis & excelſis muris, ac fortiſſimis pulcherrimiſque portis & turribus per circuitum muniuit. in quo à centum & viginti millibus gentium diu obſeſſus expugnari non potuit. Centeſimo autem ferè poſt anno, cùm id inclytus Romanorum dux Pompeius Magnus oppugnans, magna vi expugnaſſet. in ipſa irruptione duodecim Iudæorum millia in eo interfecta ſunt: ipſe verò Pompeius vnà cum ſuis comitibus vſq; ad ſancta ſanctorum ingreſſus menſam, candelabrum, aliaq; cuncta ex auro ibi fulgentia, & in ſacræ pecuniæ theſauris duo talentorum millia inſpiciēs, nihil eorum ethnicus ille princeps præ pietate attigit: ſed ſequenti poſt excidium die æditiuis templum purgare, & legitima ac ſolennia ſacrificia celebrare mandauit. Hoc ipſum templū poſtea relapſum Herodes Aſcalonita Iudæorum Rex annis nouē cum dimidio, ſumptuoſis ædificijs reparauit & exornauit. Et iuxta Aggæi quidem prophetæ vaticinium (vt & Eccleſia præfertur Synagogæ, & auro legis, ſanguis Euāgelij pretioſior eſt) maior fuit gloria templi huius ſecundi, quàm fuerat primi: eò quòd Chriſtus ſua præſentia, doctrina, & miraculis hoc glorificauit. In eo namq; puer à parentibus oblatus eſt. Inibi in medio doctorum ſedit. In eius pinnaculo à Diabolo eſt tentatus. in eo ſæpe eſt concionatus, atq; à Iudæis eſt vexatus. Quæ quidem omnia, vt multum ad templi gloriam faciunt, ita nihil ei contulerunt, quin idipſum templum, anno à fundatione ſua ſub Zorobabel, quingēteſimo octuageſimo ſexto, per Titi Cæſaris milites poſt dubium cruentumq; conflictum maxima fortitudine ac violentia eſt expugnatum, ac circū altare holocauſti tanta Iudæorum cædes facta eſt, vt per gradus templi, torrentis inſtar, interfectorum ſanguis proflueret. ipſumq; templū in primo prelij furore per militem quendam, Diuino quodam motum impetu, non expectato cuiuſquam edicto, ſed inuito Cæſare, face eſt incenſum: illoq; incendio opus omniū quæ viſa aut audita ſūt maximè admirabile, totiuſq; Orbis ornamentum decimo menſis Auguſti die concrematum eſt: eodem videlicet menſe & die, quo primùm à Babylonijs templum fuerat combuſtum. Cumq; vorax flamma vndique ſtrideret, Cęſar cum ſuis ducibus intrò ingreſſus, & ſanctū templi, & quæcunque illic erant aſpexit: ea quidem fama quæ apud alienigenas erat meliora, iactatione verò & opinione domeſtica non minora, quod eodem iubente poſtea eſt dirutum, & omninò ſolo æquatum. Verùmenimuerò poſt annos ſaxaginta quinq; Iudæis denuò rebellātibus, & eodē hoc loco templum reſtituere volentibus, Aelius Adrianus Imperator quinquaginta & octo eorū myriades, hoc eſt,

*Ioſep.14. ant 8.& 7.bell.4.9. Strab.geograp.l.16. 1.Mach.6. Ioſeph 14. ant.8.& 1.bel.5. Ioſeph.15. ant.14. Aggæi 2. Hier.to.3. epiſt.26.ad Fabiolam. Luca 2. Matth.4. Ioan.7.8. 10.&c. Ioſe.7.bell. 9.10.18. Euſeb.in chr.& 4. hiſt eccl. Nicep.3. hiſt.eccl. 24. Dion.Oro. lib.7.l.13.*

qui ſquies cētena & octoginta milia vno die interfecit, & reſidua Hieroſolymorum ædificia prorſus deſtruxit, atque montem Moria, in quo templum ædificatum fuerat, multùm complanauit, & in planiciem redegit, eiuſq; rudera & terras in vallem Ioſaphat ac torrentem Cedron proiecit, ne vrbs montis & templi præſidio confiſa, Romanis amplius rebellis eſſet. quin & in Iudæa arces quinquaginta diruit, & vicos nongentos octoginta ferro & igni vaſtauit. Sed imperator Iulianus Apoſtata poſt annos ducētos viginti ſeptem vt Chriſti oraculum, quo de templo prædixerat non manſurum lapidem ſuper lapidem, falſum eſſe oſtenderet, data Iudæis ex publico ærario pecunia, mandauit eis templum de integro reſtaurare, ibiq; iuxta Moyſi legem ſacrificare. Læti ob hoc Iudæi ex omnibus Mundi prouincijs Hieroſolymam confluxerunt, ac Chriſtianis atrocia comminantes, peritos architectos, lapides, ligna, calcem, gypſum, cementū, omnemq; materiam, & inſtrumenta ad ædificium neceſſaria cōpararunt, argenteos quoque fieri curarunt ligones, palas & ſportas: locumque ipſum ſplendidè purgarunt, tanta alacritate, vt eorum mulieres etiam monilia ſua omnia in ſtructuram eam impenderint, ac rudera è loco gremijs ſuis exportarint. Cumque apertis & purgatis iam fundamentis, poſtero die ædificationem inchoaturi eſſent, noctu ea vehemens procelloſæ tempeſtatis ventus calcem, gypſum, ac materiam totam longè lateque diſperſit. Inſuper terræ motus ingens vniuerſa veterum templi fundamentorum ſaxa excuſſit ac diſſipauit, ædes omnes templo vicinas diſturbauit, permultoſque Iudæos oppreſſit. Cùm autem, qui ſupererant manè iterum ædificare aggrederentur, ignis cælo demiſſus, itemque flamma è templi fundamentis erumpens, plures quàm anteà Iudæos, vel operi inſtantes, vel qui ſpectatum eò venerant, conſumpſit: atque malleos, ſecures, ſerras, ligones, deniq; omnia opificum inſtrumenta per totum illum diem incendio in cineres redegit. Iudæis adhuc pertinacibus, proxima nocte fulgens Crucis ſignum in cælo apparuit, omniumque Iudæorum veſtes cælitus Crucis figuris ſignatæ, & (tanquam cælum ſtellis) impletæ ſunt: quas cùm illuceſcente die eluere delereq; conarentur, id nullo modo poterant. Sicq; deterriti & confuſi inaniter cœpta ſimul & locum reliquerunt. Eorumq; impio conatu Diuinum oraculum non modò factum irritum, ſed vel maximè impletum atq; confirmatum fuit.

*Mar. 13. Ruffin. in Euſe. hiſt. eccl. l. 10. c. 37. 38. 39. Soc. 3. hiſt. eccl. 17. Theod. 3. hiſt. eccl. 17. Sozom. 5. hiſt. eccle. 21. Nicep. 10. hiſt. eccl. 32. 33.*

Et Iudæis quidem hac ratione ab incepto opere repulſis, Chriſtiani nihilominus eodem in loco ædificare non timuerunt. Opere enim rotundo & Græco labore ex magnis, ſectis, & politis lapidibus, præcellenti forma amplum & præaltum, plumboq; tectum ibi templum erexerunt, quod per aliquod ſæcula Patriarchali cathedra decoratum, ac vero puroque Dei cultu celebre: tandem à Saracenis inuaſum, ac ſpurco Mahumeti cultu annis quadringentis ſexaginta tribus contaminatū fuit.

Porrò anno Chriſti milleſimo nonageſimo nono idem hoc templum, muro licet, & turribus, & portis validioribus apprimè commu nitum, à Chriſtianis, duce Godefrido de Bullion, forti animo violenter expugnatum eſt: factaq; intra templi ambitum decem milium Saracenorum ſtrage, cuncta eius ſuperficies occiſorum cruore redundauit. Quo in loco Godefridus egregium mox Canonicorū Collegium inſtituit, eiſque ampla ſacerdotia, quę Præbendas vocant: ſimulque & honeſta circa templum domicilia aſſignauit, qui diurnis & nocturnis officijs ac ſacrificijs Eccleſiaſtico more annis octoginta octo ibi Deo miniſtrauerunt. Quibus tranſactis ob pernicioſam Chriſtianorum Principum, proh dolor, diſcordiam, à Saracenis id rurſum occupatum eſt, qui in eius ſummitate, pro ſuo more, dimidiæ lunæ formam poſuerunt, atque in atriorum loco ficus & oliuas plantauerunt. Idem à Turcis nunc poſſeſſum, deteſtabili Mahumetico cultu polluitur. à cuius ingreſſu Chriſtiani capitali Turcarum decreto arcentur. Nam ſi Chriſtianorum quiſpiam id intraſſe fuerit deprehenſus, ſtatim aut Chriſti fidem ſolenniter cogitur abnegare, aut publicè ſecuri caput ſubmittere,

*Wil. Tyr. lib. 8. hiſt. bel. ſacr. c. 20. & l. 9. cap. 9. Brocard. itin. 6. Breid. 14. Iulij. Sal. tom. 8. cap. 4. 8. Paſch. d. 192.*

## PRIMA PARS Templi.

### 76.

SANCTVM SANCTORVM, quod ob inſignem loci ſanctitatem, etiam Sancta ſanctorum, item & ORACVLVM, & Domus interior vocatur. intimum erat templi penetrale & Adytum; longum cubitos viginti, latum totidem, altum verò cubitos centum & viginti. Cuius pauimentū primò marmore ſtratum, ac deſuper tabulis abiegenis veſtitum erat, quæ laminis aureis tegebantur. Parietes autem de politis facti lapidibus, & intrinſecus cedrinis veſtiti tabulis, laminis quoque deſuper operti aureis, (quæ clauis aureis erant affixæ) Diuino prorſus opere ſplendebant. in quibus ſculpti Cherubim, gemmę, palmæ, flores, ac cælaturæ picturæque variæ, cæli pulchritudinem repræſentabant. Quin & tectum laminis aureis coopertum, in ſummo, ne ab inſidentibus auibus pollueretur, aureis verubus horrebat acutiſſimis. Sacroſanctum hoc Sanctum ſanctorum, propter Diuinam loci Maieſtatem, ſemel in anno ſolus introibat Summus Pontifex, idq; in feſto expiationis. quod die Iudæi omnes ieiunare, ſeque affligere debebant. Tum autem maximus ille Dei ſacerdos, Chriſti perſonam ſingulari ritu præfigurans, pro ſuis totiuſque populi peccatis ſanguinem vituli extra caſtra cōbuſti offerebat. Qui ſi vel ſomnio pollutus eſſet, introibat ſubſtitutus ab eo vicarius.

*Exod. 26. Leuit. 16. 23. Num. 19. 29. 3. Reg. 6. 2. Paral. 3. 4. 5. Heb. 9. 13. Ioſeph. 6. bell. 6. Hier. to. 3. epi. 26. ad Fabiolā de veſt. ſacer. Liran. in 3. Reg. 6. et in Heb. 9. Ioſeph. 17. antiq. 8.*

PARTES



## PARTES SANCTI Sanctorum.

### 77.

ARCA FOEDERIS, quæ Dei mandato de lignis ſethim imputribilibus in deſerto à Moyſe facta, & puri auri laminis intus & foris contecta, in ſancti ſanctorum medio ſicut Sol, auri ſplendore coruſca, fulgebat. Cuius ſupereminens pulchritudo eſt admiranda potiùs, quàm verbis explicanda. In hac arca ſumma cum Religione ſeruabantur duę tabulæ lapideæ, continentes decem præcepta Dei digito inſcripta; item vrna aurea habens manna; & virga Aaron quæ floruerat, & liber Deuteronomij. Manſit arca in hoc loco annis circiter quadringentis triginta. Tempore autem captiuitatis Babylonicæ Ieremias Propheta eam Dei iuſſu vnà cum Altari incenſi & igne perpetuo, in Nebo montis ſpelunca omnibus ignota abſcondiſſe in Machabæorum libris ſcribitur. Hebræi verò per Nabuchodonoſor in Babylonem tranſlatam eſſe cenſent. Quam quidam nūquam inde reportatam, ſed poſt reditum à captiuitate aliam in eius locum à Iudæis factam eſſe: quidam verò cum alijs quinq; milibus & quadringentis illis aureis & argenteis templi Hieroſolymitani vaſis à Nabuchodonoſor in templo Bel Dei ſui poſitam, ac diuinitus (vt olim in Philiſtęa) præſeruatam, poſt ſeptuaginta captiuitatis annos vnà cum eiſdem à Cyro Iudæis reuerſuris reſtitutam eſſe exiſtimant. Porrò poſt excidium Ieruſalem, Titus & Veſpaſianus Arcam fœderis, & duas tabulas legis, cum virga Moyſi, & virga Aaron; item menſam auream, & panes aliquot propoſitionis, Candelabrum quoque aureum, ac quatuor columnas, è Hieroſolymorum templo Romam traducta, in celeberrimo, quem inſigni pompa de Iudæis egerunt, triumpho, tota vrbe ſpectante, inter alia ſpolia à Iudæis portari fecerunt: Simone Gioræ F. ſeditioſorum duce, ac ſeptingentis Iudæis (qui ex omni captiuorū numero ſelecti, iuuenili corporis proceritate ac decôre præſtabant), captiuis, ſeminudis, manibuſq; vinctis triumphatorem & ſpolia præcedentibus. Cuius triumphi vſq; hodie perenne Romæ via ſacra, iuxta Pacis templum, extat monumentum in triumphali arcu, qui eſt ſupra Eccleſiam S. Marię nouę. cuius fronti hęc inſcripta ſunt verba: SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS DIVO TITO DIVI VESPASIANI F. VESPASIANO AVGVSTO. & ob victoriam & perpetuum........reliqua ob vetuſtatem non poſſunt legi. In quo etiam arcu ex vno quidē latere ipſum Titum triumphantem, in curru qui duobus equis, totidemque monocerotibus ſiue vnicornibus ducitur cōſpicere licet: ex altero verò latere Arcam fœderis videre eſt, & Candelabrum illud ditiſſimum ſeptem ramorum, & vaſa templi, tanquam ante currum Titi portarentur, inſculpta. Triumpho hoc peracto, Veſpaſianus vniuerſa tēpli Hieroſolymitani vaſa donaria, Romæ in Pacis templo, magnificè ſplendideque à ſe ædificato, repoſuit: legem verò Iudæorum, & penetralium vela purpurea, in Palatio condita ſeruari præcepit. Quæ quidem omnia, Arca videlicet, auro tamen nudata, tabulæ legis, virgæ Moyſi & Aaronis, panes quoq; propoſitionis, ac quatuor columnæ, Romæ in Eccleſia S. Ioannis Lateranenſis adhuc ſeruantur.

*Exod. 25. 37. 40. Num. 17. Deut. 31. Heb. 9. Ioſ. 3. anti. 8. Liran. in Exod. 25. & 26. 2. Mach. 1. & 2. 2. Par. 36. Dan. 1. 1. Eſdr. 1. 3. Eſd. 1. Hieron. in Ioel. cap. 3. Ioſeph. 10. antiq. 13. Ioſ. 7. bel. 24. Sueton in vita Veſp. Hieron. in Ioel cap. 3. Rodolphus Langius de vrbis Hieroſolymæ tēpliq; origine & excidio l. 2. ca. 15. M. Attilius Serranus de ſeptem Vrbis eccleſijs.*

### 78.

DVO CHERVBIM gloriæ, qui, vt ex Hebraico Paralippomenon textu liquet, inſtar impuberum puerorum de lignis oliuarum facti, decem cubitos alti, tectiq; laminis aureis, Angelico relucentes ſplendore ſtabāt ab vtraq; parte arcæ, atq; expanſis alis, vnis tegebant propitiatorium, alijs verò vtrinq; tangebant parietem. quorum facies ad domum exteriorem directę erant; & verſis vultibus ſe mutuo, ipſumque propiciatorium reſpiciebant.

*Exod. 25. 37. 2. Reg. 6. 2. Par. 3. Hebr. 9. Ioſe. 8. anti. 3.*

### 79.

PROPICIATORIVM aureum, aliâs etiam Oraculum dictum. quod ſuper arcam intra alas duorum Cherubim ſupra Solis fulgorem auro mundiſſimo ſplendens, Diuinamq; repræſentans Maieſtatem, quaſi Sedes Dei loquentis erat. vnde oracula & reſponſa dabat.

*Exod. 25. 37. Ioſ. 3. antiq. 8.*

## SECVNDA PARS Templi.

### 80.

SANCTVM, quod ob loci dignitatem etiam Sancta & Sanctuarium; item Domus exterior, & Atrium ſacerdotum nominatur, altera templi pars eſt, longa cubitis quadraginta, lata viginti, alta verò cubitis centum & viginti, quæ quidem altitudo duodecim gradibus aſcendebatur. Huius fores aureæ erant. Pauimentum tabulis abiegnis ſtratum, aureis laminis tegebatur. Parietes eius de lapidibus politis facti, intuſq; tabulis cedrinis veſtiti, aureis deſuper laminis cooperiebantur: in quibus ſculpti Cherubim, gemmæ, palmæ, flores, ac cælaturæ picturæque diuerſæ, mira delectatione ſpectatores afficiebant. Supernè verò pulchro opertum tecto, igneo ſplendore micabat. Ab huius introitu, profani lege arcebātur: ſolique Sacerdotes à rege Dauide ad triginta octo milia recenſiti, & in viginti quatuor ordines ſorte diſtincti, illud quotidie intrabant. Qui omni carentes vitio iuxta Dauidis ſtatutum hebdomadatim per vices à ſabbato vſque ad ſabbatum, ab vxoribus, vino, ſiceraque ſeſe abſtinentes, ac ſobrij, feminalibuſq; lineis pudenda operti; atque extrinſecus linea tunica, quæ balteo præcingebatur, amicti, & byſſinam in capite mitram geſtantes, miro or-

*Exod. 26. 29. Leuit. 10. 3 Reg. 6. 1. Par. 23. 24. 2. Par. 3. Ezech. 44. Lucæ 1. Heb. 9. Ioſ. 8. ant. 3. & 15. ant. 14. & 6. bell. 6. & 7. bel. 10. & lib. 1. & 2. contra Apionem.*

ro ordine,ac maxima cum reuerentia Dei cultum,ſacrificia,& preces peragebant.

## 81.

*Exod.30. 37. Leuit.2. 1.Mach.4. Luca 5.*

ALTARE THYMIAMATIS ſiue incenſi AVREVM,quod Dei iuſſu contra Velum ante Sanctum ſanctorum pendēs, collocatum erat. In quo Sacerdotes quotidie mane & veſperi thymiama, thus, aromata,& ſimilia in odorem ſuauiſſimum DEO adolebant. Ad huius altaris dexteram ſtans quondam Gabriel angelus,Zachariæ ſacerdoti thymiama adolenti Ioannis Baptiſtæ conceptionem annunciauit.

## 82.

*Exod.25. 26.27.37. Leuit.24. Ioſeph.3. antiq.10.*

CANDELABRVM AVREVM,quod cum ſeptem ramis, totidemq́; lucernis in meridiano templi latere poſitum erat: quæ ex oleo puriſſimo interdiu,noctuq́; iugiter ardebant, lucebant, ac totum ſanctum illuminabant.

## 83.

*Ezech.47. Ioel.3. Ariſtæas l. de 72.interpret. Corn.Tacit.l.21 Paſch.d.192.*

FONS aquæ perennis, qui in dextro templi latere ſcaturiebat. Cuius aquam Salomon in mare æneum & in Concham æream deriuauit:quæ deinde per ſubterraneos educta canales, quarto ab vrbe ſtadio ad orientem erūpens,in torrentem Cedron fluebat.

## 84.

*Exod.25. 26.37. Leu.24. 1.R[illegible].21. Ma[illegible].2. Ioſ.3.ant. 9.*

MENSA AVREA, quæ in aquilonari latere templi ſtabat. In qua erāt duodecim panes propoſitionis ex ſimila tritici puriſſima cocti.Qui,veteribus in ſacerdotum cedentibus vſum, per ſingula ſabbata noui imponebantur.ſuper quos ponebantur duæ phialæ aureæ,thure plenæ.

## 85.

*Exod.28. & 39. Leuit.8 16. Ioſ.3.anti. 11.& 6. bel 6. Hier.to.3. epiſt.26.ad Fabiolā de veſt.ſacer. Liran.in Exod.28.*

PONTIFEX, eiuſque imago ac ſacer veſtitus,quem Diuinam ac prorſus cęleſtem præ ſe tuliſſe magnificētiam,ſingulæ eius partes nobis demonſtrant. Nam ſacrificaturus, aut Sancta ſanctorum ingreſſurus, femoralibus,quibus verenda tegebantur,lineis,& ſubucula, hoc eſt, interiori quadam linea tunica, quæ ad pedes vſque demiſſa erat, induebatur. Extrinſecus verò Tunicam habebat Hyacinthinam cum manicis,eamq́; talarem:à cuius inferiori fimbria ſeptuaginta duo tintinnabula aurea,& alterna ſerie totidem mala punica,quæ vulgò granata vocantur,pendebant. Stringebatur autem tunica Baltheo, ſiue Zona;vel cingulo,lato digitos quatuor, texto ex auro:cui ex quatuor coloribus,hyacintho ſcilicet,purpura,vermiculo, byſſoq́;, diuerſi flores ac gemmæ intextæ erant.Supra hæc habebat Ephod,id eſt,Superhumerale, pallium ſcilicet pulcerrimum, ex auro, hyacintho, purpura,cocco,& byſſo, polymita arte contextū, mira colorum & florum varietate ac fulgore præſtringens oculos. In cuius vtroq; humero erant ſinguli Lapides Onychini auro incluſi, quos Ioſephus ſardoniches vocat : quorum ſingulis inſculpta erāt ſena nomina filiorum Iſraël.

His accedebat Rationale iudicij, quod ſuper pectus ſuum portabat, in quo erat doctrina & veritas. Erat verò illud quadratū quiddā, magnitudinis palmi, ex auro, hyacintho, purpura, cocco, byſſoque textum. cui intexti duodecim lapides pretioſi & diuerſi, ordine natiuitatis inſculpta habebant nomina duodecim filiorum Iſraël.Quin etiam ad hoc genus pertinet Tiara ſiue Cidaris, quam ſuper caput Pontifex geſtabat: quæ ex byſſo facta,& hyacinthis coronata, mitræ formam exprimebat. Cuius fronti lamina aurea,forma ſemiorbis præfixa; nomen ineffabile Dei tetragrammatō his quatuor Hebraicis literis יהוה inſculptum cum ingenti fulgore exhibens Diuinæ Maieſtatis celſitudinem figurabat. Ad hunc ſacrum Pontificis ornatum etiam referendum puto, quòd dextra manu Thuribulum tenens aureum, fragrantiſſimo thuris odore Deum colebat. Quæ vt omnia myſterijs erant plena, ita quædam diuina inſuper virtute excellebant.Lapis enim ille quem Pontifex in dextro humero ferebat, quoties Deum ſacrificijs placaſſet, tantum emittebat ſplendorem, vt etiam procul intuentibus conſpiceretur. Et quod non minori admiratione dignū videtur,duodecim lapides, qui Rationali intexti erant,pugnaturis victoriam prænūciare ſolebant.Nam priuſquam exercitus ſe moueret, tantus ex eis emicabat fulgor, vt toti populo adeſſe Deum, opemq́; & auxilium ſuum inuocantibus eſſe allaturum innoteſceret. Cæterùm tam Rationale, quàm onyx,Deo propter Regum ſuorum præuaricationem irato,annis centum & quinq; ante Chriſti natiuitatem,fulgorem emittere deſierunt.

## 86.

VELVM, de hyacintho, purpura, cocco, & byſſo, pulchra varietate contextum, ac intextis ei Cherubim,& omnis generis floribus ornatum, quod ad parietem ante Sanctum ſanctorum pendebat. atque in Chriſti morte à ſummo vſq; ad imum ſciſſum eſt medium.

*Exod.26. 36. 2.Par.3. Ioſ.3.antiq 7.& 6.bel. 6. Matth.27. Marc.15. Luc.23.*

# TERTIA PARS Templi.

## 87.

ATRIVM IVDAEORVM, quod & Atrium ſeu Veſtibulum interius; item Baſilica,& ſanctum ſeculare, atque Porticus Salomonis vocatur,tertia templi pars eſt:quę quatuordecim gradibus aſcendebatur. Cuius pauimentum,vario marmore teſſellatum,in medio ſub dio patebat. & per circuitum muro ex tribus ordinibus lapidum diuerſorum colorum facto.cingebatur.Cui annexæ erant Porticus magnæ, latæ, & ſupra ſeptuaginta cubitos altę,quas marmoreæ de ſingulis ſaxis viginti quinq; cubitorum altitudinis columnæ ſuſtentabant, & laquearia cedro expolita tegebant.Eiuſq́; parietes intrinſecus auro obducti clariſſimè vndique ſplendebant. Habebatq́; tres portas excelſas, quarum prima reſpiciebat orientem, altera meridiem, tertia verò aquilonem ; quæ ſingula binis foribus argenteis,altis triginta,& latis quindecim cubitos, claudebantur, occidua verò pars nullam portam habebat,ſed perpetuo muro cingebatur. Iudæorum autem atriū ex eo locus iſte dictus eſt, quòd huc intrabant ſoli Iudæi puri exiſtentes ac caſti, & mulieres mundæ, (quibus proprius locus deſtinatus, ac muro diſcretus,quindecim gradibus aſcendebatur. quos B. Maria, cùm à parentibus trima præſentaretur in templo, ſola aſcēdiſſe creditur) ibique orabant, & verba legis audiebant.Quo in loco Chriſtus ſæpè populum docuit: & Iudæi ipſum lapidare voluerunt : & Petrus,ſanato claudo,ad populū verba fecit : ac quinq; milia virorum conuertit. Ante hoc atrium cancello ſeptum, poſita erat tabula, literis Græcis & Latinis hanc legem inciſam continens : Omnis alienigena tranſiens in locum ſanctum,moriatur. Eos verò, qui tranſiſſent, quamuis Romanus quis eſſet, Iudæis etiam Romani necare permiſerant.

*3.Reg.6. 2.Par.4.6. Ezech.40. &c. Heb.9. Ioſe.8.ant. 3.& 15.āt. 14.& 6. bell.6.& 7. bel.4.16.et lib.2.cont. Apionem.*

*Luc.1. Ioan.10. Act.3.4.5. Ioſeph.15. ant.14.& 2.bel.16. &.6.bel.6. & 7.bel.4.*

# PARTES ATRII Iudæorum.

## 88.

*Exod.27. 38. 2.Para.4. Leuit.9.6. Leuit.1. 2.Mach.1.*

ALTARE HOLOCVASTI AENEVM, quod in atrij medio ſub dio erat. In quo ignis ille perpetuus,olim à Domino, cùm Aaron in deſerto prima vice ſacrificaret,cælitus in altare demiſſus,per ſacerdotes quotidie lignorum appoſitione nutriebatur.In quo etiam indies manè ac veſpere ſacerdotes varia animalia maſcula, munda, & immaculata, oues ſcilicet, boues, capros, turtures, columbas, & ſimilia,hoc ſacro ac perpetuo igne, addita ei lignorū ſtrue, in holocauſtum & odorem ſuauitatis Domino tota comburebant.Sub tempus verò captiuitatis Babylonicę Ignis iſte perpetuus à ſacerdotibus in puteum ſiccum abſconditus, & poſt ſeptuaginta captiuitatis annos à Neemia ſacerdote quæſitus,non ignis inuentus eſt, ſed aqua craſſa : quæ orante Neemia rurſum Diuinitus eſt accenſa.

## 89.

*3.Reg.7. 2.Paral.3. Ioſeph.8. antiq.3.*

BOOZ & IACHIN,duæ columnæ ærecę miræ pulchritudinis, altæ triginta quinq; cubitos, quarum circumferentia duodecim cubitos complectebatur quas Salomon artificiosè fudit, & ſtatuit in porticu templi vnā quidem à dextris, quam nominauit Iachin; alteram vero à ſiniſtris, quam vocauit Booz. carumq́; capitellis,in retis modum factis, ducenta mala granata inſculpſit, & ſuper earū capita opus in modum lilij poſuit.



## 90.

CONCHA AEREA,aliâs Luter dicta, vas erat magnæ capacitatis, aqua plenū, ad ſiniſtrum latus templi, idq́; ſeptentrionale à Salomone collocatum : cui Cherubim, leones,boues, palmæ, inſculpta erant.In quo ſacerdotes lauabant animalia in holocauſto cremanda, quæ tamen prius per Nathinæos in Piſcina probatica lota erant.

*3.Reg.7. 2.Para.4. Ioſeph.8. antiq.3.*

## 91.

DOMVS CONCILII, ad meridiem templi ſita : vbi erat concilium ſeniorum.

*1.Para.26.*

## 92.

EXEDRAE, quæ aliâs Gazophylacia & Paſtophoria vocātur, domus erāt laterales,inſtar turrium longæ,latæ,& celſæ.In quibus ſacerdotes ſanctuarium ingreſſuri, profana ſua veſtimenta lanea exuebant, & ſanctificatas lineas veſtes induebant : eaſdemq́; ſacris peractis reponebant.In quibus etiam hoſtiarum pacificarum partes comedebantur.

*1.Pa.9.23. Ierem.35. Ezech.42. 44. 1.Mach.4. Ioſeph.5. bell.9.et 6. bell.6.*

## 93.

MARE AENEVM, anteà Labium ſeu Labrum dictum, continens aquæ vim maximam quod Salomon fecit,atque ad dextrum templi latus, idemque auſtrale, contra orientem, ſuper duodecim boues æreos poſuit. In quo ſacerdotes ad altaris miniſteriū templum ingredientes, manus & pedes lauabant.

*Exod.30. 38. 3.Reg.7. 2.Para.4. Ioſeph.3. ant.7.& 8. ant.3.*

## 94.

PORTA NOVA, quæ in atrio templi verſus meridiem erat.vbi Ieremias prędicans templum vrbemque deſtructum iri, captus eſt.& Baruch coram populo prophetias Ieremiæ legit.

*[illegible]em.26. 6.*

## 95.

PORTA SACRA, aliâs & porta ærea dicta, quę in interiori parte templi poſita, ad Solis exortum reſpiciebat. Ante quam Eſdras populo legem Dei legit, & multo pòſt tempore Primates Iudæorum ſeditioſos ad pacem hortati ſunt.

*3.Eſ[illegible].9. Ioſ[illegible]h.2. bel.7.*

## 96.

PORTICVS TEMPLI, à Salomone ante Sanctuarium conſtituta, quæ longa erat cubitos viginti, lata verò decem.

*3.Reg.6. 2.Paral.3.*

## 97.

SEDES REGIS excelſa, quam Salomon præparauit regibus in Baſilica.

*Hieron.in 2.Pa.23.*

## 98.

SVGGESTA CANTORVM, vbi Diuinæ laudes voce, inſtrumentiſque Varijs canebantur.

*Ezech.40.*

99.

2.Par.24. Matt.23. HIc eſt locus inter templum & altare, in quo lapidatus eſt Zacharias.

100.

Ioan.10. HIc Iudæi voluerunt lapidare Chriſtum.

## QVARTA PARS Templi.

101.

Ezech.40. Ioſeph.15. ant.14. 6.bel.6. et 7.bel.10. & libr.2. contra Apionem.

ATRIVM GENTIVM, quod & Atrium ſiue Veſtibulum exterius appellatur, quarta templi pars eſt, quæ multis etiam gradibus aſcēdebatur. Cuius interius ſub dio patēs ſpacium, omnium generum lapidibus ſtratum, verſus quatuor Mundi partes, quatuor portas habebat magnificas: quæ foribus æreis claudebantur. Circumquaque autem continua Porticus erat, triginta cubitos lata, quæ intrinſecus excelſis vndique marmoreis ſuffulciebatur columnis, ac deſuper laquearibus cedrinis tegebatur. Cuius omnis gyrus quatuor continebat ſtadia: cum Antonia verò, menſura ſex ſtadiorum concludebatur. Hoc atrium ingredi poterant omnes Iudæi, etiam immundi, inſuper & alienigenæ gentes: vnde & gentium atrium vocatū eſt. Hinc Chriſtus vendentes & ementes flagello bis eiecit: nec ſinebat vt quiſpiam illac vel vas transferret. Hic adulteram abſoluit. Hic ſæpe docuit. Hic etiam Iudæi eum lapidare voluerunt. Hic denique coram Gentilibus cæleſti voce clarificatus eſt.

3.Reg.8. Marc.11. Ioan.2.8. 12. Act.8. Io.lib.2. contra Apionem.

## PARTES ATRII Gentium.

102.

Ioſeph.17. ant.8.& 12. Item 1.bell. 12.& 2. bel.1.

AQVILA AVREA magni ponderis ab Herode maiori ſupra maximam templi portam poſita; & tandem à Iudæis detracta, ſecuribuſque conciſa: vnde magna & cædes, & ſeditio orta eſt.

103.

Marc.7. Matth.27.

GAZOPHYLACIVM, Hebraicè Corban ſiue Corbana dictum, Arca & Aerarium erat. in quo ad ſacrificiorum neceſſaria, ad pauperum alimoniam, & ad templi fabricā offerebatur, & oblata ſeruabatur pecunia, ex qua etiam Ioas Rex, ſicut in Regū lib. legimus, ſartatecta tēpli inſtaurari curauit. Hoc ærarium cùm Heliodorus à Syriæ rege miſſus ſpoliare tētaret, celitus ab Angelis flagellatus eſt. Atq; Pilatus cùm ſacrum hunc theſaurum, ſimili penè temeritate, ad aquarum inductionem expendere vellet, populari tumultu impeditus fuit: quem tamen Romani tandem in vrbis expugnatione diripuerunt. Iuxta hunc locum Lyſimachum occiſum legimus. Hic etiam Chriſtus ſe lucem Mundi, & principium; ſeque à Iudæis in cruce exaltandum eſſe docuit. Hic ſedens viduam pauperculam duo æra minuta offerentem, plus omnibus diuitibus dediſſe pronunciauit. Supra hoc porrò Gazophylacium Agrippa rex in monumentem aduerſæ fortunæ in proſperā mutatæ, Catenam illam auream ſuſpendit, quam à Caio Imperatore dono acceperat, pondere illi ferreæ parem, quę Tyberij, Imperatoris iuſſu Regias manus vinxerāt.

4.Reg.12. 2.Par.24. 2.Mac.3. Ioſ.18.ant. 5.& 2.bel. 8. Ioſeph.17. bel.11. 1. Mach.4. Ioan.8. Marc.12. Luc.21. Ioſeph.18. antiq.13.& 19. antiq.5.

104.

HOROLOGIVM ACHAZ Regis, quod fecit ex altari holocauſti æneo. In quo, Ezechia rege ægrotante, in ſignum recipiendæ ſanitatis, Solis vmbra Diuino miraculo per decem lineas retrorſum reuerſa eſt. 4.Reg.20. Iſai.38.

105.

PORTA AQVILONARIS. cuius in Paralipomenon libris, & alibi in Scriptura & Ioſepho aliquoties fit mentio. 1.Par.26.

106.

PORTA AVSTRALIS. de qua etiam ſcriptura & Ioſephus paſſim mentionem faciunt. 1.Par.26.

107.

PORTA OCCIDENTALIS. quæ & Porta fundamenti in Paralipomenon volumine appellatur. 1.Par.26. 2.Par.23.

108.

PORTA ORIENTALIS quæ & Porta Sur, aliâs Seir; item Porta Regis, & Porta ſpecioſa dicebatur, quod omnium portarum eſſet maxima, altiſſima, & pulcherrima: per quam etiam principalis in templum erat introitus. Hanc collapſam Ioatham rex inſtaurauit, & iuxta hanc D. Petrus quadragenarium ab vtero matris ſuæ claudum, ſtipem mendicantem, dicto ſanauit. 1.Paral.9. 26. Neem.3. 4.Reg.11. 15. 2.Par.27. Act.3.

109.

TVRRES BVCCINATORVM, quæ in occiduis templi angulis in ſublime erectæ erant. In quarum verticibus ſacerdotes populum, quòd campanarum vſu carerent, duabus argenteis tubis ad templum conuocabant: dies feſtos, ſabbatha, calendas, ieiunia, atque epulas; denique vel ferias, vel vt opus faceret, populo denunciabant. Num.10. Ioſeph.5. bell.9.

110

HIc CHRISTVS terræ digito inſcribens, adulteræ accuſatores pudefecit, accuſatam verò adulteram abſoluit. Ioan.8.





111.

Ioan.2. Matth.21. Hiero.ibi.

HIc Chriſtus, Diuinitatis ſuæ (vt ait Hieronymus noſter) fulgore ex eius oculis & facie radiante, facto de funiculis flagello, ementes & vendentes vnà cum ipſorum mercibus ſemel iterumq; templo eiecit.

*Huc vſque de Templo & partibus eius, nunc autem reliqua Filiæ Sion loca proſequemur.*

112.

Ioſeph.15. ant.19.& 20.ant.15.

THEATRVM, quod in hemicycli ſpeciem ab Herode Aſcalonita Iudæorum rege iuxta Palatium Machabæorum magno ſūptu extructum erat: inſculptis ei per circuitum titulis, trophæis, & victorijs Auguſti Cæſaris, auro argentoque collucentibus. vbi digniores quidem in gradibus, per circuitum factis, ſedentes: reliqui verò in ea ſtantes; hiſtriones, mimos, muſicos, & thymelicos in ſcena comœdias, tragœdias, alioſque ludos agentes, ſpectabant.

113.

3.Reg.10. 2.Paral.9. Ioſeph.8. antiq.5. Liran.in 3. Reg.7.

THRONVS SALOMONIS. Solium erat prægrande, eburneum, fuluo veſtitum auro, quod tribunalis inſtar in ſummitate celatum & rotundum, ſex gradibus, in quorum extremitatibus duodecim leones impoſiti erant, aſcendebatur. In quo ſedebat Rex Salomon cùm populi lites ac controuerſias decernebat, capitalia iudicia & ſententias proferebat, ac leges iuraque dabat: tum etiam quando magnificentiſſimè ſuam gloriam, delitias, & diuitias oſtendebat, ac fidelibus miniſtris ſuis præmia reddebat.

114.

2.Para.9. Liran in 3. Reg.10.

TRANSITVS, quem fecit Salomon de lignis thynis, ad aſcendēdum è Palatio ſuo in templum.

115.

Ioan.19. Matth.27. Marc.15. Luc.23. Ioan.19. Paſch.d. 206. Sal.tom.8. cap.7.

TRIBVNAL. Locus erat ante domum Pilati editus, & iudicio accommodatus, vbi Romani Præſides ſententiam ferre ſolebant, qui Græcè LITHOSTROTOS, id eſt, lapidibus ſtratus: Hebraicè autem GABATHA dicebatur, eò quòd eminens eſſet & excelſus. Sedens in hoc tribunali Pilatus, & aſtantem IESVM abſoluere cupiens, accepta aqua, manus coram populo lauit, dicens: Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius. At verò vniuerſo populo clamante: Tolle, tolle, crucifige eum; ſanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros; & præterea quòd ſe Regem faciendo, Cæſaris læſa obijceretur Maieſtas, hac verborum forma prout ex antiquis annalibus fideliter exſcriptum inuenimus CHRISTVM ad crucis ſupplicium cōdemnauit.

*Ieſum Nazarenum ſubuerſorem gentis, contemptorem Cæſaris, & falſum Meſſiam, vt maiorum ſuæ gentis teſtimonio probatum eſt, ducite ad communis ſupplicij locum: & cum ludibrio Regiæ Maieſtatis in medio duorum latronum cruci affigite. I lictor, expedi cruces.*

Qua prolata ſententia, eum militibus ſuis crucifigendum tradidit. Qui Ieſum ob inflictas pœnas omni ſpecie ac decōre priuatum, & leproſo magis ſimilem quàm ſibi ſimilem, vt à populo ex noto habitu ſuo agnoſceretur, proprijs eum veſtibus rurſum induerūt, ac crucis ſuę baiulantem patibulum, duobus cum latronibus per Portam Iudiciariam in monte Caluariæ crucifigendum eduxerunt. In hoc etiam tribunali conſiſtens Pilatus in ſuborta ſeditione, ob impendēdos aquæductui ſacros templi theſauros, qui Corban dicebantur, militibus ſuis clam ſub populari habitu armatis, ſignum dedit, vt gladijs quidem non vterentur, ſed fuſtibus in acclamantes quoſque Iudæos ſæuirent: quorum plagis multi occiſi, & plures ſunt ſauciati, plurimi verò etiam à ſuis inter tumultum conculcati & protriti interierunt. Iſai.53. Ioſeph.18. ant.5.& 2.bell.8. Euſeb.2. hiſt.eccl.6. Niceph.2. hiſt.Ec.10.

Eodem pro tribunali poſtea Florus præſes ex Iudęis multos nobilium, & equeſtris ordinis viros flagellis verberibuſque fecit laniari, ac in cruces ſuffigi: qui & alias multas per vrbem cædes fecit, nulli parcens, nec paruulis, nec mulieribus, vel lactantibus. Quæ vindictæ ſanguinis Chriſti quædam initia fuerunt. Ioſ.2.bel. 14.15.

116.

TVRRIS STRATONIS, Græcè Pyrgus Stratonis dicta, inter Antoniam arcem & templum ſubterraneus & obſcurus tranſitus erat. vbi Antigonus à ſatellitibus fratres ſui occiſus eſt. Ioſeph.13. ant.18.& 1.bell.3.

117.

VALLIS CEDRON, lata, profunda, & tenebroſa, quæ in modum foſſæ templum circumibat, ac quòd in mortarij ſimilitudinem diſpoſita eſſet, Hebraicè Machtes, Latinè autem Pila vocabatur. hæc tantæ erat profunditatis, vt de templi tecto ad imum eius deſpicientium oculi, non abſque vertigine capitis caligarent. in hac mercatores & omnis generis negotiatores habitabant. In hanc vallem cùm Iacobus frater Domini, primus Hieroſolymorum Epiſcopus in pinna templi coram omni populo Ieſum Dei filiū ipſo feſto Paſchæ profiteretur; Anani Sadducæi Pontificis iuſſu præcipitatus eſt, & confractis cruribus, deſuper quoque à ſcribis & Phariſæis lapidatus, tandem fullonis fuſte in cerebrum percuſſus, interijt: ibique iuxta templum ſepultus eſt. vbi monumentum eius multis ſæculis manſit. Ob cuius cædem Ioſephus Diuina vltione Hieroſolymam euerſam eſſe æſtimat.

Sophon.1. Hier.ibid. Ioſeph.14. ant.8.& 15.ant.14. Item 1.bel. 5.& 6.bel. 6.7.& 7. bell.6. Ioſeph.20. ant.16. Euſeb.2. hiſt.ecc.1. & 23. Hier.to.1. epiſt.53.in Catal.ſcriptor.Eccl. Niceph.2. hiſt.Eccl. 38.

## 18.

VIA CRVCIS, qua Chriſtus in tribunali cruci adiudicatus, acerrimis, ac cruentis greſſibus ad montem Caluariæ iuit. Incipiēs enim à Palatio Pilati per viginti 6. greſſus, qui faciunt ſexaginta quinq; pedes, ad locum proceſſit, vbi Crux ei impoſita eſt. Vnde tota ſpectante vrbe ſuper ſaucios humeros ſuam baiulans crucem, verſus Caurum ſeu Corum per 80. greſſus, hoc eſt ducentos pedes ad locum vbi primò cum cruce cecidiſſe traditur, progreſſus eſt. Inde ſtatim per ſexaginta greſſus & tres pedes, id eſt, centum quinquaginta tres pedes, ad locum vbi B. Maria cùm Ioanne, filio ſuo occurrit. Hinc autem per ſeptuaginta vnum greſſus & ſeſquipedem, ſiue centum ſeptuaginta nouem pedes, ad quoddam triuium, vbi Simon Cyrenæus crucem poſt Ieſum portare coactus eſt. Iſthinc porrò per centum nonaginta vnum greſſus & ſemipedem, vel quadringentos ſeptuaginta octo pedes, ad locum vbi ipſi Veronica occurrit. Atq; illinc per trecētos triginta ſex greſſus & duos pedes, aliâs octingentos quadraginta duos pedes, ad Portam iudiciariam, vbi rurſum cum cruce lapſus eſt. Deinde verò, ardua, ſaxoſa, atque paulatim aſcendente via verſus ſeptentrionem proceſſit per trecentos quadraginta octo greſſus & duos pedes, ſeu octingentos ſeptuaginta duos pedes, ad biuium quoddam, vbi mulieres plorantes allocutus eſt. Ac iſthinc continuò per cētum ſexaginta vnum greſſus & ſeſquipedem, hoc eſt, quadringētos & quatuor pedes, ad pedē, ſeu radicem, montis Caluariæ, vbi vltimò cecidit. Deinde vlterius per octodecim greſſus, aut quadraginta quinque pedes, ad locum vbi carnifices ipſi veſtes extraxerunt: vbi & vino mirrhato felle mixto potatus eſt. Dehinc per duodecim greſſus, ſiue triginta pedes, ad locum vbi clauis cruci affixus eſt. Inde poſtremò per quatuordecim greſſus, id eſt, triginta quinque pedes, ad locum, vbi de cruce pendens in foramine rupis Caluariæ fixus eſt. A Palatio itaque Pilati, vſque ad locum vbi crux rùpi infixa fuit, ſunt greſſus mille trecenti viginti & vnus: ſiue alia ſupputatione pedes ter mille trecenti & tres.

Hæc linea quarta pedis pars eſt, cuius men-

---

tionem fecimus. Ac huius quidem pedis, & Viæ crucis, atque infra (ſub numero 207.) Viæ captiuitatis menſuram (quam poſt multam ſedulamque indaginem tandem inueni) idcircò hîc tam exactè poſuimus, vt quilibet Chriſtianus quouis in loco, etiam inter domeſticos parietes in ambitu domus aut horti ſæpius circumeundo, vel iter replicando, poſſit ſimilem ſibi, viam ordinare, aut in templo ſeu cubiculo mentis imaginatione ſimilem concipere; & pio cordis affectu Chriſti paſſionem meditari. quod ipſi gratum, nobiſq; ſalutare eſſe, dubium non eſt: cùm ad hoc tam ſacra Scriptura, quàm Sanctorum ſcripta nos crebrò exhortentur.

*Hanc viam D. Petrus Potens, & M. Matth. Steenberc. Licentiatus Theologiæ. et paſtor in Londerſele, olim Hieroſol. dimenſi ſunt: & iuxta eandem formam ac menſuram diſpoſuerunt Caluariæ viam Louanij, Mechliniæ, Viluordiæ, & in alijs Brabantiæ locis. Quæ etiam diligentiſſimè deſcribitur in li. cui titulus eſt Via crucis, per Petrum Calentinum ædit. Et præterea à D. Io. Paſch. S. Theologiæ, Doctore in peregr. ſ. die. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. & 214. Item à D. Bethleem presbyter. in deſcript. locorum paſſionis Chriſti.*

## 119.

VIA INTROITVS EQVORVM, quæ inter Salomonis & Reginæ Palatia erat, per quam Athalia regina, extra Portam aquarum ſiue equorum educta, in valle torrentis Cedron occiſa eſt.

*4. Reg. 11. 2. Par. 23. Ioſeph. 9. antiq. 7.*

## 120.

XYSTVS porticus, in modum pontis lapidei frequentibus arcubus ſupra plateam publicam ampla latitudine extructa, ac ſubdialibus inambulationibus ornata: per quam à Palatio Pilati in Antoniam arcē, & inde in templum tranſitus erat. Ex hoc loco, tuto nimirum, Præſides Romani populum alloqui ſolebant. in quo ſtans Pilatus IESVM dirè flagellatum, conſputum, ſpineamque in capite geſtantem coronam, ac purpureo indutum pallio, Principibus populoque Iudaico videndum exhibuit, dicens; ECCE HOMO, vt ita afflicto cōmiſerarentur. At illi inconditis vocibus clamabant: Crucifige, crucifige eum. vbi adhuc viſitur, ac peregrinis oſtenditur Arcus quidam lapideus, cum hac inſcriptione; Tolle, tolle, crucifig......, propter antiquitatem cætera legi nequeunt. Ex eodem Xyſto Agrippa rex perelegantem habuit orationem ad populum ſeditioſum, hortans eos ad obediendum Romanis. Frequētem huius Xyſti Ioſephus mentionem facit.

*Ioan. 19. Breid. 14. Iul. Sal. tom. 8. Cap. 7. Paſ. d. 204. Ioſeph. 2. bel. 16. item 5. bel. 9. & 7. bell. 6. & 13.*

## 121.

HIC Chriſto Crucem. lōgitudinis pedum quindecim, latitudinis verò octo, impoſitam eſſe, maiorum traditione accepimus.

*Pſal. 207.*

## 122.

HIC Chriſtus primò cùm cruce cecidiſſe traditur.

*Paſ. d. 207.*

## 123.

HIC, vt ex veteri maiorum traditione habetur, B. Maria cum Ioanne & pijs mulieribus ſtetit, Chriſto cum cruce prætereunte. In cuius rei memoriam Helena Imperatrix eodem in loco ſplendidam B. Mariæ Eccleſiā ædificauit: quæ nunc deſolata cernitur. Porrò B. Virgo cum ſuis, cruenta filij ſui veſtigia ad crucem vſque ſecuta, poſt eius ſepulturam hâc rediens prima viam Crucis ex deuotione calcaſſe, piè creditur. Vnde & Chriſtianorum proceſſiones ac Crucis greſſiones originem habere videntur.

*Breid. 14. Iul. Sal. tom. 8. cap. 6. Paſ. d. 207. & 208.*

## 124.

PROGRESSVS ad hoc biuium Chriſtus nimium cruce grauatus cecidiſſe traditur. quamobrem milites ac Iudæi metuentes ne ante crucifixionis executionem deficeret, apprehenderunt rure venientem Simonē quendam Cyrenæum, eumq; ad portandam crucem poſt Ieſum coëgerunt.

*Matth. 27. Marc. 15. Lucæ 23. Breid. 14. Iulij. Sal. tom. 8. cap. 7. Paſ. d. 208. & 209.*





# TERTIA PARS Vrbis.

## 125.

SECVNDA CIVITAS. Hæc tertia vrbis pars eſt, quæ etiam multas vias habebat anguſtas, cuius aliquoties in ſacra Scriptura fit mentio: in qua inter alios nonnulli habitabant prophetæ & nobiles. Hanc cùm Romani occupaſſent, à ſeditioſis rurſum vrbe pulſi ſunt.

*4. Reg. 22. 2. Par. 34. Sophon. 1. Hier. in 2. Par. 34. Io. 6. bel. 10.*

# LOCI SECVNDÆ Ciuitatis.

## 126.

AMYGDALON ſtagnum. iuxta quod Titus aggerem erexit.

*Ioſ. 6. bel. 12.*

## 127.

DOMVS MARIAE, matris Ioannis Marci vnius ex ſeptuaginta duobus diſcipulis Chriſti, in qua primitiuæ Eccleſiæ fideles conuenire & orare ſolebant. Vbi etiam poſt Iacobi Apoſtoli cædem Petro ab Herode Agrippa incarcerato, ſine intermiſſione pro ipſius liberatione orabant. qui tandem noctu ab Angelo è carcere eductus huiusq; domus fores pulſans, ab ancillula in eam introductus eſt. Quo in loco, inſignis poſteà conſtructa eſt Eccleſia, quæ Græcorum Chriſtianorum fuit prima. Eſtq; ſedes Epiſcopalis, quam vſque hodie Syri tenent.

*Act. 12. Sal. tom. 8. cap. 4.*

## 128.

DOMVS OLDAE prophetiſſæ, habitantis in Secunda, vxoris Sellum viri præclari ac nobilis, pro auūculi Ieremiæ prophetæ. quæ conſulta à Ioſia rege, ei deſtructionem Ieruſalem prædixit.

*4. Reg. 22. 2. Par. 34. Hiero. ib.. Ioſeph. 10. antiq. 5.*

## 129.

EVRIPI. canales erant aquarum in ſublime ſalientium, quibus aqua intra & circū Regiam Herodis domum ducebatur: atque ciſternas vbique replebat.

*Ioſ. 2. bell. 18. & 6. bell. 6.*

## 130.

FORVM MATERIARVM, id eſt lignorum, quod Ceſtius incendit.

*Ioſ. 2. bell. 24.*

## 131.

HABITACVLVM Rechabitarum, qui ex patris ſui præcepto religioſe viuentes, agros aut vineas non poſſidebant, & tanquam Mundi huius peregrini, non in domibus, ſed in tabernaculis habitabant, à vino quoque mordicus abſtinebant. Quamobrem cum belli neceſſitate in vrbem coacti, propinatum ipſis à Ieremia Dei iuſſu vinum bibere nollent; ipſorum obedientiæ exemplo idem Propheta pertinacem Iudæorum Dei præceptum negligentium, inobedientiam increpauit: ideoque & his ſupplicium, illis autem præmium prænunciauit.

*Ierem. 35.*

## 132.

LACVS, qui inter duos ciuitatis muros ſitus erat: de quo in Iſaiæ Prophetia mentio fit.

*Iſai. 22.*

## 133.

MEDIA TVRRIS, quæ in muro ſecundo erat.

*Ioſ. 6. bel. 9.*

## 134.

MONVMENTVM Alexandri Iannæi Pontificis atque Regis. in quo per cautum quoddam ipſius conſilium, ex Phariſæorum autoritate magnificè ſepultus eſt.

*Ioſ. 13. ant. 21. & 6. bel. 8.*

## 135.

MONVMENTVM Ioannis Hyrcani pontificis ac ducis: cuius crebra in Ioſepho mentio habetur.

*Ioſ. 5. be. 7. 8. 11. 12. & 7. bel. 5.*

## 136.

MVRVS SECVNDVS, qui & medius, ſplendidiſſimis portis conſpicuus, & in quatuordecim turres diuiſus erat. quem Ezechias rex reparauit, & firmiorem altioremque fecit.

*2. Par. 32. Neem. 3. 12. Ioſe. 6. bell. 6. 8. 9. 10.*

## 137.

PALATIVM HERODIS. quod ab Herode Aſcalonita Iudæorum rege, qui innocentes occidit, ex vario & polito marmore, iuxta occidua vrbis mœnia, à muro antiquo ad medium vſque murum ædificatum, auro atque argento exornatiſſimum, porta quoque ferrea, ac tribus excellentiſſimis turribus, Hippico, Mariamme, & Phaſelo, munitiſſimum erat: quæ magnitudine, firmitate, ac pulchritudine vniuerſis, quæ toto Orbe viſebantur, prȩſtabant. Intrinſecus verò AVLA REGIA erat quæ inenarrabili magnificentia eminēs, tota ornatiſſimis turribus, cœnaculis, cubiculis, porticibus, deambulationibus, columniſq; (quibus incluſum ſub dio medium patebat ſpacium) vndique cingebatur. In hac Regia Chriſtus Herodi Antipæ tetrarchæ Galilææ, interfectori Ioānis Baptiſtæ, præſentatus eſt, ab eodem multis ſermonibus interrogatus, à Iudæis autem conſtanter accuſatus. Qui cùm nihil reſponderet, idem Herodes, totuſque eius exercitus eum ſpreuit & illuſit: atque alba indutum veſte, quaſi demētem ac morionem, ad Pilatum remiſit. Nunc verò Palatium hoc ſchola eſt puerorum infidelium.

*Ioſ. 6. bel. 6. Act. 12. Io. 2. be. 17. Lucæ 23. Breid. 14. Iul.*

## 138.

PORTA MEDIA ſecundi muri, in qua, fractis muris exterioribus, Regis Babyloniæ principes ſederunt.

*Ierem. 39. & 52.*

139.

*Ioſeph. 2. bel. 17.* STRATOPEDON. area erat Regiam Herodis vndequaq; ambiens, vbi Regij milites excubias agebant. In qua & CARCER Regis extabat, cui nocentes includebantur. in quo D. Petrus ab Herode Agrippa rege, qui Iacobum maiorem occiderat, catenis duabus vinctus, & à quatuor quaternionibus militũ diligentiſsimè per dies azymorum fuit aſſeruatus: atque nocte, quæ diem occidendi præcedebat, ab Angelo Domini à vinculis ſolutus, ab eodem per primam & ſecũdam custodiam, perque portam ferream, quæ ducebat in ciuitatem, eductus eſt. *Act. 12.*

140.

*Ioſ. 6. bel. 12.* STRVTHIVM ſtagnum medium, & hic Titus aggerem extruxit.

141.

*Ioſ. 6. bel. 5. 6. 7.* TVRRIS HIPPICVS, quæ quadrangularis in muro ſecundo ſuper eminentem collem fabricata erat, & octoginta quinque cubitos alta, duplicique tecto conſpicua, inſigni robore ac ſoliditate excellebat, quã Herodes ſenior ædificauit, & amici ſui Hippici in bello amiſſi nomine Hippicum appellauit.

142.

*Ioſ. 15. ant. 9. & 1. bel. 16. & 6. bel. 6.* TVRRIS Mariamme, quæ quinquaginta quinq; cubitis alta, ſuper excelſum antiqui muri collem mira pulchritudine eminebat. quam Herodes in memoriam Mariãmę dilectiſſimæ vxoris ſuæ à ſe occiſæ extruxit, ac eius nomine Mariamme nominauit. & quia Reginę fœminę nomine appellata erat, cæteris pulchrior, ornatiora diuerſoria ſuſtinebat, ſicut Hippicus & Phaſelus, quæ virorum nominibus vocitatæ ſunt, hac munitiores fuerunt.

143.

*Ioſ. 14. an. 22. & 16. antiq. 5. & 17. ant. 14. & 1. bel. 11. & 6. bel. 6. & 7. bell. 18.* TVRRIS Phaſelus, quæ nonaginta cubitos alta, in ædito muri antiqui loco, ſupernè in pilæ modum facta, ſtupendæ magnitudinis & firmitatis muniſſima erat. quam Herodes ad ſimilitudinem Phari turris Alexandrinæ ædificauit, atque in honorem Phaſeli fratris ſui (qui à Parthis captus, cùm nec ferri copiam, nec manus liberas haberet, colliſo ad ſaxum capite ſeipſum occiderat) Phaſelum vocauit. Cùm Titus Cæſar expugnatam Hieroſolymam totam funditus ſubuertiſſet, prædictas tres turres, Hippicum, Mariamme, & Phaſelum, ob ipſarum excellentiam, (ſicut & ſupra memini) in monumentum integras reliquit, vt poſteris indicarent, quàm munitam, quamque glorioſam vrbem Romanorum fortitudo expugnaſſet, quas poſteà ob iteratam Iudæorum rebellionem Adrianus Imperator diruit. *Sub num. 1.*

144.

VIVARIVM. Herodis hortus erat, viridarijs ſiluiſq; amœniſſimus, ac altis euripis, ciſternis & aquis irriguus, vbi varias feras, piſces, & aues continebat, & prolixas habebat ambulationes, ac circum latices multas turres manſuetarum columbarum. *Ioſ. 6. bel. 6.*

145.

XENODOCHIVM. Hoſpitale publicum erat, quod Hyrcanus Pontifex ex pecunia, quam è Dauidis ſepulchro protulerat, fundauit ac dotauit: vbi peregrini pauperes & infirmi recipiebantur, & alebantur. *Ioſeph. 13. antiq. 15. Egeſi. 1. hi. Iudaic. 1.*

146.

XYSTVM, ampla in Herodis Palatio porticus erat, in qua athletę per hyberna tempora ludis ac dimicationibus ſe exercebant. *Ioſ. 6. & 8.*

# QVARTA PARS Vrbis.

147.

BEZETHA, id eſt, NOVA CIVITAS, Græcè Cœnopolis dicta, quarta vrbis pars eſt: quæ ſicut præcedentes vrbis partes, etiam murorum ambitu cincta, multis per tranſuerſum anguſtis vijs, vtrinque ad ciuitatis muros tendentibus, diſcernebatur. quam incolebant lanæ venditores, fabri, ærarij, alijque artifices & operarij; eratque ibi veſtium mercatus. *Ioſ. 19. ant. 7. & 2. be. 15. et. 6. bel. 6. 7. 9. 13.*

## LOCI BEZETHÆ.

148.

BEZETHA mons, qui frequentibus plebeculæ ædulis inhabitabatur. *Ioſ. 6. bel. 6.*

149.

CASTRVM Aſſyriorum, arx iuxta quam Titus cùm primum vrbis murum occupaſſet, caſtra poſuit, vltrà ſagittæ iactum à ſecundo muro ſeparatus. *Ioſ. 6. bel. 8. & 13.*

150.

MVRVS tertius, qui & exterior, quem Agrippa rex publico ſumptu permunijt, latioremque & altiorem, quàm antè fuerat, reddidit. Hic totus ſolidus erat, & viginti quinque cubitis altus: habebatq; nonaginta quadrangulares, validas, & celſas turres, ducentis inter ſe cubitis diſtantes, quarum ſtructura ac pulcritudo ſaxorum, nihil erat templo deterior. *Ioſ. 19. ant. 7. Item 2. be. 10. & 6. bel. 6.*

151.

PLATEA Lata, quæ & Platea portæ Ephraim dicebatur. *Neem. 3. 8.*

152. SPE-



152.

*Io. 6. bel. 6.* SPELVNCAE Regiæ, ſuper quas tertius ciuitatis murus in longum ductus erat.

# PORTÆ ET TVRRES circum vrbem.

153.

*1. Mac. 12.* CAPHETETA, orientalis ciuitatis murus ſuper torrentem Cedron, quem Ionathas Machabæus reparauit.

154

*Iſai. 28. Pſal. 117. Neem. 3. Act. 4. Rom. 9. 1. Pet. 2.* LAPIS ANGVLARIS duriſſimus, ſolidum montis Sion fundamentum; ſpiritualiter Chriſtum, qui firmum & ſtabile Eccleſiæ fundamentum eſt, præfigurans.

155

*4. Reg. 14. 2. Par. 25. 26. Ierem. 31. 37. 38. Zach. 14. Broc. iti. 6. Sal. tom. 3. cap. 5.* PORTA ANGVLI, ſic dicta, quia in aquilonari orientalique ciuitatis angulo iuxta torrentem Cedron ſita erat, quæ etiam Porta Beniamin vocabatur, quod per eam in tribum Beniamin via eſſet. Per hanc portam ex deſerto in vrbem ligna inuehebantur. In hac etiam Ieremias comprehenſus eſt. cuius ruinæ nunc longè extra vrbem viſuntur.

156.

*Ezech. 43. 44. Broc. iti. 6. Sal. tom. 9. cap. 4.* PORTA AVREA, inter Portam vallis, & Portam fontis conſtituta, ſic vocata eſt, quod deaurata eſſet: quæ Orietalis quoq; dicta fuit, quod ad orientem templi ſita eſſet. atq; quia per compendium è templo ad mõtem Olïueti ducebat, templi potius, quàm ciuitatis porta erat: ideoque eius Neemias non facit mentionem: in hac S. Anna & Ioachim, de habenda prole læti, ſibi mutuo occurriſſe ſcribuntur. Et per hanc Chriſtus in die Palmarum ſuper aſinum equitans, humili, ſed tamẽ ſolemni pompa Hieroſolymam intrauit: quę clauſa, vltro, vt fertur, ei eſt aperta. Porrò anno à Chriſti natiuitate ſexcenteſimo vigeſimo ſecũdo, Heraclius Imperator parta Diuinitus de Coſdroa Perſarum rege victoria, cũ partem ligni Crucis Dominicæ (quam olim ab Helena Imperatrice in montis Caluariæ templo collocatam, Perſæ capta Hieroſolyma, multiſque ibi cæſis Chriſtianorum millibus, aſportarant, ac quatuordecim annis detinuerant) ſuperbo equo vectitans Hieroſolymam reducens, hanc portam triumphali põpa ac Cæſareo apparatu auro gemmiſque ornatus ingredi vellet, illuſtri miraculo, omnibus quidem perfidis admirando, nullis autem fidelibus dubio, cælitùs impeditus fuit, quò enim magis progredi conabatur, eò magis videbatur retineri: cumque ea re & ipſe Heraclius, & reliqui omnes obſtupeſcerent, Zacharias Hieroſolymorum antiſtes, Vide, inquit, Imperator, ne iſto triumphali ornatu, in cruce feranda parum Ieſu Chriſti paupertatem & humilitatẽ imitere. Tum pius Princeps mox equo deſcendit, Imperialem coronam depoſuit, auream chlamydem & Regiũ cultum exuit, calceoſque detraxit, ac plebeio indutus amictu: plantis & capite nudis, ſacroſanctum Crucis lignum ſuis ipſe humeris per eandem, quà id Saluator tulerat, portans viam, ad Caluariæ montem retulit; atque in eodem loco, vnde fuerat à Perſis aſportatum, repoſuit. Quamobrem perpetuo ſancitum eſt edicto, vt quotannis decimo quarto Septembris die, Exaltationis S. Crucis memoria in Eccleſia celebraretur. *Ieru. de. 14. Ind. Paſch. d. 104. Ex hiſtor. Exaltationis S. Crucis. Breuiar. Roman. Sal. tom. 8. cap. 4.*

157.

*4. Reg. 14. 2. Par. 25. 26. Nee. 8. 12. Ioſ. 9. anti. 10. 11. Broc. iti. 6. Sal. tom. 8. cap. 5.* PORTA Ephraim, quæ nunc à quibuſdam S. Stephani appellatur, contra Septentrionem ſita, viam reſpiciebat, quæ in tribum Ephraim ducit, vnde ſibi nomen Ephraim ſortita eſt. Ab hac Porta vſque ad portam anguli Ioas Iſraëlitarum rex murum Ieruſalem quadringentorum cubitorum ſpacio diruit: & triumphabundus per id interſtitium curru in ciuitatem inuectus, vrbis factus eſt Dominus. quem murum vnà cum turribus Oziam Iudæ Regem poſteà reſtituiſſe legimus

158.

*Neem. 2. 3. 8. 12. 2. Par. 3. 13. Iere. 19. 21. Broc. iti. 6. Sal. tom. 8. cap. 5.* PORTA Fontis, quæ & aquarum dicitur, porta fictilis erat inter montem Sion & montem Moria in voragine Mello contra orientem poſita. & fontis, aquarumq; porta ex eo dicta, quòd ad fontem & aquas Silôe tranſitum aperiret. Hęc alio nomine, quod equi per illam pro adaquatione in torrentem Cedron educerentur, Equorum porta orientalis eſt vocata, ducebatque in vallem Gehennom.

159.

*Ioſeph. 6. bel. 6. 7. 8.* PORTA Genath, id eſt, horti, nempe Herodis, quæ non longè à ſecundo ciuitatis muro ſita erat, quia in Hippicum turrim aqua inducebatur. Per hanc portam ſeditioſi latenter proſilientes, in Romanos ſæpe fecerunt excurſus.

160.

*4. Reg. 24. Ier. 39. 52.* PORTA HORTI REGIS, quæ in monte Sion inter duos arcis muros collocata erat, per quam Sedechias rex nocte fugit.

161.

PORTA Palatij Pontificis, ſiue Sacerdotis magni, auſtrum reſpiciens. *Neem. 3.*

162.

*2. Par. 33. Sophon. 1. Hier. ibid. Nee. 3. 12. Broc. iti. 6. Sal. tom. 8. cap. 5.* PORTA PISCIVM, quæ iuxta turrim Dauid inter mõtem Sion & ciuitatem inferiorem in valle Mello contra occidentem ſita erat: & per adiunctam ei teſtudinem (quę vltra Voraginem extendebatur) commodum cuiuis exitum exhibebat ac introitum. Atq; piſcium quidem porta ex eo dicebatur, quod per

per eam à Ioppe & alijs maritimis locis quotidie in vrbē piſces inferebantur. Hæc alijs nominibus etiam Porta Dauid, & Porta negotiatorum inſcribitur: Dauid quidem, quòd turri Dauidis proxima eſſet; negotiatorū verò, quòd per eam variæ negotiatorū merces à Bethleem, Hebron, Gaza, Aegypto, & Aethiopia inueherentur. Per hanc portam peregrini occidentales vrbem ingredi ſolent.

163.

*Neem.2. 3.12. Liran.in Neem.3. Broc.iti.6. Sal.tom.8. cap.5.*

PORTA STERQVILINII ſeu ſtercoris, quæ contra auſtrum portæ anguli ſita, ſolem Orientem reſpiciens, omnes ciuitatis ſordes, quas pluuia congregare poterat, in torrentem Cedron euomebat: vnde non immeritò ſterquilinij ſiue ſtercoris nomen accepit.

164.

*Ioſ.6.bell. 2.& 5.*

PORTA TVRRIVM Mulicbrium, ſeptentrionem reſpciens, per quam ſeditioſi in Romanos vrbem obſidentes, excurſus fecerunt.

165.

*2.Par.26. Neem.2. 3.12 Broc.iti.6. Breide.14. Iul. Sal.tom.8. cap.5.*

PORTA VALLIS, nomen inde trahens, quòd in vallem Ioſophat viam faceret, inter portam ſterquilinij & portam auream media fuit, nec longè à foro pecuario & Piſcina probatica diſtans. Quæ & ob hoc etiam Porta Gregis appellari meruit, quòd per hanc immolandi in templo greges in forum pecuarium venales adducerentur. Nunc verò à Protomartyre, qui per eam extra ciuitatem eductus eſt, & non longè ab eadem lapidatus, S. Stephani porta nominatur.

166.

*Neem.3.12. Liran in Neem.3. Deut.22. Ruth.4. Ioan.19. Hebr.13. Broc.iti.6. Sal.tom.8. cap.7.*

PORTA vetus ſiue antiqua, quæ ab aquilone portæ piſcium ſita, ſolem occidentem reſpiciebat, à Iebuſæis quoque Porta Iebus, & à iudicijs IVDICIARIA ſeu Iudicialis vocata fuit, quia ad iudicādum, olim ibi ſeniores ſedebant: in portis enim iudicia tum exercebantur: extra hanc portam fiebat etiam iudiciorum executio. Vnde & Chriſtus per hanc eductus, extra eandem quoque eſt crucifixus. Cuius portæ vetuſta adhuc veſtigia extant.

167.

*Brocard. iti.6.*

RVPES eminens valdè, tendens à Pſephina turri ad montem vſque Sion: ſuper quam totus occidentalis ciuitatis murus extructus erat.

168.

*Ierem.31. Zach.14. Nee.3.12.*

TVRRIS Ananeel, quæ non longè à Porta anguli ſita, fortis erat, & inſignis: cuius ſacra ſcriptura aliquoties mentionem facit.

169.

*2.Par.26. Ioſ.9.anti. 11.& 6. bel.6.*

TVRRIS ANGVLARIS, ſuper portam anguli poſita, quam Ozias rex firmiter reædificauit, & centum quinquaginta cubitorum ſublimen fecit.

170.

*VVil.Tyr. 9.bel.Iu.3. Broc.iti.6.*

TVRRIS DAVID, munita & excelſa valdè, quæ in duarum voraginum angulo, in præruptæ rupis colle ex quadris lapidibus, ferro & plumbo indiſſolubiter compaginatis, à Dauide rege ædificata erat. Cuius ſingularis fortitudo & egregia pulchritudo ad commendationem ſponſæ Chriſti, quę eſt Eccleſia, à Salomone producitur, cùm ait: Sicut turris Dauid collum, tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. *Cant.4.*

171.

*2.Par.26. Ioſeph.9. antiq.11.*

TVRRIS EXCELSA, quæ ſuper portam vallis extructa fuit. quam etiam Ozias rex reparauit, &, vt vltra montem Olìueti ſpecula eſſet, centum quinquaginta cubitos altam fecit.

172.

*Neem.3. 12.*

TVRRIS FVRNORVM, verſus boream ſita. quam ſic dictam putant, quòd in ea, ceu in furno, perpetuus aleretur ignis, qui noctu terra mariue iter facientibus, tanquam ſcopus propoſitus erat, ſecūdum quem, ne quà à via declinarent, iter ſuum dirigere poſſent.

173

*Neem.3.*

TVRRIS Magna, quæ iuxta murum templi cæteris altior eminebat.

174.

*Neem.3. 12.*

TVRRIS MEAH, aliâs Emath, id eſt, centum cubitorū: quæ non longè à templo diſtabat.

175

*Ioſeph.5. bell.2.5.6. Brocard. itin.6.*

TVRRIS PSEPHINA, quæ aliâs Nebloſa vocatur, turris Octangularis erat, ſeptuaginta cubitos alta, in ciuitatis angulo inter ſeptentrionalem & occidentalem vrbis murum ſuper rupem admodum excelſam firmata, atque tota inſtar propugnaculi admirabilis ſua altitudine horrenda. ex qua ſereno cœlo Arabia, & mare, atq; Hebræorum finium vltima proſpici poterant. cuius ruinæ adhuc viſuntur.

176.

*Luc.13.*

TVRRIS SILOE. quæ tempore Chriſti cadens, octodecim viros oppreſſit & occidit.

177.

*Broc.iti.6.*

VORAGO, ſeu Vallis profunda, quæ mōtem Sion ab auſtro cingebat, & verſus aquilonem per totum occidentale vrbis latus vſque ad portam Ephraim procedens, commodam ciuitati foſſam faciebat.

LOCI



# LOCI EXTRA Vrbem.

## LOCI AD ORIENtem Vrbis.

178.

*Ariſteas li. de 72. Interpret.*

AQVA ex templo, quæ ſubterraneis eductа canalibus, hic magno erūpebat ſtridore, defluebatq; in torrentem Cedron.

179.

*Mat.21.26. Mar.11.14. Luc.10.19. 24. Ioan.11.12. Hier tom.1. epiſt.27. ad Euſtoc. & tom.3.epiſt. 29.ad Ruffinum. & in loc. Hebr. lit B. Nu.ep.8. [illegible] Broc.iti.6. Breid.[illegible] & 16 Iul. Sal. tom.9. cap.4.*

BETHANIA, nobile caſtellum Mariæ & Marthæ ſororum Lazari, & ædibus frequens, quod vltrà montem Olìueti ſitum, quindecim à Ieruſalem ſtadijs diſtat; hoc eſt, duobus miliaribus Italicis, ex quo quidem loco, licet perexiguo interuallo, ob interpoſitum Olìueti montem, ciuitas Ieruſalem videri non poteſt, ſed conſcenſo quodam mōticulo, videtur inde pars montis Sion. Hic Chriſtus in domo Marthæ ſæpè fuit hoſpitatus, vbi Mariæ ad pedes ſuos ſedenti prædicauit verbum Dei. Hic Lazarum quadriduo ſepultum, iamque fœtentem flens in vitam reuocauit. Hic in domo Simonis (qui quod antea fuiſſet leproſus, & à lepra per Chriſtum mundatus, Simon leproſus, vt ait Hieronymus, vocabatur) menſæ vnà cum Lazaro accumbens, & Martha miniſtrante, à Maria pretioſo perfuſus eſt vnguento. Hic & aſcenſurus in cælum, valedixiſſe eiſdem videtur Aetate Hieronymi domus Marthæ & Mariæ, & domus Simonis leproſi magna pietate à fidelibus inuiſebantur. Atq; marmoreum Lazari monumentum, in quo à Saluatore fuit ſuſcitatus, ob hoc tam celebre miraculum ab Helena Imperatrice inſigni Eccleſia circundatū eſt: quod etiam hodie non à Chriſtianis ſolū, ſed & à Saracenis ac Turcis ingenti deuotione honoratur. Poſterioribus temporibus fuit hic à domina Meliſende Regina, abbatia erecta. Quæ omnia nunc penè deſerta peregrinis adhuc oſtenduntur.

*[illegible] Vitri. [illegible] cap.58.*

180.

*Matt.21. Marc.11. Luc.19. Ioan.12. Hieron. in Matt.c. 21. & in loc. Hebr.lit. B. Brei.iti.6. Sal.tom.9. cap.3.*

BETHPHAGE ſacerdotū viculus ad pedem orientalem montis olìueti ſitus, vnde Chriſtus in oppoſitum Caſtellū duos pro adducendis aſinis miſit diſcipulos. Quibus adductis, & Apoſtolorum veſtibus ſtratis, hic ab eiſdem ſuper aſinam collocatus eſt. Ac turba plurima veſtimenta ſua, atque palmarum ramos in via ſternente, ac Oſanna illi acclamante, iſthinc porrò Hieroſolymam equitauit. Qui cùm iam ad deſcenſum montis Olìueti appropinquaret, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, & fundiùs prædixit euertendam, eò quod non cognouiſſet tempus viſitationis ſuæ.

181.

*Matt.21. Marc.11. Luc.19.*

CASTELLVM contra vos, vt ita loqui liceat, vicus erat è regione Bethphage ſitus, vnde iuſſit Dominus ſtantes foris in biuio aſinam eiuſque pullum ad ſe adduci.

182.

*Ioan.11. Sal.tom.16. cap.4. Brei.iti. 6.*

CISTERNA iuxta Bethaniam, vbi ad reſuſcitandum Lazarum venienti Domino, primò occurrit Martha, & poſteà ab ea vocata Maria.

183.

*Ioſeph.6. bel. 13.*

COLLIS Olìueti, qui proximus Petræ columbarum, ſuper vallem Silôe imminebat.

184.

*Matt.21. Marc.11. Paſ.d.228.*

FICVS arida, ſecus viam Bethaniæ plantata, quę cùm fructibus careret, ſoliſq; folijs ornaretur, à Chriſto maledicta, exaruit.

185.

*Neem.2 Broc.iti. 6. Sat.8.c.5. & tom 9. cap.1.*

FONS Draconis, inter portā vallis & portam ſterquilinij etiam num ſcaturiēs, quē Neemias, vt murum Ieruſalem diſſipatum, & portas igni conſumptas conſideraret, equo inſidens præteruectus eſt.

186.

*Ioſ.15.18. Hieron. in Iere.cap.7. 19.& 32. Broc.iti. 6.*

GEHENNOM, quæ & Benhennom, id eſt, Vallis filiorum Ennom. Locus erat in ſuburbanis Ieruſalem (contra orientem ſub monte Offenſionis, iuxta piſcinam fullonis (vt Tempe, amœniſſimus, fontibus Silôe ac fluxu torrentis Cedron irriguus, viridaris & hortis conſitus, totuſq; nemoroſus ac delicijs plenus.

*Leu.18. 20. 3.Reg.11. Act.7.*

In hac valle erat tabernaculum & idôlum MOLOCH, quod ſicut inter omnia idôla principatū tenuit, ita Deus illud maximè abominans, eius cultum nō raro prohibuit. Erat autem idôlum æneum, figura Regis fabrefactū, intus concauum, cuius caput vitulum, pars veró reliqua hominem exprimens, brachia ad immolandos pueros habebat extenſa, qui vehementi idôli calore inter hoſce nefarios amplexus comburebantur. Cùm enim ex igne in idôli concauitate ſubiecto, id totum factum eſſet ignitum, tum impijſſmi parentes crudelitate incredibili chariſſima pignora, ſuos nempe filios & filias, deteſtandis hiſce complexibus cremanda tradebant, eaque Diabolica quadam deuotione, in holocauſtum fœditiſſimi odoris dæmonio Moloch offerebant. Ne verò in horrendis illis tormentis miſerabilis puerorum clamor exauditus parentum viſcera poſſet commouere: tum etiam vt gratius idôlo fieret holocauſtum, ſacerdotes Moloch, quamdiu ſacrificium durabat, rauco tubarū, clangore, ac ingenti tympanorū ſtrepitu vndiq; æthera & aëra replebant. Vnde & locus ille nomen ſibi TOPHET, quod tympanū ſonat, acquiſiuit.



Hoc

*4.Reg.16. 21. 2.Pa 28.33. 4.Reg.23.*

Hoc ſacrilegio ritu Achaz quoque & Manaſſes reges Iuda, cum vulgo deſipientes, filios ſuos dæmonio Moloch conſecrauerunt. Cui tam deteſtandę inſaniæ pijſſimus rex Iuda Ioſias tandem occurrere cupiens, ſtatuam Moloch contriuit, lucum eius ſuccidit, loci amęnitatem cadauerum, oſſium, aliorumq́; immundorum ſpurcitie fœdauit, atq; in perpetuum huiuſmodi ſordium atque immūditiarum receptaculum deſtinauit.

*Iere.7.19.32. Iſa.30.*

In hac valle Dei iuſſu Ieremias coram Iudæorum ſenioribus humo vas fictile allidens atq; confringens, Deum ſic vrbem populumq́ue contriturum prædixit. Iuxta cuius etiam Prophetæ vaticinium, eò quod repleuiſſent locum iſtum innocentium puerorum ſanguine, tanta ibidem populi cæſa eſt multitudo, vt nō vocaretur amplius locus iſte Vallis Tophet, ſed Poliandrion, hoc eſt, tumulus multorum mortuorum, quorum cadauera ibi inſepulta, auibus cœli, & beſtijs terræ facta ſunt eſca. Ab his tam execrandis pœnis, quas in valle Gehennom ſuſtinebant paruuli, Saluator noſter analogiā ſumens, Infernum, teſte Hieronymo, appellat gehennam, quæ in media abyſſo ac terræ centro vbique à Cælo quod eſt vndiq; & vndiq; ſurſū, remotiſſima eſſe creditur, in qua impij ſummis tormentis perpetuò cruciantur. duplicem autem eſſe Gehennam, nimij ignis & frigoris, in Iob pleniſſimè legimus.

*Hier. in 2. Par.33. & in loc. Heb. lit. G & T & in Matt. cap.10. Hieron. in Iona cap. 2. Iob.24.*

## 187.

*Matth. 26. Marc.14. Hier.in loc. Hebr.lit.G.*

GETHSEMANI, villa ad radices montis Oliueti, olearum fœcunda, in quam Dominus à cœna nouiſſima mœſtus, pauens, & anima ad mortem vſq; triſtis, in horto Olitueti Patrem oraturus, venit.

## 188.

*Matt.26. Marc.14. Luc. 22. Ioan 18. Hier.in loc. Hebr. Broc.iti.6. Breid.14. Iul. Sal.tom. 4. cap.2.*

HORTVS Oliueti Hortus erat in monte Oliueti non longè à Gethſemani rupi cuidam concauæ adhærens: in quo Chriſtus ſupplex, ſemel, iterum, & tertiò Patrem orauit, vt à ſe calix paſſionis tranſiret, & cùm factus in agonia, prolixiùs orans ſanguinem guttatim in terram decurrentem ſudaret, cælitus ab angelo confortatus eſt. Vbi ætate Hieronymi deſuper Eccleſia erat ædificata, quæ adhuc oſtenditur

## 189.

*Ioſ.15.18. 2.Reg.17. 3.Reg.1. Cant. 4. 4.Reg. 25. Ier.39. 52. Ioſe.7. ant. 15.& 9.ant. 11. Broc.iti.6. Brei.15.Iul. Sal.tom. 8. c.5.& tom. 10.cap.1.*

HORTVS REGIVS, qui Hortus concluſus dicitur. Hortus erat in ſuburbanis Ieruſalem, muris vndique ſeptus, & opfirmatus; atque, ſicut paradiſus, arborum, fruticum, herbarum, aromatum, florum, fructuumq́ue vbertate amœnus, mulcendiſq́ue ac fouendis ſenſibus conueniens, & ad ſeceſſus voluptuarios idoneus. In quo erat inclitus ille fons Rogel, & Lapis Zoëleth, quorum frequens in Scriptura mentio fit, vbi Adonias, cùm regnare inſtituiſſet, immolauit victimas, & vna cum ſuis aſſeclis conuiuium fecit.

## 190.

*4.Reg. 25. Hier.in Ier. 19.& 32.& in Matt. 10.*

LVCVS Moloch, idôlo Moloch conſecratus, vbi cultores eius, poſtquam ſacrificaſſent, aut thure litaſſent, ſub arborum opacitate ſcortabantur.

## 191.

*3.R. 11. 4.Reg. 23. Broc. iti. 6. Sal.to.6.c.5*

MONS OFFENSIONIS, mons excelſus erat ad auſtrum fontis Rogel & lapidis Zoëleth ſitus. In quo ſapiētiſſimus ille Rex Salomō per alienigenas vxores ſuas iam ſenex ſeductus & infatuatus, Melchom idôlo Ammonitarum Fanum ædificauit, & illum etiam coluit. Iuxta quoſdam fuit Pantheon, omnibuſq́; idolis conſecratum. Quod annis trecentis ſexaginta tribus integrum permanſit, & tandem à Rege Ioſia demolitum eſt.

## 192.

*Dan.11. Zach 14. Act.1. Ioſeph. 20. anti.12. & 6.bel.3.5. 13.&c. VVil.17. b. ſacr.20. Broc iti.6. Bre.14.Iul. Sal to.6 c.5 & to.9.c.2. Paſ.d.191. Neem.8. 2.Reg.15. Pſalm.3.*

MONS Oliueti ſiue oliuarum, ab vbertate frequentium in eo creſcentium oliuarum Græcè quoque Eleôn dictus, qui aliàs etiam Mons inclytus, & Mons ſanctus vocatur; ſitus eſt è regione Ieruſalem ad oriētem: atq; à ciuitate alta interiacente valle Cedron diſcretus ab ea, ſecūdum ſacram ſcripturam, iter ſabbati; iuxta Ioſephum verò ſtadijs quinque diſtat, qui etiam addit ſummum montis ſex ab vrbe ſtadijs abeſſe. tantæ enim altitudinis erat, ex eo non ſolum omnes penè plateæ Ieruſalem, ſed etiam mare mortuum facilè videri poſſent, pręter oliuas autem, palmis, pinis, myrtis, alijſq́; fructiferis arboribus, abundabat.

In huius montis vertice ſanctiſſimus Rex Dauid, à facie filij ſui Abſalon fugiens, flens & nudis pedibus Deum adorauit. In eodem quoq; monte eius filius Salomon omnis pietatis oblitus, Aſtaroth idôlo Sidoniorum è regione Hieroſolymitani templi (ex quo omnis quæ ibi peragebatur idololatria proſpici poterat) Fanum erexit, quod ipſum etiam cum cæteris idolorum delubris Ioſias deſtruxit. Hunc montem Chriſtus orationis & quietis gratia ſępè frequentauit, ibiq́ue pernoctauit. Atque ex huius ſummitate coram aſtantibus & intuentibus diſcipulis, data eis benedictione, in cælum aſcēdit, facie (vt etiam ex vltimis pedum eius veſtigijs ad tantæ rei memoriam petroſo monti, inſtar ceræ, impreſſis, etiamnum euidēter colligitur) ad occidentem, verſus Catholicam ex gentibus Romanam ſpectans Eccleſiam, ad quam ipſe eius caput, tanquam geminos & illuſtres oculos D. Petrum ſuum in terris vicarium Paſtorem ac Apoſtolorum coriphęum, & D. Paulum gentium doctorem, miſſurus erat.

*3.Reg.11. 4.Reg. 23. Lira.ibid. Luc. 21. 22. 24. Ioan.8.18. Ezech.11. Act.1.*

Cùm hoc loco à B. Helena Imperatoris Cōſtantini matre rotundo ſchemate & pulcherrimo opere cōderetur Eccleſia, quæ in ſui medio lapidi impreſſa Dominica includeret veſtigia, locus ille de quo aſcendit, nunquam, vt Paulinus Nolanus Epiſcopus teſtatur, tegi marmore aut pauiri recepit, ſemper excuſſis, ſolo reſpuente, quæ manus adornandi ſtudio tentauit apponere: & ſummum eius cacumen, vt ſcribit D. Hieronymus, propter Dominici corporis meatum, nullo modo cōtegi aut concamerari potuit: ſed trāſitus eius à terra ad cęlum vſque patet apertum. Quę eccleſia multis ibi ſeculis permanſit: Chriſti autem veſtigia adhuc cernuntur.

*P. Monta.in Paſsio. Do. Hier.tom.3. in loc.Hebr. Act. Apoſt. lit.M. Pauli. Nolā epiſt.11. ad Seuerū Euſ.in vita Conſtantini li.3.ca. 42. Soc.1.hiſt. eccle.13.*

Sunt non infimi ordinis viri, qui aſſerunt Antichriſtum huius aſcēſionis Chriſti fore æmulatorem, eumq́ue (vt mendacia mēdaci ſigno probet) in cælum hoc loco dęmonum ope eſſe eleuandum: cæterùm à Domino Ieſu ſpiritu oris ſui occiſum iri. Supra hūc mōtem Chriſtum eodem modo ac forma, qua aſcēdit, ad iudicandum viuos & mortuos in nubibus venturum eſſe ex Actis Apoſtolorū liquet. vbi legitur, quòd cùm Apoſtoli defixis in cœlum oculis aſcendentem Chriſtum intuerētur, duo viri adſtiterunt illis, amicti veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpiciētes in cælum? hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælū, ſic veniet, quēadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.

*Sozom.2. hiſt.eccl.1. Niceph.8. hiſt.ecc. 30. Vitr.c.58. Broc.iti.6. Breid.14. Iulij. Sab.tom.9. cap.3. Paſ.d.191. Hieron.in Dan.c.11. Iſai.11. Zach.14. Liran. ibi. 2.Theſſ.2. Actor.1.*

## 193

*3.Reg.12. 4.Reg.23. Broc. iti.6. Sal.tom.6. cap.5.*

MONS Scandali. mons altus erat vltra torrentem Cedron in aquilonari latere montis Oliueti. quatuor ſtadijs à Ieruſalem diſtans. In quo Salomon vxorum gentilium inſtinctu Chamos idolo Moabitarum fanū conſtruxit. quod etiam Ioſias confregit. Tēpore Machabæorum hîc caſtrum ædificatum fuit: cuius indicia adhuc extant.

## 194

*Ioſep.6. bell.6.*

MONVMENTVM Fullonis. quod non longè à porta anguli ſitum erat.

## 195

*Neem.8. Ioan.12.*

PALMAE. de quibus in Neemia, & Ioannis Euangelio legitur.

## 196

*Ioſ.6. be.13.*

PETRA COLVMBARVM, quæ ad meridiem montis Oliueti cōſpiciebatur, Græcè Periſtereon vocata; ſaxea, rotūda, ſublimis & concamerata turris erat extrinſecus dealbata, atque anguſto vno oſtiolo in ſummitate patēs: in qua domeſticæ ſeruabantur columbæ. Huiuſmodi turris ſæpè vel quinq; columbarum millia continebat.

## 197

*Breid.14. Iul. Sal.tom.8. ca.6.& to. 9.cap.1. Paſ.d.154. & 191.*

PONS Cedron lapideus, vno arcu ſupra torrentem Cedron erectus: quem Helena Imperatrix eo in loco conſtrui fecit, vbi in hunc vſum anteà lignum illud, ex quo pila Dominicæ Crucis facta eſt, iacuiſſe dicitur.

## 198

*Ioan. Damaſcenus de dormitione Deiparæ Nicep.l.2. hiſt.eccleſ. 22.& 23.*

SEPVLCHRVM B. Mariæ virginis, quod in valle Ioſaphat iuxta villā Gethſemani ad pedem mōtis Oliueti olim extra terram eminebat: in quo intemeratum glorioſiſſimę virginis corpus honeſte ab Apoſtolis ſepultum eſt; Quod poſt tertiū à ſepultura diē vacuum inuentum, & ſuauiſſimo odore fragrans, argumento pijs omnibus fuit, ipſam ſimul cum corpore ab Angelis in cælum eſſe aſſumptam, & ſuper Angelorum choros exaltatam.

*Nicep.hiſ. ecclesi.8. cap.30. Broc.iti.6. Breid.14. Iul.*

Hoc loco in honorem Deiparæ virginis à pia Imperatrice Helena grādis, teſtudinata, atq; mirifica (in quam nunc quadraginta octo gradibus deſcenditur) extructa eſt eccleſia, in cuius medio ſanctiſſimum hoc ſepulcrum, quod albo marmore veſtierat, eſt incluſum: idq́; adhuc nedum Chriſtiani peregrini, verùm & Saraceni atque Turcæ ſummè venerantur.

*Sal.tom. 9. cap.1. Paſ.d.184. & 197.*

Eodem penè loco etiam S. Annam, virumq́; eius Ioachim, beatiſſimæ Dei genitricis parentes; nec non Ioſephum eiuſdem immaculatæ Virginis ſponſum, CHRISTI verò nutritium, ſepultos eſſe veterum habet traditio.

## 199

*4.Reg.23. Ierem.26.*

SEPVLCHRA Vulgi. quæ erant in valle Ioſaphat: vbi ignobiles ſepeliebantur.

## 200

*Iſai.8.21. Neem.3. Ioſeph.6. bell.6. Vitr. c.84. Ioan.9. Broc.iti.6. Breid.14. Iul. Paſ.d.197. Io. 6.bel.11. Sal.to 10. cap.1. Niceph.8. hiſt.ecc. 30.*

SILOE fons, cui piſcina ſiue Natatoria Silôe, quæ & Piſcina inferior nuncupatur, cōiuncta eſt, in occidentali latere vallis Ioſaphat, è radice montis Sion ſcaturit. Aqua eius clara, dulcis, & vberrima, cum ſilentio placideque fluit in torrentem Cedron.

Hunc fontē inclytus Rex Ezechias reſtaurauit. Atq; in eius piſcina cæcus ille à natiuitate oculos ſuos Chriſti ſputo & luto inunctos lauās viſum recepit. Teſtatur Ioſephus Silôe & alios omnes quotquot erāt extra ciuitatem fontes, ante Titi Cæſaris aduentum adeò defeciſſe, vt iuxta eos aqua vēderetur: poſt acceſſum autem eius tanta vbertate hoſtibus fluxiſſe, vt non modò ipſis & iumētis eorum, ſed etiam hortis ſufficerent. De huius aquæ virtute diligentiſſimus loci huius perſcrutator Saligniacus ita ferè ſcribit. Fontis huius aqua hodie adhuc ipſis etiā Saracenis in pretio eſt. Nam cum corpore naturaliter inſtar hyrcorum fœteant, in hoc fonte ſe & pueros ſuos lauant, eaq́; lotione fœtorem ſuum mitigāt. Quin & eam Turcæ magni faciunt, quòd eius vſum oculorum viſui conferre experiantur: habet Nicephorus Helenam Imperatricem ad fontem hunc mirifica conſtruxiſſe opera.

## 201

*Actor. 2. Breuiar. Roman. Breid.14. Iul. Paſ.d.18.*

STEPHANVS. Hoc loco S. Stephanus diaconus, (cui Diuino amore flagranti lapides torrentis dulces fuerunt) in ipſo iuuentutis flore, iactis in ſe lapidibus tanquam gemmis coronatus, proprioq́; ſanguine purpuratus, pro lapidantibus (quorū veſtes adoleſcens

Ieſcens Paulus cuſtodiebat( orans, primus cum martyrij palma triumphator in cœlum migrauit.

202.

*Hieron.in loc.Hebr. lit C. 3.Reg.2. Ierem. 31. Ioſeph.8. antiq.1.& bell.13. & c. Ezec.47. Broc.iti.6. Sal.tom.9. cap.1. 2.Reg.15. Ioan.18.*

TORRENS Cedron. riuus eſt ad orientem Ieruſalem, inter ipſam & montem Oliueti,qui pluuialibus aquis vndiq; de mõtibus, nec nõ ex fontibus ac piſcinis auctus, dulci quodam ſtrepitu per mediam vallẽ Ioſaphat atq; Gehennõ, perq; plana deſerti in mare mortuum fluẽs abſorbetur.In cuius vtraque ripa multę,denſę,ac fructiferę creſcebant arbores:quarũ amœna facies,vnà cum vicinis hortis, quæ limpidiſſimis aquis Cedron irrigabantur,obambulantium oculos animumq; amœnabat. Hunc torrentẽ Rex Dauid totus lacrymis madidus, vnà cũ amicorum intimis à facie filij ſui Abſolõ fugiẽs, operto capite & nudis pedibus tranſiuit: Eũdem & Chriſtus cum ſuis diſcipulis vadẽs in hortum Oliueti,tranſiuit.

203.

*Niceph.2. hiſt.Eccl. li.17.ca.5. In vitis Patrum. Breid.14. Iul. Sal.tom.9. cap.1. Paſ.d.191.*

TVGVRIVM S. PELAGIAE. Hic S. Pelagia famoſa illa peccatrix, & formoſa meretrix,quę cunctas Antiochię fœminas forma,diuitijs, delitijs & luxuria ſuperauerat,in tuguriolo ſexũ veſte nomineq; occultãs,dicta atq; credita Pelagius mõachus,pœnitentiã egit,ac de pelago vitiorum facta pelagus virtutum, ibidem mortua & ſepulta eſt.vbi poſtea extructa fuit eccleſia.

204.

*Ioſeph.6. bell.3.6. &c. Hieron.in loc.Hebr. lit.C. Zach.14. Lira.ibid. Broc.iti.6. Sal.to.8.ca. 8.& t.9.c.1. 3.Reg.15. 4.Reg.23. 2.Par.15. 29.30. Ioel.3. Lira.ibid. Sal.tom.9. cap.2. Zach.14. Liran.ibi. Matth. 25. VVil 12.b. ſacr. 13. & li,18.c.32. Vitriac. cap.58.*

VALLIS Ioſaphat,quæ & Vallis Cedron, & Vallis montium vocatur;vallis eſt lata & profunda inter Ieruſalem & montem Oliueti interiecta,totam ab oriente cingens vrbem:quam torrens Cedron tranſiens ſuis aquis egregiè fœcundat,Cuius quidem excellens profunditas,licet à Romanis Imperatoribus Tito & Adriano, iniecta terra ac tẽpli vrbiſque ruinis multũm ſit impleta,non tamen prorſus eſt oppleta.In hac valle pij ac religioſi reges Iuda Aſa,Ezechias, & Ioſias tẽpli cõbuſſerunt idola,eorumq; cineres in torrentem Cedron proiecerunt.Hæc vallis commune totius ciuitatis Cemiteriũ erat, vbi vulgus & ignobiles omnes ſepeliebãtur: extra vrbem enim Iudæis ſepeliri mos erat. ibiq; nunc Turcæ ſepeliuntur.In hac quoq; valle die illa cũctis mortalibus tremenda omnes vndiq; homines ad extremum & generale iudicium ſunt congregãdi,vt à Chriſto iudice recipiat debita pro meritis præmia quiſq; ſuis. Vnde & Vallis conciſionis appellatur, quòd ibi mali à bonis ſeparabuntur:& hi quidem aſſumentur in cœlum ęterna beatitudine fruituri:illi autem detrudẽtur in infernum,perpetuis ſupplicijs cruciandi. Tempore cùm Chriſtiani Paleſtina potirẽtur,erat hic abbatia quædam,in qua Domina Meliſendis Regina Hieruſalem ſepulta eſt.

205.

*Ioſeph.6. bell.13. & 7.bel.16. & c. Sal.tom.8. cap.2.*

VALLIS SILOE, à fonte Silôe nomen habens:in qua Iudæi,qui hoc tempore Hieroſolymis habitant,ſepeliuntur.

206.

*4.Reg.18. Iſai.7.36.*

VIA agri Fullonis,ſita ad extremum aquæductus piſcinæ ſuperioris.Hic Iſaias Regi Achaz Chriſtum ex virgine naſciturum prædixit.

207.

*Ioan.Paſ. S.Theol. Doctor.in pereg.ſ.die 190.193. 194.167. 200.et 207. Iſaiæ.53. Ierem.11. Pſal.109. D.Bethlẽ presbyt.in deſcrip.locorum paſſion. Domini.*

VIA captiuitatis . Hæ notulæ ſucceſſiuè protractæ viam demonſtrant,qua Chriſtus redimendi generis humani cauſa captiuus per totam penè ciuitatem oſtentationis ergò deductus fuit.Primò enim cùm à Cœnaculo Sion in hortũ montis Oliueti oratũ progreſſus,ſanctum orationis ſacrificiũ Deo Patri obtuliſſet,inde reuertẽs appropinquãtibus ad capiendum eũ hoſtibus vltrò ſe obuiam dedit.qui necdum quadrageſimum ab orationis loco greſsũ abſoluerat, cùm miſsi à Principibus ſacerdotũ & ſenioribus populi in eum manus iniecerũt,eum cæperũt, duriſſimiſque vinculis conſtrinxerũt.Vnde ilicò à lupis illis rapacibus tanquam mitiſſimus agnus cũ magno clamore & vario armorum ſtrepitu trans torrentem Cedrõ(in quem aliqui ipſum precipitatum eſſe opinãtur,ſic intelligẽtes quod à Pſalmiſta ſcriptũ eſt;de torrẽte,in via bibet)ad domum Annæ deductus eſt:quæ à loco,in quo captus eſt,bis mille trecentes ſexaginta greſſibus diſtabat. Atq; hinc per trecẽtos triginta greſſus ad Palatiũ Caiphæ abductus. inde vlterius,quod mille greſſibus aberat ad Palatiũ Pilati.Iſthinc porrò via trecentorum quinquaginta greſſuũ ad Palatium Herodis.Illinc denique per ſexcentarum vlnarum interuallum,alia via quàm venerat,ad Palatiũ Pilati reductus eſt:Greſſus autem,de quo hîc loquimur,duos pedes & ſemiſſem continet.

208.

VIA in Anathot,Bethel; & deſertum, de qua Broc.itin.6.

209.

VIA in Iericho, & Engandi,cuius mentio fit Lucæ 10. & Marci 11. VVilhelm.17.bel. ſacr.20.

210.

*Marc.14. Luca.22. Breid.14. Iul. Sal.tom.9. cap.2. Paſ.d. 185.*

HIC Chriſto orante, ſederunt tres electi Apoſtoli, Petrus, Iacobus & Ioannes, ab horto Oliueti ad iactũ lapidis,à ſepulcro verò B.Mariæ quinquaginta greſſibus ſeparati.

211

*Bet.fer.2. Matth. 26. Bet.fer.4.*

HIC octo reliqui Apoſtoli manſerunt,triginta quatuor vlnis à prędictis tribus diſiuncti.

212. HIC



212.

*Matth.26. Marc.14. Luca 22. Ioan.18. Sal.tom.9. cap.2.*

HIC Chriſtus, vt nos libertate donaret,à Iuda proditore oſculo traditus,à Iudæis, quos verbo retrorſum in terrã ſtrauerat,captus;& facinoroſorum in morẽ arctiſſimis vinculis ligatus eſt.Ibidẽ Simõ Petrus ſubito calore percitus,percuſſit ſeruum Pontificis,cui nomen erat Malchus, & abſcidit auriculam eius dexteram: quam Chriſtus mox reſtituit. Cæteri verò Apoſtoli ſibi quoque timentes, deſerto Domino,hic fugam arripuerunt.

213.

*Matt.24. & 25. Marc.13. Luca 21. Sal.tom.9. cap.3. Paſ.d.191.*

IN hoc montis Oliuarum loco ex aduerſo templi iuxta ciſternam quandam ſedens Chriſtus,longo ſermone deſtructionem Ieruſalẽ,futuras piorum afflictiones, pſeudoprophetarũ aduentum,conſummandi Mundi ſigna,extremi denique iudicij modum diſcipulis ſuis predixit,ac clariſſimè enarrauit. quo in loco pulchrum ædificatum fuit templum,quod nunc deſolatum eſt.

214.

*Matth.21. Marc.11. Luca.19. Ioan.12. VVil.Tyr. 11.bel.ſa. 31.& libr. 12.cap.2. Pſalm.8.*

HAC Chriſtus aſinæ pullo inſidẽs,magna hominum comitatus caterua Hieroſolymam perrexit,alijs præcedentibus,alijs eum ſequẽtibus,cui inſuper ingẽs hominum turba ex vrbe obuiam profuſa,tãto cum omnes cum fauore exceperũt,vt multi veſtibus ſuis viam conſternerent,plures ramis & frondibus ex palmis,oliuis,aliiſque arboribus reſectis,viam honoris gratia ſternerent.Vndiq; gratulantium atque acclamãtium voces huiuſmodi reſonabant: O ſanna in excelſis,Benedictus qui venit in nomine Domini.Tali pompa ac triumpho verus ille Rex ac humilis triumphator per portam aureã(quæ cùm rariſſimè aperiretur, vltrò,vt tradũt,aperta eſt ei)regiam ingreſſus vrbem,circum templum & magnam ciuitatis partẽ videtur obequitaſſe.Quo nouo ſpectaculo commota eſt vniuerſa ciuitas,dicẽs;Quis eſt hic;turbæ verò quæ illum comitabantur reſpondebant: Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilęę.Iãtum gaudẽtium & adgratulantium clamor magis ac magis inualeſcebat, concurrebant vndique vtriuſq; ſexus ſenes ac iuuenes, omniumq;,etiam puerorum, & quod mirabile, infantium quoque atq; lactentium vna vox erat: Oſanna filio Dauid,benedictus qui venit rex in nomine Domini,Rex Iſraẽl:benedictum quod venit regnum patris noſtri Dauid,pax in cælo,& gloria in excelſis,Oſanna in altiſſimis.Qua læta fauſtaque acclamatione verum ſuum Meſſiam inaugurantes,eum vſq; in templũ comitati,ac proſecuti ſunt. Vbi nouus ille Rex mox regnum ſuũ fęliciter incipiens, cæcos ac claudos ſanauit.Diſcruciãtur interim & indignantur impij atq; inuidi Phariſæi, principes ſacerdotũ, & ſcribę.qui vidẽtes mirabilia quę faciebat, & pueros in templo clamãtes,Oſanna filio Dauid, dixerunt inter ſe:Videtis quòd nihil proficimus,Ecce Mũdus totus poſt eũ abijt.Quamobrem ipſum Ieſum adorti,Magiſter in quiunt,audis quid iſti dicũt?increpa diſcipulos tuos.Quibus ipſe hoc olim per Pſalmographum prophetatum indicãs,reſpõdit:Quid ni?Nunquam legiſtis?Ex ore infantium & lactẽtium perfeciſti laudem?Dico vobis,quod ſi hi tacuerint,mox lapides clamabũt.Adeò enim Deus nolebat hanc laudem ſuam ſileri, vt ſi homines conticuiſſent;ipſi lapides clamaturi fuiſſent.

## LOCI AD MERIDIEM Vrbis

215.

*Dan.14. Breid.14. Iulij. Sal.to.10. cap.2.*

ABACVC.Hic Angelus Domini prophetam Abacuc prandium meſſoribus ferentem capillis apprehẽdit,ac vnà cum cibo in Babylonem ad paſcendum Danielem in lacu ſeptem leonum incluſum,trãſtulit.Quo cibato,eundem huc reduxit.

216

*Zach.11. Matth.27. Act.1. Hieron.in loc.Hebr. lit.A.&in loc.Act.Apoſt.lit.A. Niceph.8. hiſt.ec.30. Broc.iti.6. Breide.14. Iul. Sal. to.6. ca.5 & to. 10.ca.1. Paſch.d. 157.*

ACELDEMA, ſiue Haceldemach,hoc eſt,ager sãguinis. Ager erat figuli ad auſtralem plagam montis Siõ ſitus,à tergo habens montem eiuſdẽ nominis mediocriter altũ,iactu lapidis à Piſcina ſuperiore diſtãs. qui Iudæorum conſilio, triginta argenteis, quibus Iudas Chriſtum vendidit,in ſepulturam peregrinorum emptus eſt Cuius medium Imperatrix Helena quatuor muris,longitudine ſeptuaginta duorum,latitudine verò quinquaginta pedum,fecit includi,ac ſuperiùs teſtudine(quæ ſeptẽ foraminibus,per quæ defuncta Chriſtianorũ corpora dimittuntur,patet)concamerari.

Eſt verò huius terræ virtus mirabilis & fidem penè ſuperans,quòd defunctorum corpora viginti quatuor horarũ ſpacio in puluerem redigat.quam virtutem etiã in alias regiones deuecta minimè perdit.Nam cùm iuſſu Imperatricis Helenæ de hoc agro,quãtum terræ ducentę & ſeptuaginta(vt aiũt)naues capere poterant,Romam auectum,ac iuxta montem Vaticanum in eum locum exoneratum ſit,quem incolæ CAMPVM SANCTVM vocitant,licet cœlum mutarit,eandem tamen retinere vim quotidiana experientia docet. Romanos enim reſpuens, ſola peregrinorum corpora ad ſepulturã admittit:quorum etiam hic omnem carnis ſubſtãtiam intra viginti quatuor horas prorſus cõſumit,oſſibus tantùm reſiduis.

217.

*4.Reg.18. Iſaia.7.36. Broc.iti.6.*

AGER Fullonis , ad vrbis meridiem ab Aceldema tendens vſque montem Gion.vbi fullones ſuos pannos in vicino torrente Gion lotos,extendere & ſiccare ſolẽt.

Y 3 218. AN-

## 218

ANTRVM Iacobi minoris.in quo, cum ſe iuramento conſtrinxiſſet non comeſturum panem ab hora, qua calicē Domini biberat, donec Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe videret, triduo Dominicæ paſſionis latuit. Ideoque Dominus etiam ei poſt reſurrectionem ſuam ſeorſum hic apparuit. In cuius honorem Chriſtiani iſto loco poſtmodum Eccleſiam erexerunt.

*Hier. to. 1. in catal. ſcrip. eccl. 1. Cor. 15. Breid. 14. Iulij. Sal. tom. 6. cap. 1. Paſ. d. 192. & 230.*

## 219.

ANTRVM Petri Apoſtoli, in quo poſt trinam Domini negationem, culpam ſuam amara pœnitentia & lacrymis expiauit. Cui fortè ibidē ſe Dominus poſt reſurrectionem ſuam cōſpiciendum exhibuit, hic etiā poſtea ſacellum extructum fuit: quod nunc funditus euerſum eſt.

*Matth 26. Luc. 24. 1. Cor. 15. Breid. 12. Iulij. Sal. tom. 9. cap. 1. Paſ. d. 192.*

## 220.

CASTRA ASSYRIORVM, quæ poſita erant iuxta Piſcinam ſuperiorem. quorum robuſtiſſimos quoſque ad aētum & octoginta quinque millia in vindictā blaſphemię prima obſidionis nocte Angelus Domini occidit. Eorumq; corpora, ne aërē fœtore inficerēt, in puluerem, ait Auguſt. redegit: veſtibus tamen & armis, quò populus Ieruſalem ſpolia habere poſſet, manentibus integris & illæſis. Huius cædis, olim D. Ioannes Chryſoſt. in tabula pictam imaginē habuit, vt refert Concil. Nicænum ſecundum, probans iam tum apud fideles imaginum vſum celebrem fuiſſe.

*4. Reg. 18. 19. 2. Par. 32. Iſaiæ 9. & 30. Ioſeph 10. ant. 2. et 6. bell. 11. Aug. 10 to. ad fratres. in erem. ſerm 25. Liran. in. 4. Reg. 19. Act. 4.*

## 221.

DOMVS Eliæ, in qua Elias propheta aliquando habitaſſe perhibetur. vbi etiam poſtea conſtructa eſt eccleſia.

*Breid. 14. Iulij.*

## 222.

EROGE MONS, aliâs mons Meridionalis dictus, altus & celſus eſt ad vrbis meridiem parū verſus Occidentem vergens. de quo hoc notatu dignum legitur: Quòd cùm Ozias rex Iuda ſumpto ſacerdotali habitu ſanctuarium templi ingreſſus ſuper aureum altare thymiamatis, Deo thuris incenſum adolere, quod ſolis ſacerdotibus fas erat, præſumeret, factus ſit illicò terræmotus maximus, cuius etiam Amos & Zacharias Prophetæ faciunt mentionē, quo & ipſum templum ſuperiùs fiſſum fuit, & mons iſte ſciſſus medius: tanta quidem vi atq; virtute, vt altera eius pars ſua volubilitate per quatuor ſtadia procedens, obiectu demùm orientalis montis (qui mons Offenſionis vocatur) conſtiterit; obſtructa via publica, & oppreſſis ruina hortis Regijs. Ipſe interim Rex Ozias fulmine ictus, lepra in fronte percuſſus eſt. quapropter ſtatim templo atq; vrbe eiectus, tabe per omnem vitam ipſi adhærēte, in domo ſeparata vſq; ad diem mortis ſuæ ſecluſus fuit.

*Ioſue 15. & 18. 4. Reg. 15. 2. Par. 26. Amos. 1. Zach. 14. Ioſeph, 9, antiq. 11. Adā Reiſnerus, & Ioan Heydenus. in deſcri. vrb. Ieroſol lib. 7. cap. 2.*

## 223.

FONS. Ad hunc fontem ſtella, quæ tribus Magis Ieruſalē ingreſſis diſparuerat, ipſis rurſum apparuit: duxitq; eos in Bethlehem.

*Matth. 2. Breid. 14. Iulij. Sal. to. 10. cap. 2. Paſ. d. 233.*

## 224.

FOVEA IEREMIAE Prophetę. In qua amaro animo ſedens, quadruplici Alphabeto metrico dolens, & flens, lamentatus eſt, ac deſcripſit deſtructionē Ieruſalem per Chaldæos iam iā factam. vbi Helena Imperatrix, teſte Nicephoro, mirifica conſtruxit opera.

*Thren. 12. 2. 3. 4. 5. Nice. 8. hiſto. ecc. 30.*

## 225.

ISAIAS. Hic Iſaias nobilis ille Propheta, cùm plus minus ſeptuaginta annis in Ieruſalem prophetaſſet, iuſſu Manaſſe regis, (cui, vt ſcribit Hieronymus, auus fuiſſe traditur) ſerra in duas partes ſectus, occubuit. Sepultusq; eſt ſub quercu Rogel, iuxta tranſitum aquarum, quas olim Ezechias Rex iacto obſtruxerat puluere, vbi iuxta arborem quandam ſepulcrum eius adhuc viſitur. Nunc autem eſt ibi hortus holerum.

*Argument. in Iſaiam. Hieron. tradit. Heb. in 2. Par. 33. Broc. iti. 6. Breid. 14. Iulij. Sal. to. 10. cap. 1. Paſ. d. 197.*

## 226.

LATIBVLA APOSTOLORVM. Multæ ſunt cauernę, in quibus ex Apoſtolis octo tempore paſſionis Domini latuiſſe, veterū traditio eſt.

*Breid. 14. Iulij. Sal to. 10. cap. 1. Paſ. d. 197.*

## 227.

MONVMENTVM ſiue manus ABSALOM. Columna erat & ſtatua marmorea cum inſcriptione, duobus à Hieroſolyma ſtadijs diſtans: quam Abſalom viuus ſibi in monumentum in Valle regia erexerat. Vbi etiamnum turris & magnus lapidū extat aceruus: qui quotidie magis ac magis augetur. Nam pagani & peregrini illac tranſeuntes, pro more habent, vt quiſque lapidem in eū proijciat, & quaſi iuxta legem vindicantes ipſius aduerſus Dauid patrem ſuum rebellionem, huiuſmodi maledictione illum execrentur: Maledictus ſit parricida Abſalom: & quicunque iniuſtè parentes ſuos perſequuntur, maledicti ſunt in æternum.

*2. Reg. 18. Ioſeph. 7. antiq. 10. Breid. 14. Iulij. Deut. 21. Paſ. d. 191.*

## 228.

PISCINA SVPERIOR, ſita in auſtrali pede montis Sion. quam magnificus Rex Ezechias cum ſuo aquæ ductu (qui Piſcina fullonis à Hieronymo vocatur) inſtaurauit, cuius quoque aquas in obſidione Aſſyriorum iniecto puluere obſtruxit,

*4. Reg. 18. 2. Par. 32. Iſaiæ. 7. 36. Hieron. in loc. Hebr. lit. T. Broc. iti. 6.*

## 229.

SEPVLCRVM ZACHARIAE, filij Barachiæ, aliâs filij Ioiadæ, quem Iudæi occiderunt inter templum & altare.

*2. Par. 24. Matt 23. Breid. 14 Iulij. Sal. tom. 9. cap. 1.*





# LOCI AD OCCIdentem Vrbis.

## 230.

BAALPHARASIM, campus eſt in valle Raphaim, in quo Dauid Rex primò philiſtæos, proſtrauit, ſculptiliaq; eorum in caſtris reperta, combuſſit.

*2. Reg. 5. 1. Par. 14.*

## 231.

CASTRA HERODIS, quæ, teſte Ioſepho, poſuit ad occidentalem vrbis tractum.

*Ioſeph. 4. Ant. 2. & 1. bel. 12.*

## 232.

FONS Gion inferior, qui oriebatur in fine agri fullonis, cuius aquas duxit Ezechias rex in piſcinam ſuperiorem.

*2. Par. 33. Broc. iti. 6.*

## 233.

FONS Gion Superior, emanans è monte Gion. Quem poſtea EZechias rex opturauit, & ferro rupem fodiens, direxit aquas eius ſubter ad occidentem ciuitatis Dauid, ac ſubterraneis canalibus eas per medium ciuitatis introduxit in piſcinam interiorem, ne in obſidione aqua populo deeſſet.

*4. Reg. 20. 2. Par. 32. Eccl. 48. Broc. iti. 6.*

## 234.

IVDAS. Hîc Iudas, ex Apoſtolo factus proditor, ex funeſta ſycomoro quadam, quæ adhuc viſitur, laqueo ſe ſuſpendit; atque ſuſpenſus crepuit medius, & effuſa ſunt omnia viſcera eius.

*Matt. 27. Act. 1. Broc. iti. 6. Sel. tom. 8. cap. 5.*

## 235.

MONS Caluariæ, mons petroſus & mediocriter altus erat, Hebraicè Golgotha, aliàs Goatha dictus: qui ciuitati inter occidentem & ſeptentrionem proximus erat, in quo noxij, publico iudicio damnati, extremo ſupplicio plectebantur, vbi quouis tempore, ſicuti circa patibula videre eſt, paſſim iacebant Caluariæ, oſſa, viſcera, & ſanies hominum ſuſpenſorum, decollatorum, vel alio mortis genere occiſorum. Hîc IESVS CHRISTVS Saluator noſter, qui non nouerat peccatum, pro nobis, inquit Paulus, peccatum, hoc eſt, hoſtia pro peccato ſuo factus, nudus inter duos latrones, quaſi noxius pro ſalute omnium crucifixus eſt. Itaque Caluariæ mons, cùm antea locus eſſet infamis, Chriſti paſſione, eiuſque ſanguine vſque adeò eſt nobilitatus & ſanctificatus, vt nunc Angelis pariterque hominibus ſit colendus. Sicut etiam crux, quę prius erat ignominioſa, pari ratione nunc facta eſt glorioſa.

*Ierem. 31. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Hier. in loc. Heb. lit. G. 2. Cor. 5. Deut. 21. Gal. 3.*

## 236.

MONS Gion, mons ſaxoſus, altus & oblongus eſt, qui ab occidente vrbem ambiens, verſus Portam iudiciariam ſenſim decreſcit, & profunda valle ab vrbe diſcernitur. In hoc monte iuſſu Dauidis Salomon à Sadoc Pontifice & Nathan Propheta ſacro oleo in Regem vnctus fuit. Cui mox ab omni populo acclamatum eſt, VIVAT REX SALOMON, qui læti tibijs ac tubis ita cecinerunt, vt præ hominum clamore ac inſtrumentorum concentu terra ſimul ac aër reſonaret.

*Broc. iti. 6. Sal. tom. 6. cap. 5. 3. Reg. 1. Ioſeph. 7. antiq. 15.*

## 237.

MONVMENTVM Anani Pontificis, de quo Ioſephus belli Iudaici, libro 6. cap. 13.

## 238.

PYRI vallis Raphaim, quas Ioſephus Siluam fletus vocat, iuxta quam cælitùs Dauid adiutus, ſecundò Philiſtæos proſtrauit, ac longè lateque perſecutus eſt.

*2. Reg. 5. Liran. ibid. 1. Par. 14. Ioſeph. 7. ant. 4.*

## 239.

SEPVLCRVM DOMINI glorioſum. Monumentum erat nouum, octo pedes longum, quod à monte Caluariæ centum & octo pedibus, à monte autem Sion paſſibus mille diſtans, Ioſephus ab Arimathæa nobilis ſenator in Horto Caluariæ monti propinquo, in petra ſibi exciderat. In quo ipſe vnà cum Nicodemo, B. Maria, & pijs mulieribus corpus Ieſu de conſenſu Pilati à cruce depoſitum, myrrha & aloë conditū, ſindone munda inuolutum, honorificè capite occidētem verſus ſepeliuit, (vnde etiā mos nobis Chriſtianis inoleuit ſimili corporis diſpoſitione in locis ſacris mortuos ſepeliendi) & aduoluto ſaxo ingenti ad oſtium monumenti abijt. Interim verò Principes ſacerdotum & Phariſæi, Chriſti reſurrectionem conantes impedire, adhita militum cuſtodia munierunt ſepulcrum, lapidem quoque, qui claudebat os ſepulcri, ſigillo obſignauerunt, ne quid fraudis poſſit eſſe, vel in cuſtodibus. Sed hæc Iudæorum diligentia, qua conabantur reſurrecturo exitum cōcludere, auxit miraculum & reſurrectionis fidem confirmauit. Nam Chriſtus tertio die rediuiuus, clauſo & obſignato ſepulcro reſurrexit, atque ibidem Mariæ Magdalenæ ad monumentum ploranti ſpecie hortulani primò apparuit.

*Iſai. 11. Matth. 27. Marc 15. Luc. 23. Ioan. 19. Nice. 8. hiſt. Eccl. 30. Bed. in Mar. ca. 16. Broc. iti. 6. Breid. 12. Iulij. Sal. tom. 7. ca. 3. & 6. Paſ. d. 225. & 227. Beth. jabb. Marc. 16. Ioan. 20.*

## 240.

SILVA, ciuitati proxima, vt colligitur ex Ioſephi libro ſexto Iudaici belli cap. 14.

## 241.

TORRENS GION, ſiue riuus, quem Achaz Rex è fonte Gion inferiore, per medium terræ in Piſcinam ſuperiorem ducere inceperat, quod tandem Ezechias Rex perfecit.

*2. Par. 32. & 33 iuxta textum He. Hieron. ib. Neem. 2. Broc. iti. 6.*

## 242.

VALLIS CADAVERVM, quæ inter montem Caluariæ & mœnia Ieruſalem

*Ierem. 31. Liran. ibid.*

lem ſita eſt, nomen inde habens, quòd ibi cadauera, oſſa, & cineres eorum, qui in monte Caluariæ morte puniti aut combuſti erant, proijciebantur. Quamobrem & milites Chriſti crucifixores, poſtquam latronū, qui cum Chriſto crucifixi erant, fregiſſet crura, ob imminentem veſperam & diem feſtum, eorum cadauera & cruces, ſimul & Chriſti iā ſepulti crucem ac titulum in hanc vallē præcipitauerunt. Super quæ deinde egeſtis ac exoneratis ciuitatis ſordibus, vallis tandem tota oppleta fuit, atq; hac ratione triumphale illud crucis lignum ſub magno ſordium aceruo trecentis ferè annis altè ſepultum iacuit. Simili modo eiuſdem ciuitatis incolæ, haud ſecus quàm ſi ad delēdam omnem Chriſti memoriam conſpiraſſent, ſepulcrum Domini vehementi iniecto aggere prorſus obruerūt. Et Gentiles quoq; nequaquam Iudæis in hoc ſtudio inferiores, in crucifixionis loco marmoream impuræ veneris ſtatuam ac fanum, in reſurrectionis autem loco, Iouis idolum in Bethleem verò ad præſepe Saluatoris, ſimulacrum & lucum Adonidis impudici Veneris amaſij collocauerūt; vt Chriſtiani Chriſtum prædictis in locis adoraturi, ea ſimulacra adorare viderentur. Cæterùm non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum: qui huiuſmodi tam Iudęorum, quàm Gentilium impietate paſſionis ſuæ trophæa, quæ Chriſtiani propter varias perſecutiones ægrè cuſtodire potuiſſent, ab impiorum manibus ſeruauit illæſa: tāto glorioſiori honore à Chriſtianis exaltanda, quāto maiori ignominia ab inimicis ſuis fuerant contempta.

Anno enim poſt Chriſtum natum treceenteſimo vigeſimo ſexto pace iam Eccleſię reddita, & celebrata contra Arium à trecentis octodecim Epiſcopis Synodo Nicena, B. Helena Auguſta, pij Conſtātini Imperatoris pia mater fermè octogenaria, Diuina admonitione conquirendæ Dominicæ Crucis ſtudio Hieroſolymam cum exercitu profecta, eadē ſimulacra, fana & lucos, poſt annos circiter centum octoginta euertēda curauit Ac nullum non mouens lapidem, vt abſconditæ Dominicæ Crucis locum cognoſceret, viros de Iudęis peritiſſimos, vt propriæ impietatis iudices exquiſiuit, & accitos in Hieroſolymā congregauit. Cùm ergo illi coram Imperatrice comparuiſſent, & de loco Dominicæ paſſionis rogati, cum nequaquam voluiſſent indicare, quęſito prætextu, quod nullam eius rei haberent notitiam, præcepit Imperatrix eos omnes igne cremari. Qui ſibi timentes, tradiderunt ei Iudam quendam, virū in gente ſua ætate præſtantem, qui puer à parentibus ſuis de his, quæ Imperatrix ſcire ab illis cupiebat, fuerat inſtructus. Tum illa cæteris dimiſſis Iudam compellans, Mors, ait, & vita appoſita ſunt tibi, ſi non oſtenderis mihi Crucem Chriſti: quodcunque volueris elige. Ille verò tergiuerſans, varijs ſermonibus moras nectebat, timebat enim (id quod reuera factū eſt) per crucis prædicationem leges & traditiones Iudaicas fore abolendas. Inſtat Imperatrix, vrget vt ſecretum prodat, varijſque mortis minis hominē premit. At cùm nihil verbis proficeret, ad rem ventum eſt. Nam in puteum aqua vacuum demittitur, & inedia periturus excruciatur. Cùm autem omni cibo ſex diebus fuiſſet deſtitutus, die ſeptimo extrahi petijt, & ſe crucem Dominicam indicaturū promiſit. Extractus igitur ad locū concitus vbi iacebat ſancta Crux perrexit: & fuſis ad Deum precibus, ſanctæ Crucis lignū ſupplex oſtēdi ſibi poſtulauit. Præſtitit Deus precibus auditum, & locum vbi Diuina recondita iacebant poſſionis ſuæ inſignia, euidēti miraculo demonſtrauit. Nam ſubitò terra commota eſt, & aromatum miri odoris vaporem exhalauit. Quo miraculo venerabilis Imperatrix de loci teſtificatione confirmata, iuſſit illicò in ipſum locum operam foſſionis accingi. Parataq; mox ciuium pariter & militari manu, breui laborem iſtius molitionis hauſit. Nam exportatis ſordibus in altum, defoſſas tres cruces inuenit, & ſeorſum ab alijs ligneam illam tabulam, quæ olim Cruci Dominicæ impoſita, titulum Hebraicè, Gręcè, & Latinè à Pilato ſcriptum continebat. At verò cùm ex tribus crucibus, cui nam Chriſtus affixus fuiſſet, non appareret, ſapientiſsimus ille Macarius Hieroſolymorum Epiſcopus tali via id inueſtigare aggreſſus eſt. Nobilis quædam mulier Hieroſolymis morbo quodam grauiſſimo, eoque planè inſanabili diu afflicta fuerat: ad quam in lecto decumbentem, iamq; morti proximam Hieroſolymorum antiſtes ſibi Imperatoris matre, ac alijs qui aderāt aſſumptis, venit, atq; vt prius Deū precatus eſſet, dediſſetq; inſpectantibus illud ſignum, nimirum, eam eſſe Domini crucem, quæ mulieri adhibita, morbo illā liberaret, adhibuit primò vnam ex tribus, & nihil profecit, adhibuit ſecundam, & ne ſic quidem aliquid actum eſt. Vt verò tertiam admouit, repentè lecto exiliens mulier ſanitati reſtituta eſt. Quo admirando ſpectaculo Iudas totus commotus, ex Iudæo factus eſt Chriſti confeſſor, & ſacramento Baptiſmatis initiatus, à quęrenda cruce Quiriacus fuit nominatus. qui poſtmodum Hieroſolymorum Epiſcopus, Crucigerorum ordinē dicitur inſtituiſſe, & ſub Iuliano apoſtata, glorioſo Chriſti martyrio coronatus eſſe. Interim Imperatrix inuenta Dominica Cruce aggerem quoque, qui ſacrum Domini occultabat ſepulcrum, quod diu ſub illo abſtruſum iacuerat, aſportauit. Quo facto, mox illud emerſit, & in eo clauos, quibus ſaluator noſter cruci ſuffixus fuerat, reperit; ibidem quoque coronā ſpineam inueniſſe videtur. Ex quo tempore cautum eſt, ne crux ad ſupplicium cuiquam adhiberetur, & decretum, vt ſingulis annis tertia Maij huius inuentionis feſtum celebraretur.

De Conſ. diſt. 3. cap Crucis.

Imperatrix voti ſui facta compos, cupiens excolere locos, in quibus ſalutaria nobis myſteria, incarnationis, natiuitatis, paſſionis, reſurrectionis, atque aſcenſionis ſacramenta Domi-

Ioan. 19. Euſeb. in vita Conſtan. lib. 3. c. 24 Hier. to. 1. epiſt. 13. ad Paulinū & to. 3. in loc. Act. Apoſto lit. H. Ambr. to. 3. in Orat. funebri. Theodoſij Imperat. Pauli. Nolan. epiſt. 11. ad Seuerū Sulp. Ruffi. in Ecc. hiſt. Eccl. li. 10. cap. 7. & 8. Soc. 1. hiſt. Eccl 13. Theodor. 1. hiſt. Ecc. 18. Sozom. 2. hiſt. Eccl. 1. Niceph. 8. hiſt. Ecc. 28. 29. 30. et 50. Breu. Rom. Petr. de Natal. in Catal. Sanctorum lib. 4. cap. 117. Broc. iti. 6. Breid. 12. Iul. & 13. Iul. Sal. to. 7. ca. 3. 4. 5. 6. 7. & tom. 8. c. 3. Paſ. d. 214. 225. 226. & 227.



Dominus redemptor noſter impleuerat, artifices materiæ cuiuſque generis vndique cogere, templaque in ſanctis illis locis ſupra triginta, ob magnitudinē ampliſſima, & ob ſplēdorem illuſtriſſima extruere cœpit. Inter quæ illa, quæ hoc loco condita eſt Baſilica reliquos totius in Orbis amplitudine, atq; pulchritudine longè excellit. nam auratis coruſca laquearibus, & aureis diues altaribus, marmoreis ſeptuaginta tribus columnis fulcitur. & tam reſurrectionis, quàm crucifixionis locum ſub vno eodemque tecto comprehēdit; quod in ſui medio, rotundo pater foramine apertum, ſub quo, in inferiori Eccleſiæ parte Dominicum conſiſtit ſub dio ſepulcrum, cui paſſionis Chriſti theatrum mons Caluariæ, nunc viginti octo pedes altus, chori loco adhæret; qui octodecim gradibus, quorum ſinguli pedem & ſemiſſem in altitudine continent, ſui acceſſum præbet. Ex quo rurſus in locum vbi Crux inuenta fuit, quadraginta octo gradibus fit deſcenſus. His ita geſtis, Imperatrix Dominicam Crucem diuiſit, & partem quidem thecis argenteis incluſam pro monumento in dicta Eccleſia reliquit: partem verò cum ſalutiferæ Crucis titulo, corona, lancea, ac clauis filio ſuo Conſtantino attulit. quæ Romæ in Eccleſia ſanctæ Crucis in Ieruſalem, ædificata in ędibus Seſſorianis, fuerunt repoſita; vbi etiam pars Crucis Dominicæ, & titulus Hebraicis, Græcis, & Latinis literis conſcriptus (quem ſe pluries & vidiſſe, & legiſſe teſtatur Xantes Pagninus, cōcionator Apoſtolicus, & bibliorum fidus interpres) item ſpongia, duæ ſpinæ è corona, & vnus ex clauis hodie etiamnum ſeruantur. Præter ſalutaris ligni partem, de qua iam dictum eſt, ſeruatur adhuc in eadem Dominici ſepulcri Eccleſia, lapis quidam columnæ figuram exprimēs, cui Chriſtus in domo Pilati, cùm ſpinis coronaretur, inſedit. Porrò inter cætera, quæ in hac Eccleſia notatu reperiuntur digna, illud minimè omittendum eſt, quod hic omnes ex Chriſtianis Hieroſolymorum Reges ſibi ſepulturam elegerunt. In primis verò primus Hieroſolymitanæ vrbis Chriſtianus rex Godefridus de Bullion, cum viuus hanc Eccleſiam opimis ſacerdotijs atque canonicis doctrina & ſanctitate eximijs exornaſſet, qui horis diurnis ac nocturnis Diuina ibi peragerent myſteria, illiſque ſplendidiſſimas circum templum ædes extruxiſſet, tum etiam mortuus magnifica & digna tāti Principis corpore ſepultura magnoperè nobilitauit. Cui Principi, vt apud vetuſtum ſcriptorem reperi, quidam huiuſmodi epicedium cecinit:

*Francorum gentis, Sion loca Sancta petentis,*
*Mirificum ſidus, Dux hic recubat Godefridus,*
*Aegypti terror, Arabum fuga, Perſidis error.*
*Rex licet electos, Rex noluit intitulari.*
*Nec diademari, ſed ſub Chriſto famulari.*
*Huius erat cura ſua Sion reddere iura.*
*Catholiceq́; ſequi pia dogmata iuris & æqui,*
*Totum ſciſma teri, circa ſe iuſque foueri,*
*Et ſic cum ſuperis potuit diadema mereri.*
*Militiæ ſpeculum, populi vigor, anchora cleri.*
*Huic virtute pari frater datur aſſociari,*
*Balduuin inſignis, gentilibus & ferus ignis.*

Pag. in lib. interpret. Hebraico. Græcorūque nominum, quæ in ſac. Script. inueniuntur. bibl. ijs à ſe tranſlatis addito, in dictione Nazarenus. M. Attil. Serran. de 7. vrbis Eccleſ. VVil. Tyr. bel. ſac. lib. 9. cap. 9. & 23. & libr. 11. c. 31. & lib. 12. c. 3.

Hic Balduinus, cuius duo poſtremi verſus meminerunt, germano fratri ſuo Godefrido in regno Hieroſolymitano ſucceſſor, atq; inclytus Chriſtianæ religionis propagator fuit. qui inter alia præclarè à ſe geſta Aconem vrbem longè munitiſſimam terra mariq; oppugnans expugnauit, Saracenos fudit, AEgyptios ſuperauit, & Calipham eorum regem interemit, ac mortuus non alibi quàm hic ſepeliri voluit. Cuius monumentum perinde vt & fratris ſui Regio prorſus ſumptu extructū, atque æterna heroum de Bullion memoria non indignum etiamnum cum fratris ſepulcro extat. in quo ſic legitur:

*Rex Balduinus, Iudas alter Machabæus,*
*Spes patriæ, vigor Eccleſiæ, virtus vtriuſque.*
*Quem formidabant, cui dona tributa ferebant*
*Cedar, Aegyptus, Dan, ac homicida Damaſcus.*
*Proh dolor in medio clauditur hoc tumulo.*

Pari legione ſex reliqui Reges, qui poſt Balduinum Hieroſolymis regnauerūt (inter quos numeratur Theodoricus ſextus, Illuſtriſſimus Hollandiæ Comes) ſunt in eodem loco eligentes ſepulturam, non minori cultu, quàm priores illi, ſuæ ibidem magnificentiæ ſigna reliquerunt. Siue ergo inuentionis Dominici ſepulcri primordia ſpectes, quando ſub Auguſta Helena auguſto templo eſt incluſum, ſiue poſteriora eius tempora, cùm Chriſtianorum Regum ſumptibus ditiſſimè eſt dotatum, eorumque monumentis nobilitatum, ſemper illud Iſaiæ vaticinium locum habuit: In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur. Et erit ſepulcrum eius glorioſum. Quod nec nunc quidem veritate caret, cùm inter barbaras illas gentes Franciſcini Ordinis patres, alijque Chriſtiani nominis monachi, non Latini ſolùm, ſed Græci quoque, Armeni, Indi, aliarumque diuerſiſſimarum nationum homines, diuerſis licet cæremonijs, vna tamen fide vnum Chriſtum in diſtinctis huius Eccleſiæ locis venerentur, ac quotidianis ſacrificijs adorent. Et quo nihil potuit accidere ſepulchro glorioſius, huc ex ſingulis Orbis partibus omnis ſexus, ætatis, atque fortunæ homines confluunt, alij vt beneficia Chriſti experiantur, pœnitudinem pro peccatis agentes, alij verò vt pro expertis beneficijs vota ſoluant & munerū largitori gratias agant: Omnes autem, vt Chriſtum magnificent, eiuſq; Diuinam virtutem etiam in medio inimicorum eius prædicent. Tali pietate ante annos circiter mille octoginta, inſignis illa peccatrix Maria AEgyptiaca præ occidentalibus huius Eccleſiæ foribus cum lacrymis orans, (vbi ſacellum in eius honorem erectum adhuc viſitur) Diuinam experta clementiam,

Sa. in epi. ad Ioa. Lubarin. giæ Cardi.

VVil. bell. ſacr. lib. 13. c. 28. & li. 15. c. 27. & li. 18. c. 4. & li. 20. c. 33. Et bell. ſacr. continuat. lib. 1. cap. 3.

Iſaiæ. 11.

Sal. tom. 8. ca. 1. & 2.

Hieron. to. 1. epiſt. 17. ad Marcellam.

Vide Petri Caniſ. li. 5. c. 20. operis de B. Virg. qui citatur à D. Tilm. Breid. li. 2. collat. ſac. cap 4.

à vita ſua, quam perditè egerat, ad pœnitentiam conuerſa: vltra Iordanem in deſertum ſeceſſit, & corpus ſuum varijs exercitijs ſibi in ſeruitutem redigens, omnibus ſanctiſſimę vitæ exemplo fuit.

Poſtremò, quod vel maximè ad Dominici ſepulcri gloriam facit, glorioſum id ſit oportet, cùm hinc gloriam ſuã quærãt qui nobiles haberi volũt. Antiqua enim conſuetudine à maioribus noſtris receptũ eſt, vt ex Chriſtianis (qui ſacra illa loca inuiſunt) legitimi thori, orthodoxæque fidei, & boni nominis nobiliores quique iuxta hoc ſepulcrum ſolemni quodam ritu magis nobilitentur & in equeſtris ordinis milites, quos auratos vocare ſolent, inaugurentur.

Cùm ergo præclara hæc Dominicæ paſſionis inſignia tot fuerint operta annis, & ne gentibus quidẽ in ædificatione fani ad ipſam fabricam terram egerentibus, reuelata, nonne Diuino conſilio latuerunt, vt tunc inuenirentur, cùm religiosè quærerentur?

## 243.

*2.Par.33. Ioſ.6. Iell.13.*

VALLIS Fontis Gion. de qua in libr. Paralipomenon. & in Ioſepho legitur.

## 244.

*Ioſeph.15. & 18. 2.Re.5.23. 1.Par.11. 14. Iſaiæ 17. Hier.ibid. & de loc. Hebr.lit. E.& R. Ioſeph.7. antiq.4. Broc.iti.7. Breid.ibid.*

VALLIS Raphaim, id eſt, (gigantum Vallis eſt ad vrbis occidentem ampliſſima & potentiſſima, quæ à ſeptentrione incipiens, & verſus auſtrum longè lateque ſe extendens, optimi tritici, vini, olei, ac frugum omnium olim fuit feraciſſima. In qua Dauid Philiſtęos ingenti exercitu ipſum bis inuadentes, Deo adiuuante bis fudit ac fugauit.

## 245.

*Act.8. Broc.iti.6. Sal.tom.8. cap.5. Ioſeph.8. antiq.7*

VIAE in Bethleem, Emauntem, Gazam, & Ioppen. quas Salomon, ſicut & cæteras vias regias, quę Hieroſolymam ducebant, ſilice ſtrauit: tum vt vltrò citroque commeantibus eſſent faciles; tum ad oſtentandam hac quoque parte Principatus ſui magnificẽtiam.

## 246.

VIA in Silo, & Gabaon, de qua Brocard. itiner.6.

## 247.

*Paſ.d.210.*

HIC Chriſtus, ſecundum maiorum traditionem, rurſus ſub cruce corruit.

## 248.

*Lucæ 23. Breid.14. Iulij Sal.tom.8. cap.7. Paſ.d.211.*

HIC Ieſus ad mulieres lamentantes conuerſus; Filiæ, inquit, Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper voſipſas flete, & ſuper filios veſtros, quoniam ecce venient dies, & cætera. Vbi poſtea extructa fuit eccleſia, cuius nunc ne quidem veſtigia apparent.

## 249.

HIC CHRISTVM vltimò ſub cruce cecidiſſe antiquorum traditio eſt. qui locus etiamnum lapide crucis figura inſignito ſignatus, à peregrinis mira deuotione exoſculatur.

*Breid.13. Iulij. Paſ.d.181. & 212.*

## 250.

HIC Chriſto veſtimenta, quæ iam ſaucio eius corpori & concreto ſanguini inhærebant, nõ ſine vulnerum renouatione (quæ maiorem, quàm prima vulneratio ſolet inferre dolorem) extracta ſunt. Atque ibidem, donec quæ ad erigendam crucem erant neceſſaria pararentur, nudus crudis vulneribus vento & frigori expoſitus, ſuper lapidem (vt tradunt) ſedens, vino myrrhato felle mixto potatus eſt.

*Pſalm.38. & 68. Iſaiæ 63. Matth.27. Marc.15. Breid.12. Iulij. Paſ.d.213.*

## 251.

HIC CHRISTVS ſupinus in crucem ſtratus & expanſus eſt, eiuſque manus & pedes ferreis clauis perforati, ac cruci adfixi; teneraque ipſius membra ea vi in cruce extenſa, vt laxarentur artus eius, & dinumerarentur omnia oſſa eius.

*Pſalm.21. Zach.13. Ioan.20. Sal.tom.7. cap.4.. Paſ.d,214.*

## 252.

HIC locus ille eſt totius Orbis terrarum ſacratiſſimus, atque æterna memoria dignus, vbi cunctis ſpectantibus Crux affixum ſuſtinens Chriſtum, cum ingenti omnium membrorum viſcerumque eius concuſſione ac dolore, ipſo meridie feſti Paſchæ in foramen rupis Caluariæ poſita eſt. In cuius ſuprema parte lignea alba tabula affixa fuit, quæ titulum, mortis eius cauſam exprimentem manu Pilati exaratum, huiuſmodi Hebraicis, Græcis, & Latinis verbis & literis continebat.

*Matth.27 Marc.15. Lucæ 23. Ioan.19.*

ישוע בנצרי מלך היהודים.

Ἰησοῦς ὁ Ναζαραῖος ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων.

IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM.

Ea autem poſitione Crux Iudæorum ſtudio fuit erecta, vt Chriſtus dorſum ſuum contra Ieruſalem haberet, faciem autem verſus Occidentem. Indignum enim eum reputabant, quem ſanctæ vrbis aſpectu dignarentur. Neque verò hoc fortuitò factum eſſe, aut myſterio vacare putandum eſt. qui potiùs ſingulari Dei diſpenſatione ſuæ ipſius miſeriæ, ac noſtræ fœlicitatis hac ratione non falſi videntur fuiſſe Prophetæ, eoque facto prænunciaſſe, quod fore Ieremias prædixerat: Sicut ventus vrens diſpergam eos coram inimico: dorſum, & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum. Nam cùm in toto Orbe coram inimico Diabolo ſint diſperſi, ait Hieronymus, & diebus ac noctibus in Sinagogis Sathanæ inuocent nomen DEI, dorſum & non faciem ſuam oſtendit eis DEVS, vt intelligant eum ſemper recedentẽ, & nunquam ad ſe venientem, idque in die perditionis eorum, hoc eſt, omni tempore poſt paſſionem Saluatoris vſq; ad finem ſæculi, vt poſtquam ſubintrauerit plenitudo gentium, tum reliqui populi Iſraël conuertantur, & ſalui fiant. Noſtræ verò fælicitatis ſua immanitate exiſtimo fuiſſe prænuncios, quòd pijſſima Chriſti ad occaſum exporrecta facies non aliud mihi denotaſſe videatur, quàm quod multo antè tempore regius Propheta fuerat vaticinatus, cùm diceret: Oculi eius ſuper gẽtes reſpiciunt. Super nos enim miſericordiæ ſuæ oculos à paſſionis ſuæ tempore apertos & fixos habens, vſque in mundi finem benigna nos facie adſpicere non deſinet. Quapropter etiam meritò nos Chriſtiani, vt huius rei non immemores nos eſſe oſtendamus, ferè ad orientem verſi oramus, & cum beatiſſima virgine Maria, & SS. Apoſtolis facie ad orientem conuerſi, Chriſtum mori, aſcendere, & iudicatum deſcendere, ac deniq; paradiſum reddere contemplamur.

*Hieron.in Mar.c.15. Sedul.l.4. Ioan.Damaſc.li.4. Orthodox. fidei.ca.13. Beda in Luc.23. Breid.12. Iulij. Sal.tom.7. cap.5. Paſ.d.222. P.Monta. in Paſsion. Domini. Io.Molan. de pictur. Ierem.18. Hieron.in Ieremia.18.*



*Pſalm.58. Iſaiæ 10. Rom.9.11. Pſalm.65.*

Hoc igitur ſitu Dei filius in crucem ſuffixus tribus horis nudus, ſaucius, cruentus, & ſpinis tempora redimitus, in grauiſſimis tormentis medius inter duos latrones pependit, velut ſocius criminis, qui ſocius erat ſupplicij. quod futurum prædixerat Iſaias, cum ait: Et cum ſceleratis reputatus eſt. Quem interim in tantis malis prætereuntes Iudæi, Principes ſacerdotum vnà cum ſcribis & ſenioribus populi, nec non milites, atque ipſi etiam vtrinque ſuſpenſi latrones, pro conſolatione, quæ omni afflicto debetur, indignis modis deriſerunt, ac velut exprobrantes iam victo, ludibrij cauſſa motis capitibus dicebant: Vah, qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus illud reædificas: ſalua temetipſum: ſi filius Dei es, deſcende de cruce. Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Si Chriſtus Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo: liberet nunc eum ſi vult; dixit enim, Quia filius Dei ſum. & multa alia. Ieſus autem hæc omnia longè ipſa cruce acerbiora ferens patientiſſimè, adeò ea vltus non eſt, vt pro ipſis etiam inſultantibus deprecatus ſit,
dicens: Pater, dimitte illis: non enim ſciunt
1. quid faciunt. & alteri è latronibus miſericor-
diam poſcenti paradiſum promittens, dixe-
rit: Amen dico tibi, Hodie mecum eris in Pa-
2. radiſo. Tum verò dilectam matrem ſuam,
dilectumque diſcipulum intuẽs, virginemq;
3. virgini commendans, dixit matri ſuæ; Muli-
er, ecce filius tuus. Deinde diſcipulo: Eccè ma-
ter tua. qui ex illa hora accepit eam in ſua.
Dum hæc ita geruntur, Sol, quæ fabricator
Mundi in cruce patiebatur ſupplicia, non ſu-
ſtinens, quaſi lugens faciem ſuam obduxit, &
ab hora ſexta cùm maximè feruere ſolet, vni-
uerſam terram vſque ad horam nonam cali-
gine obtexit.

*Greg.Nazianz.in Tragæd. Chriſtus Patiens. Thren.1. Iſai.53. Marc.15. Lucæ 22.*

Tunc Ieſus à Patre ſe derelictum conque-
rens, magna voce clamauit, dicens: Deus me-
4. us, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Hoc
peracto, quo omnia quæ per Prophetas de
ipſo ſcripta erant, implerentur, dixit, Sitio. 5.
Continuò accurrens quidam, vt ipſi videre-
tur deferre obſequium, cùm acceptam ſpon-
giam aceto impleuiſſet, impoſuit arundini,
dabatq; ei vt biberet. vehementer ſitiebat Ie-
ſus hominum ſalutem, ſed Iudæi præter fel &
acetum nihil offerunt. Simulatque verò ace-
tum Ieſus gaſtaſſet, dixit: Conſummatum eſt, 6.
ſignificans iuxta patris ſui voluntatem ritè ſa-
crificium peractum eſſe. Ac mox iterum voce
magna clamans profuſis larcymis, Pater, ait,
in manus tuas commendo ſpiritum meum. & 7.
inclinato capite vir florenti ætate expirauit.
hora nona diei vigeſimi quinti menſis Mar-
tij, annos à natiuitate emenſus triginta tres,
menſes tres, incarnationis autem ſuæ anno
trigeſimo quarto iam præcisè completo.

*Pſalm.68. Hebr.5.*

Tali ſacrificio ſummus atq; æternus ille Põtifex charitate, qua maior nulla eſſe poterat, ardẽs, pro humani generis redẽptione ſemetipſum in holocauſtum & hoſtiam pacificam Deo Patri obtulit; ſuaque morte mortem deſtruxit, Satanam vicit, infernum confregit, vitam reparauit, ac credentibus cælum regnumque æternum aperuit. Quapropter & à maioribus noſtris in circumferentia foraminis, cui Crux Chriſti infixa fuit, hæc Pſalmographi verba Græcis literis olim quidem argento, nunc autem cupro inſculpta ſunt.

ὁ δὲ ὁ θεὸς βασιλεὺς ἡμῶν πρὸ αἰῶνος εἰργάσατο σωτηρίαν ἐν μέσῳ τῆς γῆς, hoc eſt. Hic Deus Rex noſter ante ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ.

*Roman.5. Hebr.5.9. 1.Pet.1.3. 1.Ioan.1. Apocal.1. Io.Mandeuyl. Paſ.d.222. Pſalm.73.*

Qua quidem vnica tam cruenta oblatione legitimè facta, noluit ſtatim à morte à cruce deponi, ſed vti viuus, ſic quoque vita defunctus tribus ex cruce horis omnibus ſpectaculo ſuſpenſus, ſicut vniuerſa membra cruciatibus expoſuerat, ita nobis omnem ſanguinem ad nouiſſimam cordis vſque guttam effundere, & fontem in ablutionem peccatorũ, de quo in gaudio haurire poſſemus, aperire voluit. Vnus ergo militum lancea latus & cor eius perfodiens atque aperiens, protinus ex vulnere ſanguis & aqua tanquam vberrimus fons profluxit. ex quo ſicuti ex cæteris quatuor vulnerum riuis, omnibus Sacramentis ſua ſacrificandi virtus, & Eccleſiæ ſua ſalus emanat. Interea verò omnia teſtata ſunt Domini ſui mortem. Velum templi in duas partes ſciſſum eſt, terra cõcuſſa eſt, monumenta aperta ſunt, mortui ſurrexerunt, & petræ, Iudæis cordis exprobrantes duritiem, ruptæ diſſilierunt. Cuius rei etiam hoc præclarum in petroſo Caluariæ monte adhuc extat argumentum; Ibi enim conſpici etiamnum poteſt illa, quæ ſub manu Chriſti læua, & à ſiniſtris pendentis latronis in cruce, in morte Domini facta eſt ſciſſura, in qua Dominici ſanguinis colorem adhuc deprehendere licet. Scribit Euſebius, quod Lucianus Antiochenus presbyter, vir moribus, continentia, & eruditione præcipuus, ad tribunal iudicis adductus, coram Præſide & populo inſigni oratione Chriſtianæ religionis rationem reddẽs, inter alia fidei, quæ adducebat teſtimonia, etiam hanc ſciſſuram

*Paſ.d.223. & 224. Zach.13. Iſai.12. Zach.12. Euſeb.hiſt. eccl.lib.9. cap.6. Bro.itin.6. Breid.12. Iulij.*

*Sal.tom.7. cap. 4. Paſ.d.214. & 222.*

teſtem adhibuerit, dicens: Adſtipulatur his ipſe in Hieroſolymis locus, & Golgothana rupes ſub patibuli onere diſrupta. Hæc Lucianus. Cuius quidē ſciſſurę ea eſt latitudo, quòd humani corporis craſſitiem facilè capere poſſit. Profunditas verò tanta, quòd ab huius rei curioſis dimiſſia bolide nequaquam potuerit inueſtigari, vt veriſimile ſit, infernum vſque patere. & quemadmodum latroni dextero via per Chriſti mortem in cælum reſerata eſt: ita per petræ huius ſciſſuram latroni ſiniſtro (vt olim rebelli Core) viam in infernū apertā eſſe. Ex quo patet quàm verum ſit, quod de ipſis ait Hieronym. Chriſtus, inquiēs vnum reliquit ſiniſtrum, alterum aſſumit dexterū, ſicut in die iudicij faciet. ex ſimili crimine, diſſimiles ſortiuntur fines. alter antecedit Petrum in paradiſum: alter Iudam in infernum. Confeſſio breuis, vitam acquiſiuit longam: & blaſphemia finita, pœna plectitur æterna. huc vſque Hieronymus.

*Luca 23. — Num.16. — Hieron, in Marc.15.*

253.

*Ioan.19. Lucæ 2. Breid.12. Iulij. Sal.tom.7. cap.5. Paſ.d.225. Beth.fer.6.*

HIC B.Maria, cum Ioanne, Magdalena, & alijs mulieribus, firma mentis fideique conſtāntia ſtetit, quindecim vlnis, quæ nunc octodecim gradibus metiuntur, à Cruce Domini ſeparata. vbi iuxta Simeônis vaticinium animam eius doloris gladius tranſiuit; & corporis dolores, quorum in partu & morte fuit expers animi doloribus duplicauit. Ibidem verbis Chriſti Ioanni eſt commandata: & Ioannes in Mariæ filium adoptatus qui locus (vt cæteri) pia adhuc veneratione à fidelibus decoratur.

254.

*Ioan.19. Breid.12. Iulij. Sal.tom.7. cap.3. Paſ.d.214. Pſalm.21.*

HIC milites Chriſti Crucifixores partiti ſunt inter ſe veſtimenta Chriſti: & pro tunica eius, quæ ſic erat contexta vt diſſui non poſſet (quæ Auguſtæ Treuirorum etiamnum religioſè ſeruatur) ſortiti ſunt: vt perficaretur, quod dixerat Propheta. Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, &c.

255.

*Breid.12. Iulij. Paſ.d.225. Beth.ſabb.*

HOC loco tredecim à Cruce Domini greſſibus diſtante, exanime Chriſti corpus à cruce depoſitum, moxque ſepulturæ tradendum, in ſinum B.Mariæ collocatum eſſe, maiorum traditione accepimus.

256.

*Matth.28. Breid.12. Iulij. Paſ.d.181. Bre.Rom. in hy. Triſtes erant Apoſtoli.*

HIC CHRISTVS mulieribus ab eius ſepulchro Hieroſolymam regredientibus occurrit, easque ſalutauit: quæ amplexæ & oſculatæ pedes eius, adorauerunt eum.

257.

*Marc.16. Luca 24.*

HAC CHRISTVS, peregrini forma cum duobus diſcipulis Emauntem iuit: eiſque inter eundem Moyſi & omnium Prophetarum ſcripturas in ſe impletas, interpretus eſt.

## LOCI AD SEPtentrionem Vrbis.

258.

CASTRA CHALDAEORVM. ab hac aquilonari vrbis parte Nabuchodonoſor rex Babylonis & Chaldæi Hieroſolymam oppugnauerunt & expugnauerunt. *4.Reg.25. Ierem.1. 39.52.*

259.

CASTRA ROMANORVM, quæ poſita erant inter turres muliebres, & Pſephinā turrim. Ab hac parte, eaque trino muro circumdata, (qua ſola vrbs expugnari poterat, cùm aliàs per circuitum vnius licet validi muri habens ambitum, in petroſis ac præruptis rupibus poſita, vallibusque inuijs cincta, inexpugnabiles eſſet) Titus & Romani Hieroſolymam oppugnarunt. ac primò quidem expugnarūt murum primum, qui & exterior ac tertius vrbis murus erat. deinde murum ſecundum. Poſt murum tertium, qui & antiquus dicebatur. Tum Antoniam arcem, Poſtea templum, quod inſtar caſtri munitum erat. Poſtremò autem mōtem Sion, omnium munitiſſimum. Ab eodem quoque latere cùm Chriſtiani vrbem oppugnarent, Godefridus de Bullion iuxta Portā Ephraim primus murum tranſcendit, & ſuis cum fratribus ac ſocijs mox portam aperiēs, vrbem cępit. Quam etiam Saraceni eadē parte obſidētes, à Chriſtianis extorſerunt.

*Ioſeph.6. bell.2.3.5.6.7.8.9.10. & 7.bell.1.2.4.9.10.15.16. — VVil.Tyr. bell.ſacr. lib.8.ca.5. & 18. Continuatio bel.ſac. lib.1.ca.7.*

260.

COLLIS GAREB. qui iuxta Ieruſalem ad boream ſitus eſt. *Ierem.31. Hieron in loc.Heb. lit.G.*

261.

EREPINIHONICVS vicus ſeptētrionalis. *Ioſeph.6. bel.13.*

262.

HORTI & prædia, macerijs ac ſepibus munita. vbi Titus vrbem exploraturus, periclitabatur. *Ioſeph.6. bel.2.4.7.*

263.

MAVSOLEVM Helenæ Adiabenorum reginæ (quæ Hieroſolymitanis fame laborantibus frumento ſuccurrit) ab ipſa verſus boream tertiò ab vrbe ſtadio, tribus pyramidibus magnificè extructum. in quo ſepulta eſt cum Izate filio ſuo. quod tempore Euſebij atque Hieronymi etiamnum extabat.

*Ioſeph.20. ant.2.3. & 6.bell.2.5.6. Euſ.2.hiſt. eccl.12. Hier.to.1. epiſt. 23.ad Euſtoch.*

264. MONS



264.

MONS SEPTENTRIONALIS, vbi Pompeius caſtra poſuit. *Ioſ.6.bell. 13.*

265.

MONVMENTVM HERODIS Agrippæ, qui ob animi elationem ab Angelo Domini percuſſus, à vermibus conſumptus expirauit. *Act.18. Ioſeph.19. ant.8. & 6. bel.4.13.*

266.

SAPHA, Græcè Scopos, id eſt, ſpecula. Locus eſt verſus ſeptentrionem ſeptem à ciuitate ſtadijs diſtans; ſic nominatus, quòd ibi vrbs templumque conſpici poterant. Hic Iaddus pontifex pontificali, & ſacerdotes ſacerdotali cultu, atque omnis populus albis veſtibus induti, Alexandro Macedonum Regi (qui ob magnitudinem rerum geſtarum Magnus appellatur) occurrerunt, cùm ad deſtruendam Ieruſalem cum exercitu veniret. Quem ſic ornatum videns Alexander, mox depoſito furore ſupplex Dei nomen, quod in rationali pontificis aureis literis fulgebat, adorauit; pontificemque veneratus eſt. Deinde vrbem ac templum ingreſſus, victimas Deo immolauit, & magna Iudæis priuilegia conceſſit. Ibidem etiam Ceſtius & Titus prima ſua fixerunt caſtra.

*Ioſeph.11. ant.8. & 2. bell.24. & 9.bell.3.4.*

267.

SILVA frugifera, quam Titus excidit. *Ioſ.6 bell. 4. & 7.*

268.

STAGNVM ſerpentum, quod olim Bethara vocabatur. *Ioſ.6.bell.4.*

269.

VIA, per quam in Samariam & Galilæam iter erat. *Bro.itin.6.*

270.

VICVS IERVSALEM. cuius in Neemia fit mentio. *Neem.3.*

## OPERIS CONcluſio.

HAEC ſunt, Chriſtianæ Lector, præcipua & inſigniora Hieroſolymæ vrbiū quoddam clariſſimæ templique auguſtiſſimi loca: ex quorum collocatione reliquorum ſitum facilè cognoſcere poteris. Itaque ſi quid rectè delineatum aut ſcriptum à nobis eſt, Deo Opt. Maxi. à quo bona cuncta fluunt, tribuatur gloria: ſi quid verò perperam, meæ hoc imputetur imperitiæ, non malitiæ, qui cùm aurum, argentum, gemmaſúe ad templi ornatum dare non potui, ſincero corde ad Eccleſiæ illuſtrationem parum olei offero, confidens gratum id fore, tum Chriſto, qui viduam pauperem duo minuta dantem probauit: tum veris Chriſtianis, quos à Chriſto capite non decet eſſe degeneres.

Vale.

 MIS-

# MISSELLANEA VARIORVM LOCORVM.

## PRÆFATIO AD LECTOREM.

FVERAT authori noſtro animus adiungere vicinorum locorum deſcriptionem extremis quibuſque tribubus, ſed quoniam, vt alia, etiam hæc morte præuentus imperfecta reliquit, ea vt in Aduerſarijs inuenimus, nullo certo ordine in hunc locum cōgeſsimus: nam ſi quæ fuerunt, quæ confinij aut viciniæ rationem habebant, quorumq́; deſcriptio in tabula exhiberi ſaltem pro parte poterat, ea libenter adiecimus. Poterant abſque magno incommodo omitti hæc, quoniam multa & varia ad harum rerum perfectam tractationem requiruntur; ſed mihi quidem iuſtiſſima excuſationis cauſſa eſt, vt quæque inueni, vt debui, cum fide expreſſiſſe. quibus ſunt animi ingenui etiam gratias agent, quod vel hac ratione præclarioribus ingenijs ſit occaſio, illa accuratiùs, vberiùs, cum ſumma ſtudiorum vtilitate perſequendi, & quod hîc non tantùm vrbes, regiones, ſed etiam montes, fontes, cellulæ deſcribantur, generale omnium locorum nomen præſcripſimus, ſub quod omnia caderent; vt hîc, ſi vſquam alibi, Indicis vſus appareat, vbi omnia ſuo ordine diſpoſita inuenire eſt. Inuenimus autem nihil ab authore noſtro relictum, quod huc ſpectet, niſi in Arabia, Syria, & Ægypto, ſed huius poſtremæ nulla hîc mentio, ſed in deſerto Pharan.

LOCA



## LOCA EXTERA.

### I.

*Hiero. epi. ad Damaſ. & præfat. in Abdiā*

CELLVLA D. Hieronymi, quæ erat in remotiſſima vaſtiſſimaque Syriæ ſolitudine, inter Chalcidem & barbaros Agarenos, ſiue Saracenos, in qua præter feras & ſerpentes, & ſparſim inhabitantes monachos, nullus incolebat, vbi inclytus ille Eccleſiæ Doct. & verè magnus Theologus, quatuor annos rigidiſſimā agens pœnitentiam, aſſidua corporis afflictione, abſtinentia, cilicijs, ieiunijs, vigilijs ſtudiorum laboribus, vi lacrymarum, pectoris tūſionibus, incredibili deniq; totius vitæ auſteritate, velut nitri acrimonia adoleſcētiæ maculas diluebat; atq; cum Apoſtolo rebellātem carnem caſtigans, & coercens, corpus ſpiritui ſeruire docebat. Neq; enim cum alijs manachis aut fiſcellam iunco texebat, & palmarū filia complicabat, vt in ſudore vultus ſui comederet panem, neq; ventris opus ſollicita mente pertractabat; ſed iuxta ſententiam Saluatoris operabatur cibum, qui nō perit, & commercium ſolum cum Deo ac libris habebat. Atq; alijs quidem relinquēs veteres libros, vel in membranis purpureis auro argentoq́; deſcriptos, vel vncialib, (vt vulgo aiunt) literis onera magis exarata, quàm codices, pauperes ipſe habebat ſcedulas, & nō tam pulcros codices, quàm emendatos. Temporis ante omnia maximam ſemper rationem habuit: magnam ſiquidem eius partem tum diuinis contemplationibus, meditationibus; tum ſacrorum librorum ſtudijs partiebatur. Minima portio dabatur ſomno, minor cibo, nulla ocio. Studij laſſitudinē recreabat hymnus aut meditatio; mox veluti integer ad intermiſſam lectionem redibat. Solum illud tempus ſtudijs aut orationibus eximebatur, quod dabat amicis inuiſentibus. Viſebant autem eum in ea ſolitudine nonnunquam Euagrius, & Paulinus Antiochenæ vrbis Epiſcopus, & alij amici; vicinos monachos etiam ipſe aliquando inuiſebat. Cùm ita hîc ageret, iuuenili quodam calore, & puerilium amore ſtudiorum incitatus, plus ſatis aliquādo indulſit exprimendis Tullianis, Plautiniſq́ue dialogis, & hos magis niſus eſt effingere, quàm ſermonem Apoſtolicum: ob quā culpam ſomnio diuinitus immiſſo, raptus fuit ad tribunal Dei, accuſatus quod Ciceronianus eſſet, non Chriſtianus, deniq; plagis emendatus, ſibi redditus eſt. Quod ipſe quadā epiſtola teſtatur ad Euſtochium.

*Præfat. in libr. Iob. & tom. 3. epi. 12.*

Referam tibi, inquit, meæ infœlicitatis hiſtoriam: Cùm ante annos plurimos domo, parentibus, cognatis, & quod his difficilius eſt, conſuetudine lautioris cibi propter Cælorum me regna caſtraſſem, & Hieroſolyma militaturus pergerem, biblioteca, quam mihi Romæ ſummo ſtudio ac labore parauerā, carere non poteram. Itaq; miſer ego lecturus Tullium, ieiunabā: poſt noctium crebras vigilias; poſt lacrymas, quas mihi preteritorum recordatio peccatorū ex imis viſceribus eruebat, Plautus ſumebatur in manus. Si quādo in memet reuerſus, Prophetas legere cępiſsē, ſermo horrebat incultus. Et quia lumē cęcis oculis nō videbam, non oculorum putabam culpā eſſe ſed ſolis. Dum ita me antiquus ſerpens illuderet, in media fermè quadrageſima, medullis infuſa febris corpus inuaſit exhauſtum, & ſine vlla requie (quod dictu quoq; incredibile ſit) ſic infælicia membra depaſta eſt, vt oſſibus vix hęrerem. Interim parantur exequiæ, & vitalis animæ calor toto frigeſcente iā corpore, in ſolo tantum tepente pectuſculo palpitabat, cùm ſubitò raptus in ſpiritu ad tribunal iudicis pertrahor; vbi tantum luminis, & tantum erat ex circumſtantium claritate fulgoris, vt proiectus in terram ſurſum aſpicere non auderem. Interrogatus de conditione, Chriſtianum me eſſe reſpondi. & ille qui præſidebat: mentiris ait, Ciceronianus es, nō Chriſtianus. Vbi enim theſaurus tuus, ibi & cor tuum. illicò obmutui, & inter verbera (nam cędi me iuſſerat) conſciētiæ magis igne torquebar, illum mecum verſiculum reputans. In inferno autem quis confitebitur tibi? Clamare autē cępi, & eiulās dicere: Miſerere mei Domine, miſerere mei, hæc vox inter flagella reſonabat. Tandem ad Præſidentis genua prouoluti qui aſtabant, precabantur vt veniam tribueret adoleſcentiæ, vt errori locum pœnitētiæ commodaret, exacturus deinde cruciatū, ſi gentilium literarum libros aliquando legiſſem. Ego qui in tanto conſtrictus articulo vellem etiam maiora promittere, deierare cępi, & nomen eius obteſtans, dicere: Domine ſi vnquam habuero codices ſeculares, ſi legero, te negaui. In hęc ſacramenti verba dimiſſus reuertor ad ſuperos: & mirantibus cunctis oculos aperio. tāto lacrymarum imbre perfuſos, vt etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec verò ſopor ille fuerat, aut vana ſomnia quib. ſępe deludimur. Teſtis eſt tribunal illud, ante quod iacui: teſtis iudicium triſte, quod timui; ita mihi nunquam contigat in talem incidere quæſtionem; liuentes habuiſſe ſcapulas, plagas ſenſiſſe poſt ſomnium, & tanto dehinc ſtudio diuina legiſſe, quanto non ante mortalia legeram. hæc Hieronymus. qui ſicut propter curioſam culti ſermonis voluptatem à Deo Opt. Max. ſeuerè fuit correptus; Ita quoque inter acerrimas & grauiſſimas tentationes immobilis in virtute perſiſtēs, mirificis conſolationibus refectus fuit. id quod eadem epiſtola teſtatur, in hunc modum:

O quoties ego ipſe in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus, horridum monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe delicijs. Sedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram: horrebant ſacco membra deformia, & ſqualida cutis ſitum Aethiopicæ carnis abduxerat. quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; &

ſi quando

ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet,nuda humo vix oſſa hęrentia collidebam; de cibis verò & potu taceo; cùm etiam languentes aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepiſſe,luxuria ſit. Ille igitur ego, qui ob Gehennæ metum,tali me carcere ipſe damnaueram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiunijs,& mens deſiderijs æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſuum iam carne præmortua,ſola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio deſtitutus, ad Ieſu iacebam pedes; rigabam lacrymis, crine tergebam,& repugnātem carnem hebdomadarum inedia ſubiugabam. Non depudeſco infidelitatis meæ, quin potius plango,me nō eſſe quod fuerim. Memini me clamantem diem crebrò iunxiſſe cum nocte, nec prius à pectoris ceſſaſſe verberibus quàm rediret, Domino increpante, tranquillitas. Ipſam quoque cellulam meam quaſi cogitationum mearum conſciam pertimeſcebam: & mihimet iratus, & rigidus, ſolus deſerta penetrabam.

Sicubi concaua vallium,aſpera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus,ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum,&, vt ipſe mihi teſtis eſt Dominus, poſt multas lacrymas, poſt cælo inhærentes oculos,nonnunquam videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum, & lætus gaudenſq; cantabam. Poſt te in odorem vnguentorum tuorum curremus,&c.

### 2.

CHRYSORRHOAS,Plinio,Ptolomæo aliiſq; coſmographis Syriæ fluuius eſt; qui ex monte Libano ſcaturit, & Damaſcenorum vrbem præterfluit,totuſque in deriuationes & paludes conſumitur. Nomen ab effectu ſortitus eſt: græcis enim ſonat aureus, ſeu aurum fluens;nam quæcunque loca mundat,opimat.

*Plin.lib.5. cap.18. Ptolom. Nig.cō.4. Ortelius.*

### 3.

DION, Ptolomæo Dium, Ioſepho Dioſpolis, oppidum Syrorum iuxta Pellam, quod Iudæorum rex Alexander Iannæus vi ſubegit,atq; in Iudæorum ditionem redegit. Pompeius verò Magnus Romani exercitus dux,id ſuis habitatoribus reſtituit. Iuxta hanc Herodes poſt acerrimum cum Arabibus conflictum haud incruentam victoriam reportauit.

*Ioſeph.15. antiq.5.& 13.ant.21. & 14.ant. 8. Nig.cō.4.*

### 4.

ESSA, aliàs Eſſemon, oppidum,in quo Zenonis Philadelphenſium tyranni,res precioſiſſimæ ſeruabantur. quod Alexander Iudęorum Rex expugnauit,& triplici muro circumdedit. Ioſeph.13.antiq.21.

### 5.

BVBASTVS, vrbs Aegypti; à qua & circumiacens regio, & adiacens fluuius nomen habet. Ezech.30.Hieronym.in loc.Hebraic.

### 6.

BVSIRIS, metropolis AEgypti, quæ adiacenti regioni & flumini nomen dedit. Ptolom.

### 7.

ANTARADVS, quæ & Anteradus dicitur, nunc autem Tortoſa appellatur, antiqua & egregia Phœniciæ vrbs eſt,in littore maris ſita; dicta Antaradus,quod Arado inſulæ (à qua verſus Orientē duabus miliaribus diſtat) è regione oppoſita ſit. Condita dicitur ab Aradio nono filio Chanaan filij Cham, filij Noë. In hac enim prouincia aliquos filiorū Chanaan habitaſſe ipſa ciuitatum nomina indicant, qui ſtupendæ magnitudinis ſepulcrum longitudinis viginti cubitorum, atque inſignes pyramides ex maximis lapidibus cōpactas,quorum multi hominis excedunt ſtaturam,poſt ſe ibidem reliquerunt: quæ etiamnum vno miliario ab Antarado cernuntur. Scribit Clemens D.Petrum Apoſtolum cùm ab Hieroſolymis Antiochiam petēs, Phœnicem circumiret, Antaradi aliquamdiu Euangelium prædicaſſe; vbi eundem in B. Mariæ Virginis honorem paruam fundaſſe Eccleſiam, & in eadem diuina myſteria celebraſſe VVilhelmus Tyrenſis Archiepiſcopus,& Iacobus de Vitriaco Epiſcopus Ptolemaidenſis referunt. Hæc præterquam quod Epiſcopali ſede ſit decorata,in hoc etiam alijs multis Eccleſijs præcellit, quod ob quàm plurima omnis generis miracula ibi edita,frequenti Chriſtianorum,Saracenorumque acceſſu honoretur. Chriſtiani hanc vrbem à Saracenis primum occupatam, circa annum Domini milleſimum centeſimum ſecundum in ſuam receperunt poteſtatem.

*Geneſ.10. Hieron.in Eze.c.27. Tyr.7.bel. ſacr.15.& 10.ca.5.13. & 14.cap. 12.14.& li.22.ca.3. Vitriac. cap.44. Broc.iti.1. Breid.ibid.*

### 8.

ARADIVS, quæ & Arados nuncupatur, perantiqua, & munitiſſima ciuitas eſt,in Arado inſula, anguſto duorum miliariorum freto à Phœnices littore, & ab Antarad[illegible]rbe ſeparata. Cuius Ezechiel propheta ad principem Tyri ſermonem dirigens, his verbis meminit: Habitatores Sidonis & Aradij fuerunt remiges tui. Idem paullo infra. Filij Aradij cum exercitu fuerant ſuper muros tuos in circumitu: Condidit, atq; à ſuo nomine poſt diluuium appellauit hanc ciuitatem Aradius nonus filius Chanaan,nepos Noë,& cum ſuis totam inſulam poſſedit. In itinerario Clemētis legimus S.Petrum Apoſtolum matrem B. Clementis in hac ciuitate mendicantem reperiſſe,& ad fidem cōuerſam filio reſtituiſſe; vbi etiam fit mētio de duabus columnis vitreis, mirabili artificio in prædicta inſula in altū erectis, quæ ſpectatores omnes in ſui admirationem rapiunt. Poſtquam hęc ciuitas multis ſæculis Epiſcopali cathedra in pace floruiſſet, tandem ita merentibus hominum peccatis, à Saracenis occupata eſt, atque vnà cum cæteris circa annum ſalutis milleſimum centeſimum

*Geneſ.10. Hier.ibid. Ioſep.anti. 12.& 14. antiq.20. Ezech.27. & ibid. Hierony. Tyr.lib.7. bel.ſac.15. & 13.cap. 2.& 14.c. 12.14.& 22.cap.3. Vitriac. cap.44. Broc.iti.1.*



eſimum in poteſtatem Occidentalium Chriſtianorum redijt.

### 9.

ARCAS, quæ & Arce,& Actipus,item Arca, Archas, & Arachis nuncupatur (ſicut Syriæ ciuitates pene omnes habent duo vel tria nomina) antiqua & munita Phœnices vrbs eſt: vltra Tripolim ad radices Libani & Antilibani in munitiſſimo colle ſita. Et à ſpelunca montis Leopardorum ferè contra Aquilonem miliaribus tribus: & à mari magno verſus Orientem ferè totidem: à ciuitate autē Sin contra Auſtrum dimidio miliario diſtat: eſtq; optimi ſoli & glebæ vberis: habet planiciem, nec deſunt lætiſſima paſcua, & viuentium aquarum cōmoditates. Hanc vrbem olim Aracæus ſeptimus filius Chanaan condidit, & immutato parum vocabulo à ſuo nomine vocauit Arachis, quod poſtea diuerſimodè corruptum eſt. Huius maritimæ regioni rex Solomon Baana principem præfecit. Cùm à Chriſtianis poſſidebatur, Epiſcopali ſede erat inſignita. Quam à Saracenis occupatam, circa annum Chriſti milleſimum centeſimum,Occidentales Chriſtiani recuperarūt, atque diu in ſua poteſtate tenuerunt.

*Gen.10.& ibi Hieron. 3.Reg.4. Ioſeph.1. antiq.12. et 5.ant.3.& 8.ant.2.& 9.ant.15. & 7.bell. 24. Tyr lib7. bell.ſac13. 14.& 10.ca. 5.26.& 11. ca.9.& 14. ca.12.14. Vitriac.ca. 44. Broc.iti.1. Breid.eod.*

### 10.

BERYTVS, quæ à Gergeſæo quinto filio Chanaan,eius conditore,olim Geris dicta creditur,& poſtea Felix Iulia appellata fuit,antiqua, inſignis,& robuſta Phœniciæ vrbs eſt, quinque contra Aquilonem à Sidone, verſus Auſtrū verò à Cane fluuio tribus miliaribus alto munitoq; in loco ſita. Ab Occidente mari magno alluitur: ab Oriente autem campeſtris illi adiacet regio multis fructiferis arboribus, ſatis, ſiluis & vineis fertilis & amœna: quam fluuius quidam irrigans iuxta vrbem in mare labitur. Vrbs hæc quondam Romanorum colonia & domicilium fuit, atq; Auguſti Cæſ. beneficio, ſingulari priuilegio Romanum ius ciuibus cōceſſum erat. Quā prius Herodes ſenior, & poſtea Agrippa rex templis,foris, porticibus, theatro,amphitheatro, balneis, aliiſq; magnificis ædificijs exornauerunt. Cùm Chriſtiana religione vigeret, Epiſcopali cathedra decorata Tyrenſi Archiepiſcopo parebat. In hac ciuitate ſtupendū illud accidit miraculum,quod circa Chriſti imaginem contigiſſe grauiſſimi ſcriptores referūt: Cùm enim perfidi Iudæi ligneam illam Domini noſtri Ieſu Chriſti caſu ibi repertam iconem, quam Nicodemus olim proprijs ſuis cōpoſuerat manibus, illuderēt: & poſt ſputa, colaphos, flagra, omne deniq; iniuriarum & ignominiæ genus, quod ipſi Chriſto Saluatori noſtro ipſorum patres intulerant ferreis clauis imaginis manus pedeſque ac latus lancea foderent, cōtinuò copioſi ſanguinis & aquæ ex ea riuuli emanauerūt: cuius vnctione cum varij paralitici, cæci, claudi, ſurdi, muti, leproſi, aliiq; infirmi mox ſanitati reſtituerentur, ſignis tam admirandis viſis, omnes qui in ciuitate erant Iudæi, fidem Chriſti amplectentes ab eiuſdem vrbis Epiſcopo baptiſmi gratiam ſuſceperunt. Idem autem ſanguis tū propter rei tam mirandæ celebrandam æternitatem, tum propter diuinam eius virtutem, in omni humana infirmitate curanda ſæpius expertā, multis ſęculis diuerſis in eius prouincię Eccleſijs venerationi habitus & conſeruatus fuit. Extat adhuc de hoc miraculo ſermo S. Athanaſij Epiſ. Alexandrini, qui in ſeptimo generali concilio Niceno ſecundo, actione quarta ad confirmandam & ſtabiliendam ſacrarū imaginum venerationem, coram trecentis quinquaginta Epiſcopis totus lectus eſt. Porrò Berytum in Saracenorum poteſtatem delapſam, anno Chriſti milleſimo cēteſimo vndecimo, menſe Aprili Balduinus primus Hieroſolymorum rex terra & mari per duos continuos menſes diu noctuq; impugnans aſſultibus, armorum vi recuperauit. ſed an. ſalutis milleſimo centeſimo octuageſimo ſeptimo à Saladino capta, rurſum decimo poſt anno à Chriſtianis recepta, ſæpiuſq; tū à Barbaris viciſſim deſtructa & inſtaurata eſt. Nunc verò Barutus dicta, maximum & celeberrimum eſt emporium & Syriæ portus. Hinc Berytia habetur vna, hodie quoq; nominatiſſima, incolitur à Mahometanis.

*Gene.10. Ioſeph.16. ant.13.& 19.ant.7. & 20.ant. 16.Item 1. bel.16.& 5.bel.12.et 7.bel.20. Hiero.epiſ. ad Euſtoc. Pli.5.c.20. Ty.li.7.cap. 22.& li.11. ca.13 & 13. cap.20.& 17.ca.1.& 22.c.17.18. Herol.con. 1.ca.7.& 2.c.17.& 5.ca.4.19. Vitriac.ca. 26.44.95. Broc.itin.1. Breid.eod. D.Athanaſius libello de Paſſione imagin. Chriſti.*

### 11.

BIBLVS, ſiue Byblos,& Biblium,olim Eue ſeu Euæa, nūc Gibel, Giblec, & Biblech dicta,inclita Phœnices ciuitas eſt,quæ hebraicè Gebal & Gobel, incolæ verò eius Biblij ſeu Giblij in ſacris literis vocantur. Hęc verſus Aquilonem à Cane fluuio tribus, cōtra Auſtrū verò à ciuitate Botro quatuor miliaribus, ſuper mare ſita, ab Euæo ſexto filio Chanaā fūdata ſcribitur, de qua in tertio Regum libro hoc modo legimus: porrò Biblij præparauerunt (Solomonii) ligna & lapides ad ædificandam domum Domini. Similiter apud Ezech. Proph. in cōmendatione Tyri: Senes Giblij, & prudentes eius (ô Tyri) præbuerūt nautas ad miniſteriū variæ ſupellectilis tuæ. Poſt Chriſti tēpora ciuitas hæc Epiſcopali ſede illuſtris fuit. Anno Domini 1109. Chriſtiani ciuitatē hanc à Saracenis multo tempore poſſeſſam, vnà cum claſſe Genuēſium ſeptuaginta galearum terra mariq; circumuallantes,per deditionem ceperūt: quæ rurſus,anno ſalutis milleſimo centeſimo octogeſimo ſeptimo vnà cum pluribus alijs à Saladino capta, & octauo poſt anno à Chriſtianis recepta, inſtaurata & communita, tandem cum cæteris omnibus amiſſa eſt.

*Pſal.82. Hieron.de loc.Hebr. Geneſ.10. 3.Reg.5. Ezech. 27. Tyr.11 bell. ſa.9 & 14. cap.14. Vitriac.ca. 44.& 49. Herol.con. lib.1.ca.7. & 2.ca.16.*

### 12.

BOTRVS, ſeu Botrys, Botrum,& Botriū, opulenta quōdam Phœniciæ ciuitas, Heliæ Prophetæ tempore ab Ithobalo Tyriorū rege ad Aquilonem à ciuitate Biblo quarto, ad Auſtrum autem à Naphim caſtro tertio miliario in littore maris condita eſt, & nobiliſſimo vino vicina loca excellit: Chriſtianorum verò tempore etiam Epiſcopali ſede claruit.

*Ioſeph.8. antiq 13. Ty.14.bel. ſac.12.& 14. Vitriac.c. 44. Broc.iti.1. Breid.eod.*

13.

CASTRVM album, quod poſt omnes ferè ciuitates & munitiones per Saracenos expugnatas, Chriſtiani diutiſſimè tenuerunt. Vitriac. cap. 92.

14.

CRACH, aliâs Craccum, caſtrum quondam hoſpitalis S. Ioan. Breid. itin. 1. Vitri. cap. 92.

15.

LA Boccha, aliâs La Loquea, locus eſt in Tripolitanis partibus, in quo Balduinus tertius Hieroſolymorum rex cum vniuerſa regni ſui poteſtate, & Theodorico Flandrenſium Comite, aduerſus Saracenos expeditionem facturi, conuenerunt. Vbi & poſtea Noradini Damaſcenorũ Regis exercitus à Chriſtianis deletus eſt, ipſeque fuga noſtrorum manus vix euaſit. Tyr. 18. bel. ſac. 17. & 19. bel. ſac. 8.

16.

MARACLEA, maritima Phœnicis ciuitas, à Septentrione vrbi Antarado cõtermina: poſt Chriſti tempora Epiſcopalis ſedes fuit. Tyr. 14. bel. ſac. 12. &c.

17.

MARGATH, ſeu Margad, munitũ Phœniciæ caſtrum eſt, iuxta Valaniam fluuium altiſſimo in monte ſitũ: ab Antarado ſeptem, à Valania autẽ vrbe atq; à mari vno miliario diſtans. Hoc Fratres de Hoſpitali S. Ioan. inhabitare ſolent: atq; huc propter Saracenorum inſultus, Epiſcopatus, qui in Valania fuit, tranſlatus eſt. Tyr. li. 9. ca. 14. & 13. ca. 2. Vitriac. cap. 33. 44. 92. 96. Brocard. itin. 1.

18.

MAVS, locus ſuper ripam fluminis: vbi Chriſtiani olim caſtrametati ſunt. Tyr. 7. bel. ſac. 21.

19.

MONS Ferrãdus, munitiſſimum Chriſtianorũ caſtrum, & oppidum in finibus Tripolitanis, ſupra ciuitatẽ Raphanea, haud procul ab vrbe Archis in mõte ſitum: ad ſui Occidentem loca plana: ad Meridiem autem arduos, inuios & anguſtos habens montes. in quo Sanguinus Turca ſceleratiſſimus, & Chriſtiani nominis perſecutor immaniſſimus, Fulconem Hieroſolymorũ Regem, multosq; eius nobiles arctiſſimè obſedit, & cõtinuis aſſultibus obſeſſos, acerrimè impugnauit, quod tamen vi expugnare non potuit. Tyr. 14. bel. ſac. 25. 26. 28. 29.

20.

*Broc. itin. 1. Breid. eod.*

MONS Leopardorum, rotundus & altus eſt, qui cõtra Aquilonem à Tripoli duabus: verſus Auſtrum à ciuitate Arcas tribus: à Libano autem vno miliario diſtat. In Aquilonari montis huius pede ſpelunca eſt, in qua monimentum viſitur viginti ſex pedes in longitudine continens, quod à Saracenis, qui illud ducis Ioſue ſepulchrum æſtimant, deuotè frequentatur: Sed cùm ſacræ ſcripturæ autoritas eum in tribu Ephraim, iuxta Thamnathſare ſepultum eſſe teſtetur, veriſimilior illorũ opinio eſt, qui iſtud Chanaan filij Chã, filij Noe, vel alicuius ex filijs eius ſepulchrum eſſe ſibi perſuadent: Illos enim circa locum hunc habitaſſe certum eſt.

21.

MONS peregrinus, caſtrum & oppidũ naturali ſitu & artificum induſtria egregiè munitum: quod Raimundus Comes Toloſanus in monte quodam ante vrbem Tripolitanam, vix ab ea duobus miliaribus diſtante, cõdidit: eiq; quoniã peregrinorum opera conſtruebatur, peregrini nomen indidit. Atq; hîc vir ille magnific⁹ anno Domini 1105. prid. Calend. Martij diem extremum obijt. Non procul ab hoc Caſtro poſtea Pontius Comes Tripolitanus proditoriè eſt occiſus. Tyr. bel. ſac. lib. 10. cap. 27. & alibi.

22.

NELESINVM, Chriſtianorũ caſtrũ, Tripoli ad primũ lapidẽ adiacẽs: quod cùm anno partus virginei poſt milleſimum ducẽteſimum, octuageſimo nono Saraceni capta ac deſtructa iam Tripoli nulla poſſent vi expugnare: poſt longam obſidionem tãdem fame ad deditionẽ compulerunt. ea lege vt præſidiarijs ſalua & libera daretur abeundi poteſtas. Obtento autem iam caſtro fortiſſimo militi id ſeruandum atq; tuendum tradiderunt, qui ſuis excurſibus ne Tripolitana ciuitas à Chriſtianis iterum ædificaretur, cauerent. Herold. cont. bel. ſac. lib. 5. cap. 4.

23.

NEPHIM, aliâs Neuphurus, caſtrum principis Antiocheni, triginta fortib⁹ turribus munitum, & contra Auſtrũ à Tripoli duobus miliaribus diſtãs, pene totum mari ambitur. Huius loci vinũ quocunq; alio eius regionis vino præfertur. Broc. iti. 1. Breid. ibi. Vit. ca. 44.

24.

PROMONTORIVM, montes ſunt inter Berytum & Sidônẽ in mare prominentes, inter quos & mare anguſta & difficilis via eſt. Super hos montes Saladinus Syriæ & Aegypti rex, cùm Berytum obſideret, exploratores conſtituit, qui de aduentu galearum, quas ex Aegypto expectabat, ipſum redderent certiorem: viæ autem anguſtiam, ne Chriſtiani, qui ab Auſtro aduentabant, tranſire poſſent, tum milite, tum materie concluſit. Ty. 22. ca. 17. 18.

25

*Ioſeph. 7. bell. 19. Tyr. 14. bel. ſac. 12. & 13. bel. 19.*

RAPHANAEA, ſeu Raphaneæ, regni Chalcidis, ciuitas eſt, Arcæ vrbi contermina: quæ poſt Chriſti tẽpora Epiſcopatus titulo illuſtris, Apamienſi Archiepiſcopo parebat. Anno Domini milleſimo cẽteſimo vigeſimo ſexto Pontius comes Tripolitanus, vnà cum





Balduino ſecũdo Hieroſolymorum rege, vrbem hanc expugnaturus, caſtrũ in mõte quodam ciuitati huic vicino, ad cogẽdam vrbem ædificauit, eamq; obſidione cingens, cùm diebus octodecim vehementius impugnaſſet, ciues ad deditionem compulit.

26.

*Geneſ. 10. Hiero. ibi. Ptolom. Bro. itin. 1. Breid. eód.*

SIN, Hieronymo Sim, Ptolomæo Simyra, Brocardo Sycon, nunc Synochis dicta, vetus oppidum eſt, dimidio miliario verſus Septentrionem, vltra vrbem Arcas ſitum, quod olim Sinæus octauus filius Chanaan poſt diluuium condidit.

27.

*Tyr. 20. bel ſacr. 31. & 32. Broc. iti. 1. Breid. eod*

TERRA Aſſyſinorum, ad Orientem Antaradi, & ad Aquilonem Arcas & Sin ſita magna, amœna, & fertilis, longitudinis vndecimo, latitudinis verò miliariorum ſex planicies eſt; pulcris oliuarum ac ficuum & arborum diuerſi generis nemoribus, nec non fluminibus, & pinguibus paſcuis abundãs: quam ab Oriente montana quædam non multum alta circundant, quæ iuxta Arcas initium ſumentes, verſus Septentrionem ad Caſtrum vſque Crach extenduntur. Hanc regionem Aſſyſini (qui ad ſexaginta millia cenſebantur) quondam inhabitabant: habentes in ea caſtella decem cum ſuburbanis. Qui poſt quadringentos annos, quibus ſub ſtricta obediẽtia ſuperioris ſui (quem è grege ſuo cõmunibus electum ſuffragijs Senem vocabant) iuxta Saracenorum legẽ & traditiones vixerant, cùm in Euangeliſtarum & Apoſtolorum ſcripta incidiſſent, anno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, miſſo ad Almaricum Hieroſolymorum regem legato, Chriſti fidẽ ac baptiſmi ſuſcipere gratiam petierunt. Legatus autem voti compos ad ſuos reuertens, in itinere à fratribus militiæ tẽpli occiſus eſt. In hac planicie nunc Turcomarini, Madianitæ & Boduini habitant, vnà cũ vxoribus, filijs, camelis & pecoribus ſuis in tabernaculis degentes. In prædictis verò montanis Saraceni quidam habitãt, qui Vannigeri dicuntur, homines efferi, malicioſi, & Chriſtianis infeſti.

28.

MESSABARA, locus eſt vltra mõtem Libanum, gleba vber, fontibus irriguus omnibuſq; rebus & fontibus abundans.

29.

ORTHOSIA, & Ortoſias, hodie Tortoſia vocata maritima Phœniciæ vrbs eſt, inter Tripolim & Archim ſita: quę poſt Chriſti tẽpora Epiſcopali ſede inclyta fuit. In hanc vrbem Tryphon è Dora (in qua ab Antiocho Syriæ rege obſidebatur) elapſus, naui aufugit. 1. Mach. 15. Tyr. 13. bell. ſacr. 2. & 14. bell. ſacr. 12. Ptolom.

30.

*Broc. iti. 1. Breid. eod. Vitria ca. 33. & 44.*

TRIPOLIS, opulenta iuxta ac nobilis Phœniciæ vrbs, natura, arte, viriſq; fortibus munita; quæ, vt Tyrus, peninſulæ forma, tota fere ſalſis maris magni vndis circundata, dulciſſimis fontibus abundat. Verſus Aquilonem à Caſtro Nephim duobus; cõtra Auſtrũ à monte Leopardorum totidem; verſus Occidentem autem à Libano mõte tribus miliaribus diſtat. Incredibili omniũ pene nationum frequentia ſemper habitata fuit: Habet enim opifices etiamnũ hac noſtra ætáte ſuper quatuor millia, qui ex bombicum lanificio ſubtili arte ſericum, holoſericum & ſubſericum texunt; vnde pannus heteromallus, quaſi Tripolitanus vernacula noſtra lingua Trypp vocari videtur. Ager vrbi adiacens, qui in latitudine mille, in longitudine verò duũ millium paſſuum eſt, paradyſi inſtar incomparabili fæcunditate & grata oblectandis animis amœnitate præditus eſt: Nam fons hortorum procul ab vrbe ad radices Libani ſcaturiens, breui ſpatio auctus, totum hunc agrũ rigat & fœcundat; vnde vinetis, oliuetis, ficetis, cãna mellis, varijſq; frugiferis arboribus, hortis, fructibus & paſcuis diues eſt. In celebrem huius vrbis portum Machabæorum tempore Demetrius Seleuci cum multitudine valida & nauibus appulit. Poſt Chriſti aſcẽſionem vrbs hæc Epiſcopatus titulo inſignis, aliquot ſæculis in Chriſtiana religione floruit: quo tempore S. Marina in habitu virili clam inter monachos ibi vixiſſe ſcribitur.

*Sal. tom. 9. cap. 10.*

*Bened. an. not. in 2. Mach. 4.*

*2. Mac. 14.*

*Ty. 14. bel. 12. 14. & 21. cap. 26. Brei. iti. 5.*

*Tyr. 7. bel. 14. & 10. c. 5. & 11. bel. 10. & 16. cap. 29. Vitriac. cap. 33.*

Anno verò partus virginei ſexcẽteſimo trigeſimo ſexto Tripolis in Saracenorum poteſtatẽ lapſa, à proprio rege gubernabatur: quã Balduinus primus Hieroſolymitanus rex anno ſalutis humanæ milleſimo centeſimo nono, poſt ſeptem obſidionis annos Genuenſiũ claſſe adiutus Iunij mẽſis die decimo ciuibus tradentibus cepit, atq; Bertrandum, Raymundi Toloſani comitis filium, ibidem comitem conſtituit, qui ſe ſuoſq; ſucceſſores Hieroſolymitano regi iuramento obſtrinxit; cuius comitatus à Valanio flumine initium ſumens, ad fluuium Canem terminatur.

*Lib. 20. cap. 19.*

*Herol. con. bel. ſac. lib. 5. cap. 4.*

*Lodou. Ro. Pat. Nauigat. lib. 1. cap. 3.*

Scribit VVilh. Tyr. Archiepiſcopus Tripolim anno natiuitatis dominicæ ſupra milleſimum centeſimum ſeptuageſimo tanto terræ motus impetu ſubitò eſſe quaſſatam, vt tota ciuitas quaſi agger lapidum, oppreſſorum ciuium tumulus, & ſepulcrum publicum facta ſit. Cùm anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo nono Saraceni innumeris copijs vrbẽ hanc obſiderent, atq; nec diu, nec noctu intermiſſis aſſultibus, oppidanis, qui pro aris & focis decertabant, vrbem ſtrenuè defendentibus, eam fruſtra aperto Marte oppugnarent, tandem inſidijs vſi, diuturno atq; laborioſiſſimo opere clam cuniculos egerũt, ac ſubterraneo itinere antelucano tẽpore in medium vrbis forum erumpentes, poſt maximam ciuium ſtragem, vrbem direptam ignique abſumptam, ad fundamenta vſq; diruerunt, ac complanauerunt: quæ poſtea à Saracenis reſtaurata, nũc ſub Turcæ imperio agit.

31.

VALANIA fluuius ſeu riuus, qui Cæleſyriã diuidit à Phœnicia, atq; olim prin-

cipatum Antiochenum à comitatu Tripolitano dirimebat, ex mõtibus à Phœnicia & Libano non longinquis oritur, Margath præter fluens, inter maritimas & epiſcopales vrbes Maracleam & Valaniam in mare magnum ſeu mediterraneum ſe exonerat. Tyr. bel. ſac. lib 11. cap. 17. & lib. 13. cap. 2. & 16. ca. 29. Vitriac. cap. 32. 33. & 96. Brocard. & Breidenb. in præfat. loc. ter. ſanctæ.

32.

VALANIA, aliâs Balania, Ptolomæo Balanee dicta, maritima & Epiſcopali titulo illuſtris eſt vrbs, ſita ad Valaniam fluuium, atq; à caſtro Margath miliario vno, à Ptolemaide itinere dierum octo, ab Antiochia verò quatuordecim dierum itinere diſtat. Huius vrbis Epiſcopatus propter Saracenorum excurſiones in caſtrum Margath poſtea tranſlatus eſt. Tyr. bel. ſacr. lib. 9. cap. 14. & 10. cap. 5. & 14. cap. 12. Vitriac. ca. 32. & 44. Brocard. præfat. ter. ſanctæ.

33.

VIMA, locus eſt, vbi occidentales Chriſtiani Saracenorum à ſe proſtratorum prædam, captaq; mancipia militaris fori more inter ſe diuiſerunt. Tyr. 10. bel. ſac. 6.

34.

MANOTHERA, caſtrum inter Biblum & Heliopolim, in valle Bacar ſitum. Tyr. 21. bel. ſac. 11.

35.

PARADISVS Syriæ vrbs, ob hortorum amænitatem nomen habens, quæ ad Septentrionem mõtis Libani ſupra Antaradum in Libanica regione ſita eſt. Ptol. 4. Aſiæ tab.

36.

*Iudit. 3. Plin. lib. 5. cap. 23.*

APAMIA, ſiue Apamea, aliâs Appamena, nunc Amanum dicta, potens & celebris ad Orontem fluuium vrbs eſt, totius Cœleſyriæ metropolis; à qua & ampla, lateq; diffuſa, multiſq; oppidis & pagis diues, eam cingens regio, etiam Apamia, & Apamena vocitatur. Condidit hanc vrbẽ Seleucus, vel iuxta quoſdam Antiochus Seleuci F. Rex Syriȩ eiq; à matre ſua Apamia, Apamiæ nomen indidit. Ab Aquilone vicinæ ei erant duæ inſignes Syriæ vrbes, Seleucia & Laodicea, quarũ, ob ſingularẽ ciuium inter ſe concordiã, ſoror hæc dicta fuit. Tempore, quo Iulius Cæſar, facta in eũ coniuratione, à Caſſio, Brutoq;, alijſq; ſexaginta vel amplius ſenatoribus, equitibuſque Romanis Romæ in ſenatu viginti tribus vulneribus confoſſus interijt, vrbs hȩc à maximo Romanorum exercitu obſidebatur. Quẽ Caſſius, ad parandum ſibi exercitũ in Syriam profectus, in ſuas partes pertraxit, vrbemq; obſidione liberauit. Cùm autem vrbs hæc Chriſti amplexa fidem, Chriſtiana religione exculta eſſet, Archiepiſcopali ſede, cui ſeptẽ Epiſcopatus parebãt, multis ſæculis claruit: atq; tandem vnà cum cæteris vrbibus in Saracenorũ poteſtatẽ delapſa, anno humanæ ſalutis milleſimo centeſimo & tertio, ab illuſtri Chriſtianorum principe Tancredo, cùm Antiocheni principatus gubernationem ſuſcepiſſet, poſt longam obſidionem recuperata eſt. Quam cùm poſtea AEgyptiorum Sultanus extorſiſſet, anno Chriſti ſupra ſeſquimilleſimum decimo quinto à Selimo Turcarum Imperatore per deditionem occupata eſt.

*Ioſeph. 14. anti. 19. 20. & 1 bel. 8. 9. 13.*
*VVil. Tyr. 14. bel. ſac. 12. & 15. bel. 16. Tyr 10. bel. ſacr. 23. Vitriac. cap. 44.*
*Herol. ſex conti. bel. ſac. 9. 10.*

37.

EMESA, aliâs Emiſa, & Emiſſa, poſtea Camela vocata, quam Abrahamus Ortelius noſtræ ætatis coſmographus, ex Bellonio ſcribit hodie Turcis Haman, & Arabibus Hamſa dici: inclyta Apamenȩ regionis vrbs eſt. Hanc olim Samaræos, qui è Samaræo decimo filio Chanaan prognati ſunt, incoluiſſe referunt. Tempore, quo Romani totius mũdi monarchiam tenebant, vrbs hæc proprium habuit regem, firmaq; arce, quæ in edito colle ſita erat muniebatur. Poſtquam autem Chriſti fide imbuta fuit, Archiepiſcopatus ſede inſignita eſt, ac quatuor Epiſcopatibus imperabat.

*Ptolom. Hieron. de loc. Hebr.*
*Geneſ. 10. Ioſeph. 7. bel. 27. Ty. 14. bel. 12. & 21. cap. 6. 8. Vitriac. cap. 45.*

CHRO-



# CHRONICON DVPLEX AVCT. R. D. CHRISTIANO ADRICHOMIO DELPHO.

## PRAEFATIO IN SVBSEQVENS CHRONICON.

*CVM viderem hoc tempore, nihil æquè neceſſarium, quàm ſi hiſtoricus, & literalis vtriuſq; Teſtamenti textus, quàm apertiſſima methodo explicaretur, videbam hoc non alio pacto rectius quàm locorum & temporum explicatione fieri. Neq; tamen hoc mihi conandum arbitrabar, vt perplexis & neſcio, an vnquam explicandis quæſtionibus lectorem retinerem; ſed vt hanc quaſi viam ſternerem, ad ſuccũ & ſyncerio res fructus ex ipſis bibliorum fontibus hauriẽdos. Itaq; ſubiecta oculis Paleſtina, vt maximè rudiorum animos oblectare & inſtruere potuit, & ipſa Euangelij ſede, & quaſi matrice Hieroſolyma, hoc ſequenti opere exhibeo Chronicon duplex. Primum, breuiſſimum, quod ſummatim præclariſſima quæq; ab orbe condito ad hunc vſq; diem complectitur. Alterum, cũ ipſis Biblijs orditur & finit quod iure voces totius Teſtamenti compendium. quicquid enim obſcurè ibi, confusè, ſæpè etiam interrumpitur; hìc quanta maxima potuit induſtria, luculenter exponitur. Adiecimus & breuiſſimis annotationibus, illam temporum rationem, quam Genebrardus, & aliquando Benedictus Arias ſequuntur: ne quicquam ſit, quod properantem latere poſſit. & eam ipſam non omnibus, ſed præcipuis tantùm locis appoſuimus, atque ita ſequi quemuis cuiq; licitum ſit. nam præſtare omnia tam contrarijs omnium ſententijs, difficillimum eſt: vt non dicam, quod hoc à nemine præſtari poſſit. Doctiſſimi quique magno ſtomacho Annij Philonem & Beroſum proſcindunt, qui tamen ipſi, quando commodum eſt, lubenter eum ſequuntur. Quidam Latina Græcis, plures Hebræa vtriſque præferunt, alij vnũ, aut ex vno, locum aliquem vnum, ex quo reliquos deducunt: alij omnes ſequuntur: vt tandem qui verè prudens & doctus ſit, audire vtramque partem debeat. Cùm igitur nihil ſit iucundius, vtilius, magiſq; neceſſarium ac ſalutare, quàm cõtemplare Dei Opt. Max. Maieſtatẽ: Mundi quoque creationẽ, hominis formationem: eiuſdemq; propagationem: regnorum originem ac mutationem. Legis etiam Moſaicæ initium, progreſſum, ac finem: Item Chriſti ortum, vitam, miracula, ac paſſionem: nec non Chriſtianam Eccleſiam naſcentem, grandeſcentem, florentem, ac iam ſeneſcentem: denique virtutum, vitiorumq; exempla ſequẽda fugiendaúe quaſi ob oculos intueri: operæ precium mihi viſum fuit ex Diuina ſcriptura & Eccleſiaſticis ſcriptoribus harum rerum omnium epitomen quandam concinnare. Quo in opere duo ſumma diligentia obſeruaui: Primò, vt res ſacras, (ſacra namque ex profeſſo tracto) eaſq; nõ quaslibet, ſed maximè notabiles ac memorabiles, iuxta γνήσιον genuinum, verumq; ordinem collocarem, ſeruata vbique exactiſſima temporis, loci, & perſonæ ratione. Ordo namque rei, ac conſideratio circumſtantiarum, quando, vbi, à quo, qua occaſione, quomodo, quo fine, quid actum dictumúe ſit, multum lucis intellectui adfert, mira gratia affectum dele-*

*ctat, memoriamq́ plurimum iuuat. Secundò, vt præcipua quæq; rerum capita ac ſummã, quoad licuit pauciſſimis, maximeq́ proprijs et efficacibus verbis, præſenti plerũq; vtens tempore, explicarẽ, earumq́ veram & viuam imaginem quaſi in tabula compẽdiario penicillo deliniatã, ac viuidis coloribus graphicè depictam, tanquam iam ante oculos gererentur, viuidè contemplandam, mentiq́ue imprimendam ſubijcerem: cauens tamẽ, ne dum breuis eſſe laboro, obſcurus fiam. Dilucida autem breuitas gemino beneficio iuuat lectorem, in primis vt minori cum labore, ac maiori cum voluptate legat: deinde vt lecta facilius memoriæ infigat, ac tenacius retineat. nam memoriæ amicum eſt, quod breue eſt. Styli elegantiam in tanta breuitate obſeruare non potui, vbi ſic cuiuſque ſæculi illuſtria dicenda ſunt, vt digito ea indicaſſe ſufficiat: ſacram quoque in hoc imitatus ſcripturam, cùm veritatis oratio, quo ſimplicior, hoc ſit efficacior. non ignorans etiam Manilij illud monoſticon, Ornari res ipſa negat, contenta doceri. Vt itaq; ſcias huius libelli ordinem, principio ex pentateucho Moyſi, libro Ioſue, Iudicum, Regum, Paralipomenon, Eſdræ, & Machabæorum, iuſto ordine breuiter concinnaui continuam ſacræ hiſtoriæ ſeriem à cõdito Mundo, vſque natiuitatem Chriſti: vbi autem ſcriptura deficit, ea ex Philone atque Ioſepho ſuppleui. hiſq́ue ſuo loco inſerui hiſtoriam Iob, Ruth, Tobiæ, Iudith, & Eſter. Item librum Pſalmorum, Prouerbiorum, Eccleſiaſtis, Canticorũ, Sapientiæ, & Eccleſiaſtici; nec non 4. maiorum, & 12. minorum Prophetarum, obſeruato etiã diligenter quo tempore ac loco prophetauerint: quod non parum facit ad ipſorum prophetarum intelligentiam. ſola enim temporum cognitio declarat prophetias eſſe prophetias. Chriſti verò Saluatoris noſtri vitam omnibus & ſingulis Chriſtianis ſemper ob oculos habẽdam atque imitandam, ex 4. Euangel. maxima induſtria iuxta verum germanumq́ ordinẽ luculẽter in vnũ contexui: vbi interdum ſinguli, interdum bini, aliquando terni, nonnunquam verò quaterni Euangeliſtæ mirabili harmonia à Chriſto acta aut paſſa explicant. Eodem ordine per compendium conſcripſi actus & paſſiones Apoſtolorũ; item, quo tempore & loco epiſtolæ Apoſtolicæ & Apocalypſis B. Ioannis, ſint ſcriptæ, propterea quod, teſte Chryſoſtomo, nõ modicum faciat ad tractandas quæſtiones cognitum epiſtolarum tempus. Loca autem originalia ſcripturarum, vbi hæc planius fuſiusq́ue, deſcribũtur, in margine appoſui. Simili induſtria in breuiore Chronico ex Eccleſiaſticis ſcriptoribus ac hiſtoricis tam antiquioribus, quàm recentioribus fide optima proſecutus ſum Eccleſiæ Chriſti primordia ac progreſſum, Romanorum Pontificum & Imperatorum tempora, & cæt. Poſtremò quædam adieci de Antichriſto & nouiſſimis temporibus. Titulos ſummam rei quaſi digito indicantes paſſim in margine adiunxi. Hæc itaque quæ inſtar apiculæ è ſacroſanctæ Scripturæ medulla, probatorumq́ue auctorum floribus in proprium mihi vſum collegi, ac ſyncerè in verum, genuinumq́ue ordinem dilucida breuitate concinnaui, nunc & tibi exhibeo candide lector; vt quibus omnes illos libros comparare aut perlegere commodum nõ eſt, ad manum habeant ſacrarum quarumcunque rerum compendium. Quamobrem hoc meum qualecunque opuſculum, quod beneuolo animo offero, benignè ſuſcipe, piè vtere, & in Chriſto benè beateq́ue viue & vale.*

ADMO-



# ADMONITIO ad Lectorem

*Temporis exacta ratio.*

ANTEQVAM hoc opus aggrediar, expedit, vt de exacta temporis diuiſione quædam præmittam. AEternitas, in ſe immutabilis eſt: nulla enim viciſſitudine obumbratur. Tempus eſt mobilis quædam mutatio ac menſura motus, fluens ex primo mobili. Totius autem temporis fluxus in 6. ætates diſtinguitur. Prima à creatione Mundi vſque ad diluuium, continet annos 1656. Secunda, à diluuio vſque ad natiuitatem Abrahæ, quæ à poëtis aurea vocatur, conſtat annis 292. Tertia, exinde vſque ad initium regni Dauid, habet annos 942. Quarta, à principio regni Dauid vſq; ad ſubuerſionem Ieruſalem per Chaldæos durat ann. 484. Quinta, deinde vſque ad natiuitatẽ Chriſti complectitur annos 586. Sexta incipit à natiuitate Chriſti, & durat vſq; ad conſummationem Mũdi, cuius terminũ ſolus Deus nouit. Septima, quaſi ſabbatum, eſt ſtatus piarum animarum in cælo & corporum in ſepulchro quieſcentium. Octaua, erit reſurgentium, in qua pij cum Domino regnabunt in æternum.

*De 6. ætatibus Mundi.*

*Matt. 24. Marc. 13.*

Cæterum Annus, quali Geneſis & reliqui ſacræ Scripturæ libri vtuntur eſt ſpacium decurſus Solis, quem ab vno diſceſſus zodiaci puncto, donec illo præcisè reuertatur; peragit. Hunc autem circuitum perficit Sol in ſeptimanis 52. die 1. & quarta fermè diei: aut in diebus 365. & horis ferè 6. nam deficiunt 12. minuta, quæ faciunt quintam partem horæ Sex autem iſtæ horæ quarto quoq; anno conficiunt diem integrum, qui intercalatur ſexto Kalendis Martij, à quo biſſextus is annus dicitur. Minuta verò illa 12. faciunt retrocedere Solſtitia & æquinoctia: & ita in quinq; annis erramus per vnam horam: & in 120. annis per vnum diem. & niſi error iſte corrigatur, feſta hyemalia tandem forent æſtiualia: & econuerſo.

*Anni Solaris diuiſio. Gene. 7. & 8.*

Annum verò Iudæi diuidebant in menſes 12. eumq́ue ex Dei mandato incipiebant à 1. menſe Niſan, cuius 14. luna vel cadebat in diem Verni æquinoctij, vel propius ipſum ſequebatur. vnde ferè cum noſtro concurrit Martio. Romani etiam annum diuidunt in menſes 12. eumq́ue primitus incipiebant à menſe Martio: at poſtea, authore Iulio Cæſare, eum inceperunt à Ianuario, ſic & nunc communiter nos Chriſtiani annum inchoamus, & innouamus Kalendis Ianuarijs. Luna diebus 29. & horis ferè 12. ad initium ſui, vnde cæperat, reuertitur.

*Exod. 12.*

*Luna curſus.*

Septimana, (à Iudæis Sabbatum dicta,) eſt ſpacium 7. dierum. cuius dies Iudæi primam, ſecundam, tertiam, quartam, quintam, ſextã, ſabbati (quæ & paraſceue dicebatur) & ſabbatũ appellabãt. Ethnici verò, à 7. planetis, diem Solis, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, & Saturni nominabant. Apoſtolorum autem autoritate prima ſabbati, ob reſurrectionem Domini, Dominicus dies eſt dictus. Silueſter verò Põtifex reliquos ſeptimanæ dies, feriam ſecundam, terram, quartam, quintam, ſextã, & Sabbatum nuncupauit. Itaque qui Iudæis prima ſabbati, is gentibus dies Solis, & Chriſtianis dies Dominicus eſt: & ſic deinceps. Septimanam autem Iudæi à prima Sabbati, Ethnici à die Solis, Chriſtiani à Dominico incipiunt.

*Septimanæ diuiſio. Luc. 18. Hier. epiſt. ad Hedib. quæſt. 4. Apocal. 1.*

Dies naturalis, complectitur horas 24. id enim eſt diei ac noctis completæ ſpacium. hunc computabant Iudæi à veſpera in veſperam Ethnici ab ortu Solis: Chriſtiani à media nocte vſque ad medium ſequentis noctis. quẽ etiam in 24. horas partimur. Dies artificialis eſt ſpacium temporis ab ortu ſolis vſque ad eius occaſum. Hunc diuidebãt Iudæi, patreſq́; priores in 12. horas æquales, de quibus Chriſtus: Nonne duodecim ſunt horæ diei? Prima itaque hora ſiue mane, erat exortus Solis. Tertia, erat ſpacium medium inter ortum Solis & meridiem. Sexta, ipſa erat meridies. Nona, Sole iam ad occaſum vergente. Duodecima ſiue veſpera, occaſus erat Solis. Hoc liquet ex parabola de conductis à patrefamilias operarijs, qui exijt mane, tertia, ſexta, nona, & vndecima horis: vbi etiam quoſdam legimus in vineam vndecima demum hora miſſos, ac vnam duntaxat horam in opere fuiſſe, vtpotè qui paulò ante ſolis occubitum venerint. Harum tamen 12. horarum, prima, tertia, ſexta, & nona, nominatiores erant. ac veluti capita quędam cęterarũ, vtpote in quibus & cæteræ horæ comprehendebantur, de quibus ſæpe in Sacris literis fit mentio: nominatim nihilominus & de alijs horis in Scriptura legimus. Noctem verò ab occaſu Solis vſque ad eius ortum partiebantur, Iudæi ſimul ac Romani in vigilias 4. prima in occubitu incipiebat Solis, tertia in media nocte, &c. Sic legimus Chriſtũ ambulaſſe ſuper mare quarta vigilia noctis. Hora, eſt duodecima pars diei artificialis. Punctus ſiue quadrans, eſt quarta pars horæ. Minutum, eſt ſexageſima pars horæ. Momentum, eſt decima pars puncti. Vncia, eſt duodecima pars momenti. Atomos eſt quadrageſima quarta pars vnciæ.

*Dies naturalis. Leuit. 2. Dies artificialis. Ioan. 11. Matt. 20. Ioan. 1. & 4. Noctis diuiſio. Matth. 14.*

CHRO-

# CHRONICON, CONTINENS VERAM ANNORVM SERIEM, AVTORE CHRISTIANO ADRICHOMIO DELPHO.

## I. ÆTAS MVNDI.

*Anni Mundi.*

DEVS æternus creauit Adam. *Gene. 1.*
1. Adam cùm eſſet 130. annorum genuit Seth.
130. Seth cùm eſſet 105. annorum, genuit Enos.
235. Enos natus annos 90. genuit Cainam.
325. Cainam exiſtens 70. annorum, genuit Malaleel.
395. Malaleel cùm eſſet 65. annorũ, genuit Iared. *Geneſ. 5.*
460. Iared ætatis ſuæ anno 162. genuit Enoch.
622. Enoch exiſtens 65. annorum, genuit Mathuſalam.
687. Mathuſala natus annos 187. genuit Lamech.
874. Lamech cùm eſſet 182. annorũ, genuit Noë
1056. Noë exiſtente 600. annorum, inundauit diluuium. *Geneſ. 7.*
1656.

### Summa ab Orbe C. ad diluuium, anni 1656

*Dies ſex addit Genebrardus.*

## II. Ætas.

1658. SEM genuit Arphaxad biennio poſt diluuium.
1693. Arphaxad cùm eſſet 35. annorũ, genuit Sale.
1723. Sale exiſtẽs 30. annorum, genuit Heber.
1757. Heber natus annos 34. genuit Phalegh.
1787. Phalegh ætatis ſuæ anno 30. genuit Reu. *Geneſ. 11.*
1819. Reu cùm eſſet 32. annorum genuit Saruch.
1849. Saruch natus annos 30. genuit Nachor.
1878. Nachor exiſtẽs 29. annorum genuit Thare.
1948. Thare cùm eſſet 70. annorum genuit Abram.

### Summa annorum 292.

*Diluuium durauit anno: ita ſecundo poſt Diluuium, hoc eſt 1659. natus eſt Arphaxad Genebrardo: adijciendus igitur in his genealogijs vnus annus: vt ſumma huius ætatis ſit 293. annorum. B. Arias tamen numerat 292.*

## III. Ætas

*Anni Mundi.*

*Adijciendus & in hac ætate annus ille Diluuij, ita conuenient omnia cum ſupputatione Genebrardi.*

2023. ABRAM cùm eſſet 75. annorũ, accepit à Deo primam promiſſionem. *Geneſ. 12.*
2048. Abraham exiſtens centum annorum, genuit Iſaac. *Geneſ. 21.*
2108. Iſaac natus annos 60. genuit Iacob. *Gene. 25.*
2199. Iacob cùm eſſet annorum 91. genuit Ioſeph. *Geneſ. 30. 41. 45. & 47.*

*Iacob deſcendit in Aegyptum annos 130. natus.* Gen. 47. *Fuit is annus Mundi 2239. Iacobæi manſerũt in Aegypto annis 430.* Exod. 12. Galat. 3. *ita annus Mundi 2669. Genebrard.*

*A Iacob in Aegyptum deſcenſu quot anni fluxerint vſque ad Moyſis adminiſtrationem in deſerto, maxima contentio eſt: docet Genebrard. fuiſſe annos 430.* Exod. 12. Act. 7. Gal. 3. Ioſeph 2. Ant. cap. 5. & ſignificatur. Geneſ. 15. *Quorum omnium initium ſtatuendum eſt non ab Abraham vel Iſaac, ſed ab ipſo deſcenſu Iacob: qui cadit in annum Mundi 1709.* Genebrard. *B. Arias numerat ab Iſaac: ſed ea diſputatio controuerſiarum plena eſt. lector iudicet.*

2309. Ioſeph exiſtens annorum 110. obijt. *Geneſ. 50.*

Quo mortuo ſeruiuit Iſraël in Aegypto vſque ad exitum annis 144. *Euſebius in Chronic.*
2453. Moyſes exiſtens 80. annorum, eduxit Iſraëlem ex Aegypto. *Exod. 7.*

Et accepit legem in Sinai anno 430. à prima promiſſione ad Abraham facta. *Galat. 3.*

Deinde præfuit Iſraëli in deſerto annis 40. *Deut. 1. & 34.*
2493. Ioſue præfuit annis 7.
2500. Iſraël fuit ſine iudice annis 11.
2511. Othoniel iudicauit annis 40. *Iud. 3.*

*Moyſes, vt Genebrardus, præfuit annis 40. Ioſue annis 18. vndecim autem annos, quibus ſine iudice dicitur fuiſſe, adijcit Othonielis, vt cum iſtius imperio ſimul faciant annos 40.*

2551. Aiod annis 80. *Iud. 3.*
2631. Debora annis 40. *Iud. 5.*
2671. Gedeon annis 40. *Iud 8.*
2711. Abimelec annis 3. *Iud. 9.*
2714. Thola annis 23. *Iud. 10.*
2737 Iair annis 22. *Iud. 10.*
2759. Iepte annis 6. *Iud. 12.*
2765. Abeſſam annis 7. *Iud. 12.*
2772. Ahialon, ſiue Elon annis 10. *Iud. 12.*
2782. Abdon annis 8. *Iud. 12.*
2784. Troia capitur. *Euſeb. in Chron.*





*Anni Mundi*

2790. Samſon annis 20. *Iud. 15.*
2810. Heli ſacerdos annis 40. 1. *Reg. 4.*
2850. Samuel, & Saul ann. 40. *Act. 13.* Euſeb. *In Chron*

### Summa annorum 942.

*Genebrardus ætatem hanc numerat ab exitu de Aegypto, vſque ad templi ædificationẽ anno 4. Solomenis Summa anni 480. anno Mundi 3149. ita Genebrardus numerat à nato Abraham ad ædificationem templi annos 1200. Chriſtianus verò 986-*

## IV. ÆTAS.

2890. DAVID regnauit ann. 40. menſ. 6. *2 Reg. 5.*
Salomon an. 40. *3. Reg. 11.*
2930. Anno regni ſui 4. fundauit Templum Domini, an. 480. ab exitu Iſrael de Aegypto. *3. Reg.* 6.
2933.
2970. Roboam regnauit an. *17. 3. Reg. 14*
2987. Abia ann. *3. 3. Reg. 15.*
2990. Aſa an. *41. 3. Reg. 15.*
3031. Ioſaphat an. *25. 3. Reg. 22*
3056. Ioram ann. *8. 4. Reg. 8*
3064. Ochozias an. 1. *4. Reg 8*
3065. Athalia an. 6. *Geneb. 7. 4. Reg 11. 2. Par. 22.*
3071. Ioas an. 40. *4 Reg 12*
3111. Amaſias an. *29. 4. Reg. 14*
3140. Ozias, qui & Azarias, an. *52. 4 Reg. 15*
3189. Olympias prima. *Euſeb. in chron.*
3192. Ioathan an. *10. 4. Reg. 15*
3209. Achaz an. 16. *4 Reg. 16*
3209. Roma conditur. *Euſeb. in chron.*
3224. Ezechias an. 29 *4. Reg. 18*
3229. Tranſlatio Iſrael in Aſſyriam.
3253. Manaſſes an. *55. 4. Reg. 21.*
3308. Amon, poſt mortem Manaſſe patris ſui an. *2. 4. Reg. 21.* quibus connumerãtur 10. anni, quibus regnauit Amon captiuo patre: prout Philo dicit, & manifeſtat Euſebius, & 70. interpret.
3320. Ioſias an. *31. 4. Reg 22*
3351. Ioachaz men. *3. 4 Reg. 23*
3351. Ioakim. *Ioachim Eliachim Genebrar.* an. 11. *4. Reg. 23.*
3362. Ioachim, qui & Iechonias m. *3. 4. Reg. 24.*
Tranſmigratio Babylonis.

*Summa ab ædificatione Templi, quæ incidit in quartum Solomonis, vſque ad captiuitatem Babylonis anni 419. menſ. 6. Genebr.*

3363. Sedechias an. 11. quo anno Hieruſalem deuaſtata eſt. *4. Reg. 24. 25.*

### Summa annorum 484.

## V. ÆTAS.

3374. DESOLATIO Ieruſalem, ac templi, & captiuitas Babylonica durauit an. 70. *2. Par. 36. Hierem. 25. 29.*
3444. Zorobabel dux præfuit Iudæis Hieroſolymam reuerſis an. *58. Luc. 3. Philo in breuiar. temporum.*

*Anni Mundi*

3445. Anno 2. cæpit ædificare templum Domini, ſed mox opus prohibitum eſt.
3480. Anno eius 37. miſſus Holofernes à Iudith truncatus eſt.
3488. Anno eius 45. Darius Artaxerxes Longimanus cæpit regnare Perſis.
3489. Cuius anno 2. ædificatio templi reſumpta eſt, hortantibus Aggæo, & Zacharia prophetis.
3493. Et anno eius 6. completa eſt: ex quo primum fundari cæpit an. 46. *Ioan. 2.*
3494. Ann. proximo, id eſt, 7. Artaxerxis, die 1. men. 1. Eſdras ſcriba cæpit aſcendere de Babylone Ieroſolymã: quo peruenit die 1. menſ. 5. cum ſocijs 1775. & m. 9. conſtituit Iudices, qui ſepararent à Iudæis alienigenas cũ natis eorum.
3502. Reſa moſolla, ſiue miſciola, dux Iudæorum an. 66 *Luc. 3. Philo in Breuiar.*
3507. Anno Artaxerxis 20. Neemias pincerna impetrauit à rege Licentiam reædificandi Hieruſalem. à quo tempore inchoantur 70. hebdomadæ Dani. ca. 9. quæ faciunt ann. 490. & terminantur quadriennio poſt mortem Chriſti, quando Caius fecit poni abominationem deſolationis. hoc eſt, imaginem ſuam in templo ſub nomine Iouis maximi. *Matth. 24.*
3544. Aſſuerus Magnus cæpit regnare ab India, vſque Aethiopiam ſuper 127. prouincias.
3546. Anno eius tertio, Heſter regina electa eſt.
3550. Anno 7. nupta eſt & coronata.
3555. Anno 12. ſuſpenſus Aman, & Mardocheus exaltatus
Ioanna Ben Reſa dux Iudæorũ annis 53.
3568. Iudas Hircanus I. an. 14.
3621. Ioſeph priſcus, an. 7.
3635. Alexãder Mag. fit Monarcha
3635. Semei Abner, ann. 11.
3642. Matthias Heli, an 12. *Lucæ 3. Philo in Breuiar.*
3653. Maad Aſar, an. 9.
3665. Nagge Artaxat, an. 10.
3674. Heſsi Agai, an. 8.
3684. Nau Maſlot, an. 7.
3692. Amos Sirach. an. 14.
3699. Matathias Siloa, an, 10.
3713. Ioſeph iunior Arſes, an. 60.
3723. Ianne Hircanus ſecũdus, an. 16
3783.

*Summam huius temporis ita demonſtrat Genebr. à captiuitate ad Ioſue fil. Ioſedec an. 70. à Ioſue ad Machabæos anni 283.*

3799. *Genebrar.* Propter perſecutionem Antiochi Epiphanis ducatu Iudæorum vacante, Mathatias Machabæus ſacerdos correptis armis Dei legem vindicauit.
3922.
3800. Iudas Machabæus dux ſimul, & Pontifex, præfuit an. 5. *Genebr 4.*
3805. Ionathas Machabæus, an. 19. *Genebr. 18.*

Anni Mundi

3824. Simon Machabæus annis 19. *Genebr. 8.*
3832. Ioannes Hircanus Priſcus, annis 26. *Genebrard. 31.*
3858. Ariſtobulus rex an. 1.
3859. Alexander Iannæus, an. 27.
3886. Alexandra Alexandri vidua, an. 9.
3895. Hircanus vltimus, an. 34. quo cum fratre Ariſtobulo de regno dimicante, Iudæa ſubacta eſt à Romanis
3914. *Iulius Cæſar I. Romanus imperat à Calen. Ianuar. an. 4. menſ. 2. d. 15.*
3918. *Iulius Cæſar Idib. Mart. occiditur.*
3920. *Octauius Auguſtus Romanus Cæſar II. imperat an. 55. m. 8. d. 24.* Onuph.

Hircano à Parthis capto,

3929. Herodes maior Aſcalonita, I. ex alienigenis rex Iudæorum ab Auguſto, & ſenatu Romæ creatus, inuitis Iudæis tyrannico principatu regnat ann. 31. deinde legitimo an. 6. ſimul an. 37.
3945. Templum Hieroſolymæ ab Herode magnificentiſſimè reſtitutum. *Ioſeph. 15. antiq. 14.*
3945. Die 8. Decēb. B. Maria virgo cōcipitur.
3945. Die 8. Sept. B. Maria virgo ex tribu Iuda, patre Ioachimo, matre Anna in Nazareth Galilææ naſcitur. *Onuph.*
3949. B. Maria ablactata triennis Ieroſolymæ in templo præſentatur Domino
3959. Die 24. Sept. Ioan. Baptiſta concipitur
3960. Anno 1. regni Herodis legitimi, quo Iudæi ipſum in regem ſuſcipientes. iurauerūt in fide ipſius, & poſterorum eius ſeſe permāſuros, iuxta prophetiā Iacob *Geneſ. 40.* ablato ſceptro de Iuda, die 25. Mart. feria 6. Chriſtus in Nazareth in vtero B. Mariæ virginis de Spiritu S. concipitur.

Die 24. Iunij feria ſexta Ioann. Baptiſta naſcitur.

Die 26. Iul. feria 3. B. Anna obijt, anno ætatis ſuæ 50.

Dje 26. Decemb. die Dominico Chriſtus in Bethlem naſcitur.

## Summa annorum. V. ætatis 586.

SVMMMA ANNORVM. A creato mundo vſq; natum Chriſtum 3960. *Genebrad. numerum facit 4089. annorum.*

# VI. MVNDI ÆTAS.

Anni Chriſti

1. IESVS Chriſtus, Deus & homo, Pontifex in æternum vixit in terris, ann. 33. m. 3. d. 1.

*Pontacus & Genebrardus aiunt Ieſum Chriſtum D N. vixiſſe an. 32. men. 3. diebus 10. alij aliter.*

15. *3. Tiberius I. imperat à 18. Septemb. ann. 22. m. 6. d. 26.*
34. 1. Sanctus Petrus Chriſti vicarius, ſedet à morte Chriſti in Iudęa annos 5. Antiochiæ an. 7

Anni Chriſti

38. *4. Caius Caligula impert à 16. Mart. ann. 3. m. 10 d. 9.*
42. *5. Claudius I. imperat à 24. Ianuar. an. 13. men. 8. dies 20.*
44. 1. S. Petrus ſedet Romæ à 18. Ianuar. an. 24 m. 5. d. 12. *hoc eſt in vniuerſum an. 36. m. 5. dies 12.*

Concilium Apoſtolorū Hieroſolymæ. *Actor. 15.*

55. *6. Nero imperat à 13. Octob. an. 13. m. 7. d. 28.*
57. 2. S. Linus ſedet à 12. Iun. viuo & abſente vt plurimum Petro, an. 11. m. 3 d. 12.
65. Prima perſecutio Chriſtianorum.
68. 3. S. Clemens I. ſedet à 29. Iun. an. 9. men, 4. dies 26

*Clemens Cleto ſubijciendus eſt. Genebrard.*

69. *7. Galba imperat à 10. Iun. m. 7. d. 7.*
70. *8. Otho imperat à 16. Ianuar. m. 3. d. 5.*

*9. Vitellius imperat à 20. April. m. 8. d. 5.*

70. *10. Veſpaſianus imperat à 24. Decemb. ann. 9. men. 6.*
77. 4. S. Cletus ſedet à 23. Nouemb. an. 6. m. 5. d. 3. *Genebr. an. 12. m. 1. d. 11.*
80. *11. Titus imperat à. 24. Iun. an. 2. m. 2. d. 20.*
82. *12. Domitianus imperat à 13. 5. Septem. an. 15. dies 6.*
84. Genebra. foli. 200. 5. S. Anacletus ſedet à 4. Maij an. 12. m. 2. d. 10. *Genebr. an. 9.*
90. 2. Perſecutio Chriſtanorum.
96. 6. S. Euariſtus ſedet à 27. Iul. an. 13. m. 3. *Genebr. an. 9.*
97. *13 Nerua imperat à 18. Septem. an. I. menſ. 4. dies 9.*
99. *14. Traianus imperat à 27. Ianuar. an. 19. m. 6 dies 15.*
103. 3. Perſecutio Chriſtianorum.
109. 7. S. Alexander I. ſedet à 15. Nouemb. an. 7. m 5. d. 19
117 8. S. Xyſtus I. ſedet à 29. Maij an. 9. m. 10. d. 9. *Genebr. an. 10. m. 3. d. 21.*
118. *15. Aelius Adrianus imperat à 9. Auguſt. an. 20. m. 10. d. 29.*
127. 9. S. Teleſphorus ſedet à 9. April. an. 10. m. 8. d. 28. *Genebr. an. 11 m. 3. d. 21.*
138. 10. S. Hyginus ſedet à 13. Ianuar. an. 4. m. 3. d. 4.
139. *16. Antoninus Pius imperat à 10. Iul. an. 22. m. 7. d. 26.*
142. 11. S. Pius I. ſedet à 15. Ianuar. an. 11. m. 5. d. 27. *Genebr. an 9. m. 4. d. 3.*
153. 12. S. Anicetus ſedet à 25. Iul. an. 9. m. 8. d. 24. *Genebr. m. 4. d. 13.*
162. *17. Marcus Antoninus Verus cum Lucio Aurelio fratre imperat à 7. Mart. an. 19. d. 11.*
163. 13. S. Soter ſedet à 5. Maij ann. 7. m. 11. d. 18. *Genebr. an. 9. m. 3. d. 21.*
168. 4. Perſecutio Chriſtianorum.
171. 14. S. Eleutherus ſedet à 14 Maij, an. 15. d. 13. *Genebr. m. 3. d. 2.*
118. *18. Commodus imperat à 17. Mart. an. 12. m. 8. dies 15.*

15. S. Vi-



Anni Chriſti

206. Genebard. 186.
193 15. S. Victor I. ſedet à primo Iunij an. 12. m. 1. d. 28 *Genebr. an. 10. m. 3. d. 10.*
194 *19. Aelius Pertinax imperat. à 31. Decembr. m. 2. d. 28.*
194 *20. Didius Iulianus imperat à 28. Mart. m. 2. dies 5.*
194 *21. Seuerus Pertinax imperat à 1. Iun. an. 17. m. 8. d. 3.*
198 16. S. Zephyrinus ſedet à 10. Aug. an. 20. d. 17. *Genebr. an. 7. m. 7. d. 10.*
200 5. Perſecutio Chriſtianorum.
212 *22. Antoninus Caracalla imperat à 4. Feb. an. 6. m. 11. d. 5.*
218 *23. Macrinus imperat à 12. April an. 1. menſ. 1. dies 28.*
218 17. S. Caliſtus I. ſedet à 2. Sept. an. 5. m. 1. d. 13. *Genebr. an. 6. m. 1. d. 10.*
219 *24. M. Aurelius Antoninus Heliogabalus imperat à 7. Iunij an. 3 men. 9. d. 4.*
223 *25. Alexander Mameæ filius imperat à 10. Mart. an. 13. d. 9.*
223 18. S. Vrbanus I. ſedet à 16. Oct. an. 7. m. 7. *d. 5. Genebr. an. 4. m. 10 d. 12.*
231 19. S. Pontianus ſedet à 18. Iun. an. 5. m. 5. dies 2. *Genebr. an. 9. m. 5. d. 12.*
236 *26. Maximinus imperat à 18. Mart. annos. 2. m... d....*
236 20. S. Anterus ſedet à 21. Nouemb. an. 5. m. 1. d. 14.
237 6. Perſecutio Chriſtianorum.
23741 21. S. Fabianus ſedet à 10. Ian. an. 14. d. 11. *Genebr. an. 13.*
238 *27. Balbinus & Pupienus imperant an. vnum.*

*28. Gordianus imperat à... Iun. circiter 6.*

239. 
245 *29. Philippus cum Philippo filio imperat à...: Mart. an. 5. m.... d....*
250 *30. Decius cum Decio filio imperat annos 2.*
251 7. Perſecutio Chriſtianorum.
251 22. S. Corneli[9] ſedet à 12. Iul. an. 2. m. 2. d. 3.
252 *31. Gallus Voluſianus.*
253 23. S. Lucius I. ſedet à 20. Nouemb. an. 1. m. 3. d. 13. *Genebr. an. 3. m. 3. d. 3.*
254 *32. Valerianus cū Galieno filio imperat an. 7.*

8. Perſecutio Chriſtianorum.

255 24. S. Stephanus I. ſedet à 9. April. an. 2. m. 3. d. 25. *Genebr. an. 7. m. 5. d. 2.*
257 25. S. Xyſtus II. ſedet à 15. Decem. an. 1. m. 10. d. 23. *Genebr. an. 2. m. 10.*
260 26. S. Dionyſius ſedet à 22. Iul. an. 10. m. 5. d. 5. *Genebr. an. 6. m. 2. d. 4.*
261 *33. Gallienus capto patre ſolus imperat an 8.*
269 *34. Claudius imperat à 21. Mart. ann. 1. m. 10. d. 15.*
271 27. S. Felix I. ſedet à 1. Ian. an. 4. m. 3. d. 15.
271 *35. Quintillus imperat à 14. Febr. dies 17.*
271 *36. Aurelianus imperat à 20. Febr. an. 4. m. 11. dies 7.*

9. Perſecutio Chriſtianorum.

275 28. S. Eutychianus ſedet à 5. Iun. an. 8. m. 6. d. 4. *Genebrard. an. 1. m. 1. d. 1.*
276 *37. Tacitus imperat à 25. S. 6. m. 6. d. 20.*
277 *38. Florinus imperat à 13. April. m. 2. d. 20.*
277 *39. Probus imperat à 3. Iul. an. 5. m. 4.*
282. *40. Carus cum Carino & Numeriano filijs, imperat à 2. Nouemb. an. 2. m....*
283. 29. S. Caius I. ſedet à 17. Decemb. an. 12. m. 4. d. 6. *Genebr. an. 11. m. 4. d. 12.*
284 *41. Diocletianus & Maximianus Herculeus imperant à 21. April. an. 20.*

10. Perſecutio Chriſtianorum; eaq; maxima.

296. Genebrard. 302. 30. S. Marcellinus ſedet à 21. Iul. an. 7. m. 9. d. 26. *Genebr. an. 6. m. 2. d 16.*
304. 31. S. Marcellus I. ſedet à 27. Iun. an. 5. m. 6. d. 21. Martyr. *Genebr. an. 6. m. 5. d. 21.*
304. *42. Conſtantius I. & Galerius Maximianus, imperant à 21. April. an. 1. m. 10. d. 8.*
306. *43. Conſtantinus Primus Magnus imperat à 25. Iul. ann. 30. m. 9. d. 27*
306 *Maxentius imperet an. 6.*
306 *Galerius Maximinus imperat an. 7*
310 32. S. Euſebius ſedet à 6. Feb. an. 1. m. 7. d. 27. *Geneb. an. 4. m 1. d. 3*
310 *Licinius imperat an. 14*
311 33. S. Melciades, qui & Miltiades, ſedet à 10. Oct. an. 3. m. 2. *Geneb. an. 4. m. 7. d. 9*
314 34. S. Silueſter I. ſedet à 28. Oct. an. 21. d. 4. *Genebr. an. 23. m. 10. d. 11*
325. Primum Concilium generale Nicenū: 318. Epiſcoporum contra Arrium.

## 331 Sedes Imperij transfertur Conſtantinopolim.

336. 35. S. Marcus ſedet à 26. Ianuar. m. 8. d. 22. *Geneb. an. 2. m. 8. d. 20*
336. 36. S. Iulius I. ſedet à 28. Oct. an. 16. m. 5. d. 16. *Geneb. an. 15. m. 2. d. 6*
337 *Conſtantinus II. imperat in Occidente à 22 Maij an. 3*

*Conſtantius II. imperat in Oriēte an. 25. m. 5. (d. 5*

*Conſtans imperat in Occidente an. 13*

353 37. S. Liberius I. ſedet ab 8. Maij an. 13. m. 4. d. 17. *Gebr. an. 12 m. 3 d. 4*
355 Felix II. Antipapa, ſedet in ſchiſmate à 12. Aug. an. 10. m 3. d. 11 *alij rectius legitimum fuiſſe, & martyrem mortuum. Genebrar ſedit an. 1. m. 4. d. 2*
362 *Iulianus Apoſtata imperat à 3. Nouem. an. 1. m. 7. d. 27*

*Iouianus imperat à 26. Iun. m. 7. d. 22*

## Imperium Bipartitum.

364 *Valentinianus I. ſenior in Occidente imperat à 25. Febr. an. 11. m 8. d. 22*
364 *Valens P. frater eius, imperat in Oriente à 1. April. an. 14. m 4. d. 13.*
366 38. S. Damaſus I. ſedet à 1. Oct. an. 18. m. 2. d. 11. *Geneb an. 19. m. 3. d. 11.*
370 *Gratianus imperat in Occidente à 17. Nouē. an. 7. m 9. d 9.*
379 *Theodoſius I. ſenior imperat in Oriente à 16. Ianuar. an. 16. d. 2.*
381 2. Concilium generale Cōſtantinopolitanum 1. 150. Epiſcoporum contra Macedonium.



Valen

*Anni Chriſti.*

373 *Valentinianus II.Iunior,Imperat in Occidente,an.8 menſ.8 d.20*

*Maximus imperiũ occidẽtis occupat ,a.5.d.2*

384 39.S.Siricius ſedet à 29. Decembr.an.13. m.1.d.25.*Genebr.an.15.men.11.*

*Genebr.* 403

392 *Eugenius imperat in occidente à 15. Maij, an 2.m 4. d.13.*

394 *Honorius Thodoſij 1. filius. imperat in Occidente à 15.Sept.an.28 m.11 d.10.*

395 *Arcadius Theodoſij 1.filius imperat in Oriente à 17.Ian. an.13.m.3 d.15.*

398 40.S. Anaſtaſius 1. ſedet à 17.April,an.3. d.21.

401 41.S.Innocentius I. ſedet ab 8. Maij,an. 15. menſ.2.d.21.

408 *Theodoſius II.iunior, Arcadij F.imperat in Oriẽte poſt mortẽ patris à 1.Maij a.42.m.3*

416 42 S.Zoſimus I.ſedet à 20. Auguſt.ann.3 m.4.d.7. *Geneb.an. d.12.*

419 43.S.Bonifacius I. ſedet à 28. Decem.an. 3.m.9.d.28.

423 44.S.Cæleſtinus I.ſedet à 4.Nouem.an. 8.m.5.d.3.

425 *Valentinianus 3.imperat in Occidente à 15. Octob.an.29.m.5.d.23.*

430 3.Cõcilium generale Epheſinum 200. Epiſcoporum contra Neſtoriũ & Pelagianos.

432 45.S. Xyſtus III.ſedet à 28. April.an.7. m.11.*Genebr. an.8.d.18.*

440 46.S.Leo I.Magnus, ſedet à 12.Maij an. 20.m.*Genebr.an.21.m 1.d.13.*

450 *Marcianus imperat in Oriente à 28. Iul.an. 6.menſ.6.*

451 4.Concilium generale Chalcedonenſe,630.Epiſcoporũ contra Eutychen.

455 *Maximus imperat in Occidente à 17.Mart. men.2.d.27.*

455 *Auitus imperat in Occidente m. 10.d. 8.*

457 *Maiorianus imperat in Occidente ann 4. m. 4.d.2.*

457 *Leo I.ſenior imperat in Oriente à 25. Ianua. an.7.*

461 47.S.Hilarius ſedet à 19. April. an.6.m. 3.d.10.*Genebr an 7.*

461 *Seuerus imperat in Occidẽte an.3.m.8.d.28.*

467 *Anthemius imperat in Occidẽte à 12.Apri. an.5. m. 3.*

467 48.S. Simplicius, ſedet ab 8.Auguſt.an. 15.m.d. 23.

472 *Olybrius imperat in Occidente m. 3.d.23.*

473 *Glycerius imperat in Occidente à 5. Mart. an.1.m.3.d. 21.*

474 *Leo II. iunior & Zeno Iſauricus imperant in Oriente an.1.*

474 *Nepos imperat in Occidente an.1.m.2.d.4.*

475 *Auguſtulus imperat in Occidente m.9.d.24.*

## Poſt quem defecit imperium Occidentis an.325. vſque ad Carolum Magnum.

475 *Baſiliſcus pulſo Zenone imperat in Oriente an.1.m.6.*

476 *Zeno victo Baſiliſco iterum imperat in Oriente an.15.*

483 49 S.Felix II.dictus 3.ſedet à 9. Mart.an. 8.m.11.d.17.*Genebr.an.6.m.11.d.17.*

491 *Anaſtaſius I.imperat à 6. April. an.27, m. 3. d.3.*

492 50.S.Gelaſius I.ſedet à 3.Mart.an.4.m.8, d.19.*Geneb.an.5.m.8.d.17.*

496 51. Anaſtaſius II. ſedet à 29.Nouemb.an. 1.m.11. d. 24.

*Genebr. 500.*

498 52.S. Symmachus,ſedet à 22. Nouembr. an.15.m.7.d.28.

53.S.Hormiſda ſedet à 20. Iul. an.9. d.18.

514 *Iuſtinus I.ſenior imperat an.19.d.28.*

518

523 54. S.Ioannes I.ſedet à 12.Augu. an.2.m. 9.d. 16.

526 55. S.Felix 3.dictus 4.ſedet à 25.Iul.ann.4. m.2.d.18.

527 *Iuſtinianus I. Magnus imperat à 1.Augu.an. 38.m.3.d.13.*

530 56 Bonifacius II.ſedet à 16.Oct.an.1.d.2. *Genebr.an.2.*

532 54 Ioan.2. ſedet à 22.Ian.an.2.m.4.d 6.

534 58.S.Agapetus I. ſedet à 3.Iun.m.11.d.19.

535 59 S.Siluerius,ſedet à 20. Iul.an. 1.m.10. dies 7.

537 60.Vigilius ſedet à 27. Maij ann. 18.m.7. dies 15.

553 5. Concilium generale Conſtantinopolitanum 2.165. Epiſcoporum.

556 61.S.Pelagius I.ſedet à 16. April.an.4.m. 10.d.18.*Genebr.an.6.*

561 62.Ioannes 3.ſedet à 29.Maij, an.13.d.16. *Genebr.an.12.m.11.d.26.*

566 *Iuſtinus II.imperat à 13. Auguſt. an. 10.m. 10.d.20.*

575 63.S.Benedictus I. ſedet à 17.Maij ann.4. m.2 d.15.

576 *Tiberius 2.Conſtantinus,imperat à 2.Octob. an.6.m.10.d.8.*

579 64. S.Pelagius 2.ſedet ab 11.Nouembr. an.10.m.2.d.29.

583 *Mauritius,imperat à 10. Auguſt.an.19.m.3. dies.11.*

590 65 S.Gregorius I.Magnus, ſedet à 3.Sep. an.13.m.6.d.10.

*Genebr.* 604

602 *Phocas imperat à 18. Nouem. an. 8.m.4.d.9.*

604 66 Sabinianus ſedet à 1. Sept. an. 1.m.5. dies 19.

605 67 Bonifacius 3. ſedet à 21.... m.8.d.23.

606 68.Bonifacius IV.ſedet à 28. Auguſt.an. 6.m.8.d.12.

611 *Heraclitus imperat à 27. Mart.an. 30.m.2.*

613 69 S.Deuſdedit,ſedet à 21. Octo.an.3.d. *19.Genebr.an.3.m.3.d.20.*

616 70 Bonifacius V.ſedet à 25 Decemb.an. 5.m.10.

621 Mahumet pſeudopropheta ſectam ſuã incipit,à quo tempore computantur anni Saracenorum.

622 71 Honorius I.ſedet à 17. Nouem.an.12. m.11.d. 7.





637 72 Seuerinus ſedet à 1.Iun.an.1.m.2.d.4.

638 73 Ioannes IV. ſedet à 25. Decemb. an.1. m.9.d 18.

640 74 Theodorus I. ſedet à 26. Nouemb. an.6.m.5.d.19

641 *Conſtantinus 3.imperat à... Maij m.4.d....*

641 *Heracleonas imperat m.2. d....*

641 *Conſtans 2.imperat à ....Oct.an.26.m. 8.d....*

647 75 S Martinus I. ſedet à 6.Iul.an.6.m.4. dies 7

654 76 Eugenius I. ſedet à 10.Auguſt.ann. 2. m.9.d.29

657 77 Vitalianus ſedet à 30. Iul.an. 14.m.5. dies 29.

669 *Conſtantinus 4.imperat à 15. Iul an.16.men. 7.d.....*

672 78 Adeodatus,ſedet ab 11. April. ann.4. m.2.d.16

676 79 Domnus I ſedet ab 2.Nouemb. an.2. m.5.d.10 *Genebr.an 5*

679 80 Agatho,ſedet à 10 Iul.an.2.m.6

681 6.Concilium generale Conſtantinopolitanum 3.290. Epiſcoporum contra Monothelitas.

682 81 S.Leo II.ſedet à 10 Aug. m.10.d.19.

684 82 S.Benedictus II. ſedet à 19 Iun. m.10. d.27

685 83 Ioannes V.ſedet à 25 Iul. an.1.d.9.

686 *Iuſtinianus II.imperat à....Ia.an.10.m.5.d....*

686 84 Cono ſedet à 21 Octo.m.11.d. 3

687 85 Sergius I.ſedet à 17 Decemb. an.13.m. 8.d.23

*Genebr.702.*

696 *Leo 2.qui & Leontinus, expulſo Iuſtiniano 2.imperat à .... Iul an. 3.m....d....*

699 *Tiberius 3. expulſo Leone 2.ſeu Leontio,imperat à.... Iul.an.7.*

701 86 Ioannes VI.ſedet à 29 Octobr. ann.3. m.2.d.3

705 87 Ioannes 7.ſedet à 1 Mart. ann.2. m.7. dies 17

706 *Iuſtinianus 2. Leontiũ & Tiberium 3. occidit circa 1. Aug.iterũq; imperat an. 6.d...*

707 88 Siſinnius,ſedet à 18 Octo.d.20

707 89 Conſtantinus, ſedet à 23 Decem.an. 8.m.1.d.20 *Genebr.an.8.*

712 *Philippus occiſo Iuſtiniano 2. imperat à 13. Auguſt.an.2.m.9.d.7.*

715 *Anaſtaſius 2.imperat à 20.Iun an.1.m.3.*

716 90 Gregorius 2.ſedet à 21. Mart.ann.14. m.10.d.20.*Genebr an.16.*

716 *Theodoſius 3.imperat à 19. Aug.m.7 d.6.*

717 *Leo 3.Iconomachus imperat à 25.Mart. an. 24 m.2.d.25.*

731 91 Gregorius 3.ſedet à 5. Mar.an.10.m.8. dies 24

741 *Conſtantinus V. Copronymus,P.F.imperat à 19.Iun.an. 35.m 2.d.27.*

741 92 Zacharias ſedet à 1 Decemb. ann.10. m.3.dies 16

752 93 Stephanus 2.ſedet à 24 Mart.d.4.

752 94 Stephanus 3.dictus 2.ſedet à ....Mart. an.5.dies 29

757 95 Paulus I.ſedet à 29 Maij,an.10.m.1

767 Conſtantinus 2.laicus à laicis vi creatus antipapa,ſedet an.1.m.1.dies 9

768 96 Stephanus 4. dictus 3. ſedet à 5 Auguſt.annos 3.menſes 5.dies 27. *Geneb. annos 4.*

772 97 Adrianus I.ſedet à 9 Februar.ann.23. m.10.dies 17

775 *Leo 4. P.F.imperat à 14. Sept.an.4.men.11. dies 26.*

780 *Conſtantinus 6. P.F. imperat à 7. Septemb, cum Irene matre an. 10. deinde pulſa matre an.7.*

789 7. Concilium generale Nicenum 2.350. Epiſcoporum contra Iconomachos.

795 98 Leo 3.ſedet à 26 Decemb. an.20.m.5. dies 18.

*Genebr.* 796

797 *Irene Conſtantinum 6. filium ſuũ capit, oculis & imperio priuat , & ſola imperat à 16. Auguſt. an.5.m 1.d.16.*

800 *Carolus I.Magnus à Põt.clero S.P.Q.R.creatus imperator Romanus Occidẽtis, die 15. Decem.imperat in Occidẽte an.13.m 1.d.4*

814 *Ludouicus I.Pius imperat à 28.Ian.an.26.m. 4.d.24*

816 99 Stephanus 5.dictus 4. ſedet à 3 Iul. m. 6.dies 23

817 100 Paſchalis I.ſedet à 28 Ian.an.7.m.6, dies 17.

824 101 Eugenius II.ſedet à 19 Maij an.3.m.6. dies 24.*Genebr.an 4.*

827 102 Valentinus I.ſedet à 14 Decemb.m. 1.dies 10

828 103 Gregorius IV.ſedet à 26. Ian an.16

840 *Lotarius I. F.P.imperat à 20 Iun.an.15.men. 3.d.10.*

844 104 Sergius II.ſedet à 10 Feb.ann 3.men. 2.dies 3

847 105 Leo 4.ſedet à 12 April.ann.8. menſ.3 dies 6

Ioannes fœmina hoc loco à quibuſdã inſeritur,ſed Romę in nullo vetuſto indice Romanorum Pontificum vſquam eius mentio eſt.

855 106 Benedictus 3.ſedet à 24 Iul.ann.2.m. 5. dies 16

855 *Ludouicus 2.P.F. imperat à 29. Sept.an.19. m.10.d...*

858 107 Nicolaus I.Magnus ſedet à 24 Apr. an.9.m. 6. dies 20

867 108 Adrianus 2.ſedet à 21 Nouem. an.4. m.11.d.12. *Genebr.an.5.*

869 8. Concilium generale Conſtantinopolitanum 4.300.Epiſcoporum , cõtra Photium Patriarcham Cõſtantinopolitanum.

872 109 Ioannes 8.ſedet à 14 Decemb. an.10. d.2.

875 *Carolus II. Caluus P. F.imperat à 1.Auguſt. an.2.m.2.d....*

877 *Ludouicus III.Balbus F.P.imperat à 6.Octo an.1.m.6.d.5.*

879 *Carolus III.Craſſus,vel groſſus,P.F.imperat ab 11. April.an.8.m.7.*

*Anni Chriſti*

882 110 Marinus, dictus Martinus II. ſedet à 12 Decemb. an 1. m. 1

884 111 Adrianus III. ſedet à 21 Ianuar. an. 1. m. 3. d. 19

885 112 Stephanus VI. dictus 5. ſedet à 13. Maij an. 6 dies 9

887 *Arnolfus P. F imperat à 10. Nouem. an. 12. m. 1 d. 19*

891 113 Formoſus, ſedet à 27 Maij, an. 4. m. 6. d. . *Genebr. an. 5*

895 114 Bonifacius VI. ſedet à 17. Decembr. dies 15.

896 215 Stephanus VII dictus 6. ſedet à 6. Ian. an. 1. m. 2. dies 19

897 116 Romanus, ſedet à 28 Mart. menſ. 4. dies 23

897 117 Theodorus II. ſedet à 20 Aug. d. 20

897 118 Ioannes IX. ſedet à 9 Sept. an. 9. d. 15. *Genebr an. 2*

*Genebr 901.* 899 119 Benedictus IV. ſedet à 24. Sept. an. 3 m 6. dies 15.

899 *Ludouicus 4 P. F. imperat à 29. Nouemb. annos 12.*

903 120 Leo V. ſedet à 15. April. d. 40

903 121 Chriſtophorus ſedet à 25. Maij m 7

903 122 Sergius 3. ſedet à 25. Decemb. an. 7. m. 3. dies 16

911 123 Anaſtaſius 3. ſedet à 15. April. ann. 2. m. 1 d. 22

912 *Conradus I imperat à. . . Decemb. an. 7. m 6*

913 124 Laudo, ſedet à 7. Iun. m. 6. dies 22

914 125 Ioannes X. ſedet à 24. Ian. an. 14. m. 2. d. 15. *Genebr. an. 13*

919 *Henricus I. Auceps, imperat à 1. Iul. an 17*

928 126 Leo VI. ſedet à 9. April. m. 6. d. 15

928 127 Stephanus 8. dictus 7. ſedet à 24. Oct. an 2. m. 1. d. 15.

930 128 Ioannes XI. ſedet ab 11. Decemb. an. 4. m. 10. d. 15

935 129. Leo VII. ſedet à 27 Octob. an. 3. m. 6. dies 10

936 *Otho 1. Magnus, P. F. imperat à 2. Iul. an. 36. m. 10. d. 6*

939 130 Stephanus 9. dictus 8. ſedet à 7. Iun. an. 3. m. 4. dies 15.

942 131. Marianus II. dictus Martinus 3. ſedet à 1. Nouemb. an 3. m. 6. d. 14

946 132 Agapetus II. ſedet à 18. Maij ann. 9. m. 7. dies 10. *Genebr an. 7*

956 133 Ioannes XII. ſedet à 9. Ian. an. 8. m. 4. dies 6. *Geneb. an. 8*

963 134 Leo 8. ſedet à 6. Decembr. an. 1. m. 3. dies 12

964 Benedictus V. Antipſeudopapa, ſedet à 14 Maij m. 1. d. 10

*Hac ratio Pontificum et ordo ipſe valde confuſus, neque ſatis liquet, quid tenendum ſit.*

965 135 Ioannes 13. ſedet à 2. Octob. an. 6 m. 11 d. 5

972 136 Donus II ſedet à 20. Sept. m 3

972 137 Benedictus V. dictus 6. ſedet à 20 Decemb. an. 1 m. 3

973 *Otho II. F. P. imperat à 7. Maij an. 10 menſ. 7 dies 2.*

974 138 Bonifacius VII ſedet à 30 Mar. an. 1. m. 1. dies 12

975 139 Benedictus VI dictus 7 ſedet à 1. Iun. an. 9 m. 1 d. 10. *Genebr. an 8 m. 6*

983 *Otho 3 P. F. imperat à 7 Decem. an 17 m. 1 dies 14*

984 140 Ioannes 14 ſedet à 16 Iul. m. 8

985 Bonifacius 7. iterum ſedet à 16 Mart. m. 4. d. 6

985 141 Ioannes XV ſedet à 1 Auguſt. an. 9 m. 6 d. 10 *non habet annos Genebr.*

995 142 Ioannes 16 ſedet ab 11 Febr. men. 4 *Genebr. an. 10 m. 8 d 10*

995 143 Gregorius V ſedet à 16 Iun. an. 2 m. 8. dies 3.

995 Ioannes 17 pſeudopontifex ſedet m. 10 *Genebrardus annumerat hunc Pontificibus, quemadmodum & ſupra Felicem II eoq; ſuperat numerus Geneb. binario.*

998. *Genebrar.* 1002. 144 Siluester 2 ſedet à 1 Nouemb. an. 4 m. 6 dies 12

1001 *S. Henricus 2 Claudus F. P. imperat à 21 Ian. an. 23 m. 5 d. 21*

1003 145 Ioannes 17 dictus 18 ſedet à 7 Iun. m. 4. d. 25

1003 146 Ioannes 18 dictus 19 ſedet à 10 Nouemb. an. 5 m. 7 d. 20 *Geneb. an. 4*

1009 147 Sergius 4. ſedet à 18 Auguſt. an 2 m. 9 d. 2

1012 148 Benedictus 7 dictus 8. ſedet à 7. Iunij an. 11 m. 8 d. 21

1024 149 Ioannes 19 dictus 20 ſedet à 28. Feb. an 8 m. 9 d. 9 *Geneb. an. 11 m 1*

1024 *Conradus 2 P. F. imperat à 13 Iul an. 14 m. 20 dies 22*

1032 150 Benedictus 8 dictus 9 ſedet ab 11 Nouemb. an. 12 m 4 d. 20 *Geneb. an 13*

1039 *Henricus 3 Niger P. F. imperat à 4 Iun. ann. 17 m. 4 d. 22*

1045 Siluester 3 antipapa, & pſeudopapa, ſedet à 22 Ian. m. 1 d. . . . *ponitur in catalogo à Genebr.*

104 Benedictus 8. dictus 9 iterum ſedet ab 11 Mart m. 1. d. 21

1045 151 Gregorius 6 ſedet à 1 Maij an. 1 m. 7. d. 20 *Geneb. an. 2*

1046 152 Clemens 2 ſedet à 21. Decemb. men. 9 dies. . .

1047 Benedictus 8 dictus 9 iterum papatum tenet, põtificatum adminiſtrat, ſedet ab 8 Nouemb. m. 8 d. 9 vſq; 7 Iul.

1048 153 Damaſus 2 ſedet à 17. Iul. d. 23.

1048 Benedictus 8 dictus 9. quartò pontificatum adminiſtrat ab 8 Aug. m. 6

1049 154 Leo 9 ſedet à 12 Febr. an. 5 m. 2 d. 8

1055 155 Victor 2 ſedet à 13 April. an. 2 menſ. 3 dies 16

1056 *Henricus 4 ſenior P. F. imperat à 5 Octobr. an. 49 m. 10 d. 3*

1057 156 Stephanus X. dictus 9 ſedet à 2 Aug. m. 7 d. 28

1058 Benedictus 9 dictus 10 ſpeudopapa, ſedet à 5 April. m. 9 d. 20

1059 157 Nicolaus 2. ſedet à 3. Ian. an. 2 m. 6 d. 1

158 Alexan-



*Anni Chriſti*

1061. 158 [printed 591]. Alexander II. ſedet à 30. Septem. an. 11. m. 6. d. 22.

1073. 159. Gregorius VII. ſedet à 22. April. an 12. m. 1. d. 3

1086. 160. Victor III. ſedet à 24. Maij an. 1. m. 3. dies 24

1088. 161. Vrbanus II. ſedet à 12. Mart. an. 11. m. 4. 18. d. *Genebr. an. 12.*

*Genebrard.* Hieruſalem capitur à Chriſtanis

1100. 1099. 162. Paſchalis II. ſedet à 13. Anguſt. an. 18. m. 5. dies 9

1099. 1106. *Henricus V. iunior. P. F. imperat à . . . . an 18. m. 9 d. 15.*

1118. 163. Gelaſius II. ſedet à 25. Iauna. an. 1. d5.

1119. 164 Caliſtus II. ſedet à 1. Februa. an. 5. m. 10. d. 13

1124. 165. Honorius II. ſedet à 14. Decemb. an. 5. m. 2. d. 3

1125. *Lotharius II. P. F. imperat à 13. Sept. an. 13. m. 2. d. 21.*

1130. 166. Innocentius II. ſedet à 17. Eebr. ann. 13. m. 7. d. 8. *Genebr. an. 14.*

1139. *Conradus III. Sueuus, imperat à 1. April. an. 12 m. 10. d 15.*

1143. 167. Cæleſtinus II. ſedet à 25. Sebt. menſ. 5. d. 13.

168. Lucius II. ſedet à 12. Mart. m. 11. d. 14

1144. 1145. 169. Eugenius III. ſedet à 27. Febr. an. 8. m 4 d. 12

1152. *Fredericus I. Barbaroſſa imperat à 5. Mart. ann. 37. m. 3. d. 7*

1153. 170. Anaſtaſius IV. ſedet à 10. Iulij an. 1. 4. menſ. 4. d. 24.

1154. 1159 171. Adrianus IV. ſedet à 5. Decemb. an. 4. m. 8. d. 28

1181. 1185. 172. Alexander III. ſedet à 5. Sept. an. 21. m. 11. d. 23.

173. Lucius III. ſedet à 29. Auguſt. an. 4. m. 2. d. 28.

174. Vrbanus III. ſedet à 25. Nouemb. an. 1. m. 10. d. 25.

1187. Hieruſalem Chriſtianis eripitur.

1187. 175. Gregorius VIII. ſedet à 20. Octobr. m. 1. d. 27.

1188. 176. Clemens III. ſedet à 6. Ianuar. an. 3. m. 2. d. 20.

1190. *Henricus VI. P. F imperat à 1. Iun. an. 8 m. 2 dies 22.*

1191. 177. Cæleſtinus III. ſedet à 29. Mart. an. 6. m. 9. d. 11

1198. 178. Innocentius III. ſedet ab 8. Ian. an. 18. men. 6. d. 9

1199. *Otho IV. P. F. imperat à. . . . . Mart. ann. 20. m. 2. d . . .*

1199. *Philippus imperat eodẽ tempore ab 8. Mart. an. 9. m. 3. d. 15.*

1210. *Eredericus II. Rogerius Frederici I. fil. imperat à 13. Decemb an.* { 13. 34. 35. 40.

1216. 179. Honorius III. ſedet à 18. Iul. an. 10. m. 8

1227. 180. Gregorius IX. ſedet à 20. Mart. ann. 14. m. 5 d. 3.

1241. 181. Cæleſtinus IV. ſedet à 22. Sept. d. 17

1243. 128. Innocentius IV. ſedet à 24. Iun. an 11. m. 5. d. 14

*Anni Chriſti*

*Frederico in Concilio generali Lugdunenſi depoſito, & reballante,*

1245. *Henricus VII. S. Elizabet filius, imperat à 21. Iun an. 1.*

1246 *VVilhelmus Comes Hollandiæ imperat an. 9.*

1250. *Conradus IV. Frederici 2. fil. imperat à 13. Decemb. an. 3. m. 5 d. 10.*

1254. 183. Alexander IV. ſedet à 21. Decemb. an. 6. m. 5. d. 5

1258. *Ricardus imperat à 6. Ianuar. an. 6*

1258. *Alfonſus titulotenens imperat à 31. Mart. an. 15. m. 6. d. 12*

1261. 184. Vrbanus IV. ſedet à 29. Augu. an. m. 3. d. 4. *Genebr. an. 5*

1265. 185 Clemens IV. ſedet à 5. Febr. an. 3. m. 9. dies 25

1271. 186. Gregorius X. ſedet à 1. Septemb. an 4. m. 4 dies 10

1273. *Rudolfus I. imperat à 12. Octob. an. 17 men. 11 dies 19*

1276. 187. Innocentius V. ſedet à 21. Ianua. m 5. dies 2

1276. 188. Adrianus 5. ſedet à 12. Iul. m. 1. dies 7.

1276. 189. Ioannes XX. dictus 21. ſedet à 13. Sep m. 8. dies 8

1277. 190. Nicolaus III. ſedet à 25. Nouem. an 2. m. 8. d. 29 *Genebr. an. 3*

1281. 191. Martinus II. dictus 4. ſedet à 22. Feb an. 4. m. 1 dies 7

1285. 192. Honorius IV. ſedet à 2. April. an. 2 dies 2

1288. 193. Nicolaus IV. ſedet à 22. Febr. ann. 4. m. 1 dies 14

1292. *Adolfus imperat à 6. Ian. an. 7. m. 6. d. . . .*

1294. 194. S. Cæleſtinus V. ſedet à 7. Iul. m. 5. d. 7

1294. 195. Bonifacius VIII. ſedet à 24. Decem. an. 4 m. 9. d. 18. *Genebr. an. 8*

1299. *Albertus I. imperat à 27. Iul. an. 8 m. 9. d. 5*

1303. 196. Benedictus IX. dictus 11. ſedet à 22. Octob. m. 8 d. 9

1305. 197. Clemens V. ſedet à 5. Iun. an. 8 menſ. 10. d. 16

1308. *Henricus VIII. P. F. imperat à 24. Nouemb. an. 4 m. 9*

1311. Concilium generale Viennenſe 400. Epiſcoporum. *Genebr. dicit numero 15.*

1314. *Ludouicus IV. Bauarus P. F. imperat ab 18. Octob. an. 32 m. 10 d. 24*

1314. *Fredericus III. Auſtriacus imperat contra Ludouicum 4. à 18. Octob. an. 13. m 2 d. 27*

1316. 198. Ioannes XXI. dictus 22. ſedet à 7. Auguſt. an. 18 m. 3 dies 28

1334. 199. Benedictus X. dictus 12. ſedet à 20. Decem an. 7 m. 4. dies 6

1342. 200. Clemẽs VI. ſedet à 7 Maij an. 10. m. 7

1346. *Carolus IIII. P. F. imperat ab 11. Iul. an. 32. m. 7. d. 14.*

1352. 201. Innocentius VI. ſedet ab 18. Decem. an. 9. m. 8. dies 26

1362. 202. Vrbanus V. ſedet à 27. Septemb. an. 8. m. 2. dies 23

1370. 203. Gregorius XI. ſedet à 30. Decembr. an. 7. m. 2. d. 29

204. Vrba-

| Anni Christi | |
|---|---|
| 1378. | 208. Vrbanus VI. ſedet à 9. April. ann. 11. m. 6. d. 7. |
| 1379. | *VVenceslaus P.F. imperat à 24 Feb. ann. 21. m. 5. d. 28.* |
| 1389. | 205. Bonifacius IX. ſedet à 2. Nouem an. 14 m. 11. |
| 1400. | *Fredericus IV. Imperator deſignatus, paulò poſt obÿt.* |
| 1400. | *Robertus Bauarus, imperat à 10. Septemb. an. 9 m. 8. d. 22.* |
| 1404. | 206. Innocentius VII. ſedet à 17. Octobr. an. 2. d. 21. |
| 1406. | 207. Gregorius XII. ſedet à 30. Nouem. an 8. m. 7. d. 7. *Genebr. an. 2* |
| 1409. | 208. Alexander V. ſedet à 26. Iun. menſ. 10. d. 8 |
| 1410. | 209. Ioannes XXII dictus 23. ſedet à 17. Maij an. 5. d. 15 |
| 1410. | *Iodocus à 20. Septemb. imperat m. 6.* |
| 1411. | *Sigiſmundus P.F. imperat à...... Mart ann. 26. m. 8. d....* |
| 1414. | Concilium generale Conſtantienſe cõtra Huſſitas. *Epiſcoporum numero XV. Genebrard.* |
| 1417. | 210. Martinus III. dictus 5. ſedet ab 11. Nouemb. an. 13. m. 3. d. 10. *Genebr. an. 14* |
| 1431. | 211. Eugenius IV. ſedet à 3. Mart. an. 15. m. 1. d. 21. |
| 1438 | *Albertus II. Auſtriacus P. Gener, imperat à 1. Ian. 1. m. 9. d. 27* |
| 1438. | Concilium generale Florentinum, in quo Greci cũ Romanis conueniunt. |
| 1439. | Felix IV: dictus 5. antipapa, ſedet à 5. Nouemb. an. 9. m. 5. d.... |
| 1440. | *Fredericus III. Auſtriacus, imperat à 1. Ian. an. 53. m. 7. d. 19* |
| 1447. | 212. Micolaus V. ſedet à 6. Mar. an. 8. d. 19 |
| 1452. | Conſtãtinopolis à Turcis capitur. |
| 1455. | 213. Calliſtus III. ſedet ab 8. April. annos 3. menſ. 4 |
| 1458. | 214 Pius II. ſedet à 19. Auguſt. an. 5. m. 11. dies 27. |

| | |
|---|---|
| 1464. | 215. Paulus II. ſedet à 30. Auguſt. an. 6. m. 10. d. 26 |
| 1471. | 216. Xyſtus IV. ſedet à 9. Auguſt. ann. 13. dies 4 . ugu. |
| 1484. | 217. Innocentius VIII. ſedet à 29. A an. 7. m. 10. d. 27 *Genebr. an. 8.* |
| 1492. | 218. Alexander VI. ſedet ab 11. Auguſt. an. 11. d. 8. |
| 1493. | *Maximilianus I. P.F. imperat à 19. Auguſt. an. 25. m. 4. d. 25.* |
| 1503. | 219. Pius III. ſedet à 22. Septemb. d. 26. |
| 1503. | 220. Iulius 2. ſedet à 1. Nouemb. an. 9. m. 3. d. 21. |
| 1513. | 221. Leo X. ſedet ab 11. Mart. an. 8. menſ. 8. d. 20. |
| 1519. | *Carolus V. P. Gener, imperat à 28. Iun. ann. 38. m. 8. d. 14.* |
| 1522. | 222. Adrianus VI. ſedet à 9. Ian. an. 1. m. 8. dies 6 |
| 1523. | 223. Clemens VII. ſedet à 19. Nouembr. ann. 10. m. 10. d. 7 |
| 1534. | 224. Paulus III. ſedet à 13. Octobr. an. 15 dies 28 |
| 1550. | 225. Iulius III. ſedet à 7. Febr. an. 5. menſ. 1. dies 16 |
| 1555. | 226. Marcellus II. ſedet à 9. April. d. 21. |
| 1555. | 227. Paulus IV. ſedet à 23. Maij ann. 4. m. 2. d. 27 |
| 1558. | *Ferdinandus P. Frater, imperat à 13. Mart. an. 6. m. 4. d. 13* |
| 1559. | 228. Pius IV. ſedet à 26. Decemb. an. 5. m. 11. dies 15 |
| 1563. | Concilium generale Tridentinum, anno 27. ab eius indictione abſoluitur. |
| 1564. | *Maximilianus II. P.F. imperat à 25. Iul. an. 12. m. 2. minus diebus 15* |
| 1566. | 229. Pius V. ſedet à 7. Ianuar. an. 6. men. 3. dies 23 |
| 1572. | 320. Gregorius XIII. ſedet à 13. Maij an. 13. dies 10. |
| 1576. | *Rodolfus II P.F. imperat à 10. Octob. an....* |
| 1585. | 231. Sixtus V. Minorita electus ſedet à 23 April. in hunc diem. |

DEVS






Deus. DEVS eſt ſpiritus lucidiſſimus, æternus, & vbiq; præſens. vnus in eſſentia, trinus in perſonis: Pater qui ſolus à nullo eſt: Filius, de Patre ab æterno genitus: & Spiritus ſanctus, ex Patre Filioq; æternaliter procedens: qui tamen tres perſonarum proprietatibus diſtincti, ſunt vnus eiuſdem ſubſtantiæ Deus, ſolus omnipotens, ſummè ſapiens, & infinitè bonus: item eximiè iuſtus, verax, & fidelis. Quo nihil maius, pulchrius, & iucundius eſſe, aut excogitari poteſt: ſed prædictis conditionibus eſt in ſeipſo ter ſanctiſſimus, glorioſiſſimus, & beatiſſimus: ac ſufficientiſſimus ſibi, atque diuerſis creaturis in infinitum ad æternaliter beatè feliciſſimeq; viuendum.

## Mundi creatio.

*Geneſ. 1. Heb. 12.* Angelorũ creatio. IN principio creauit Deus ex nihilo cælum empyreum, & in ipſo innumerabiles ſpiritus Angelicos, intellectu, libera voluntate, & memoria præditos, claritate lucidos, decore, admirabili poteſtate & gratiarum donis ornatos: qui in nouem choros diſtincti, ipſius *Ezech. 28.* throno & Maieſtati iugiter adſtarent, glorioſam ipſius claritatem contemplarẽtur & *Dan 7. Apocal. 5.* laudarent, ipſiusq; beatitudine perpetuò fruerentur: ex quibus mox Lucifer cum tertia, vt Doctores cenſent, *Eſaiæ 14. Apoc. 12.* parte Angelorum ipſi adhærentium, propria excellentia malè conſpecta, Ruina Angelorum. mente elatus Deo ſimilis eſſe ambiens, ſubitò amiſſa gratia omniq; decore, ſimul vt fulgur *Iob 4. Lucæ 10. 2. Pet. 2. Iudæ 1.* cælo deiecti, inq; ſua malitia obturati, & æternis ignibus addicti ſunt: ceteri verò Angeli recto amore Deo adhærentes, ob id in gratia & æterna beatitudine ſunt cõfirmati. Simul *Eccleſ. 18. χάος.* etiam tum terrã creauit, materiam ſcilicet quatuor elementorum adhuc confuſam & informem, pariterq; commixtam.

## Diſtinctio.

*Geneſ. 1.* Lux. HINC cuncta ſimul & ſemel creata diſtinguens formanſq; primo die verbo producit de præfata materia Lucem, hæc vicem locumq; Solis tenens, noctem & diem triduo diſtinguit.

*Geneſ. 1.* Firmamentum. Secundo die extendit firmamentum, quod de aquis factum creditur, figens illud mediũ inter aquas ſuperiores, quas cryſtallinas vocant, & aquas inferiores, nempe elementares.

*Geneſ. 1.* Terra. Tertio die reliquas ſub firmamento aquas contrahit in ſuum quaſq; locum, fecitq; terram apparere, quę ſtatim ad ipſius vocem germinans, profert diuerſas herbas, frutices, flores arboreſq; fructiferas cum ſeminibus ſuis.

## Ornatus.

DEHINC diſtincta ornans, quarto die, ipſo æquinoctio vernali, illuſtrat firmamẽtum Sole, Luna, & ſtellis varijs, condens ea de luce prius producta: ac tribuit eis vim, vt ſuo motu & meatu die nocteq; Mundum illuminent, ac annos, dies, & tempora diſtinguant. *Geneſ. 1.* Luminaria.

Quinto die exornat aëre auibus, & aquam piſcibus, vtroſq; ex aqua gignens: datque eis vim generandi. *Geneſ. 1.* Aues, Piſces.

## Anno mundi 1.

SEXTO die decorat terram iumentis, reptilibus, & ceteris beſtijs, de humo formatis. *Geneſ. 1.* Pecora.

Tandem eodem hoc die, eoque 25. Martij plaſmat hominem maſculum, cuius corpus format de luto terræ rectum & perfectum in ætate virili: & inſpirat ei ſpiraculum vitæ, animam videlicet rationalem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creatam, intellectu, libera voluntate, memoria, ac varijs gratijs donatam: atq; ornatam natiua rectitudine, quam Iuſtitiam Originalem vocãt, qua naturaliter mens rationalis obediret Deo: ipſaq; dominaretur ſuis ſenſibus, corporeis membris, ac cunctis animantibus. *Geneſ. 1. 2* Plaſmatio hominis. *Eccleſ. 7.* Lex naturæ.

Sic plaſmatum hominem in agro Damaſceno apud Hebron, transfert Dominus, in paradiſum voluptatis: hortum ſcilicet amæniſſimum, Orientem verſus in ſummo terræ cacumine ſitum: in cuius medio eſt arbor vitæ, & arbor ſcientiæ boni & mali, aliæq; variæ arbores fructiferæ, herbę, & flores odori: ibidemq; fons ſcatens, quatuor efficit fluuios: Phiſon, qui & Ganges: Geon, qui & Nilus: Tigrin: & Euphrâten: qui omnes & ipſum irrigant Paradiſum, ac poſt egreſſum de Paradiſo abſorbentur in terram, & alibi emergentes, vniuerſum irrigant terrarum Orbem. *Geneſ. 2. Ioſeph. lib. 1. antiq. Iudaic.* Paradiſus. *Vitriac. cap. 84.*

Hoc loco delitiarum poſitus Adam, cunctis animalibus ad ipſum adductis propria nomina Hebraicè indit. Deinde ne Adam ſolus eſſet, immittit Deus ſoporẽ in eum, eximenſque coſtam de latere dormientis, format eam in mulierem: quam Adæ in adiutorium, inq; ſociam & vxorẽ coniungit, benedicens eis vt in ſobolem creſcant, & multiplicentur, ac repleant terram: atq; præſint omnibus animantibus, ac cũctis fructibus terræ ad libitum veſcantur: vnũ hoc pręcipiens, vt arbore ſcientię boni & mali abſtineant, alioqui ſtatim morituri: aliâs hîc in paradiſo, tũ vigore originalis rectitudinis, tũ comeſtione fructus arboris vitæ, in perpetuo mentis gaudio & corporis ſanitate bene beateq; victuri: atq; tandem nullius mortis interuentu, viui hinc transferendi vniuerſa cum poſteritate in cælũ, vbi cũ Angelis ipſo Deo beatiſſimè fruerentur ſine fine. *Geneſ. 2.* Formatio fœminę. *Geneſ. 1.* Inſtitutio matrimonij. *Geneſ. 2.* Hominis felicitas.

Sed homo cùm in honore eſſet, nõ intellexit. Nã paulò pòſt eodẽ hoc die ſexto, Diaboli *Pſalm. 48. Geneſ. 3.*

*Sapie.2. 2.Cor.11. 1.Tim.2.* Lapſus hominis.

per ſerpentem loquentis inuidia falſaq; perſuaſione, primò mulier ſeducta, ac per eã vir, ſimul Dei ſimilitudinem affectantes, interdictæ arboris fructũ comedunt. ac ea præuaricatione (eheu) ſe, ſuosq; poſteros omnes faciunt obnoxios peccato, (quod animæ mors eſt) *Rom.5.* varijs calamitatibus, morbis, ac morti corporali, atq; damnationi æternæ. ideoq; peccatũ originale dicitur. Vnde mox naturali rectitudine vitiata, propriam carnem ſpiritui rebellẽ ſentientes, iamq; ſe nudos erubeſcentes, folijs fici pudenda contegũt: cumq; audirent vocẽ Domini deambulantis in paradiſo ad auram, verecundi timent, fugitant, latitantq;.

*Geneſ.3.* Inflictio pœnæ. *1.Cor.14. 1.Tim.2. Ita etiam Genebrar.* Promiſſio Chriſti.

At Dominus inquiſitione facta, ſingulis peccati pœnam indicit: ſerpenti maledictionem reptandi ſuper ventrem, terrãq; edendi: Mulieri dolores partus, vtque viro ſubſit: ex qua tamen promittit ſemen benedictum, nempè Chriſtum, qui ſerpentis caput contereret: Viro terræ maledictæ culturam, vtq; in labore ſe, vxorem, familiamque alat donec moreretur. Ac tandem Adam & Eua induti à Deo tunicis pelliceis, ſexto hoc die poſt meridiẽ circa horam decimam expelluntur de paradiſo, ac referuntur in Iudæam iuxta Hebron: illisque paradiſus obſeratur, collocato ante oſtium eius Cherubim cum flammeo gladio verſatili.

*Geneſ.3.* Eiectio è Paradiſo. *Geneſ.2.*

Septimo die completo iam Mundi opificio, Deus quieſcit ab opere creationis. creata tamen iugiter cõſeruare ac gubernare, atq; alia ex alijs propagare vſq; modo non ceſſat, ſeptimumq; diem ſua benedictione ſanctificat, ac vocat ſabbatum, id eſt, requiem.

Sabbatum. *Sap.11. Io.5.*

*Geneſ.4.* Oblatio Cain & Abel. *Hebr.11. Matth.23. Hier.quæſ. in Geneſ. 1.Ioan.3.*

Adam verò ſtatim cognita Eua vxore ſua, gignit Cain: deinde Abel. Cain adultus, agricola erat: Abel autem paſtor ouium. Edocti à patre, vterq; ſacrificium offert Deo: Cain quidem de fructibus terræ vilioribus: Abel verò agnum primogenitum de grege ſuo electum, eumq; pinguiſſimum. At Deus ad pium Abel & munera eius reſpiciens, flamma è cælo miſſa, ipſius hoſtiam conſumit: impium autem Cain muneraq; illius deſpiciens, ea intacta relinquit. Ob quod Cain indignatus, inuidia extimulante, Abel fratrem ſuum in agro occidit. Quapropter à Deo correptus & proiectus, ac ſigno tremoris, ne à quoquam interficeretur, notatus, deſperans, gemens & tremens, profugus ac vagus habitat circa Libanũ montem, ibiq; gignit varios liberos omnium artium mechanicarum inuentores ac opifices: primamq; ædificat ciuitatem. tandem & ipſe à Lamech primo bigamo ignorãter pro fera ſagitta occiſus eſt.

Abel occiditur à Cain. *Sap.10.* Punitio Cain.

## Anno mundi 130.

*Gene 4.5. Sapi.10.* Propagatio Adæ. *Ioſue 14.*

ADAM, autem cùm eſſet 130. annorum, generat Seth. & quia ſuæ præuaricationis pœnitentiam egit, eductus eſt à delicto ſuo, ac vitæ ſuo anno 930. moritur, atq; ſepelitur in Hebron.

## Anno mundi 235.

*Geneſ.5.* SETH cùm eſſet 105. annorum gignit Enos.

## Anno mundi 325.

ENOS cæpit inuocare nomen Domini. cũque eſſet nonagenarius gignit Cainan. *Gene. 45.* Cultus Dei.

## Anno mundi 395.

CAINAN cùm eſſet ſeptuagenarius gignit Malaleel.

## Anno mundi 460.

MALALEEL natus annos 65. genuit Iared. Geneſ.5

## Anno mundi 622.

IARED cùm eſſet annorum 162. gignit Enoch.

## Anno mundi 647.

*Geneſ.5. Iudæ 1.* Tranſlatio Enoch. *Geneſ.5. Sap.4. Eccle.14. 49. Hebr.11.*

ENOCH cùm eſſet 65. annorum, gignit Mathuſalam. ambulat cũ Deo, ac prophetat de futuro Domini iudicio cõtra impios, cũq; annis 365. piè vixiſſet inter peccatores, ne malitia corrumperetur, placens Deo viuus ab eo rapitur in nube, ac transfertur in paradiſum terreſtrem.

## Anno mundi 874.

MATHVSALA natus annos 187. gignit Lamech. *Geneſ.5.*

## Anno mundi 1056.

LAMECH cũ eſſet 182. annorũ gignit Noë, prophetans ꝙ iſte conſolaretur populum. Noë naſcitur.

*Geneſ.6.* Cauſa diluuij. *Beroſ.li.1. de temporibus ante diluuium.* Peccata horrenda ante diluuium.

Sub hæc multiplicatis hominibus, filij Dei, id eſt, poſteri Seth, capti pulchritudine filiarũ de genere Cain, accipiunt eas contra præceptũ, ac morem patrũ, ſibi vxores, ac cõgreſſi gignunt gigantes flagitioſos: ob quod, aliaq; carnalia peccata indies paſſim accreſcentia (nã, autore Beroſo, inuentis armis opprimebant oẽs, manducabant humanã carnẽ, & abortus, cõmiſcebantur matribus, filiabus, ſororibus, maſculis, & brutis: nihilq; erat ſceleris ꝙ omitterent, contemptores religionis & Dei) offenſus Deus, pœnitens ſe feciſſe hominẽ, vniuerſum genus humanũ diluuio perdere ſtatuit.

## Anno mundi 1536.

*Geneſ.6.* Prędictio diluuij. *Hier.quæſ. in Geneſ. 2.Pet.2.*

NOE autem vir iuſtus & perfectus, ac cum Deo ambulans, inuenit gratiam corã eo. huic itaq; anno vitæ ipſius 480. oraculo indicat Deus, Mundum poſt annos 120. inundatione deletum iri: tantũ ſpacij dans hominib. ad conuerſionem. Ex hoc ergo tẽpore Noë iuſtitiæ præco, peccantib. prædicat pœnitentiam.

## Anno mundi 1556.

PORRO Noë cum quingentorum eſſet annorum, gignit Sem, Cham, & Iaphet. *Geneſ.5.*

*Geneſ.6.* Fabricatio arcæ. *Aug ad Enod.ep.99. Iſaiæ 28. 1.Pet 3.*

Anno 78. ante inundationem, teſte Beroſo, Noë iuſſus à Deo incipit fabricare arcã de lignis incorruptibilibus, longam 300. latam 50. altã 30. cubitis, coopertam, pice linitam, diuiſam in 4. mãſiunculas: in qua ipſe cum ſuis ac cunctorũ animantiũ genere ſaluetur: iam nõ ſolùm verbo, ſed & opere prædicans. nam ſecundum Auguſt. arcę fabricatio, quędam prædicatio fuit. Sed illi permanent increduli, derident omnia, & expectant Dei patientiam.





*Not. Hebræi rectè numerant annos 1656. ab orbe cõdito ad diluuium, quos doctiſsimi quique ſequuntur. Græci multum variant, vt etiam in ſecunda ætate, quemadmodum ſuo loco annotabimus.*

## Anno mundi 1656.

*Geneſ.7.* Diſpoſitio arcæ. *Matth. 24. Luc.17.*

ANNO vitæ Noë ſexcenteſimo, dicit Dominus ad Noë, poſt dies 7. futurum diluuium. intra quam ſeptimanam Noë diſponit arcam, & inferunt in eam commeatum, eſcas pabula, ſupellectilem, & reliqua. At cæteri derident eum velut inſanum, atq; nihilominus edunt & bibunt, ducunt vxores, & nuptum dant, vſq; dum venit diluuiũ, & perdidit omnes.

*Geneſ.7. 1.Pet.3.* Ingreſſio in arcam.

Tranſactis 7. diebus, ingreditur Noë cum vxore, & 3. filijs ac eorum vxoribus in arcam, die 17. menſis ſecundi, id eſt, Aprilis. Et ecce nutu Dei ſubitò confluunt ad arcam vniuerſi generis animantia atq; volucria, nec plura veniunt, quàm immũdorum duo, mas & fœmina: mundorum 7. mares 4. fœminæ 3. quorum mas vnus ſacrificio poſt diluuium præparatus eſt, reliqua generationi reſeruata ſunt.

## Anno mundi 1656.

*Geneſ.7.* Diluuium.

INGRESSIS omnibus claudit à foris oſtium Dominus: ſtatimq; ruptis fontibus abyſſi, ac cataractis cæli apertis, pluit 40. dies noctesq; donec aqua 15. cubitis altior eſſet cunctis montibus: omniaq; ſubmerguntur, excep tis piſcibus. Porrò arca ferebatur ſuper aquas, obtinent autem aquæ terram 150. diebus.

*Geneſ.8.* Receſſus diluuij. *Geneſ.8.* Emiſſio columbæ.

Poſt quos adducit Dominus ventum, quo flante aquę diminuuntur in tantum, vt die 27. Septembris arca requieſceret ſuper mõtes Armeniæ. Porrò die 1. Decembris apparent cacumina montium. Deinde peractis 40. diebus, nona ſcilicet Ianuarij, Noë aperiẽs feneſtram emittit coruum, qui non reuertitur. Poſt 7. dies emittit & columbam, quæ cùm requieſcendi locum nõ inueniret, reuertitur. Poſt 7. dies alios iterum emittit columbam, quæ redit veſperi portans in ore ramum oliuæ virẽtibus folijs: intelligit ergo Noë nudata cacumina arborum. Rurſum poſt 7. dies emittit columbam, quæ non reuertitur vltra ad eum.

## Anno mundi 1657.

*Geneſ.8.* Egreſſio ex arca.

ANNO ſexcenteſimo primo vitæ Noë, diè 1. Martij, aperiens Noë tectum arcæ, videt planiciem terræ ſiccatam, ſed nondum induratam. deinde die 17. Aprilis iuſſu Domini Noë cum ſuis, cunctaq; animantia & volatilia de arca exeunt. cùm iam præcisè anno integro Solari in arca manſiſſent.

*Geneſ.8.* Sacrificium Noë *Eccle.44.* *Geneſ 9.* Confirmatio coniugij. Ius gladij. *Geneſ 9.* Iris. *Iſai.54.* Arcus pluuialis.

Egreſſus Noë ſuper terram, mox altari extructo, offert de cunctis pecoribus & auibus mundis holocauſta Domino: cuius odoris ſuauitate reconciliatus Deus, promittit nequaquam vltra carnem omnem inũdatione ſubmergendam. Tum benedicit Noë & filijs eius vt creſcant, terramq; repleant: ac dominentur cunctis animantibus: concedens inſuper licentiam edendi carnes & piſces, prohibito tamen ſanguine, ac homicidio: legemq; ſtatuens, homicidas morte puniendos. Poſtremò faciens apparere iridem in nubibus, eam Noe oſtendit, poſteriſq; eius tempore pluuio conſpiciendam iurat, in ſignum ſempiterni fœderis Dei cum hominibus, quod vltra Mũdum diluuio non deleret. His geſtis Noe adorato Domino, animãtia dimittit vnumquodque in viam ſuam.

*Geneſ.9.* Noë nudus deridetur à Cham. *Beroſus l.3. de an.Ian.*

Poſthæc cæpit Noe colere terram, primuſque plantat vineam, cuius inebriatus vino, impudicè nudatus iacet in tabernaculo, id cõſpicatus Cham, patrem irridet, (illius virilia, inquit Beroſus, comprehendẽs, carmine magico ſterilia efficit.) ac foras Sem & Iaphet nũciat. at illi pallio humeris impoſito, auerſa facie introeuntes verenda patris operiũt. Vnde pòſt re cognita Noe, Cham in Chanaan filio maledicit: Sem verò & Iaphet benedicit. vixit autem Noe poſt diluuium annis 350. deinde ætatis ſuæ anno 950. moritur.

## Anno mundi 1658.

SEM verò cum centum eſſet annorum gignit Arphaxat, biennio poſt diluuium. *Geneſ.11.* Poſteritas Noë. *Genebrar. bus ſeq. aliquis ferè vnum annũ.*

## Anno mundi 1693.

ARPHAXAT, cùm eſſet 35. annorum, generat Sale.

## Anno mundi 1723.

SALE natus annos 30. gignit Heber.

## Anno mundi 1757.

*Gen.11.& 10. Hierò.ibi.* Hebræi. *Sigòn.de Repub.Heb. lib.10. Genebrar. in Chrono.*

HEBER cùm eſſet 34. annorum gignit Phaleg, ſpiritu prophetiæ ſic eum nominans, eò quòd in diebus eius diuidenda eſſet terra. Ab hoc Heber Hebræi nomen, linguam, & genus habent.

## Anno mundi 1787.

*Geneſ.10. & 11.* Aedificatio turris Babel. *Sap.10. Ioſe.1.ant. Iud.9. Hieron.in loc.act.* Diuiſio linguarum. *Geneſ.10.* 1.Monarchia Babylonica. *Deut.32.* Diſperſio nationum. *Pſ.77.104.*

ANNO 131. poſt diluuium, Beroſo teſte, aucto iam in immenſum humano genere, multi duce Nemrod nepote Cham profiſciſcentes de oriente in campum Senaar, ad Euphrâten fluuium, vnanimiter ædificant ibi ciuitatem & vrbem, & in ea turrim, quam volunt vſq; in cęlum extollere: cùm vt celebrent ſibi nomen, tum vt contra diluuium ſit eis refugium: ſubuexerunt autem turrim ad altitudinem 4. milium paſſuum. Tunc Deus ipſorũ præſumptionem impediens, cùm vna eademque lingua Hebræa omnes vterentur, eam in 70. idiomata linguarum diuidit, ita vt alij alio ſermone loquentes, ſe mutuò non intelligerent. vnde ceſſatum eſt ædificari, atq; ob iſtam confuſionem, turris Babel, ac ciuitas Babylon vocata: in qua Nemrod primus Saturnus & monarcha deinceps regnauit cum Ioue Belo filio ſuo. Cæteri autem cateruatim iuxta numerum linguarum conglobati, inde longè lateq; in vniuerſam terram diſperguntur: quorum Sem cum ſuis occupat Syriam reliquamque Aſiam, Cham verò AEgyptum, ac reliquam Africam, Iaphet autem Europam.

## Anno mundi 1787.

[*Geneſ.11.*]

PHALEG cùm eſſet 30. annorum, gignit Reu.

## Anno mundi 1819.

REV natus 32. annos, gignit Saruc.

## Anno mundi 1849.

SARVC cùm eſſet 30. annorum, gignit Nachor.

## Anno mundi 1878.

NACHOR cùm 29. annorum eſſet, gignit Thare.

## Anno mundi 1906.

[*Hieron. Ezech. 23. & alibi.* Beli idolum. — Idololatria oritur. — *Sap. 14.* Serpit & augeſcit.]

HOC tempore Ninus Rex Babylonis dolēs de morte patris ſui Iouis Beli, (qui ab Hebræis Bel, Beel, ſiue Baal, à gentibus Iuppiter appellatur) facit ſibi exſculpi imaginem ad viuum eius, eamq; in ipſius memoriam in medio ciuitatis erigit, ac quibuſcunq; reis ad ipſam, tāquam ad aſylum, confugientibus impunitatem concedit. Propter quod vulgus cæpit illi imagini diuinum exhibere honorem. Huius exemplo multi paſſim heroibus ſtatuas dedicant, defunctoſq; pro dijs colunt. Vidētes autem dæmones ſuperſtitionem populi, in idolis latitant, atque oracula & reſponſa dant obſcura & ambigua, ſibiq; Diuinos fieri honores decernunt. Sic introductus hic error, paulatim artificum diligentia, poëtarum figmētis, dæmonumq; fallacia creſcit ac inualeſcit vbiq; gentium, (ſolis Hebræis exceptis) in tantum, vt inolita conſuetudo tanquam lex cuſtodiretur, atq; capitali pœna plecteretur, qui ei ſe non conformaret.

## Anno mundi 1948.

[*Geneſ.11.* Abram naſcitur.]

THARE cùm eſſet 70. annorum, gignit Abram in Hur oppido Chaldæorum.

## Anno mundi 2000.

[*Iudit. 5. Geneſ. 15. Neem 9. Act. 7.* Migratio Abræ è Chaldæa. *Geneſ. 11.*]

ABRAM in Hur habitans, nolebat adorare Deos Chaldæorum, ſed vnum Deum cæli colebat. quamobrem cùm à Chaldæis multum affligeretur, Deus gloriæ illi 52. annorum (iuxta Hebræos) exiſtenti apparens, præcipit vt exiret inde. Cui obediens Abram, relicto natali ſolo, commigrat cum Thare patre, Sarai vxore, & Lot nepote in Charan Meſopotamiæ ciuitatem: ibique commorantur 23 annos. vbi poſtmodum Thare anno vitæ ſuæ 205. obijt.

## Anno mundi 2023.

[*Geneſ. 21. Hebr. 11. Galat. 3.* — Promiſſio Dei ad Abram. — *Ioſue 24.* — Ingreſſio Abræ in terram Chanaan. — *Hebr. 11.*]

ABRAM deinde cùm eſſet 75. annorum, iterum mandatur à DEO migrare aliò, promiſſaque accipit ipſum Diuinitus benedicendum, & amplo ſemine magnificandum: atque in ipſius ſemine, quod eſt Chriſtus, benedicendas omnes nationes terræ. Itaq; Thare patrem & Nachor fratrem ibi in ſeruitute Deorum alienorum relinquens, pergit cum Sarai, Lot, ac tota familia ſua in terram Chanaan, venitque iuxta Sichem, vbi apparens ei Dominus, ait: Semini tuo dabo terram hanc. ideoque Abram ibi Deo altare ædificat. Inde progreſſus, tendit tabernaculum inter Bethel & Hai: vbi rurſus altari extructo, inuocat nomen Domini. hinc progreditur ad meridiem. habitabat autem in terra promiſſionis veluti peregrina in tentorijs: expectans habentem fundamenta ciuitatem: cuius artifex & conditor Deus.

## Anno mundi 2023.

[*Geneſ.14.* Peregrinatio Abræ in Aegypto.]

EODEM hoc anno fame terram Chanaan premente, deſcendit Abram cum Sarai & Lot in Aegyptum vt aleretur ibi. ac timens occidi ab Aegyptijs propter pulchritudinem vxoris ſuæ, dicit eam ſuam eſſe ſororem. quam in domum Pharaonis ablatam, ob plagas Pharaoni ac familię eius à Deo immiſſas, intactam, multis ditatus, recipit.

[*Geneſ.13.* Separatio Abræ & Lot.]

Abram & Lot regreſſi cum ſuis in terram Chanaan, præ nimia vtriuſq; opulentia pecorumq; copia coguntur ſeparari alter ab altero: Lot eligens florentem regionem circa Iordanem, commoratur in Sodoma: Abram verò habitat iuxta conuallem Mambre in Hebron. ac iterum audit à Deo terram iſtam ab ipſo & ſemine eius poſſidendam idque multiplicandum ſicut puluerem terræ, vbi & altare Deo erigit.

[*Geneſ.14.* Lot captus liberatur ab Abram. — *Hebr.7.* Sacrificiū Melchiſedec.]

Poſt hæc reges Sodomitæ, cum 4. regibus Aſſyriorum congreſſi in valle ſylueſtri prælio vincuntur, ac Sodomā ſpoliata, Lot cum alijs captiuus abducitur: quos Abram cum 318. ſeruis ſuis perſequēs vſq; Dan, reges hoſteſque cædit, captiuos ſpoliaque victor reducit. Cui victori reuertenti occurrens in valle regis Melchiſedec (quem Hebræi tradunt eſſe Sem primogenitum Noë) rex Salem ac ſacerdos Dei, panem & vinum offert, Deo ac Abræ benedicit: cui & decimas dat Abram ex omnibus, ac ſpolia regi Sodomæi reddit,

[*Geneſ.15.* Promiſſio Iſaac. — Oblatio Abræ. — *Act.7.*]

Dehinc Abrę conquerenti quòd hæredem non haberet, Deus per viſionem promittit filium, qui & hæres eſſet, & multiplicaretur ſicut ſtellæ cæli: cui credens Abram iuſtificatur, ac in ſignum promiſſæ terræ, præſcriptum à Domino ſacrificium offert, aues aduolitantes abigens, igne cælitus hoſtiam abſumēte. atq; nocte ſopitus, oraculo docetur ſemen ſuum affligendum & ſeruiturum in Aegypto 400. annis, deinde Diuinitus liberandum, ac poſſeſſurum terram Chanaan.

## Anno mundi 2033.

[*Geneſ.16.* Fuga Agar.]

ABRAM poſt annos 10. quàm habitare cœpit in terra Chanaan, ad petitionem Sarai congreditur cum Agar Aegyptia ancilla ſua. quæ vbi concepiſſet, atque ob id Sarai dominam ſuam contemneret, ab illa afflicta fugit



[*Galat.14.* Iſmaël naſcitur.]

fugit in deſertum verſus Aegyptum: ſed iuſſu Angeli reuerſa, ac dominę ſubdita, mox parit Abræ 86. annorum exiſtenti Iſmaëlem.

## Anno mundi 2047.

[*Geneſ.17.* Inſtitutio Circunciſionis. — *Rom.4.*]

ABRAE 99. annos nato apparens Deus, promiſſiones de multiplicando ſemine, terraq; poſſidenda iterat. ac mutato nomine vocat eum ex Abram, Abraham, id eſt, patrē multarum gentium: & Sarai, Saram, hoc eſt, principem, ex qua promittit ei anno proximo naſciturum Iſaac, vnà cum Iſmaëlis ſucceſſu. Præcipit inſuper ſtatim omnes maſculos, ac deinceps omnes pueros octauo natiuitatis die, in carne præputij circumcidi, in ſignum æterni fœderis Dei cum Abraham & ſemine eius, ac in ſignaculum fidei, quo ab infidelibus diſtinguerentur. Itaq; Abraham mox ipſa die ſeipſum, Iſmaëlem annum 13. agētem & omnes ſeruos domus ſuæ circuncidit.

[*Geneſ.18.* Abraham tres videt, Vnum adorat. *Roman.4.*]

Eodem anno Abraham in valle Mambre ſedens ad oſtium tabernaculi ſui in ipſo feruore diei, tres Angelos in ſpecie virorum excipit hoſpitio, pedes lauat, conuiuio reficit, & ſtans ſub ilice miniſtrat ad menſam, vnum tamen adorans: qui ipſi ſeni & effœto filium ex Sara ſterili, anu item effœta in annū proximū promittunt: eamq; ob id ridentem corripiūt.

[*Geneſ.18.* Pietas Abrahæ.]

Inde pergentes Sodomam comitante eos Abrahamo, eidem obnunciant peccata & futuram ſubuerſionem Sodomorum: pro quibus Abraham ſæpius deprecatur: auditque, ſi vel decem in ciuitate eſſent iuſti, propter eos parcendum omni loco.

[*Geneſ.19.* Abomināda libido Sodomitarum. *Ezech.16. 2.Pet.2.*]

Veſpere duo Angeli intrantes Sodomam, à Lot ſuſcipiuntur hoſpitio ac cœna: priuſquam irent cubitum omnes viri ciuitatis vallantes domum Lot, nouos hoſpites flagitant ad ſtuprum. egreſſus Lot anxius pro hoſpitibus, offert duas filias ſuas vltro incognitas. cumque à furente populo vim pateretur, Angeli introducto Lot, nefarios cæcitate percutiunt, locumq; iſtum euertendum Lot edocent.

[*Geneſ.19.* Liberatio Lot. — Vxor Lot. *Sap.10. Luc.17.*]

Manè Angeli iuſtum Lot cum vxore & 2. filiabus manu educunt extra ciuitatem, dātque mandatum ne retroſpiciant, ſed properè in monte ſeſe ſaluent: id cùm Lot longius videretur, precibus impetrat vt in Segor ciuitate proxima ſaluentur. at vxor eius reſpiciens poſt ſe vertitur in ſtatuam ſalis: vbi incredibilis animæ memoria etiamnum ſtat figmentū ſalis.

[*Geneſ.19. Oſee 11. Luc.17.* Subuerſio Sodomæ & Gomorræ. *Sap.10. 4. Eſd.2. 2.Pet.2.*]

Ingreſſo Lot Segor exorto iam Sole, ſubitò Dominus pluit de cælo ignem, ſulphur, & picem ſuper Sodomam, Gomorram, Adamam, & Seboim: caſq; ciuitates cum omnibus incolis & circumiacente regione comburit, & in cinerem redigit, totumq; locum facit lacum horridum, qui hodie etiamnum in teſtimonium nequitiæ ſimul & exemplum aliorum perpetuis exæſtuat vaporibus, quorum halitu terra vtrinque ad 8. millia paſſuum vſque ſterilis ſqualet.

[*Geneſ.19.* Inceſtus Lot cum filiabus.]

Lot verò timens manere in Segor aſcendit cum vtraq; filia in montem, ibiq; habitant in ſpelunca. at filiæ eius exiſtimantes nullum virorum remanſiſſe in terra præter Lot patrem ſenem, vt ſeruent ex ipſo ſemē, cum patre inebriato alternatim congrediuntur concipiūt, paritq; maior Moab patrem Moabitarū, minor autem Ammon patrem Ammonitarum.

## Anno mundi 2047.

[*Geneſ.20.* Habitatio Abrahæ in Gerara.]

PORRO Abraham demigrans ab Hebrō, deinceps habitat in Gerara, vbi & vxorem ſuam dicit eſſe ſororem, quæ ab Abimelec rege rapta, ac Dei protectione ſeruata, ad ipſius iuſſum ſtatim de nocte cum magnis donis intacta redditur, & Abraham orante fœcunditas domui regis reſtituitur.

## Anno mundi 2048.

[*Geneſ.21. Galat.4.* Natiuitas Iſaac.]

POSTHAEC Abraham centenario in Gerara naſcitur ex Sara nonagenaria filius promiſſionis Iſaac: quem pater octauo die circuncidit, mater lactat.

## Anno mundi 2053.

[*Geneſ.21. Galat.4. Hier. ſup. Geneſ.* Pugna Iſmaëlis cum Iſaac. — Eiectio Iſmaëlis. *Geneſ.21. 17.25.* Propagatio Iſmaëli.]

ANNO 5. ætatis Iſaac, celebrat Abraham conuiuium in die ablactationis eius. vbi Iſmaël ludit, pugnat, & perſequitur Iſaac: aduerſus eū, vt maioris ætatis, primogenita ſibi vendicans. quod videns indignata Sara ait ad Abraham: Eijce ancillam hanc & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac. Quamobrem præcipiente Deo Agar cum Iſmaële domo expellitur in deſertū. Iſmaël autem habitat in deſerto Pharan, fitq; iuuenis ſagittarius. vbi accepta vxore Aegyptia, generat 12. duces, ac valdè augetur & multiplicatur in gentem magnam: à quo Iſmaëlitæ, qui poſtea Agareni, ac poſtremò Saraceni dicti.

## Anno mundi 20853.

[*Geneſ.21.* Berſabee.]

EODEM tempore Abimelec cum Abraham fœdus pro puteo aquæ medio iuramento init: qui idcirco vocari cœpit Berſabee. vbi & nemus plantat Abraham, ibique Deum inuocat.

## Anno mundi 2073.

[*Geneſ.22.* Tentatio Abrahæ. *Ioſeph.1. antiq.22.* — *Heb.11.* Immolatio Iſaac.]

POSTHAEC Deus fidem Abrahæ probans iubet Iſaac ſibi in mōte offerri in holocauſtum, cùm eſſet, iuxta Ioſephum, 25. annorum. Itaq; Abraham de nocte conſurgens, aſſumpto Iſaac cum 2. ſeruis, pergit ad locum deſignatum, quo die tertio, nempe 25. Martij perueniens, relictis ſeruis, ipſe ignem & gladium ferens, cum Iſaac ligna holocauſti portāte aſcendit montem Moria. vbi cùm Iſaac ligatum altari ligniſq; impoſuiſſet, extendit manu gladium vt ipſum mactaret, inq; holocauſtum combureret.

Sed ecce cælitus ab Angelo audit, filio vt parceret. itaque arietem à tergo cornibus inter vepres hærentem aſſumens, offert holocauſtum loco filij. Quamobrem Deus Abrahę promiſ-

*Heb.6.* Confirmatio promiſſionum. *Rom.4.*

promiſſa iureiurãdo confirmat, ipſius ſemen multiplicandum vt ſtellas cæli & arenas maris, idq; poſſeſſurum portas inimicorum, atq; in eo benedicendas omnes gentes. Inde rediens Abraham cum ſuis Berſabee, habitat ibi.

## Anno mundi 2085.

*Geneſ.23.* Obitus Saræ.

HINC Sara vitæ ſuæ anno 127. moritur, ac ab Abraham officio funeris lugetur, atq; iuxta Hebron in ſpelunca duplici, quam Abraham cum agro & arboribus, ab Ephron Hethæo, licet gratis oblatam, 400. ſiclis argenti publicè emit, ſepelitur.

## Anno mundi 2088.

*Geneſ.24. 25.*

CVM Iſaac 40. eſſet annorum, mittit Abraham Eliezer ſeruum ſuum à ſe adiuratũ in Meſopotamiam, vt inde accipiat vxorem Iſaaco. qui profectus eò, ſigno à Deo petito, ad fontem iuxta Haran Rebeccam virginem pulchram inuenit, ſuoſq; camelos adaquantem agnoſcit, in eius receptus hoſpitium eam in coniugem Iſaaci requirit, ac habito parentum, ac fratris, ipſiuſq; puellæ conſenſu, adducit eam ad Iſaac. quam ille accipit in vxorem, eiuſque amore ſuper morte matris conſolatur.

Iſaac ducit Rebeccam.

*Geneſ.25.*

Sub hæc Abraham ducit vxorem Ceturam, ex aqua gignit 6. filios: quibus dat munera, Iſaaco poſſeſſionem reſeruans, & hæreditatem.

## Anno mundi 2108.

*Geneſ.25. Roman.9.* Natiuitas Eſau & Iacob.

ISAAC ſexagenarius orat Dominum vt ſterilis Rebecca fœcunda fieret. quæ ex vno concubitu concipiens, geminos in vtero collidentes parit. prior Eſau rufus erat & totus piloſus: qui factus eſt venator & agricola, patri dilectus, à Deo odio habitus: alter Iacob vir ſimplex & perfectus, habitans in tabernaculis, matri charus, Deo dilectus.

*Malach.1. & ibi Hie.*

*Geneſ.25.* Eſau vendit Iacobo primogenita. *Hier. quæſ. Heb. in Ge. Hebr.12.*

Eſau laſſus & famelicus ex agro veniens, offendit Iacobum ſibi ipſi coquentem rufum pulmentum lentis, rogatq; id ſibi dari: at ille expoſtulat pro eo ſibi vendi ius primogenituræ, cui benedixerat Deus, cui & ſacerdotium vſque ad tempora Aaron fuiſſe annexum Hebræi tradunt. Eſau impatiens inediæ, paruipendens primogenita, ea interpoſito iuramẽto fratri vendit, pultemq; edit. atq; à pultis rubore cognominatus eſt Edom: dictus & Seir, quod piloſum Hebræis ſonat: à quo Edom regio, (quam Græci Idumæam vocant) & Seir mons, nomen habent.

## Anno mundi 2123.

*Geneſ.25.* Mors Abrahæ.

IACOB habente annos 15. moritur Abraham auus eius annorum 195. & ab Iſaac & Iſmaële ſepelitur in ſpelunca duplici.

*Geneſ.26.*

Iſaac, ob annonæ inopiam volens ire in AEgyptum, iuſſu Dei remanet in Gerara: vbi & audit à Deo ſemen ipſius amplificandum, ac poſſeſſurum Chanaan, inq; eo omnes gentes benedicendas. Dicens autem Rebeccam ſuam eſſe ſororem, obiurgatur ab Abimelec rege. Ibiq; multum ditatus, ob inuidiam Palæſtinorum puteos ab ipſo foſſos obturantium, recedit in Berſabee: vbi iterum promiſſionẽ benedictionis & multiplicationis ſeminis à Deo accipit: quem altari extructo inuocat. Ibidemq; Abimelec cum Iſaac fœdus iuramẽto init: vnde & vrbi nomẽ Berſabee inditum. Eſau verò quadragenarius ducit duas vxores Chananitidas, quæ ambæ offenderant animũ Iſaac & Rebeccæ.

Fontes Iacob obſtruunt Philiſtæi.

Bigamia Eſau.

## Anno mundi 1285.

*Geneſ.27.*

IACOB annum 77. ætatis agente, Iſaac ſenex & cæcutiens vocat Eſau vt ipſi, tãquam primogenito, benedicat. eo autem à patre venatum miſſo, Iacob per Rebeccæ conſilium indutus veſte Eſau ſacerdotali pulchra & fragrante, ac pelle hedina, cibos vinumque patri offert, ipſum oſculatur, itaq; ab eo accipit benedictionem primogeniti cum dominio in fratres, & abundantia frumenti, vini, & olei. Poſtea veniens Eſau cum cibis venationis, dolens, orans ac plorans ægrè minorem benedictionem obtinet: & cõcepto ob id odio in fratrem, mortem ei minatur. Vnde Iacob monetur a matre vt concedat in Haran Meſopotamiæ ad Laban auũculum ſuum: pater autem præcipit, vt inde vxorem ſibi accipiat. At Eſau videns diſplicere parentibus vxores ſuas Chananæas, it ad Iſmaëlem, & ducit filiam eius in tertiam vxorem.

Iacob loco Eſau benedicitur.

*Abd.1.*

*Geneſ.28.* Trigamia Eſau.

## Anno mundi 2185.

*Geneſ.28.* Viſio Iacob.

IACOB igitur iter faciens in Meſopotamiam Syriæ, venit Luzam, vbi poſt Solis occubitum lapide capiti ſuppoſito ſub dio dormiens, videt in ſomnio ſcalam à terra in cælum vſq; pertingentem, & Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, ipſumq; Deum ſcalæ innixum audit & ſibi ſancientem promiſſiones de terra Chanaan à ſemine eius poſſidenda, idq; multiplicandum ac dilatandum, atq; in eo benedicendas cunctas tribus terræ. Quamobrem experrectus locum iſtum ſacratum habet, ac lapidem ipſum erigens in titulum, oleo perfundit, vocat nomen loci Bethel: ibiq; votum vouet ſe DEO fidelem futurum, ac decimas oblaturum ex omnibus.

*Geneſ.29.* Coniugium Iacob.

Hinc pergens Iacob, ſolus cum baculo ſuo, tranſit Iordanem, perueniens ad puteum iuxta Haran, Rachaelis oues adaquat, eam oſculatur, ac flens ei ſe manifeſtat: ideoque à Laban auunculo ſuo benignè ſuſceptus, ſeruit ei pro Rachele filia eius minore annis 7. Quibus expletis, in nuptijs veſpere Lia lippa clam ſupponitur ignoranti: dictumque, non eſſe conſuetudinem, vt minores ante nubant: expectet dies 7. & alteram quoque accipiat, modò velit poſt eius copulam adhuc 7. annis ſeruire. acquieſcit: octauo die pulchræ, ac dilectę Racheli coniungitur: & deinde ſeruit pro eadem 7. annis alijs.

Anno



## Anno mundi 2193.

*Geneſ.29. Ioſeph.11. antiq.5.* Generatio Iacob. *Geneſ.30.*

ANNO vitę Iacob 85. Lia parit Ruben. anno ſequenti Simeon. anno 87. Leui. anno proximo Iudam: à quo Iudæi appellati, quæ appellatio tum primùm illis & regioni eſt indita, quando à Babylonia ſunt reuerſi. Videns autem infœcundam ſe Rachel, dat Iacobo Balam ancillam ſuam, ex qua naſcitur Dan. dein de Neptalim. Sentiens & Lia quòd ceſſaret parere, Zelpham ancillam ſuam marito tradit, quę gignit Gad, & Aſer. Anno 90. Lia, conducto à Rachele pro mandragoris Ruben concubitu mariti, parit Iſachar. deinde Zabulon. Inde Dinam filiam.

## Anno mundi 2199.

*Geneſ.30.* Ioſeph naſcitur.

ANNO ætatis Iacob 91. Rachel exaudita à Domino, concipit & parit Ioſeph. quo nato, proponit Iacob redire cum ſuis in patriam. ſed precibus Laban detentus, rurſum ſeruit ei pro mercede ouium varij coloris ex vni coloribus naſcentium annis 6. itaq; prudenti cautela plurimo grege ditatur.

## Anno mundi 2205.

*Geneſ.31.* Reditus Iacob in patriam.

CVM ergo 20. annis ibi ſeruiſſet Iacob, anno ætatis ſuæ 97. iubente Deo, cum vxoribus, liberis, & gregibus tacitus reuertitur in terram Chanaan. quem Laban cum ſuis inſequens, die ſeptimo comprehenſum in monte Galaad arguit quòd ſe inſcio fugerit. Rachel idôla patris ſui clam furata, ea ſub ſe abſcondens, quærẽtem patrem aſtu deludit. tandem Iacob & Laban ibi fœdus ineunt neutrum alteri nociturum, inq; eius teſtimonium tumulum lapidum erigunt, vnde monti Galaad nomẽ factum. ac immolatis victimis, conuiuioq; celebrato, Laban ad ſua redit.

*Geneſ.32.*

Lucta Iacob cum Angelo. *Oſee 12.*

Iſrael.

Iacob autem iter ceptum proſequens, obuios habet Angelos Dei, in loco cui ob id Mahanaim, id eſt, Caſtra nomen indit. At timens fratrem ſuum Eſau, mittit ad eum in Seir nuncios & munera, quibus ipſum placaret. hinc in ripa torrentis Iaboc cum Angelo luctatur ſtrenuè vſq; manè, ex tactu Angeli neruus femoris eius emarceſcit, luctaq; præualens Angelo, videt Deum facie ad faciem, benedicitur, confortatur, atq; ex Iacob appellatur Iſraël. à quo Iſraëlitæ, qui nunc Iudæi vocantur. vnde imponit loco nomen Phanuël.

## Anno mundi 2250.

*Geneſ.33.* Reconciliatio Eſau & Iacob.

HIC Eſau cum 400. viris Iacobo occurrit, flens ipſum amplexu & oſculo excipit, fratreq; compellente munera accipit, hinc digredientes, Eſau Seir repetit, Iacob verò in Socoth figit tentoria. inde tranſit in Salem. deinde habitat iuxta Sichem, vbi in agro centũ agnis empto figit tabernacula, erectoq; altari, Deum inuocat.

*Geneſ.34.* Violatio Dinæ.

Egreſſa autem Dina vt videret filias regionis illius, à Sichem filio Principis terræ iſtius rapitur ac ſtupratur. Quo audito Simeõ & Leui, in vltionem ſtupri omnes viros Sichẽ prius fœderatos ac circunciſos dolosè occidunt, Dinaq; recepta, cæteri filij Iacob vrbem eorũ prædantur. ideoq; Simeon & Leui à patre increpantur. Poſtquam Iacob idôla ſuorum apud Sichẽ ſubter quercũ infodiſſet, iuſſu Dei aſcẽdit in Bethel, ibiq; altare Deo ædificat. vbi Debora nutrix Rebeccæ mortua ſepelitur. vbi & Deus rurſum Iacobo apparens, benedictiones ſeminis & poſſeſſionis repetit. cui Iacob iterum lapidem vnctum ſtatuit.

*Geneſ.35.*

*Geneſ.35.* Mors Rachel.

Progreſſo Iacob prope Bethleem verno tẽpore, Rachel in via pariens Beniamin expirat, ibiq; in monumento ſepelitur. hinc tendit tabernaculum trans turrem gregis. vbi Ruben concumbit cum Bala concubina patris ſui. tandem peruenit in Hebron ad Iſaac patrem ſuum.

## Anno mundi 2215.

*Geneſ.37.*

IOSEPH cùm eſſet ſedecim annorum, à patre dilectus, apud eum fratres de crimine peſſimo accuſans, ac viſa ſomnia futurum ſe principem demonſtrantia narrans, fratrũ inuidiam in ſe concitat. Miſſus autem à patre de Hebron ad reuiſendos fratrem in Sichem pecora paſcentes, eos in Dothaim inuenit. qui primùm volentes ipſum occidere, obſiſtente Ruben expoliatum tunica polymita proijciunt in ciſternam ſiccam. Deinde conſilio Iudæ extractum 20. argenteis vendunt mercatoribus Iſmaëlitis tranſeuntibus: à quibus abductus in AEgyptum, vẽditur Putiphari principi exercitus Pharaonis. At fratres tunicam eius in ſanguine hædi tinctam mittunt ad patrem, qui eum à beſtia deuoratum ratus, inconſolabiliter luget.

Venditio Ioſeph.

*Geneſ.38.* Inceſtus Iudæ cum Thamar.

Eodem tempore Iudas ducit vxorem Chananæam, ex qua tres ſuſcipit filios, Her, Odam & Sela. primum & deinde ſecundum matrimonio iungit Thamar. quibus (quia nequam erant, à Deo occiſis, tertium ei tradere retardans, ipſam in via quæ ducit Thamnam mutato habitu ſedentem inſcius pro meretrice cognoſcit. Quæ ad vnum coitum concipit geminos. Vnde poſtea vt fornicatrix comburẽda, arrabonis indicio ſe liberat, paritq; Phares & Zaram.

## Anno mundi 2225.

*Geneſ.39.* Caſtitas Ioſeph.

IOSEPH autem Putiphari proſperè fideliterq; ſeruiens, ab eo toti domui eius præponitur, ac eam rectè gubernat. At cùm poſtea dominam ſuam ipſum quotidiè ad concubitum ſolicitantem, nec non apprehenſo veſtimento attrahentem conſtanter repelleret, ac relicto in manu eius pallio fugeret: ab ipſa apud dominum ſtupri intentati falsò accuſatus, carceri regio includitur. vbi cuſtodis carceris gratiam nactus, omnium concaptiuorum curam habet.

Incarceratio Ioſeph.

## Anno mundi 2226.

*Geneſ.40.* Interpretatio ſomniorum.

POST HAEC pincerna & piſtor Pharaonis in eundem carcerem coniecti, inibi per annũ detinentur. quorũ ſomnia Ioſeph in carcere exponens, prædicit pincernam officio reſtituendũ, piſtorẽ verò in cruce ſuſpendendũ.

quæ

quæ omnia die tertio in Pharaonis natali eueniunt.

## Anno mundi 2228.

Geneſ.35. & 49. Mors Iſaac. Geneſ.36.

ANNO ætatis Ioſeph 29. Iſaac natus annos 180. moritur: & ſepeliunt eum Iacob & Eſau in ſpelunca duplici. ac paternis bonis inter ſe partitis, Iacob remanet in terra Chanaan in Hebron. Eſau autẽ remigrat in montem Seir, ac terram Edom, quam Græci Idumæam vocant. ex quo multi duces & reges ipſiq; Idumæi orti.

## Anno mundi 2229.

Geneſ.41.

BIENNIO à reſtitutione pincernæ in officium, videt Pharao ſomnium de 7. bobus pinguibus à 7. macilentis deuoratis: item alterum de 7. ſpicis plenis à 7. tenuibus conſumptis. Quæ cum ſapientes Aegypti interpretari non poſſent, ſuggerente pincerna iuſſu Pharaonis Ioſeph de carcere eductus, tonſus ac ornatus ſiſtitur Pharaoni, annos natus triginta. cui interpretans ſomnia, prænunciat 7. annis proximis maximam frugum copiam, & 7. conſequentibus inopiam futuram: conſulitq; frumentum in tempora famis recondendum. Quapropter à Pharaone ſolemni pompa conſtituitur princeps totius AEgypti, cui præeſt annis 80. daturque ei vxor Aſeneth filia ſacerdotis Heliopoleos: ex qua gignit Manaſſen & Ephraim. Circumienſq; vniuerſam Aegyptum, per 7. annos vbertatis congregat magnam vim frumenti in horrea ſingulis in vrbibus.

Ioſeph fit princeps Aegypti.

## Anno mundi 2236

Geneſ.48. 1. Profectio fratrum Ioſeph in Aegyptum.

SEPTENNIO fertilitatis exacto, cæperunt 7. anni ſteriles, cumque fames totum mundum premeret, decem filij Iacob, Beniamin domi relicto, iuſſu patris ad emendum frumenta cum alijs profecti in Aegyptum, Ioſeph incognitum adorant. à quo agniti, durè quaſi exploratores per interpretem alloquitur, & in carcere tribus diebus recluduntur. Inde Simeone pro obſide in vinculis retento, cæteri Beniamin adducturi reuertuntur in Chanaan, pecuniam in ſaccis vnà cum frumento inſcij referentes. narrantq; patri quicquid ipſis acciderat.

## Anno mundi 2237.

Geneſ.43. 2. Profectio in Aegyptum.

ANNO 2. famis, conſumpto alimento fratres Ioſeph, aſſumentes ſecum Beniamin (quem Iudas patre ęgrè conſentiente in ſuam tutelam ſuſcipit) cũ muneribus duplicią; pecunia, pro emendis cibis redeunt in Aegyptũ. vbi benignè excepti, Simeone de carcere educto, ſimul ſuo quiſque ordine prandent cum Ioſeph, Beniamin maiori parte honoratur, lætiq; epulantur & inebriantur.

Geneſ.44. Beniamin.

Poſtridie Ioſeph abſconſo & deprehenſo ſcypho ſuo argenteo in ſacco Beniamin, reuocatos ab itinere fratres furti arguit. quos Iudas excuſans, ſe in ſeruitutem pro Beniamin offert.

Geneſ.45. Ioſeph agnitus.

Tum Ioſeph flens ſe fratribus agnoſcendum præbet, territoſque conſolatur & oſculatur. Vnde Pharao cum ſuis gauiſus, imperat vt aduocetur pater cum omni cognatione ac poſſeſſione ſua in Aegyptum. quin & Ioſeph admonens fratres adhuc quinq; annos famis reſtare, eos ad patrem adducendum cum viatico, donis, & plauſtris in Chanaan remittit.

## Anno mundi 2238.

Genebrar. 2239. Geneſ.46.

HIS auditis Iacob ſpiritu reuiuiſcens, proficiſcitur cum ſuis in Berſabee. vbi oblatis Deo victimis, Diuino oraculo monetur, vt ſine timore deſcendat in Aegyptum, Deum ei adfuturum, ipſumq; multiplicaturum, ac tandem reducturum. Itaq; Iacob cum vniuerſis filijs & nepotibus, hominibus ſcilicet ſeptuaginta, ſuiſque omnibus commigrat in Aegytum. cui Ioſeph in terra Geſſen occurrens, patrem pio amplexu & fletu ſuſcipit: ſuadetq; vt Pharaoni ſe paſtores ouium dicant.

Deſcenſus Iſrael in Aegyptũ.

Geneſ.47. Coram Pharaone comparet.

Inde Iacob cum filijs introductus ad Pharaonem, interrogatur ab eo quot annos habeat reſpondet, 130. paucos & malos. à quo terra Geſſen optima totius Aegypti datur Iſraëli in poſſeſſionem: vbi Iſraël in Rameſſe habitans, valdè creſcit, & augeſcit.

Geneſ.47. Fames in Aegypto.

At fames vſq; adeò premit Aegyptũ, vt Aegyptij deficiente pecunia, venditiſq; pro frumento pecoribus, terram quoq; vendere ſint coacti. vnde factum eſt, vt quinta pars frugum Regibus Aegypti perpetuò cedat: excepta terra ſacerdotum, quibus à Pharaone præbebantur ſtatuta cibaria ex horreis publicis.

*Not. Genebrard. multis argumentis contẽdit, ab hoc ingreſſu Iacob in Aegyptum, numerandum tempus 430. cuius Exod. 12. Galat. 3. Actor. 13. fit mentio. Atq; hinc tanta chronologorum omnium diſcrepantia: quod eum calculum conſtituere non poßint.*

## Anno mundi 2255.

Geneſ.47. Adoptio filiorum Ioſeph. Geneſ.48.

CVM habitaſſet Iacob in Aegypto annos 17. ægrotans accitum Ioſephum adiurat, vt ſe in Chanaan cum patribus ſepeliat. Inde filios eius Manaſſen & Ephraim amplexatur, oſculatur, atq; adoptat ſibi in filios, iiſq; benedicit, iuniorem, contradicente Ioſeph, ſeniori pręponens. datq; Ioſepho ſupra fratres, partem vnam, (prædium ſcilicet iuxta Sichem) quam iure belli acquiſierat.

1. Paral.5. Ioan.4.

Geneſ.49. Benedictio filiorum Iacob. Geneſ.50.

Deinde ſingulis filijs ſuis, propria cuiq; benedictione, benedicit, ac multa futura prophetat, inter alia, non auferendum ſceptrum de Iuda, & ducem de femore eius, donec naſceretur Meſſias, qui eſſet ſalus gentium. Iterumq; mandans, vt ſe cum patribus ſepeliant, expletis vitæ annis 147. obijt.

Sepultura Iacob.

Ioſeph autem corpus patris aromatibus conditum, cum fratribus ac ſenioribus Aegypti, magnoque comitatu & planctu transfert in terram Chanaan, celebratiſque per 7. dies exequijs ad aream Adad trans Iordanem lugens id ſepelit in ſpelunca duplici. Inde reuerſus cum ſuis in Aegyptum, fratres, ob irrogatam olim ipſi iniuriam, ſibi timentes, piè conſolatur. Ibique anno mundi 2309. principatus ſui 80. vitæ 110. fratres ſuos adiurãs vt in exitu de Aegypto deferrent ſecum oſſa ipſius in terram promiſſionis, moritur, condituſq; aromatibus reponitur in loculo.



Ioſeph moritur.

Iob.1. Iob diues & ſanctus.

Circa hæc tempora, Iob vir gentilis ſimplex & rectus ac timens DEVM, iuſtus & diues, habitans in terra Hus, pro filijs ſuis viciſſim conuiuantibus quotidie Deo ſacrificat. At Satan, permiſſa à Deo facultate, per Sabæos & Chaldęos, igneq; de cęlo perdit omnes oues, boues, aſinas, camelos & ſeruos Iob, ac impetu venti 7. filios & 3. filias eius ruina domus opprimit: ipſumq; peſſimis percutit vlceribus à vertice ad plantam vſque, ita vt teſta ſaniem raderet ſedens in ſterquilinio: cui etiam propria vxor inſultat: qui omnia patienter ferens, Deum laudat. Tres autem regis ipſius amici, Eliphez Themanites, Baldad Suites, & Sophar Naamitites conſolandi gratia afflictum viſitantes, ob vehementem eius dolorem 7. diebus humi cum eo taciti ſedent. Inde cùm Iob deploraret priſtinam illam fælicitatem, ſibi verſam in ſummam calamitatem: amici arguunt eum grauiter peccaſſe, quòd tam acerbè à Deo puniri ſe dicat: qui cùm ſit æquus iudex, innocenti aduerſa non infligat, ſed bonis bona, & malis mala tantùm rependat. Ideoque hortantur vt ad Deum melioremque vitam ſe conuertat, & ita cuncta fore illi fæliciora. Quos Iob redarguens, declarat Deum pro ſua prouidentia in hac vita iuſtum pariter & iniuſtum ſimili lance penſitare: quinimò ſubinde pijs aduerſa, & impijs proſpera immittere. ſeque nõ tantò grauius cæteris mortalibus peccaſſe, quantò acerbius puniatur. quod vt probet, vitæ ſuæ anteactæ innocentiam & pia geſta recenſet, cuius teſtem eſſe Deum aſſerit, ideoque in redemptore ſuo, Chriſto ſcilicet, confidens, in futura corporum reſurrectione veram iuſtitiæ retributionem expectat.

Iob.2. Iob afflictus & patiens. Tob.2.

Iob.3.4.5.6 & cæt. vſque 37. Diſputatio Iob cum amicis.

Iob.38.39. Dei ſententia. Iob.42.

Tandem multis verbis vltrò citroque habitis, Deus ipſe è turbine cæleſti oraculo diſputationem ſoluẽs: illos iniquè, Iob verò rectè locutum pronunciat. quo pro amicis ſacrificante & orante, Deus placatur. ac reddit ipſi Iob ſanitatem, liberos, & cuncta quæ amiſerat duplicia. qui poſt hæc 140. annos viuens, cùm ipſemet ſuam hiſtoriam metro conſcripſiſſet, obijt in pace.

Iob fælicitati reſtitutus.

## Anno mundi 2309.

Exod.1. Euſeb. in Chronic. aliter Genebrard. Seruitus Iſraël in Aegypto. Iudith 5.

MORTVO Ioſeph filij Iſrael mirum in modum creſcunt & multiplicantur in Aegypto per annos 144. donec exirent. Interea exortus nouus rex Pharao, qui non nouerat Ioſeph, volens impedire multiplicationem Iſraelitarum, opprimit eos duriſſimis operibus luti & lateris in ædificatione vrbium Phiton & Rameſſes. Cumque tantò magis multiplicarentur, præcipit omnes maſculos eorum in partu interfici: ſed obſtetrices timentes Deum, non interficiunt: ideoque à Deo benedicuntur.

Hebr.11.

Tandem Pharao edicto mandat omnes Iſraelitarum maſculos natos, ſtatim proijci in flumen & ſubmergi.

## Anno mundi 2373.

Exod. 2. Act.7 Moyſes aquis expoſitus.

ANNO à morte Ioſeph 64. naſcitur de tribu Leui Moyſes, & à parentibus, eò quòd elegans eſſet, tribus menſibus domi abſconditur. Deinde in fiſcella ſcirpea expoſitus in flumen, à filia Pharaonis reperitur. quæ ſublatum Mariæ ſororis pueri ſuaſu, matri eius pro mercede nutriendum tradit, adultumque adoptat ſibi in filium, & facit erudiri omni ſapientia Aegyptiorum. & erat potens in verbis & factis.

*Not. iam diximus, ſi anni ſeruitutis 430. expediri debent, aliter calculi rationem ineundam. ideoque Moyſes naſcetur anno mundi 2589. educet populum ex Aegypto anno 2669. aut 2670.*

## Anno mundi 2413.

Act.7. Heb.11. Exod.2.

MOYSES factus annorum 40. negat ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, malens affligi cum populo Dei, quàm cum Aegyptijs temporariam habere peccati iucunditatem: aſpiciebat enim in mercedis retributionem. Itaq; inuiſens fratres ſuos Iſraelitas afflictos, conſpicatus ibi Hebræum percuti ab Aegyptio, fratrem ab iniuria vindicans, Aegyptium occidit, & abſcõdit in ſabulo. Quamobrem cùm Pharao quæreret occidere Moyſen, timens fugit in terram Madian, vbi iuxta puteum 7. filias Raguel, qui & Ietro, ſacerdotis vrbis Madian ab iniuria paſtorum defendens, oues earum adaquat. ideoque à Ietro ſuſceptus, ducit Sephoram filiam eius vxorem, ex qua generat 2. filios Gerſan & Eliezer. manenſque ibi annis 40. paſcit gregem. Mortuo interim Pharaone, filij Iſraël propter onera laborum ingemiſcentes, clamant ad Deum, & exaudiuntur.

Moyſes profugus in Madian.

Clamor Iſraël.

## Anno mundi 2453.

Genebrar. 2669. Exod.3. Act.7.

MOYSI octogenario oues Ietro paſcenti ad montẽ Oreb, qui & Sinai, Deus in rubo ardente & non comburente apparens, admirantemque vocans, ait locum iſtum ſanctum, & mittit eum in Aegyptum, vt liberet filios Iſrael à ſeruitute Aegypti, & deducat eos in terram promiſſionis fluentem lacte & melle: varijs autem modis ſe excuſantem Deus inſtruens ac confortans, promittit ſe ipſi adfuturum, datque ei poteſtatem conuertendi virgam eius in ſerpentem, manum in lepram, & aquam fluminis in ſanguinem: vt per ſigna vocationem ſuam probet, fidemque aſtruat verbis.

Moyſes cõſtituitur dux Iſraëlitarum. Exod.4.

Exod.4.

Moyſes itaque conſentiente Ietro, vnà cum vxore, & filijs repetit Aegyptum. cui in itinere in diuerſorio occurrens Dominus, vult eum occidere, quòd nõ circuncidiſſet filium ſuum:

Reditus Moyſis in Aegyptū. ſuum: quem ilicò Sephora petra circuncidit, at viſo eius ſanguine indignata, relicto viro, cum pueris recedit domum. Tunc Aaron iuſſu Dei lętabundus it obuiam, & oſculatur fratrem ſuum Moyſen in monte Oreb, oratoris loco illi futurus: ſimulq; progreſſi in AEgyptū, congregant ſeniores Iſraël, Dei verba nunciant, populumq; ſignis confirmant.

Exod.5. Acceſſus ad Pharaonem. Hinc aggreſſi Pharaonem, aiunt Deum Iſraël ipſi mandare vt dimittat populum ſuum, vt eat iter tridui in deſertum, ibique ſacrificet Deo ſuo. quod Pharao abnuens, grauioribus operibus opprimit Iſraëlitas, negatis paleis ad conficiendos lateres, Aggrauatio Iſraël. auctis & flagris verberibusque. Quapropter cùm Moyſes & Aaron à populo Iſraël incuſarentur, Exod.6. quòd fætere feciſſent eos coram Pharaone: eademque Moyſes Deo conquereretur: conſolatur Deus per Moyſen Iſraëlitas futura liberatione, ac promiſſione terræ Chanaan.

## Anno mundi 2453.

Genebrar. 2669. Exod.7. 2. Acceſſus ad Pharaonem. MOYSES Octogenarius, & Aaron annorum 83. Dei mandato iterum ingreſſi ad Pharaonem, requirunt Iſrael dimitti: & in teſtimonium quòd à Deo eſſent miſſi, Aaron coram Pharaone virgam proijcit, eamq; conuertit in ſerpentem, quod cū Iannes, & Mambres magi Pharaonis Diaboli virtute & arte (2.Tim.3.) ſuis incantationibus etiam facerent, virga Aaron deuorat virgas eorum, induratusq; Pharao renuit dimittere populum. Quo obſtinato permanente, Deus per Moyſen, & Aaron (Pſalm.77. Plagæ Aegypti.) in vrbe campoque Taneos menſe Februario percutit vniuerſam Aegyptum (terra Geſſen & Iſraelitis ſemper exemptis) hiſce plagis.

Exod.7. Sanguis. Primò, aquam fluminis virga percuſſam, cæterasque Aegypti vertit in ſanguinem per dies ſeptem, vnde piſces moriuntur: cumque magi Aegypti ſimiliter facerent, obduratus Pharao nondum exire permittit.

Exod.8. Ranæ. Secundò, ranas ex aqua producit, ijſque totam AEgyptum, domum lectumq; Pharaonis opplet ac infeſtat: idem faciunt magi Pharaonis, pro quarum tamen ablatione Pharao accerſito Moyſe & Aaron promittit Iſrael dimittere: ſed ranis ad preces Moyſi ablatis, non ſtat promiſſis.

Exod.8. Culices. Tertiò, è puluere terræ cyniphes & pediculi emergunt, ac homines iumentaque affligunt. quòd cùm magi ſuis præſtigijs efficere non poſſent, confitentur Dei digito & virtute iſta fieri. at Pharao contumax, necdum dimittit populum.

Exod.8. Muſcæ. Quartò, omne genus muſcarum & beſtiarum noxiarum AEgyptum replet, mordet, vexatque. quapropter Pharao proponit Moyſi vt in AEgypto ſacrificet, iterumq; pollicetur ſe Iſrael dimiſſurum. at oratione Moyſi remota plaga, necdum facit.

Exod.9. Peſtis. Quintò, peſte cuncta pecora AEgypti in campis exiſtentia proſternit. eoq; adhuc pertinaci.

Exod.9. Vlcera. Sextò, è cinere camini per Moyſen in cælum ſparſo, vlcera vrentia & turgentia hominibus, ac iumentis immittit: & non poterant magi ſtare coram Moyſe propter vlcera ſua Pharaone adhuc obſtinato.

Exod.9. Grando. Septimò, grandine, tonitruo, fulgureque horribili, homines, pecora, arbores, herbaſque, in agris exiſtentia, percutit ac deſtruit. ob quæ Pharao peccatum ſuum agnoſcens, confitetur Deum eſſe iuſtum, ſe autem & populum ſuum, impios: rurſumque promittit ſe dimiſſurum Iſraelitas. precibus verò Moyſi ceſſante plaga, idem denegat.

Exod.10. Locuſtæ. Octauò, per ventum orientalem innumerabiles adducit locuſtas, quæ reſiduos arborum fructus ac herbas terræ deuorant, & abſumunt penitus, homineſque cruciant. Vnde Pharao concedit vt ſoli viri eant, ſeq; peccaſſe fatetur. ſed locuſtis per Moyſen vento occidentali in mare rubrum ablatis, denuò induratur.

Exod.10. Sap.18. Tenebræ. Exod.11. Nonò, triduanas tenebras denſas ac palpabiles vniuerſæ Aegypto infert, Iſraelitis luce gaudentibus. ob quas Pharao necdum vult Iſraelem dimittere, niſi pecudibus eorum retentis, Moyſiq; mortē minatur: cui viciſſim Moyſes denunciat decimam plagam infligēdam, cædem primogenitorum Aegypti.

## Anno mundi 2453.

Exod.12. Inſtitutio Paſchæ. DIE primo menſis primi, nempe Martij, Deus mandat edocetq; Moyſen & Aarō ritum celebrandi agnum Paſchalem: quem Moyſes mox ſenioribus Iſrael diuulgat.

Exod.12. Electio agni. Exod.3.11.12. Sap.10. Spoliatio Aegypti. Itaq; die decimo Martij prouidet ſibi vnaquæq; familia agnum maſculum, anniculū, immaculatum & perfectum: eumq; ſeruant vſq; ad 14. diem menſis huius. ac Dei iuſſu poſtulant commodato ab Aegyptijs vaſa aurea & argentea, veſteſq; plurimas: mercedem laborum ſuorum, & conuenientes ſimul ad vrbem Rameſſen, parati expectant tempus celebrandi Paſcha.

Manſio I.

Exod.12. 1 Cor.5. Eſus agni paſchalis. Die decimaquarta Martij ad veſperam, in ſua quiſq; domo agnum paſchalem totum aſſum igni immolant, comeduntq; cum panibus azimis & lactucis agreſtibus, ſtantes, præcincti lumbis calceati, feſtinanter, tenētes baculos in manibus; os eius nullum confringūt, reliquias igne comburunt: ipſiusq; ſanguine hoſtes & ſuperliminare domorum faſciculo (Ioan.19.) hyſopi aſpergunt.

Exod.12. Sap.18. Cædes primogenitorum. Media nocte tranſiens Angelus Domini, occidit omne primogenitum Aegyptiorum tam hominum quàm pecorum, domos autē Iſraelitarum ſanguine agni ſignatas, illæſas præterit, cunctoſq; deos Aegypti cōterit. Vnde cùm ingens clamor exoriretur, Pharao vocatis Moyſe, & Aaron nocte, orat vt velociter exeant cum ſuis omnibus, ipſiq; benedicant.

Exo.12.13. Num.33. Pſalm.104. Exitus Iſraël de Aegypto. Die decimaquinta Martij ſummo diluculo, eunt de Rameſſe ſexcenta milia virorum, armati & ſani oēs, vnà cum mulieribus & paruulis vulgoq; promiſcuo aliarū nationum innumerabili, & pecoribus multis nimis, deferentes ſecum ſpolia AEgypti, & oſſa Ioſeph, atq; farinam conſperſam: ſimulq; egrediuntur AEgypto per viam deſerti, videntibus Aegyptijs, & ſepeliētibus primogenitos ſuos. poſt-



Exod.12. Galat.3. Ioſeph.2. antiq.15. Euſeb.in Chron. poſtquam habitaſſent in Aegypto annos 430. qui anni computandi ſunt ab anno 75. Abrahæ, quando propter famem cæpit peregrinari in Aegypto; poſt migrationem verò, Iacob in Aegyptum anno 215.

*Not. Supra ex Genebrardo retulimus ab ingreſſu Iacob computandos eſſe: alij computant ab Iſaac, alij aliter.*

Egreſſi tendunt tabernacula in Socoth, vbi
2. Dominus præcipit in memoriam liberationis ab Aegypto quotannis eodem die celebrari (Exo.12.15. Sanctio Paſchæ.) feſtum Paſchæ, & 7. dies Azymorum: omneq; primogenitum filiorum Iſrael, tam hominū, quàm pecorum ipſi ſanctificari.

3. Progreſſi caſtrametantur in Etham: hic cæpit adeſſe eis columna nubis per diem, & ignis per noctem: quæ deinceps interdiu ſuper eos expanſa, obumbrat & protegit eos ab æſtu Solis: ac tota nocte lucens, illuminat eos: quotieſcunq; autem migrandum eſt aliò, ceu dux eos præcedens, ignotæ viæ iter oſtendit. (Exod.12. Pſ.77.104. Sap.10.18.19. 1.Cor.10. Columna nubis & ignis.)

## Anno Mundi 2453.

Genebrar. 2669. aut 2670. INDE caſtra ponunt iuxta Phihahiroth ad mare rubrum. Tunc Pharao cum ſuis principibus, equitibus, ſexcentis curribus, delectiſſimoq; totius Aegypti exercitu inſequitur Iſ-
4. (Exod.14.) raelitas: qui conſpecto à tergo hoſte, ſeq; ab vtroque latere præaltis rupibus, & à fronte mari concluſos, trepidant murmurantq;, forſitā non fuiſſe ſepulchra in Aegypto, vt in deſerto occiderentur: at Moyſes promittit eis ſalutem à Deo: ipſoque clamante ad Deum, tollēs ſe Angelus Domini cū columna nubis, collocat ſe medium inter caſtra Aegyptiorū, & Iſrael, Iſraelitis noctem illuminans, Aegyptijs (Tranſitus maris rubri.) verò tenebras condenſans. Tum Moyſe virga ſua aquas percutiente, eæ ſeſe diuidentes, & vtrinque inſtar muri coagulantes, viam aperiunt Iſraelitis: qui primo diluculo tranſeunt per medium ſicci maris, die 19. Martij, eoque Dominico. (Aug.ſer.de temp.153. & 251. Sap.10. Exod.15.) Pharaone autem cū ſuis eos ſubſequēte, mox ictu virgæ Moyſi, aquæ confluētes, Aegyptios omnes ad vnū inuoluunt, ſubmerguntque, quos mortuos ad littus adnatātes, Iſraelitæ armis ac veſtibus ſpoliant: lætiq; Maria præcinente, gratias Deo cū cantu, tympanis & choris peragunt.

Exod.15. Iudit.5. Hinc procedentes per deſertum Sur, tribus diebus non inueniunt aquam: veniuntque ad fontem Mara: cuius aquas amaras, ideoq;
5. impotabiles, populo ob ſitim murmurante, (Aquæ amaræ dulceſcunt.) Moyſes, iniecto in eas ligno, dulces ac potabiles facit: populumque ad obedientiam Dei hortatur.

6. Progreſſi in Elim, reperiunt 12. fontes aquarum, & 70. palmas: ibique caſtrametantur. (Exod.15. 12. fontes.)

Exin figunt tentoria, iuxta mare rubrum.
7. Inde veniūt in deſertum Sin, die 15. Aprilis, vbi conſperſa farina deficiente, murmurantes (Num.33.)
8. contra Moyſen & Aaron pro cibo, optant ſibi mortem, Aegyptiq; ſeruitium cum ſaturitate ventris. Quibus apparet gloria Domini in nube: & veſperi pluit coturnices, ijſque caſtra cooperit. (Exod.16. Coturnices.)

## Anno Mundi 2453.

Genebrar. 2670. Exod.16. Aug ſer.de temp.251. Pſalm.79. Ioan.6. Manna pluit. SEQVENTI die, eoque Dominico, mane pluit eis Dominus de cælo aëreo māna circum caſtra in modum pruinæ: quod deinceps in deſerto per annos 40. quotidie (præterquā ſabbatis) mane ſimul cum rore recens decidit: edoctiq; colligunt ex eo indies ſinguli mēſuram gomor, quæ vnicuiq; ſufficit ad veſcēdum, die autem ſexto, duplum; ſeptimo ſabbatizant: qui multum collegit, huic nihil ſupereſt; qui paulum, is nihil minus habet. Sole verò incaleſcēte, liqueſit; ad ignem, indureſcit; (2 Cor.8. Manna quale.) reſeruatum vſque mane, putreſcit, ſabbatis exceptis. Species eius, vt ſemen coriādri album: ſapor eius, vt ſimilæ cū melle generaliter omnibus: at malis, vt panis oleati, porrò pijs omne delectamentū exhibet, eiſque pro voto ſapit, quod quiſque appetit. (Exod.6. Num.11. Sap.16.) Dei autem præcepto, Aaron gomor impletum manna, reponit in vrna aurea in arca & tabernaculo corā Domino conſeruandum poſteris in memoriam. (Manna ſeruatur. Hebr.9.)

Num.33. Tranſeuntes deſertum Sin, veniunt in Daphca, inde in Alus, deinde in Raphidim, vbi
9. 10. ſitiens populus, præ aquæ penuria murmurat
11. vſque ad lapides: tum Moyſe ſua virga petrā Oreb percutiente, erumpit & fluit eis fons & flumen aquarum. (Aqua è petra.)

Exod.17. 1.Cor.10. Pſalm.77. Exod.17. Deut.25. Debellatio Amalec. Hic occurrens Amalec, oppugnat caſtra Iſraël: cum quo Ioſue confligens, Moyſe in mōte eleuatis manibus orāte, vincit Iſraël: demiſſis orantis manibus, vincitur: vnde cùm Aaron & Hur vir Mariæ ſororis Moyſi, laſſas Moyſi manus ſuſtentaret, Iſraël Amalecitas proſternit ac fugat. Itaque iuſſu Dei, Moyſes ſcribit Amalecitas in poſterum delendos, ibique altare Domino ædificat.

Exod.18. Deut.1. Inſtitutio magiſtratus. Sub hæc Iethro ſocer Moyſi adducens ſecum Sephoram vxorem Moyſi, & duos filios eius, venit ad Moyſen iuxta montem Oreb: & audita ab eo mirabili liberatione Iſraël, lætus Deo benedicit atque ſacrificat. Poſtridie vidēs Moyſen litium multitudine à populo obrui, dat ei conſilium, vt ſubſtituat iudices ordinarios; qui minora iudicent, grauiora ad Moyſen referant: cui parēs Moyſes conſtituit millenarios tribunos: centuriones, quinquagenarios, & decanos. Iethro autem relicto ibi Obab filio ſuo, reuertitur in terram ſuam.

Progreſſi parum Iſraëlitæ, die primo Maij 12.
caſtra figunt ad montem Sinai: Moyſes autem aſcendit montem: tum Deus Iſraëlem in populum peculiarem ſibi deligit & adoptat: cui populus obedientiam pollicetur: quem Deus iubet ſanctificari, & paratum eſſe in diem tertium, ſe enim deſcenſurum in mōtem Sinai, ideoque montem non tangant, ne pereant. Itaque populus lauat, veſtimenta ſua, ab vxorum coitu abſtinet, terminoſque ponit per circuitum montis, ne quis tranſcendat. (Exod.19. Sanctificatio populi Iſrael. Fœdus Iſrael cum Deo.)

## Anno Mundi 2453.

Genebrar. 2670. Exod.19. Galat.3. DIE tertio Maij illuceſcente, qui erat quinquageſimus ab exitu de Aegypto, an. 430. poſt primā promiſſionem Abrahæ factā, ecce

manè cęperunt magis ac magis ſonare tonitrua, micare fulgura, clangere buccinæ, lampades ardere, deſcenditq; Deus terribili cum ſonitu, in igne ac nube, ſuper verticem montis Sinai, & vocato Moyſe in montis cacumē, populo ad radices eius ſtante, loquens è medio ignis, hæc decem præcipit.

*Exod. 20. Deut. 5.* Promulgatio decalogi.

1. Se Deum vnum colant, idôlis reiectis.
2. Suum nomen in vanum ne aſſumant.
3. Sabbata ſanctificent.
4. Parentes honorent.
5. Non occidant.
6. Non mœchentur.
7. Non furentur.
8. Falsè ne teſtentur.
9. Non concupiſcant proximi vxorem.
10. Nec rem eius quamcunque.

Populus autem Dei vocem ignemque non ferens, maximo timore perterritus, ait Moyſi: Non loquatur vltrà nobis Dominus, ne moriamur; tu magis accede, & audi omnia, quæ Deus dicet tibi: & loquere tu nobis, & audiemus, & faciemus ea. Quod approbans Dominus, ait Moyſi: Benè omnia ſunt locuti, Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius, & loquetur eis, qui eum audire noluerit, ego vltor exiſtam: hoc dicto, reuertuntur in tentoria ſua.

*Deut. 18.* Chriſtus promittitur.

Tunc Moyſen ad caliginem, in qua erat Deus, ingreſſum, edocet Dominus altare ſibi erigendum, & holocauſta offerenda. Item præcepta quædā iudicialia, quoad emptitios ſeruos, homicidia, parentum maledicta, pœnam talionis, damnum illatum, furtum, ſtuprum, idololatriam, vſuram, decimas. Item de ſabbato, & tribus ſolennitatibus anni, deq; Angelo in ducem itineris præmittendo, ac præmijs ſeruantium præcepta, &c.

*Exod. 20. 21. 22. 23.* Præcepta iudicialia.

Deſcendens Moyſes, ea omnia populo refert; qui voce vna obſeruantiam eorum promittit: eodemque die ſcribit Moyſes eadem in libro.

*Exod. 24.* Fœdus Iſrael cum Deo.

Poſtero die mane, Moyſes ædificato altari ad radices mōtis Sinai, 12. vitulos offert holocauſta Deo: inde ſumens librum, legit omnia præcepta legis, audiente populo: populus omnia ſe facturum profitetur: in cuius confirmationem Moyſes ſanguine vitulorum aſpergit ipſum librum, & populum vniuerſum, dicens: hic eſt ſanguis fœderis, quod pepegit Dominus vobiſcum.

*Exod. 24.* Vetus teſtamētum ſanguine dedicatur *Hebr. 9.*

Tum Moyſes & Aaron, Nadab & Abiu, & 70. ſeniores Iſraël aſcendunt aliquantulum in montem, ibi vident Deum Iſraël, adorant, comedunt & bibunt.

*Exod. 24.* Viſio Dei.

Sequenti die, cæteris ad populum remiſſis, Moyſes cum ſolo Ioſue conſcendit ad altiora montis, tunc apparens gloria Domini in nube, quæ ſuprà, vt ignis ardebat, operit montē hoc in loco Ioſue per 40. dies dulciter quieuiſſe creditur, atque hoc die, quinto Maij, cœpit Moyſes ieiunare, abſque cibo & potu 40. diebus, & 40. noctibus.

*Exod. 24.* Ieiunium Moyſis quadragenarium. *Deut 6.*

## Anno Mundi 2453.

SEPTIMO autem die ſolus Moyſes euocatus in montis cacumen, ingreditur medium nubis, manenſq; inibi cum Deo, inſtruitur de donis offerēdis in ſtructuram tabernaculi: ipſiq; demonſtratur exēplar conſtruendi tabernaculi, arcæ, altarium, menſæ, candelabri, & cunctorum ad ipſa pertinentium. Item modus conſecrandi, & ornandi ſacerdotes, rituſq; ſacrificandi: ad quorum omnium cōſtructionem diuinitùs deputantur Beſeleel & Ooli ab artifices: tandemque in fine 40. dierum ibidem accipit Moyſes à Domino duas tabulas lapideas, factas à Deo, continentes decem præcepta, inſcripta digito Dei.

*Exod. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31.* Forma tabernaculi Moyſi oſtenditur. *Deut. 9.* Tabulæ legis.

Die 14. Iunij, videns populus, quòd tardaret Moyſes deſcedere de monte, poſtulant ab Aaron Deos ſibi fieri: qui accipiens inaures ipſorum aureas, conflat ex eis vitulum: quem mox Iſraëlitę pro Deo liberatore ſuo adortā, & erecto altari, die ſequenti ſolenniter ei hoſtias immolant, lætique ſedentes edunt & bibunt, ac ſurgentes ludunt, choreas ducunt, & cantant.

*Exod. 32.* Adoratio Vituli aurei. *Act. 7.*

Tunc ait Dominus Moyſi, deſcende citò, quia peccauit populus tuus, adorantes vitulū conflatilem. Rurſumq;, Cerno, inquit, quod populus iſte duræ ceruicis ſit, dimitte me vt deleam eos, & conſtituam te ſuper gentem maiorem hac: at Moyſes Dominum pro Iſraël orat, iratumque placans, eius vindictam auertit.

*Exod. 31. Deut. 9.* Moyſes Deum placat.

Hinc deſendens cum 2. tabulis in manu ſua venit ad Ioſue; qui ait, vox belli auditur in caſtris: reſpondet Moyſes, non eſt clamor belligerantium, ſed vocem cantantium audio. Inde veniens Moyſes ad caſtra, videt vitulum & choros, iratuſq; proijcit tabulas & confringit eas ad radicem montis; arripienſque vitulum comburit igni, & comminuit in puluerem, quem ſpargit in torrētem, & potat ex eo populum: mox Aaronem obiurgat, Leuitas ad ſe congregat, ac per eos occidit die illo ex idololatris tria millia virorum.

*Exod. 32. Deut. 9.* Contritio Vituli aurei.

Poſtridie dicit reſiduis, peccaſtis peccatum maximum: aſcendam ad Dominum, ſi quomodo quiuero eum deprecari pro ſcelere veſtro. Itaque decima ſexta Iunij rurſum aſcendit in montem, prociditq; ante Dominum, ſicut prius 40. dies nocteſque ieiunans, & orans ne deleret populum ſuum, ſed remittat eis hanc noxam; ſi non, deleat ſe de libro vitæ. Placatus tandem Deus, reſpondet; qui peccat, delebitur: tu autem vade, & duc populum iſtum in terrā promiſſam, Angelus meus præcedet te.

*Exod. 32.* Moyſes Dei iram ſedat. *Deut. 9.*



## Anno Mundi 2453.

DESCENDIT autem Moyſes die 26. Iulij, & ait: Hæc dicit Dominus, populus duræ cituicis es, ſemel deſcendam in medio tui, & delebo te. Iam nunc depone ornatū tuum. Quæ audiens populus, lugent, deponunt ornamenta ſua, ſimul & tapetia, quæ ſuſpenderant circa montem: tollens quoque Moyſes paruum tabernaculum, tendit procul à caſtris, ibique lites populi iudicat: vbi columna nubis tabernaculo aſtare à cunctis viſitur. Loquebatur autem Deus Moyſi facie ad faciem, vt homo cum amico ſuo.

*Exod. 33.* Luctus Iſraël.

Die vltima Iulij, dicit Moyſes ad Dominum: Si inueni gratiam, oſtende mihi faciem tuam. Reſpondet: facies mea præcedet te. Ait: Niſi tu ipſe præcedas, ne educas nos hinc. Reſpondet: quod locutus es, faciam: inueniſti enim gratiam coram me, & noui te ex nomine. Qui ait: Oſtende mihi gloriam tuam. Reſpondet: Non videbit me homo, & viuet: tu autem ſtabis in petra, cumque tranſibit gloria mea, videbis poſteriora mea. Præcide tibi duas tabulas lapideas, inſtar priorum, & eſto paratus manè, vt aſcendas in verticem montis. nullus aſcendat tecum.

*Exod. 33.* Deus benignè loquitur Moyſi. *Exod. 34.* Reſtauratio tabularum.

Igitur die prima Auguſti, Moyſes iam tertia vice aſcendit in montem Sinai, portans ſecum nouas tabulas, & manet ibi in nube cum Domino 40. diebus & 40. noctibus ieiunans & orans, videt gloriam Dei tranſeuntē, eumque pronus adorans, ait: Dominator Domine, obſecro, vt gradiaris nobiſcum, vt auferas peccata noſtra, noſque poſſideas. Dominus promittit ſe ducturum eos in terram Chanaan; ideoque relicta gentium ſocietate, & idololatria, ſibi Deo ſoli ſeruiant, ſuamq; legem & feſta ſeruent.

*Exod. 34. Deut. 19.* Moyſes cū Deo 40. dies & noctes.

Die decima Septembris ieiunium Moyſi completum eſt, pleneq; reconciliatus Deus, denuò ſcribit in tabulas decem præcepta, & dat Moyſi. Et deſcendit Moyſes de monte, ferens tabulas, ex Dei conſortio facie adeò radians, vt filij Iſrael non poſſent oculos intendere in vultum eius: vnde Moyſes velamine obtegit faciem ſuam, & ita loquens, quæ Dominus in monte præceperat, populo annunciat.

*Exod. 34. Deut. 10* *2. Cor. 3.* Moyſes facie ſplendet.

## Anno Mundi 2453.

VNDECIMA Septembris, ait Moyſes, quòd Dominus præcepiſſet, vt omnis volūtarius offerret in opus tabernaculi; aurum, argentum, æs, hyacinthum, purpuram, coccum bis tinctum, byſſum, pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, & hyacinthinas, ligna ſethim, oleum pro luminaribus, aromata, thymiamata, lapides onychinos, & gemmas. Statimq; omnis populus, tam viri, quàm mulieres deuota promptitudine offerunt auri 29. talenta & 730. ſiclos, argēti centum talenta, & 1775. ſiclos, æris 72. millia talenta, & 400. ſiclos, cæterorumq; donorum tantam vim, vt Moyſes pręconis voce proclamari fecerit, ceſſarent offerre, non eſſe opus pluribus.

*Exod. 35.* Oblatio populi Iſrael. *Exod. 38.* *Exod. 36.*

Mox Beſeleel & Ooliab, alijque artifices cœperunt conſtruere tabernaculum, inſtar templi portatilis, ex baſibus, columnis, tabulis & cortinis, cōtectum pilis caprarum. Item arcam de lignis ſethim imputribilibus, intus & foris deauratam laminis aureis, & deſuper eam propiciatorium aureum, & duos Cherubim aureos. Item altare thymiamatis, aureis ſimiliter laminis vndique coopertum: & mēſam propoſitionis inauratam; candelabrumque aureum, cum ſeptem lucernis. Inſuper altare holocauſti æreum, cum labro, id eſt, lauacro æneo, vaſiſque diuerſis; atque ornamētis pontificalibus, & ſacerdotalibus. Cunctaq; iuxta exemplar, quod Moyſi in monte demōſtratum eſt, intra menſes ſex ritè perfecta, Moyſi benedicenda offerunt.

*Exod. 36. 37. 38. 39.* Conſtructio tabernaculi.

## Anno Mundi 2454.

*Genebrar. 2671.*

ANNO ſecundo exitus de Aegypto die prima Martij, Dei hortatu Moyſes erigit tabernaculum, infert arcam, inque ea ponit tabulas decalogi, altaria, menſam, candelabrum, & reliqua ſuo quæq; loco collocat: ipſumque tabernaculum cum altaribus & vaſis oleo vngit, conſecrat, & ſanctificat. Et ecce nubes deſuper operit tabernaculum, idque gloria Domini implet. Nec deinceps nubes interdiu, & ignis noctu à tabernaculo recedit, niſi cùm proficiſcēdum eſt: tunc nube procedente, ſubſequuntur Iſraelitæ; rurſum conſiſtente, manent & illi in eodem loco.

*Exod. 40. Deut. 10.* Dedicatio tabernaculi. *Num. 9.*

Eodem die Moyſes Aaronem aqua lauat, induit ornamentis pontificalibus, atque in primum, iuxta legem, Pontificem oleo vngit. Filios quoque eius veſtit tunicis lineis, & in ſacerdotes vngit & conſecrat: ac omnes varijs oblationibus expiat & ſanctificat: iubetque ſimul permanere in tabernaculo dies nocteſq; ſeptem.

*Leuit. 8.* Conſecratio Aaron. *Num. 3.*

Eodem die cœperunt & principes 12. tribuum Iſrael, ſinguli ſucceſſiuè per 12. dies offerre dona in vſum tabernaculi.

*Num. 7.* Oblatio principum. *Num. 7.*

Poſthæc loquens Deus Moyſi in tabernaculo de propiciatorio, quo erat ſuper arcam inter duos Cherubin, varios eum edocet ritus offerēdi armenta, pecora, aues, ſimilam, thus, panes: addito in omnibus ſale, nuſquam autem fermento, nec melle: Modum item offerendi hoſtias pacificas pro ſacerdotibus, principibus, populo: pro impetratione beneficiorum, pro expiatione peccatorum: leges etiam holocauſti, ignis perpetui, ſingulorum ſacrificiorum, &c. adipem & ſanguinem comedi prohibet.

*Leuit. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.* Legiſlatio de oblationibus.

## Anno Mundi 2445.

OCTAVA die Martij Aaron primitias ſacrificiorum ſuorum pro ſe & populo Deo offert, populoque benedicit: & ecce gloria Domini apparet omni populo, & egreſſus ignis à Domino, deuorat holocauſtum. Ignē

*Leuit. 9.* Prima oblatio Aarō.

*Leuit.6.* *Ignis perpetuus.* *2. Mach.1.*

autem hūc cælitus demiſſum, in altare nutriebant quotidie ſacerdotes lignorum appoſitione, vſq; ad captiuitatem Babylonicam: tūc per ſacerdotes reconditus in puteum ſiccum & poſt 70. ann. à Neemia ſacerdote quæſitus, non ignis inuentus eſt, ſed aqua craſſa, quæ orante Neemia rurſum Diuinitus eſt accenſa.

*Leuit.10.* *Cōbuſtio Nadab & Abiu.*

Eodem die Nadab & Abiu filij Aaron, offerunt ignem alienum: egreſſuſq; ignis à Domino, comburit eos, ſed veſtes corū non ſunt aduſtæ, cum quibus extra caſtra ſepeliuntur. atque vinum deinceps ſacerdotibus tabernaculum ingreſſuris, interdicitur.

*Leuit.11. 12.13.14. 15.16.* *Præcepta ad vitandā immunditiam.* *Leuit.17. 18.19.20. 21.22.* *Leuit.23. Num.28.* *Præcepta ad firmandam iuſtitiam.*

Perdocet inde Deus Moyſen & Aaron, vt ſancti ſint filij Iſrael, quia ſanctus eſt ipſe Dominus Deus eorum. Itaque vt vitent omnem corporis & mentis immunditiem, inque vnius Dei cultu & ſanctitate confirmentur, tradit quæ ſint animalia munda, & ad eſum licita, & quæ immunda & illicita. Legem etiam purgandi puerperam, lepram, virum ſeminifluum, mulierem ſanguifluam, & expiandi ſactuariam. Item non offerendum dæmonibus nec idôlis, magos & hariolos non conſulendos, blaſphemiam, periuria, parentum maledicta, homicidia, adulteria, coniugia illegitima, varios coitus turpes, furta, iniuſtitiam, vſuram, mendacia, ac alia gentium opera fugienda: neminique nocendum. Verùm ſibi ſoli Deo, vno in loco, præfixis temporibus, præſcriptis victimis, & cæremonijs ſacrificandum. Iuge ſacrificium, nempe agnum anniculum immaculatum quotidie mane, & alterū veſpere immolandum, in memoriam æternæ beatitudinis diuinæ. Sabbatum qualibet hebdomada obſeruandum, in memoriam creationis rerum. Neomeniam ſiue calendas prima die cuiuſlibet menſis, in memoriam gubernationis rerum.

*Leuit. 23. Nume. 28. & 29.* *Feſta veteris legis.* *Paſcha.* *Pentecoſte.*

Celebranda etiam quotannis feſta hæc ſolennia: Paſchæ, die 15. Martij, & azymos dies 7. in memoriam redemptionis ab Aegyptia ſeruitute: & altero die Paſchæ offerendum Deo manipulum ſpicarū in primitias meſſis. Pentecoſtes, quinquageſimo à Paſcha die, in memoriam promulgatæ legis in monte Sinai: cuius craſtino die offerendum Deo duos panes, primitias nouarum frugum.

*Tubarum.* *Expiationis.*

Tubarum, die prima Septembris, in memoriam liberationis Iſaac ab immolatione: & ideò die illa clangendum cornibus pecorum, quia aries immolatus, pro eo cornibus inter vepres hærebat. Expiationis ſiue propitiationis, decima Septembris, tota die iſta ieiunādum, & ſeſe affligendum, in memoriam recōciliati Dei propter adoratum vitulum aureū: tum etiam, vt propicietur eis Deus.

*Scenopegia.* *Palmarū.* *Collecta.*

Scenopegiæ, hoc eſt, tabernaculorum, decima quinta Septembris, continuandum diebus ſeptem, iiſq; habitandum in tabernaculis, in memoriam, quòd in tentorijs habitaſſent in deſerto. Septima autem die gerendum in manibus ramos palmarum, in ſignum quòd introducti eſſent in terram florentiſſimam. Octaua verò die, quæ eſt 22. Septemb. obſeruādum feſtum cœtus, & collectæ. inque illo colligēdum à ſingulis, tam pauperibus, quàm diuitibus dimidium ſicli, pro templi fabrica & ſacrificijs. Præter hæc ſeptimo quoque anno celebrandum ſabbatum terræ, annumque remiſſionis, eoque anno non colēdum terram, non ſerendum, aut metendum, nec vindemiandum, ſed omnia ſuapte ſponte naſcentia fore communia quibuſlibet: debita à nullo fratre eo anno exigenda, mutuum pauperibus ſuæ gentis commodatum remittendum, Hebræos ſeruos ancillaſque manumittēdos.

*Exod.30.* *Leuit 25. Deut.15.* *Sabbatum terræ.*

*Iubileus.* *Leuit. 24. 25.26.27.*

Quinquageſimo quoque anno celebrandum annum iubileum, & remiſſionis: terram non colendum, ſeminandum, metendum, aut vindemiandum, debita cuncta fratribus ſuis remittenda, vnicuique priſtinam poſſeſſionem reſtituendam, ſeruos & ancillas liber tate donandos, permittendum exules redire in terram ſuam. Hæc, aliaque diuerſa, quæ paſſim intermiſcet, præcepta moralia, iudicialia, ac cæremonialia ſeruātibus, bona omnia pollicetur, non ſeruantibus mala multa minatur.

*Leuit.24.* *Blaſphemus.*

Inter hæc quidam in iurgio blaſphemans nomen Dei, & maledicens ei, capitur & incarceratur, ac per Dei ſententiam eductus extra caſtra, à populo lapidatur.

## Anno Mundi 2454.

*Num.9.* *Paſcha.*

ANNO ſecundo exitus de Aegypto, die 14. Martij ad veſperam celebrant filij Iſrael Paſcha iuxta legem: qui autem immundi erant, celebrant illud conſenſu Domini, die 14. Aprilis ad veſperam.

*Num.1.* *Numerus filiorum Iſrael.* *Num.3.*

Eodem anno 1. Aprilis, Dei iuſſu Moyſes & Aaron numerāt populum per ſingulas tribus, inueniuntque viros à viceſimo anno & ſupra aptos ad pugnam, ſexcenta & tria millia, quingentos & quinquaginta. Leuitas autem à menſe vno & ſupra, vigiti duo millia. Primogenitos verò ab vno menſe & ſupra, viginti duo millia, & 273. inque primogenitorum locum Deus Leuitas ſibi miniſtros aſſumit: reliqui 273. primogeniti numerum Leuitarum excedentes precio redimuntur.

*Numer.2. & 3.* *Statio caſtrorum Iſrael.*

Ordinatur & caſtrorum ſtatio per gyrum tabernaculi, nempè vt Moyſes & Aaron cum filijs ſuis figant tentoria ante tabernaculum ad Orientem: ex Leuitis autem, Caatitæ ad Meridiem, Gerſonitæ ad Occidentem, Meraritæ ad Septentrionem: Tribus verò duodecim ipſos circumcingant; ad Orientem Iudas Iſachar, Zabulon, ad Meridiem Ruben, Simeon, Gad: ad Occidentem Ephraim, Manaſſe, Beniamin: ad Aquilonem Dan, Aſer, & Neptalim. Hanc caſtrorum diſpoſitionem ſingulis deinceps manſionibus obſeruarunt. In proficiſcendo autem, priores ſex tribus præcedebāt, hinc Leuitæ portabant tabernaculum in partes diſſolutum, deinde poſteriores ſex tribus ſubſequebantur.

*Num.4.*

Recenſentur & Leuitæ à triceſimo anno vſque ad quinquageſimum, qui miniſtrarent in tabernaculo: quorum numerus fuit octo millia



*Num.8.* *Conſecratio Luitarum.*

millia quingenti octoginta. Quos Aaron varijs ceremonijs & ſacrificijs purificat, Deo offert, ac in miniſterium ſacerdotum cōſecrat. tunc ait Dominus: A viceſimoquinto anno, & ſupra, miniſtrabunt: cumque quinquageſimum ætatis annum impleuerint, ſeruire ceſſabunt.

*Num.5.* *Immundi ſeparātur.* *Num.6. 8.10.*

Poſthæc Dei præcepto omnes leproſi, ſeminiflui, & polluti ſuper mortuo, eijciuntur extra caſtra. Docetque Deus expiationem tranſgreſſionis per negligentiam, Legem primitiarum, Zelotypię, & Nazaræorum. Modum benedicendi populum, diſpoſitionem candelabri & 7. lucernarum, atq; vſum duarum tubarum argentearum.

## Anno mundi 2454.

*Genebrar. 2671.* *Num.10.* *Migratio à Sinai.*

EODEM anno, viceſima Aprilis, eleuatur nubes de tabernaculo. itaq; filij Iſraël mouent caſtra de mōte Sinai, & comitante ipſos Obab, (à quo orti Cinæi) ordine per turmas ſuas proficiſcūtur in deſertum Pharan viam
13. trium dierum, ibique caſtrametantur ad ſepulchra concupiſcentiæ. vbi populus ob laborem itineris murmurat contra Dominum, ideoque extrema caſtrorum pars ab igne cæleſti comburitur. orante autem Moyſe, ignis extinguitur.

*Num.11.* *Incenſio.*

*Num.11.* *Concupiſcentia carnium.* *Pſalm.77.* *Carniuoræ puniūtur.*

Hinc populus faſtidiens manna, murmurans & flens AEgyptias carnes, piſces, cucumeres, pepones, porros & cæpas concupiſcit ac flagitat. ob quæ Moyſes tædio affectus, conqueritur apud Deum de intolerando populi onere ſibi ſoli impoſito, optatq; ſe à Deo occidi. Tum Deus in nube deſcendēs ad oſtium tabernaculi. Moyſi ſpiritum & onus in ſeptuaginta ſeniores partitur, qui omnes prophetāt, tantumque repente coturnicum ex AEgypto aduolare facit, vt caſtra opplerent, & vndique circundarent itinere vnius diei: quas colligunt toto die illo, & nocte, ac die ſequenti, ſinguli ad minus decem coros, quantum ad edēdum in menſem integrum ſufficeret, ſaturatoque populo vſq; ad nauſeam ac vomitum, dum carnes adhuc eſſent inter dentes ipſorū, ira Dei occidit pingues & electos eorum,
14. & ex populo plurimos, à quorum ſepultura nomen loco indutum.

*Num.12.* *Maria lepra percutitur.*

Inde caſtrametantur in Aſeroth, vbi Maria & Aaron contra mitiſſimum Moyſen murmurant propter vxorem eius AEthiopiſſam. quos Deus in tabernaculo increpans, Moyſen commendat à fidelitate erga Dominum, cui ore ad os loquebatur. Maria lepra perfunditur, Aaron veniam precatur, Moyſes pro ſorore orat. quæ ſeptem diebus extra caſtra ſeparata, recipit ſanitatem.

## Anno mundi 2454.

*Genebrar. 2671.* *Num.13. & 33.* *Deut.1.9.* *Miſſio 12. exploratorum.*

TRANSEVNTES deinceps vaſtum deſertum Pharan, (quod continet iter vn-
15. decim dierum) caſtra figunt in Rethma & Cadeſbarne. vbi cùm Deus & Moyſes hortarentur Iſraelitas vt aſcendant & poſſideāt terram promiſſam, petente populo, Dei conſenſu mittit Moyſes duodecim principes ad explorandam terram Chanaan. qui circumita luſtrataq; per quadraginta dies omni regione, in Nehelescol, id eſt, torrente botri, palmitē cum vua iam matura abſcindunt, quem portantes in vecte duo viri, vnà cum malogranatis & ficis in vbertatis ſignum, ad Iſrael afferūt & oſtendunt, menſe Auguſto. quorum Ioſue & Caleb renunciant reuera eſſe terram lacte & melle fluentem, ac hortantur populum vt aſcendant in Chanaan: reliqui verò decem terræ detrahentes, eamque ob habitatorum gigantum, vrbiumq; munitarum potentiam, inexpugnabilem aſſerentes, cor populi deterrent.

*Botri.* *Eccle.46.* *Hier ſuper Zach.c.8.* *Reuerſio exploratorum.*

*Num.14.* *Deut.1.* *Deſperatio populi Iſrael.* *Condemnatio populi Iſrael.* *Hebr.3.*

Igitur omnis populus deſperans, vociferatur & flet tota nocte, blaſphemant Deū, murmurant contra Moyſen & Aarō, optant ſe in AEgypto mortuos, volunt ducem ſibi conſtituere, & reuerti in Aegyptum. quin & Caleb ac Ioſue murmur ſedare, ipſoſque animare conantes, lapidare volunt, Qua re iratus Deus, palam apparens ſuper tectum tabernaculi, vult omnes ſimul peſtilentia perdere, & Moyſen conſtituere principem ſuper gentem fortiorem. At Moyſe ardenter, vt populo parcat, deprecante, placatus ex parte Deus, culpam quidem remittit: attamen in peccati pœnam iurat neminem eorum qui numerati fuerant, ingreſſurū terram promiſſionis, præter Ioſue & Caleb: ſed cæteros omnes in deſerto vagaturos per annos quadraginta, inque eo morituros: cadaueribus autem ipſorum ibi conſumptis, filios eorum poſſeſſuros terram promiſſam. cras, inquit mouete caſtra & reuertimini in deſertum per viam maris rubri. Mox decem exploratores percuſſi à Deo, moriuntur, populuſque luget valdè.

*Num.14.* *Deut.1.* *Præſumptio Iſrael.*

Poſtridie Iſraelitæ volentes inhibente Deo ac Moyſe armis inuadere terram Chanaan: ab Amalecitis, & Chananæis cædūtur, ac perſecutione in turpem fugam acti in tabernaculum confugerunt.

*Deut.2.* *Num.32.* *Iſraël vagatur in deſerto 40. annis* *Deut.8. 29.* *Nehe.9.* *Num.23.*

## Anno mundi 2454.

RETROVERSI ergo Iſraelitæ, deinceps vagantur in deſerto annis triginta
octo. quibus ſi addas annum primum & vlti- 16.17.
mum, fiunt anni quadraginta. quo tempore 18.19.
nec manna defecit, nec veſtimenta aut calce-
amenta eorum detrita ſunt. primumq; caſtra 20.21.
metantur in Remmonphares. inde in Lebna. 22.23.
deinde in Reſſa. hinc in Ceelata. dehinc in
monte Sepher. Poſthæc in Arada. inde in Ma 24.25.
celoth. dein in Thaath. hinc in Thare. dehinc
in Methca. Poſtea in Eſmona. deinde in Mo- 26.27
ſeroth. inde in Beneiacan. hinc in mōte Gad- 28.29.
gad. dehinc in Ietebata. dein in Hebrona. de-
inde in Aſiongaber. Interea temporis & loci 30.31.
hæc infra ſcripta geſta ſunt.
Docentur quæ ſacrificia terram promiſſio- 32.
nis ingreſſu offerre debeant. Fimbrias etiam hyacinthinas per quatuor angulos palliorū portare iubentur: vt ijs conſpectis, præceptorum Dei recordentur.

*Num.15.* *Habitus Iudæorum.* *Deut 23.* *Matth.23.*

Qui-

*Num 15. Tranſgreſſor ſabbati.*

Quidam in deſerto ligna colligens ſabbato, ob hoc incarceratur: ac Dei voce condemnatus, extra caſtra lapidatur.

*Num.16. Rebellio Core. Punitio rebellionis.*

Core, Dathan, & Abiron, aliiq́; 250. primates Iſraël conſurgentes in Moyſen & Aaron, eorumq́; principatum ambientes, ac ſibi vendicare quærentes, obijciunt eos iniquè dominium vſurpare in populum Dei. Quos Moyſes increpans, manè, inquit, notum faciet Dominus quem elegerit. Cùm itaq; manè vtraq; pars ſeparatim ſuffitum adoleret Deo ad oſtium tabernaculi, apparet cunctis gloria Domini, & in ſignum vt ſciant quòd ipſe Deus miſiſſet Moyſen ad gubernandum populum ſuum, confeſtim terra aperiente os ſuum, Core, Dathan & Abiron cum tabernaculis ac ſuis omnibus deglutiuntur, deſcenduntq; viui in infernum. ſed & ignis egreſſus à Domino, comburit 250. eorum ſocios, quorum thuribula ærea iuſſu Dei in facti memoriam altari affiguntur.

*Num.16. Rebellio totius populi. Vltio rebellionis. Sap.18.*

Poſtero die omnis multitudo Iſraël clamitat contra Moyſen & Aaron, quòd ipſi interfeciſſent populum Dei, mouentq; contra eos ſeditionem ac tumultum. quapropter Moyſes & Aaron cõfugiunt in tabernaculum, ibique orant. quod nubes operit, moxque plaga Dei deſæuiens in populum, incendio conſumit ex eis 14. millia & ſeptingentos. hortatu autem Moyſi currẽs Aaron in medium multitudinis, ſtansque cum thuribulo inter mortuos & viuentes, ſuis precibus graſſantem Dei plagam reſtringit.

*Num.17. Virga Aaron floret. Hebr.9.*

Hinc Dei monitu accipiens Moyſes à principibus tribuum 12. virgas tribuum nominibus inſcriptas, ponit eas in tabernaculo corã Domino, vt per ſignum germinationis oſtenderet Deus, quem elegerit in ſacerdotem. Poſtridie inuenitur virga Aaron germinaſſe, ac protuliſſe flores & amydalas. quæ Dei iuſſu in perpetuam rei memoriam cuſtodienda, in tabernaculo in arca reponitur.

*Num.18 Merces miniſtrorum templi.*

Tradit inde Deus officia ſacerdotum & Leuitarum, ac pro miniſterio ſacerdotibus primitias & oblationes, Leuitis autem decimas in hæreditatem iure perpetuo aſſignat: qui earum decimam rurſum dent Aaroni ſummo ſacerdoti.

*Num.19. Heb.13.& 9. Aqua luſtralis.*

Vaccam deinde rufam immaculatam extra caſtra in holocauſtum comburi iubet, & ex cinere eius fieri aquam expiationis, cuius aſperſione immundi mundentur.

## Anno mundi 2492.

*Genebrar. 2709. Num.20. Mariæ mors.*

33. ANNO quadrageſimo ab exitu de AEgypto menſe Martio, venit Iſraël in deſertum Zin in Cades, vbi Maria moritur & ſepelitur die 10. Martij, ſecundum Ioſephum.

*Num.20. Aquæ contradictionis. Sap.11. Pſal.104. 1.Cor.10.*

Hic rurſus ob aquæ defectum exorto populi contra Moyſen & Aaron clamore ac rebellione, hi proni orant in tabernaculo, ac Dei præcepto Moyſes bis virga percutit petram altiſſimam, quæ ad ſecundum ictum effundit aquas largiſſimas, bibitque populus & iumenta eorum. & quia Moyſes & Aaron nõ crediderant Deo, idcirco audiunt ab eo non introducturos ſe populum Iſraël in terram promiſſionis.

*Num.20. Tranſitus Edom negatur.*

Inde mittens Moyſes legatos ad Regem Edom, petit Iſraëli tranſitum per terram eius, quem Rex denegat.

## Anno mundi 2492.

*Deut.2. Num.20. Aaroni ſuccedit Eleazar. Num.33.*

AT Iſraël Dei mandato à conſanguineorũ ſuorũ bello abſtinẽs, digreſſus caſtrametatur ad montem Hor. Moyſes & Aaron iuſſu Dei aſcendunt montem, vbi Moyſes exuit 34.
Aarõ veſtibus pontificalibus, ac eis induit Eleazarum filium eius, moriturque ibi Aaron anno 40. exitus de Aegypto, die prima Iulij, cùm eſſet 123. annorum, & flet eum populus 30. diebus.

*Num.21. Rex Arad vincitur.*

Poſthæc Chananæus rex Arad pugnat contra Iſraël, prædamque abducit. at Iſraël voto Deo facto, Chananæum interficit, vrbesque eius ſubuertit.

*Num.21. & 33. Deut. 2.8. Serpens æneus erigitur. Sap.16. Ioan.3.*

Hinc circumeuntes terram Edom montemque Seir diebus multis, caſtrametantur in Salmona, deinde in Phunon. vbi populus denuò murmurat contra Deum & Moyſen ob 35.36.
itineris tædium, ac manna faſtidit. quamobrem immittit eis Dominus ſerpentes ignitos, quorum afflatu & morſibus multi moriũtur, multique vulnerati, peccatum confitentur: pro quibus Moyſes orans, Dei iuſſu ſerpentẽ æneum in pertica ſuſpendit, quem cùm vulnerati aſpicerent, ſanantur.

*Num.21. & 33. Pſalm.113.*

Progreſſi figunt tentoria in Oboth. hinc in Ieaberim. inde tranſeuntes torrẽtem Zareth, caſtrametantur in Dibon gad. deinde in Hel 37.38.
mon. deblathaim, dehinc miraculoſè tranſgreſſi torrentem Arnõ, caſtra ponunt ad mon 39.40
tes Abarim.

## Anno mundi 2492. 41.

*Num.21. Deut.2. Iudic.11. Seon rex Amorræorum debellatur.*

INTER hæc miſſis Iſraël nuncijs ad Seon regem Amorræorum, qui habitabat in Eſebon, poſcit vt tranſire liceat per terram eius in terram ſibi promiſſam. quod ille non permittens, cum omni populo ſuo occurrit in Iaſa, & pugnat contra eos: at Iſraël Seon cum ſuis occidit, Eſebõ, Iazer, & reliquas eius ciuitates capit, habitatores interficit, iumenta ac ſpolia diripit, vniuerſamq; terram eius poſſidet à mari mortuo vſq; ad torrentem Iaboc: & à deſerto vſque Iordanem.

*Num.21. Deut.3. Og rex Baſan vincitur.*

Hinc Og rex Baſan gigas, qui habitabat in Aſtaroth, cum omni populo ſuo egreditur obuiam Iſraëli ad bellandum in Edrai. quem Iſraël cum filijs totoq; exercitu proſternit, vrbes eius 60. munitas expugnat, habitatores occidit, pecora & ſpolia prædatur, omnemque terram eius poſſidet à torrente Iaboc vſq; ad montem Hermon & Selcha ciuitatem.

## Anno mundi 2492.

*Num.22.*

POST hæc caſtra figunt in campeſtribus Moab iuxta Iordanem contra Iericho. At
Balac rex Moab timens armis cõfligere cum 42.
Iſraële



Iſraële, mittit principes Moab & Madian ad Balaam Magum, Ariolum famoſiſſimum, qui habitabat in Aran Meſopotamiæ, eumq; vocat ac mercede cõducit, vt malediceret Iſraëli, cùm autem veniret Balaam equitãs ſuper aſinam, Angelus Domini ſtãs in via euaginato gladio, obſiſtit ei. quo viſo aſina ſemel iterumque declinat è via, ac tertiò procumbit ante Angelum, quapropter ter à Balaamo percuſſa, humana voce loquens, ipſum de iniuſta percuſſione corripit mox. Angelus Balaamo conſpiciendum ſe præbens, iniungit ne aliud quàm præciperet ei Deus, loquatur.

*Aſina Balaam loquitur. 2.Pet.2.*

*Num.23. Balaam Iſraeli benedicit. Num.24. Prophetia Balaam. Matth.2. Num.24. & 31. Apocal.2. Conſilium Balaam.*

Pergens Balaam in vrbem Moab, magnificè à Balac excipitur, ac manè ductus ab eo primò in montem, vbi colebatur Baal, deinde in montem Phaſga, tertiò in montem Phogor ad maledicendum Iſraël, ſingulis in locis Dei inſtinctu coactus eidem benedicit: ac ſpiritu Dei multa prophetat de futuro regno Iſraël; de ortu ſtellæ Chriſti, ac ipſius dominio; deque Amalecitis, Cinæis, atq; Romanis, qui tamen reuerſurus domum, dat conſilium Balaco malignum, vt mittat formoſas puellas, ac per eas pelliceat Iſraëlem ad fornicationem ac idololatriam.

*Num.25. Fornicatio Iſrael. Zelus Phinees.*

Deceptus itaque populus Iſraël, fornicantur cum filiabus Moab, adorant & ſacrificant earum idolo Beelphegor, ac cœdunt ſimulachro immolata. quapropter iratus Deus iubet culpabiles ſuſpendi. Phinees filius Eleazari Zambri Iſraëlitem cũ Cozbi Madianitide palam fornicantem, zelo Dei ambos ſimul pugione perfodit, & ſic per eũ Deo placato, ceſſat plaga ab Iſraël, occiſis iam 24. millibus hominum: Ideoq; Deus dat Phinei & ſemini eius ſacerdotium perpetuum, Madianitaſq; delendos pronunciat.

## Anno mundi 2492.

*Genebrar. 2709. Num.26. Numerus Iſraelitarum.*

NVMERANTVR rurſum Dei mandato à Moyſe & Eleazaro filij Iſraël à 20. annis & ſupra bello apti terrã Chanaam ingreſſuri: quorum numerus inuenitur 601. millia & 730. Leuitarum verò à mẽſe & ſuprà, 23. millia: inter quos nullus fuit eorũ, qui antea iuxta Sinai numerati fuerãt, mortui quippe erãt omnes in deſerto, exceptis Caleb & Ioſue.

*Num.27. Lex hæreditatis.*

Poſthæc Dei iudicio decernitur, vt 5. filiæ Salphaad patri mortuo ſuccedant in hæreditate ac poſſeſſione: atque lex datur, ad quoſnam mortui cuiuſque debeat tranſire hæreditas.

*Num.27. Deut.32. Moyſi Ioſue ſubſtituitur. Deut.34. Num.28. 29.30. vota.*

Hinc Moyſes iubetur à Deo aſcendere mõtem Abarim, ac inde videre terram promiſſam, non ingreſſurus eam, ſed ibi moriturus, eò, quòd cum Aarone offendiſſet Dominum ad aquas contradictionis: vnde cùm oraret pro fideli ſucceſſore, Dei iuſſu Ioſue per manus impoſitionẽ ſucceſſorem ſibi ſubſtituit, qui ex hoc ſpiritu ſapientiæ repletur. Docet inde Deus quid in ſingulis feſtis offerendum ſit. Item quæ vota ſint rata, quæ irrita.

*Num.31. Deletio Madian.*

Deinde Phinees & Iſraël pugnãt contra Madianitas, eorum 5. Principes & Balaam magum, omneſq; maſculos, etiam paruulos, & mulieres à viro cognitas occidunt, virgines reſeruant, vrbes & pagos comburunt, prædã ex æquo diuidunt, primitias ſacerdoti & Leuitis dant, omne aurum Deo offerunt.

*Num.32. Diuiſio terræ trans Iordanem.*

Tribus Rubẽ, Gad, & dimidia tribus Manaſſe, cùm haberent pecora multa, videntes terram trans Iordanem ad Orientẽ, acquiſitam à Seon & Og regibus, eſſe paſcuis vberrimam, petunt à Moyſe eam pro ſorte ſua ſibi dari in poſſeſſionem: quæ ipſis datur hac cõditione, vt armati præcedant fratres ſuos ad ſubigendam terram Chanaana. itaque mox vrbes reſtaurant, ac terram poſſident.

*Num.33. Num.34. Situs terræ promiſſionis.*

Sub hæc præcipit Deus, vt Iſraëlitę terrã Chanaan ingreſſi, cunctos habitatores occidant, excelſa & idola deſtruant. Terræq; promiſſæ limites deſcribit, quæ in medio Orbis conſtituta, à meridie deſerto Zin cingitur, ab Occidente Mari magno alluitur, à Septentrione monte Libano clauditur, ad Orientem Iordane fluuio perfunditur.

*Num 35. Deut.19. Lex homicidij. Num.36. Lex connubij.*

Deſignat & principes, qui terram eam ſorte diuiderent. Iubet etiam aſſignari Leuitis 42. vrbes cum ſuburbanis earũ, & 6. alias refugij pro homicidis non valũtarijs. Cõſtituit quoque legem homicidij voluntarij & nõ voluntarij, qui fugitiuorum ſuſcipi, qui interfici debeant, qui vſq; ad mortem ſummi Pontificis reſeruari, & tunc reuerti in terram ſuam, & vnius teſtimonio neminem condemnandum. Poſtremò legem ſtatuit, vt in ſua quique tribu ducant & nubant: ne per connubia poſſeſſiones tribuum commiſceantur.

## Anno mundi 2492.

*Genebrar. 2709. Deut.1.2. 3.4. Iteratio Legis. Deut.5.6. 7.8.9.10.11 Replicatio decalogi. Idololatria. Deut.12. 13.14.15. 16.17.18. 19. Theolatria. Promiſſio Chriſti.*

ANNO eodem quadrageſimo, die prima Febr. cœpit Moyſes in cãpeſtribus Moab omni populo replicare & explanare Legem: vbi primò commemorat varia beneficia, nec non ſupplicia, terribiliaq; ſigna Diuinitus Iſraëli exhibita, vt per ea inducat ipſos ad Dei ac legis reuerentiam. Deinde præcepta decalogi repetit & explicat, ac efficacibus verbis exhortatur, vt Deum tota mente diligãt & timeant, eiuſq; legem ac mandata in corde & ob oculos ſemper habeant, ſolicitè ſeruent, filijs ac nepotib. inculcent. Nullam cũ gentibus idololatris ſocietatẽ contrahãt, ſed illas illarumq; aras, lucos, & ſtatuas ita deleant, vt etiam memoria eorum omnis aboleatur. futuras victorias nõ ſibi, ſed ſoli Deo adſcribãt. Parta autem terra promiſſionis, ſinguli maſculi ter in anno, nempe in feſtis Paſchæ, Pentecoſtes, & Tabernaculorum compareãt corã Deo, in loco quem elegerit Dominus, & ibi vno in templo & altari vni Deo optimas quaſq; hoſtias offerant. Primogenita quoq; primitias ac decimas ſacerdotibus & leuitis exoluant. Septimo quoq; anno remiſſionem debitorum ac ſeruorum faciant. Pſeudoprophetam à Deo abducentem interficiant, quãtumuis propinquus ſit vel amicus: vrbem ei adhærentem ſubuertãt funditus. Prophetam autem verum ſui ſimilem, Chriſtum ſcilicet,

à Deo promiſſum, de gēte eorum ſuſcitandū, ipſum audiant. In cauſis difficilibus & ambiguis ad ſummū ſacerdotem recurrant, eiuſq; ſententiæ omninò pareāt, queq; in Rege & magiſtratu conſtituendo obſeruare debeant.

*Deut. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26.* Miſcellanea.

Docet etiam iura belli, cautionē ſuper homicidio occulto, pœnam filij inobedientis, pietatem exercendam in rem proximi, in debitores, in pauperes, in viduas, pupillos, & aduenas: mercedem operarij non detinendam, adulteros puniendos, nō committendam in pondere & menſura iniuſtitiam, res diuerſi generis non miſcendas, veſtem alterius ſexus non induēdam. Libellum repudij permittit, ſemen fratri ſuſcitandum, Amalecitas delendos præcipit.

*Deut. 27. 28* Excitatio ad legis obſeruantiam. *Deut. 29. 30.* Iuramentū Iſraël cum Deo.

Hæc aliaq; Dei mandata obſeruantibus, multiplices benedictiones cōferendas; tranſgredientibus, maledictiones infligēdas pronunciat: eaſq; benedictiones Iordane tranſmiſſo in monte Garizim; maledictiones verò in monte Hebal publicari mandat. Poſtremò populum omnem cum poſteris ea cūcta obſeruaturum, renouato cum Deo fœdere, iureiurando adſtringit: teſteſq; ibi inuocat cælum & terram, quod hodie propoſuerit eis bonum & malum: vt bonum eligant, & viuant; ne malo adhærentes, pereant.

*Deut. 31.* Ioſue Iſraëli præficitur. *Deut. 17.* Deuteronomium.

Sub hæc Moyſes coram omni Iſraël Ioſue loco ſui ducem populi conſtituit: ipſumq; ac populum confortat. Deinde ſcribit librum Deuteronomij, & tradit cū ſacerdotibus, iubetq; reponi in latere arcæ, deſcribi & legi ſemper à Regibus, & ſeptimo quoque anno remiſſionis in feſto tabernaculorum recitari coram omni populo, vt diſcant timere Deū, & ſeruent legem eius.

*Deut. 31. & 32.* Canticum Moyſi.

Hinc vocatis in tabernaculum Moyſe & Ioſue, apparens in nube Deus, proteſtatur Iſraëlem à Deo deſciſſurum ad idola: in cuius teſtimonium præcipit componi & diuulgari canticū de futura Iſraëlis præuaricatione, eiuſq; punitione ac deiectione, ſeu reprobatione. Quod mox Moyſes cōſcribit, ac coram omni Iſraël recitat, idq; à filijs & poſteris eorum in cantilenam iugiter decantari mandat.

## Anno mundi 2492.

*Genebrar. 2709. Deut. 33.* Benedictio Iſrael. *Deut. 34.* Moyſes terrā promiſſam conſpicit. Moyſis mors. *Iudæ 1.*

POſt hæc Moyſes ſingulis tribubus Iſraël (præterquā Simeoni) benedictionib. proprijs benedicit. Deinde aſcendit montem Abarim & Nebo in verticem Phaſga, vbi Deo ipſi oſtendente contemplatur vniuerſam terram promiſſionis. ibidemq; moritur annorum 120. ducatus ſui anno 40. præciſe expleto, cū necdum caligaſſent oculi eius, nec dentes illius eſſent moti, & ſepelitur ab Angelis in valle terræ Moab, & non cognouit homo ſepulchrum eius: quod cùm Diabolus prodere vellet, Iudæis ad idolatriam pronis, prohibitus eſt à Michaele archangelo. plangitq; eum Iſraël 30. diebus.

## Anno mundi 2493.

*Genebrar. 2709. Ioſue 1.*

IOSVE, qui & Ieſus Naue, & Oſee, de tribu Ephraim, ſtatim initio Martij confortatus à Deo ad continuam Deuteronomij lectionem, & ad inuadēdam terram promiſſionis:

Præparatio ad tranſitū Iordanis.

hortatur populum, vt parent ſibi cibaria, ac ſeſe præparent in diem tertium ad tranſeundum Iordanem; Rubenitas autem, Gaditas, & Manaſſitas, vt armati fratres præcedant.

*Ioſue 2.* Raab exploratores ſaluat.

Mittitq; duo exploratores ad conſiderandam terram. qui clàm ingreſſi Iericho, à Raab meretrice excipiuntur hoſpitio, vbi cùm à Rege expoſtularentur ad necem, abſconduntur ab ea ſub ſtipula lini, ac præſtito iuramento, quòd ipſius domum cognationemq; ſaluarent, noctu è feneſtra per murum vrbis fune coccineo demiſſi, fune in ſignum ad feneſtram appenſo, tribus diebus in monte latitant, inde reuerſi ad Ioſue, narrant habitatores terræ territos.

*Ioſue 3.* Tranſitus Iordanis.

Diluculo venit Ioſue cum omni Iſraël ad Iordanem, vbi triduo commorati, iubet populum ſanctificari in craſtinum miraculosè tranſituri fluuium. Itaq; decima die Martij ſacerdotes arcam præferentes, intrant Iordanem, & ecce mox aquæ ſuperiores inſtar mōtis conſiſtunt, inferiores verò in mare mortuum defluunt, tum ſacerdotibus cum arca in Iordanis medio ſtantibus, populus Iſraël per ſiccum alueum tranſiens, terram promiſſionis ingreditur.

*Ioſue 4.* 12. Lapides.

Omnibus tranſgreſſis, Dei præcepto Ioſue & 12. tribuum electi, 12. lapides è Iordanis fundo ſublatos, in Galgala ſtatuunt, in monumētum ſiccati Iordanis: alioſq; 12. in Iordanis alueo erigunt mox aquis inibi inuoluendos. deinde caſtrametantur in Galgala, in campeſtribus Iericho.

*Ioſue 5.* Circunciſio.

Tunc Ioſue Dei iuſſu omnes maſculos in deſerto per annos 40. natos & incircunciſos, ibi cultris lapideis circuncidit.

*Ioſue 5.* Paſcha. *Ioſue 5.* Manna deficit.

Die 14. Martij ad veſperam, ibidē celebrant Paſcha. Poſtridie Paſchæ comedunt de frugibus præſentis anni terræ Chanaan, panes azymos & polentam: ideoq; manna deinceps ceſſat.

*Ioſue 6.* Apparitio Angeli. *Dan. 10.*

Eodem die Angelus Domini Michaël princeps exercitus Iſraël, euaginato gladio duci Ioſue apparens, docet eum, quo modo capiat Iericho.

*Ioſue 6.* Circuitus Iericho.

Itaque per ſex reliquos dies azymorum ſacerdotes arcam portātes, ac 7. tubis ante eam clangentes, cunctique bellatores armati arcam præcedentes, vulgò reliquo eam ſubſequente, quotidie ſemel circumeunt Iericho clauſam, & ob murorum firmitatem inexpugnabilem.

*Ioſ. 6.* Euerſio Iericho. *Matth. 1.* *3. Reg. 16.*

Septimo autē die, ſepties circumeunt, cumque ſeptimo circuitu ſacerdotes longiori ſonitu tubis clangerent, omniſq; populus intenſa voce clamaret, ecce muri Iericho funditus corruunt; tum Iſraëlitæ, qua quiſquē ſteterat ingreſſi, regem ſuſpendunt, omnia enſe igneque perdunt. cuius aurum, argētum, æs, & ferrum per anathema Domino cōſecrata ſunt. Raab aūt cum ſuis ſeruatam, poſtea Salomon princeps de tribu Iuda duxit vxorē, & genuit ex ea Booz. Reædificatori verò Iericho Ioſue maledicit, vt in primogenito ſuo fundet eā: & in nouiſſimo liberorum ponat portas eius.

Anno



## Anno mundi 2493.

*Ioſ. 7.* Lapidatio Achan. *Ioſ. 8.* Deſtructio Hai.

POST hæc Iſraël impugnans vrbē Hai, percutitur. quapropter cum Ioſue ſeneſq; Iſraël orarent proni coram arca vſque ad veſperam: audiunt à Deo quēdam furatum de anathemate, ideoq; è medio tollendum. itaq; manè ſorte deprehenſus Achan, & ſacrilegium confeſſus, lapidatur in valle Achor, & cōburitur cū omnibus quæ illius erant. Tum Ioſue Dei iuſſu poſitis à tergo Hai inſidijs, ſimulata fuga, vrbem capit, ſuccendit, deſtruit, Regem ſuſpendit, populum occidit, pecora ſpoliaq; prædatur.

*Ioſ. 8.* Publicatio legis. *Deut. 5. 27. 28.*

Deinde pergit ad Garizim & Hebal montes, vbi ædificato altari lapideo, holocauſta Deo offert. atque ex Deuteronomio decalogum lapidibus inſcribit, ac coram arca & omni populo, mulieribus & paruulis benedictiones & maledictiones replicat.

*Ioſ. 9.* Fœderatio Gabaon.

Porrò Gabaonitæ callidè induti veteribus veſtibus & calceis, ac ſumptis panibus mucidis, ſupplices veniunt ad Ioſue in Galgala, & ſimulantes venire ſe de terra longinqua, fœdus pacis cum Iſraële medio iuramento ineunt. ſed poſt triduum fraude deprehenſa, cædendis lignis, & portandis aquis templi perpetuò mancipantur.

## Anno mundi 2439.

*Ioſ. 10.* Pluit lapides. Sol ſiſtitur. *Eccle. 46.* Suſpenſio 5. regum.

POST hęc Adoniſedech rex Ieruſalem, rex Hebrō, rex Ierimoth, rex Lachis, & rex Eglon, oppugnant Gabaon, quòd iunxiſſet ſe Iſraëli. at vocatus à Gabaonitis in auxilium Ioſue, repentè irruens in hoſtes, multos interficit: Dominus autem lapides è cælo pluēs, plures conterit; reliquos perſequuntur vſq; Azecha & Maceda. cumq; ad petitionē & iuſſum Ioſue Sol & Luna in medio cæli immota ſtarent, nec feſtinarent occumbere ſpacio integri diei, extremos quoſq; fugientiū occidunt. Reuerſi iuxta Maceda, 5. reges ibi in ſpelunca latentes educunt, pedibus colla eorum calcant, eoſque ſuſpendunt.

*Ioſ. 10.* Expugnatio ciuitatum.

Mox Ioſue expugnat & capit vrbem Maceda, inde Lebna, deinde Lachis, Gazer, Eglon, Hebron, Dabir, & cunctas alias ciuitates, vniuerſamq; terram Meridianam Chanaan vſq; Cadeſbarne & Gazam: reges earum & habitatores omnes occidit, ac cum ſuis redit ad caſtra in Galgala.

## Anno mundi 2494.

*Ioſ. 11.* Debellatio 24. regum.

HINC Iabin rex Aſor, alijq; 24. reges innumerabili cum exercitu ſimul conueniunt ad aquas Meron, vt pugnarent contra Iſraël. Vbi Ioſue cum eis congreſſus, ipſos fundit, fugat, & perſequitur vſq; Sidōnem, equos eorum ſubneruat, currus comburit.

*Ioſ. 11.* Expugnatio ciuitatum.

Reuerſus capit Aſor vrbem munitiſſimam, & eam ferro flammaq; conſumit. ac deinde multo tempore bellans, cæteras etiam per circuitum ciuitates capit, reges, gigantes, & homines omnes interficit, animalia & ſpolia prædatur, totamq; terram ſeptentrionalem Chanaan poſſidet vſq; ad montem Libanum.

## Anno mundi 2498.

*Ioſ. 14. Actor. 13.* Alter Genebrard. *Ioſ. 12. 13. 14.* Diuiſio terræ Chanaan. *Ioſ. 15. 16. 17.*

ANNO ducatus Ioſue ſexto, qui eſt 45. ex quo cum Caleb miſſus fuit ad explorandam terram, & 450. à natiuitate Iſaac: occiſis iam 31. regibus, ac 7. gentibus terræ Chanaan, Hæthæo, Amorræo, Gergeſæo, Chananæo, Pherezæo, Euæo & Iebuſæo, pro maiori parte deletis, Deus iubet Ioſue vt terram Chanaan reliquis nouem & ſemis tribubus ſorte diuidat. qui vnà cum Eleazaro & principibus tribuum in Galgala poſtulāti Caleb, tradit terram Hebron in hæreditatem ipſi promiſſam: Qui & tribui Iudæ, tribui Ephraim, ac dimidiæ tribui Manaſſe, ſuas cuique ſortes ac poſſeſſiones aſſignat & dat.

*Ioſ. 18.* Arca in Silo. *1. Reg. 4.*

Deinde transferens cum omni Iſraël tabernaculum & arcam Domini de Galgala, figit illud in Silo vrbe: vbi manſit vſque ad mortem Heli.

*Ioſ. 18. 19.* Diuiſio terræ promiſſæ. Poſſeſſio Ioſue.

Miſſis etiam Ioſue viris qui terram reliquam in libro deſcribant, ac in ſeptem partes diuidant: in Silo in atrio ad oſtium tabernaculi coram Domino miſſa ſorte, eam reſiduis 7. tribubus Beniamin, Simeon, Zabulon, Iſachar, Aſer, Neptalim, & Dan, poſſidendam diſtribuit. ipſique Ioſue vrbs Thamnathſare in monte Ephraim pro poſſeſſione & hæreditate datur. qui ea inſtaurata, habitat ibi.

*Exod. 23. Iud. 2. et 3.* Hoſtes quā re Iudæis relicti. *Liran. Ioſ. 13. & 21.*

Quòd autem Dominus noluerit omnes hoſtes delere ante ſortium diſtributionem, ſed paulatim eos expellere, tres reddit cauſas: Prima, ne terra ſit deſolata, & increſcerēt noxiæ beſtię: Secunda, vt populus iugiter exerceretur in bello, ne per ocium in vicia diffluerēt: Tertia, vt per eos tentaretur ac probaretur Iſrael vtrum amaret Deum, & ſeruaret præcepta eius, an non.

## Anno mundi 2498.

*Ioſ. 20.* Ciuitates refugij. *Deut. 4.*

POST hæc iuſſu à Deo Ioſue conſtituit ſex ciuitates refugij, tres citra Iordanem Cedes, Sichem, & Hebron: & tres vltra Iordanē, Boſor, Ramoth, & Gaulon: ad aquas, ceu ad aſyla, fugiant, qui neſcij per imprudentiam homicidium perpetrarent, ne ab occiſi propinquo ſanguinis occidantur.

*Ioſ. 21.* Vrbes Leuitarum. *Ioſ. 13.* Pars Leuitarū Deus. Requies Iſraël.

Aſſignat etiam Ioſue in Silo Leuitis in medio poſſeſſionis filiorum Iſrael vrbes 48. ad habitandum, & ſuburbana earum vſque ad mille paſſus per circuitum ad alenda pecora eorum. aliam poſſeſſionem non habuerunt Leuitæ, ſuſtentabantur enim de ſacrificijs, primitijs, & decimis: eratque Deus ipſe poſſeſſio & hæreditas eorum. Et completa in omnibus Dei promiſſione, poſſident filij Iſrael terram Chanaan in pace.

*Ioſ. 22.* Transiordanini. Altare teſtimonij.

Eodem tempore Ioſue Rubenitas, Gaditas, & Manaſſitas multis diuitijs prædaq; locupletatos, de Silo remittit ad poſſeſſiones ſuas trās Iordanem, benedicens eis, & præcipiēs ſeruare legem Dei. qui regredientes, altare prealtū ædificant iuxta Iordanem in terra Chanaan. Quamobrē cęteræ tribus ſuſpicantes eos erexiſſe altare ſacrilegū, cōueniūt in Silo vt illos



expug-

expugnarent, miſſis tamen legatis, audita eorum ratione, quod non vt ſuper illud ſacrificarent, ſed in teſtimonium patriæ religionis extructum ſit, placantur.

## Anno mundi 2499.

*Genebrar. 2727. Ioſ. 23.*

POST multum temporis Ioſue ſenex iamque moriturus, cõuocat omnes primates ac populum Iſraël, eosq; diſertis verbis hortatur ad legem Dei ſedulò obſeruandam: cõmercium & commixtionem cum gentibus pertinaciter cauendam. *Ioſ. 24.* Iterumque conuocatos in Sichem, vbi commemoraſſet Dei erga ipſos beneficia, inſtantiſſimè monet vt Deo toto corde fideliter adhæreant ſeruiantque, idôla relinquant. populus ſeſe Deo ſeruiturum ſemel, iterum, tertioque promittit. in cuius teſtimonium Ioſue lapidem prægrandem ibi ſubter quercum ſtatuit. deinde hæc cæteraq; ſub ſe geſta in libro legis ſcribit. atq; moritur calendis (vt aiunt) Septembris, annorum 110. cùm præfuiſſet annis 7. ſepelitur in Thamnathſare. Oſſa quoque Ioſeph ſepeliunt in Sichem in agro quem emerat Iacob, ac dederat ipſi Ioſeph. mortuo etiam Eleazaro ſuccedit Phinees.

Renouatio fœderis Iſrael cum Deo.

Mors Ioſue.

Oſſa Ioſeph.

*Geneſ. 33. 48. Ioan. 4*

## Anno mundi 2500.

*Iud. 1.* Iudas dux belli.

POST mortem Ioſue, Iudas dux belli à Deo conſtitutus, aſſumpto Simeone, percutiũt in Bezec decem millia Chananæorum, Adonibezec regem comprehendunt, cuius abſcindunt manuum & pedum ſummitates, ſicut ipſe 70. regibus fecerat. Deinde capiunt & cõburunt Ieruſalem: fortalitium tamen eius tenuerunt Iebuſæi vſq; ad tempora Dauid. plurimasq; Iſraelitæ expugnant ciuitates, ac Chananæos faciunt tributarios. Proinde Angelus Domini populo apparens, exprobrat quòd contra Dei præceptum Chananæos ſub tributo ſeruauerint, in ſuum tamen ipſorum malum ac ruinam: quo audito, flet populus, Deoque ſacrificat. At Iſrael ſæpe deinceps peccans, ſæpe in manus traditur hoſtium: ac frequenter per iudices liberatus, ſemper in peiora recidit.

*Iud. 2.* Angelus Iſraëlem corripit.

*Iud. 17. 18.* Idôlum Micheæ.

Hiſce diebus non erat rex nec iudex in Iſrael: ſed quiſque, quod ſibi rectum videbatur, faciebat. Itaq; Michas Ephraimita argẽteum cõflat & facit ſibi idôlum, cui Leuitã Bethleemiten præficit ſacerdotem. At cũ filij Dã, ampliorem quærentes ſibi habitationem, aſcenderent ad expugnandum Lais vrbem, è domo Michæ idôlum & ſacerdotẽ vi auferunt: progreſſi vrbẽ Lais, quæ & Leſen, ad radicẽ Libani montis ſitam, capiũt, percutiunt, incendũt. quam rurſum ædificantes, vocant eam Dan, ac habitant in ea: vbi & idôlum Michæ ſibi erigunt, idq; deinceps colunt, vſq; ad diem captiuitatis ſuæ.

*Ioſ. 19.*

*Iud. 19. 20. 21.*

Eodem ferè tẽpore Leuita quidã cum vxore ſua diuertẽs in Gabaa Beniamin, à ſene quodam recipitur hoſpitio: ipſis aũt cænantibus, viri ciuitatis pulſantes ad oſtium ſenis, Leuitam expoſtulant ad concubitum. egreſſus ſenex pro viro filiam ſuã virginem offert. at illi ſumpta Leuitæ vxore, tota nocte tanta libidine ipſa abuſi ſunt, vt mane dimiſſa, ad oſtium ſenis corruens, expiraret. quã maritus domũ vectam, in 12. partes concidit, & ad ſingulas tribus ſingulas portiones mittit. quapropter reliquæ 11. tribus Iſraël conuenientes in Maſpha, cõcordi ſententia ſcelus illud vindicare ſtatuunt, iurantq; ſe nõ daturos filias ſuas Beniamitis in vxores. ac miſſis nuncijs, ſceleris auctores tradi flagitant. quibus negatis, conſulto in Silo per Phinees Domino. Iuda duce cum 400. millibus contra contumaces Beniamitas pugnantes, Deo iuuante ex eis 25. millia occidunt. Gabaa, cæteraſque vrbes, pagos, homines, pecora, ac vniuerſam tribũ Beniamin gladio flammaque delent: præter 600. viros, qui fuga elapſi in deſertum, in petra Remmõ 4. menſibus latitant. deinde ab Iſraelitis reuocati, ex traditis ſibi 400. virginibus in cæde habitatorum Iabis Galaad, eò quòd non venerant ad auxilium Iſrael, reſeruatis, alijsque 200. è choreis in ſolennitate Silo raptis, ſibi in vxores, eam tribum reſtaurant.

Flagitium Gabaitarũ.

Exterminium tribus Beniamin.

## Anno mundi 2511.

*Iud. 3.*

POrrò filij Iſrael obliti Dei ſui, cum Chananæis matrimonia contrahunt, ac vltro citroque connubia miſcent, ſeruiuntq; dijs eorum Baal & Aſtaroth. quamobrem iratus Dominus, tradit eos in manu Chuſanraſathaim regis Meſopotamiæ & Syriæ, ſeruiuntq; ei 8. annis. qui incluſi ſunt primis tẽporibus Othonielis: ſicut & cæteros deinceps annos ſeruitutis oportet intra ſubſequẽtium Iudicum tempora includi, (ſecundũ Hebręos & omnes Catholicos) propter Scripturam, quæ dicit annũ 4. Regni Salomonis, fuiſſe 480. ab exitu de Aegypto. Iſraëlitis autem clamantibus ad Dominum, Dei ſpiritu ſuſcitatus Othoniel frater Caleb iunior de tribu Iuda, prædicto rege Syriæ pugna deuicto, Iſraelem liberat, ac iudicat 40. annis.

Iſraël peccans ſubiugatur.

*Euſeb. in Chron.*

*3 Reg. 6. Auguſt. de ciuit Dei lib. 18.*

Pœnitens liberatur.

*Not. Iam annotauimus ex Genebrar. à morte Ioſue ad Othonielis non interceſſiſſe niſi annos 40. propter cauſam eandem, quam recenſet hic Chriſtianus.*

## Anno mundi 2551.

POſt hæc Iſrael reuerſus ad idola, ab Eglon rege Moab debellatur ac ſubiugatur: cui in Iericho reſidenti ſeruiunt annos 13. Afflicti clamãt ad Dominum, à quo ſuſcitatur Aiod ambidexter de tribu Beniamin. qui cùm munera, id eſt, tributum Iſraelitarũ detuliſſet Eglon regi, & vidiſſet in Galgalis idola Moabitarum, incitatus ſpiritu, ait regi: verbum Dei habeo ad te. itaque ingreſſus cum rege ſolo cænaculum æſtiuum vt ſecretò colloquerentur, infigit pugionem ſiue ſicam in ventrem eius, & clam per poſticum aufugit: ſtatimque collecto in monte Ephraim tumultuario exercitu, Moabitas omnes vſque ad 10. millia interficit, atque Iſraelem ſeruitute liberatum iudicat 80. annis.

Afflictio Iſrael.

Liberatio Iſraël.

Poſt hunc Samgar Iſraelem defendens, occîdit 600. Philiſtæos vomere.

*Iud. 3.* Samgar.





## Anno mundi 2631.

*Genebrar. 2847. Iud. 4.*

ISraëlitas denuò cum idolis fornicantes tradit Dominus in manu Iabin regis Chanaã, qui regnabat in Aſor: cuius princeps exercitus Siſara nongentos habẽs currus ferreos, vehementer opprimit eos per 20. annos. Cùm autem clamarent ad Dominum, Debora prophetiſſa, quæ tunc iudicabat Iſraëlem ſub palma in monte Ephraim, accerſito Barac de Cedes Neptalim, ait Deum præcepiſſe, vt colligat exercitum, & expugnet Siſarã. Ille recuſat, niſi ipſamet comitetur. pergunt ergo ſimul in Cedes, ac collectis ibi decem millibus bellatorum, caſtra ponunt in monte Tabor. quò venit & Siſara cum ſuis curribus ac numeroſo exercitu. ibique ad torrentem Ciſon inito prælio, Dominus cælitus tonitruo, fulgure, & grandine exercitum Siſaræ conterit, reliquos omnes Iſraël occidit, Siſara procul fugit in tabernaculum Iahel vxoris Aber Cinæi, quæ ſitientem lacte potat, pallio operit, dormientis caput clauo ferreo tabernaculi ſui per tempora cum malleo transfigit, Barac ſuperuenienti ſolo affixum mortuumq; oſtendit, mox Iabin cum ſuis deleto, Debora cum Barac canticum gratiarum actionis Domino canit, iudicatq; Iſraëlem 40. annis.

Debora Prophetis

Deus pro Iſrael pugnat.

Iaël Virago.

*Iud. 5.*

## Anno mundi 2671.

*Genebrar. 2887.*

SVB hæc Iſrael rurſum adorans idola, à Madianitis ſubiugatur, ipſorum ſata deuaſtãtur, pecora prædantur, valdeque opprimuntur annos 7. Clamantibus autem eis ad Dominum, miſſus à Deo Propheta, arguit eos impietatis. deinde Angelus Domino ſub quercu in Ephra apparens Gedeoni de tribu Manaſſe frumenta excutienti, iubet ei liberare Iſraelem è manu Madian, promittens Deum victoriam daturum. cui Gedeon hædinas carnes azimoſque panes ibi ſuper petram in ſacrificium offert, eaque iure carnium perfundit: quæ vbi Angelus virga, quam geſtabat, tangeret, in ſignum quod à Deo miſſus ſit, ignis è petra erumpens, oblata conſumit, ſimulque Angelus diſparet.

*Iud 6.* Iſrael ſeruit Madianitis.

Angelus apparet Gedeoni.

*Iud. 6.* Deſtructio idololatriæ.

Nocte illa iuſſu Dei Gedeon aſſumptis decem ſeruis ſuis aram Baal deſtruit, lucum, qui erat iuxta illam, ſuccîdit: altare ſuper petram Deo ædificat, taurum immolat, ideoque Ierobaal cognominatur.

*Iud. 6.* Vellus Gedeonis.

Congregatis autem Madianitis in valle Iezrael, ſpiritu Dei indutus Gedeon, conuocat exercitum Iſraël, petit accipitque à Deo ſigna victoriæ in vellere, quod primò quidem ſolum rore maduit, ſiccitate in omni terra exiſtente; expreſſoque vellere concham ſiue phialam rore impleuit: poſtridie autem ſiccitas erat in ſolo vellere tantùm, & ros in omni terra.

*Iud. 7.* Delectus militum.

Gedeon ergo cum ſuis caſtra metatur ad fontem Arad, exercitus eius erat 32. millium, quorum 22. millia timidos Dei iuſſu domum remittit, reliquos probat ad aquas bibendi modo, nam trecentos tantùm qui ſtantes aquam manu ad os lambuerant, admittit: quos diuidit in tres turmas in gyro caſtrorum hoſtilium, dat vnicuiq; in dextera tubam, & in ſiniſtra hydriam ſiue lagenam vacuam, & in ea facem ardentem. Cumque media nocte prior Gedeon, deinde & reliqui ſimul tubis clangerent, ac conclamarent: gladius Domino & Gedeoni, confringentes hydrias ſeu lagenas, faces ſplenderent, mittit Dominus gladium inter hoſtes, qui mutuò ſeſe confodiunt, & ceciderunt ibi 120. millia cum principibus ſuis Oreb & Zeb. Porrò Zebee & Salmana cum reliquis 15. millibus fugientes Gedeon trans Iordanem perſequitur, petit à ciuibus Socoth & Phanuel ſuis militibus laſſis panes, quibus deriſoriè negatis, pergens percuſſo exercitu, Zebee, & Salmana reges comprehendit & occidit, rediens 77. ſeniores Socoth ſpinis contererit, turrimq; Phanuel cum incolis ſubuertit, accipiens de præda inaures aureas, ex eis facit Ephod, quod poſt eum domui ſuæ & Iſraeli fuit in ruinam. cumq; rogatus à populo, præfuiſſet Iſraeli annis 40. moritur, relictis 70. filijs, & vno notho Abimelech Sichimita.

Madianitæ ſe mutuò trucidant.

*Iud. 8.*

## Anno mundi 2711.

*Genebrar. 2927. Iud. 8.* Iſraël idololatra.

MORTVO Gedeone derelinquit Iſrael Dominum, extruit ſibi phanum Baal iuxta Sichem, ibique percutit fędus cum Baal, vt eſſet ipſorum Deus. Tunc Abimelech occidit in Ephra 70. fratres ſuos ſuper lapidẽ vnum, & à ciuibus Sichem & Mello conſtitutus rex ſuper Iſrael, regnat annis tribus. cuius frater Ioatham minimus natu, qui latenter euaſerat, ſtans in monte Garizim, pulchro paradigmate Sichimitas ingratitudinis arguit, quòd occiſis 70. filijs Gedeonis, Abimelech conſtituiſſent ſibi regem: ideoque vtriſque interitum imprecatur. quo dicto fugit. Mittit autem Dominus ſpiritum odij inter Abimelech & Sichimitas, quibus rebellantibus Abimelech vrbem Sichem expugnat, & occiſis habitatoribus, eam deſtruit, & ſeminat in ea ſalem. mox phanum Baal cum mille hominibus comburit. inde Thebes ciuitate capta, dum turrim eius mediam accendere nititur, fragmine molæ per mulierem deſuper in caput eius proiecto, ab armigero ſuo occiditur.

Pactum Iſrael cum Baal.

*Iud. 9.* Abimelec rex.

Deſtructio Sichem.

## Anno mundi 2714.

*Genebrar. 2930. Iud. 10.* Thola.

POſt hæc Thola de tribu Iſachar, habitans in Samir mõte Ephraim, iudicat Iſraelem 23. annis.

## Anno mundi 2737.

*Genebrar. 2953.*

IAir Galaadites de tribu Manaſſe, iudicat Iſrael 22. annis habens 30. filios equites egregios, & principes 30. ciuitatum.

*Iud. 10.* Iair.

*Ruth. 1. 2. 3. 4.*

Hoc tempore Elimelech Bethleemita famem fugiens, cum Noemi vxore ſua & filijs peregrinatur in regione Moabitide. quo mortuo vnà cum filijs, poſt annos decem Noemi adhęrente ſibi Ruth Moabitide nuru ſua

Ruth migrat in Iudæam.

ad Dei cultum conuerſa, de Petra deſerti reuertitur in Bethleem Iuda. vbi Ruth ſpicas in agro Booz Bethleemitæ colligens, gratiam coram eo inuenit. Peracta autem frumenti tritura, Ruth ſocrus ſuæ conſilio in area ad pedes Booz ſenis & grandæui dormientis nocte recumbit, & agnoſcitur eſſe propinqua eius. Itaque mane Booz in porta coram ſenioribus ciuitatis, cedēte alio propinquiore iuri propinquitatis, accipit Ruth in vxorem, ex qua gignit Obed auum Dauid regis.

*Hieron. ſup. Iſai. 16.*

Ruth nubit Booz.

*Matth. 1*

*Ruth quo tempore fuerit, non ſatis cōſtat Genebrar. ſub Abeſan ponit. Ioſephus ſub Heli, alij aliter.*

*Iud. 10.*

Iſraëlitæ autē relicto Deo ſeruientes idolis Baalim & Aſtaroth, & dijs Syriæ, Sidônis, Moab, Ammon, & Philiſtijm traditi ſunt à Domino in manu Philiſtijm, & Ammon afflictique nimis & oppreſſi per annos 18. pœnitentes clamant ad Dominum. qui reſpondet: inuocate Deos, quos elegiſtis, ipſi liberēt vos. at illi: fac tu nobis quicquid placet: tantum nunc libera nos. his dictis idola omnia è medio tollunt: & ſeruiunt Domino. qui dolet ſuper miſerijs eorum, & per Iepte liberare diſponit.

Iſraël peccat, pœnitetque

*Genebrar. 2975. Iud. 11.*

## Anno mundi 2759.

ITAQVE Ammonitis in terra Galaad caſtrametatis, primates Galaad conuenientes in Maſpha, Iepte Galaaditen de tribu Manaſſe filium meretricis, ideoque olim à fratribus ſuis, ne cum ipſis hæreditatem acciperet, eiectum in terram Thob, reuocant, rogantq; ſuſcipere principatum, & pugnare cōtra Ammonitas. acquieſcit. mittensque nuncios ad regem Ammon, quærit cur vaſtet terram Iſrael reſpondente illo, repetere ſe terram ſuam, quam tulit Iſrael cum aſcenderet ex Aegypto: ait Iſraelem per 300. fermè annos terram illam iuſto titulo poſſediſſe. Nolente autem rege acquieſcere, Iepte ſpiritu Dei accenſus, congregat exercitum, votum vouet Domino, ſi victoriam daret, vt quicunque è domo ſua primus ſibi reuertēti occurreret, eum in holocauſtū immolaret Domino. Statimque Ammonitas aggreditur, vincit, ſternit, 20 ciuitates eorum obtinet. Reuertēti autem in Maſpha domum ſuam, occurrit ei vnigenita filia ſua cum tympanis & choris. qua viſa, ſcindit veſtimenta ſua, indicat ei votū ſuū. illa patri ſe offerens, hoc ſolum precatur vt 2. menſibus circumeat montes, & defleat & plangat virginitatem ſuam cum ſodalibus ſuis. Expleto tempore, reuerſa eſt ad patrem: quàm iuxta votum immolat. Exinde mos increuit, vt quotannis conueniant filiæ Iſraël, & plangant filiam Iepte diebus 4.

Iepte fit dux belli.

Votum Iepte.

Iepte filiā ſuam Deo ſacrificat.

Hinc tribus Ephraim prælio inſurgit aduerſus Iepte, quòd ſine ipſis exiſſet ad pugnā. at ille repugnans fortiter, ad vada Iordanis, proſternit ex eis 42. millia virorum. iudicatq; Iſraelem 6. annis.

*Iudith 12.* Seditio Ephraim.

*Genebrar. 2981. & ſic in ſeq. Iud. 12.* Abeſſan.

## Anno mundi 2765.

ABeſſan Bethleemita de tribu Iuda iudicat Iſraël 7. annis. erant ei 30. filij & 30. filiæ, quos omnes matrimonio elocauit.

*Iud. 12.* Elon.

## Anno mundi 2772.

ELon, qui & Ahialon, Zabulonites iudicat Iſrael 10. annis.

## Anno mundi 2782.

*Iud. 12.* Abdon.

Abdon Pharatonites de tribu Ephraim iudicat Iſrael annis 8. habuit 40. filios, & ex eis 30. nepotes, equitantes ſuper 70. pullos aſinarum.

*Iud. 13.*

Porrò filij Iſrael relapſi in idololatriā, traduntur Philiſtæis, eisque ſeruiunt 40. annis. Angel⁹ Dei primò vxori, deinde & Manūe viro de tribu Dan iuxta Saraa in agro apparens, annunciat ipſam, licet ſterilem, parituram filium, qui ab vtero matris Nazareus Dei, Iſraëlis ſeruator, Philiſtinorumque domator foret: ideoque tam ipſa tempore geſtationis vteri, quàm puer à vino, ſicera, omnique immundo ſe abſtineant, nec puero capillos tondeat. Quapropter cum Manue hædum & libamen ſuper petram in holocauſtum offerret Deo, Angelus in flamma holocauſti aſcendit in cęlum. Parit itaque mulier filium, vocatque eum *Samſon*, cui benedicit Deus, ſpiritu ſuo roborans eum.

Samſon nunciatur.

Samſon naſcitur.

*Naſcitur Samſon anno 3006. Genebrar.*

## Anno mundi 2790.

*Iud. 14.* Samſon Philiſtęam amat.

ADultus Samſon, deſcēdit in Thamnata, vbi videt & amat Philiſtęam. reuerſus ad parētes ſuos, petit eam ſibi accipi in vxorem: qui contriſtantur quòd alienigenam peteret, neſcientes id Dei diſpenſatione fieri, illumque quærere occaſionem in Philiſtæos.

*Iud. 14.* Samſon leonem diſcerpit.

Præcedentibus parentibus ad petendam eam, ſubſequentem Samſonem iuxta Thamnata inuadit leo rugiens: quem inermis ſpiritu Dei incitatus dilacerat, & proijcit è via. deinde virgo ei deſponſatur.

*Iud. 14.* Mel in ore leonis.

Poſt dies aliquot rediens vt acciperet eam, videt examen apum mellificare in ore leonis: & ſumptum inde mel comedit in via parentibusque comedendum tradit.

*Iud. 14.* Samſon Philiſtæam ducit vxorem.

In nuptijs dant ei Philiſtæi 30. ſodales, quibus proponit ænigma de leone quem occiderat, promittit ſoluētibus illud intra 7. dies cōuiuij 30. ſindones & 30. tunicas: ſi verò non ſoluerent, totidem darent illi. Reſpondent, propone. De comedente (inquit) exiuit cibus: & de forti egreſſa eſt dulcedo. Quod cum per ſe exponere non poſſent, precibus & minis per ſponsā eius ab ipſo Samſone diſcunt, atq; ſoluunt. Itaq; ſpiritu Dei motus deſcendit in Aſcalonē, occidit 30. Philiſtæos, veſtes eorū dat illis. iratusq; reuertitur in domum patris ſui.

*Iud. 15.*

Interea pater vxoris eius, putans filiam ſuā repudiatam, tradit illam ſodali eius. quod vt Samſon reſciuit, minatur ſe id vindicaturum de Philiſtæis. Pergens ergo capit 300. vulpes, ligat binas cauda ad caudam, & in medio facem accenſam, & emittit eas in ſegetes Philiſtinorum iam maturas, & ſuccendunt eas, ſed & vineas & oleas comburunt. Audientes Philiſtæi quod fecerat iſta Samſon in vltionem ablatæ coniugis, comburunt eam & patrem eius: quibus ait Samſon, ſe adhuc grauius vindicaturum. Itaque percutit eos ſura ſiue coxa ſuper femur ingenti plaga valdè: & diſcedens habitat in ſummitate ac ſpelunca petrę Ethā.

Samſon ſegetes Philiſtijm exurit.



*Iud. 15.*

Irati Philiſtæi, aſcendentes cum exercitu in terram Iuda, vindicare volunt in omnes Iudæos, niſi traderetur eis Samſon vinctus. Itaque tria millia virorum de Iuda accedentes Samſonem, arguunt eum, quòd prouocaſſet dominos ſuos: volentemque ligant, & opponunt caſtris Philiſtijm, accurrentibus autem illis, vt eum abducerent, ipſe Dei ſpiritu correptus ac motus, rumpit vincula ſua, repertaque & arrepta ibi maxilla aſini, interficit ea mille Philiſtæos, cæteros fugat, maxillam proijcit.

Samſon maxillā mille viros occidit

*Iud. 15.* Fons è dente

His geſtis ſitiens valdè, clamat ad Deum: Tu dediſti victoriam hanc: & en ſiti morior. aperit itaque illi Deus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ, quibus hauſtis vires recipit. Iudicatque Iſraël 20. annis.

*Iud. 16.*

Hinc abit Gazam, ibique ad meretricem ingreditur, gauiſi Philiſtæi, ponunt in porta vrbis tota nocte cuſtodias, vt mane exeūtem occiderent, dormiuit autem vſq; ad medium noctis. Inde ſurgens, apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera, impoſitaſq; humeris ſuis, aſportat in verticem montis iuxta Hebron.

Samſon portas Gazæ in montem defert,

*Iud. 16.*

Poſt hæc amat Dalilam habitantem in valle Soreth. cui principes Philiſtijm multā promittunt pecuniam, vt blanditijs eliciat ab eo, in quo ſit fortitudo eius: & qua re poſſet minui. quę ſæpè deluſa, tam diu illi moleſta fuit, donec audiret, Nazareum eſſe, nec radi poſſe ſine damno fortitudinis. Tunc illa dormientis in ſinu ſuo, capillos detōdet. quem ſtatim fortitudine deſtitutum, Philiſtæi apprehendunt, occulos eius eruunt, vinctum catenis ducunt Gazam, & clauſum in carcere molere faciunt.

Samsō à Dalila decipitur à Philiſtæis excæcatur.

*Iud. 16.*

Poſt paululum cùm iam crines & vires eius creſcerent, principes populuſque Philiſtijm conuenientes, magnificas immolant hoſtias Dagon deo ſuo, quòd tradidiſſet ipſis hoſtem ſuum. Inter epulas autem pro ſpectaculo adductus Samſon, coram eis, & ludit & illuditur. tunc ille, inuocato Domino, apprehendit ac concutit duas columnas, quibus innitebatur domus, quæ cadens, Samſonem & omnes qui aderant, circiter tria millia hominū opprimit, & ita plures interfecit moriens, quàm antè viuus occiderat.

Samſon ſe cū Philiſtæis occidit.

*Genebrar. 3026. 1. Reg. 4.* Heli.

## Anno mundi 2810.

POST mortem Samſonis, Heli ſummus ſacerdos de tribu Leui, ſtirpis Ithamar, iudicat Iſraëlem 40. annis.

## Anno mundi 2820.

*1. Reg. 1.*

ANNO Heli 10. Anna vxor Helcanæ leuitæ, habitans in Ramatha vrbe, diu ſterilis, ob exprobratā ſibi ab æmula ſua fæcunda ſterilitatē triſtis, aſcendit more ſuo cum viro in Silo, vbi in tabernaculo coram Heli flens & orās Dominum, ipſi votum vouet, ſi daret ſibi filium, ſe illum ipſi daturum, vt Nazareus omni vita miniſtret ei in tabernaculo. Reuerſa domum, mox concipit & parit Samuelem, quem ablactatum ducit in Silo ad Heli, cumque ſolenniter cum victimis iuxta votū Domino offert, ac læta pro collato ſibi filio ipſi Deo gratias canit. Deinde benedictione ab Heli accepta, regreſſa domum, rurſum peperit 3. filios & 2. filias.

Samuel Deo vouetur, & offertur.

*1. Reg. 2.*

*1. Reg. 2.* Samuel creſcit.

Puer autem Samuel miniſtrabat Domino in tabernaculo coram Heli, accinctus Ephod lineo: & creſcebat ac proficiebat, placebatq; tam Deo quàm hominibus.

*1. Reg. 2.* Impietas filiorum Heli.

Porrò Ophni & Phinees filij Heli, in Silo neglecto Dei cultu, ab immolantibus carnes vi auferentes, nec non dormientes cum mulieribus excubantibus ad oſtium tabernaculi, populum vniuerſum ſcandalizabant. quos cùm Heli ſenex nimis leniter corriperet, non priuās eos ſacerdotio, miſſus ad eum vir Dei, denuntiat ob peccata filiorum, ſuamq; erga illos indulgentiam, ipſum & domum eius à ſummo ſacerdotio repellendum, ac filios ipſius ambos die vno perituros, poſteroſq; eius omnes ante virilem ætatem morituros: ſacerdotem autem fidelem & electum à Deo ſuſcitandum.

Indulgentiā Heli erga liberos.

*1. Reg. 3.* Samuel fit Propheta Dei.

Hinc Samuelem puerum (teſte Ioſepho) annorum 12. nocte in templo, vbi erat arca, dormientem quater vocans Dominus, indicat ei ſe puniturum Heli & domum eius: quod Samuel mane ipſi Heli id requirēti refert. Creſcit autem Samuel, eſtque Deus cum eo: & cognoſcit vniuerſus Iſraël, quòd fidelis & veridicus Propheta eſſet Domini.

*1. Reg. 4.*

Anno Heli 40. Iſraëlitæ cum Philiſtæis iuxta Aphec prælio congreſſi, cæduntur vſq; ad 4. millia. reliqui territi, arcam Domini è Silo per Ophni & Phinees filios Heli in caſtra adferunt. ac rurſum inito certamine, cæduntur 30. millia Iſraëlitarum, & etiam duo filij Heli occiduntur, & arca Dei capitur, reſidui fugiunt. Quæ cùm nunciarentur in Silo ipſi Heli, cadit de ſella retrorſum, & fracto occipite moritur annorum 98. quin & nurus eius vxor Phinees prægnans, ex ſubito partu obijt.

Arca Dei capta.

*Genebrar. 3066. Aug. de ciu. Dei lib. 17. cap. 4.* Samuel. *1. Reg. 13. Actor. 13.*

## Anno mundi 2850.

MORTVO Heli, Samuel annos natus 30. ſummus ſacerdos & iudex præeſt Iſraëli annis 38. deinde Saul Rex annis 2. quorum tempus Actuum 13. ſimul ponitur 40. annorum, *vt etiam illa ipſa diuiſio non ſatis definita ſit.*

*1. Reg. 5.*

Philiſtæi autem aſportantes arcam Domini in Azotum, collocant eam in templo Dagon dei ſui iuxta ſtatuam eius. At mane Dagon iacebat pronus in terra ante arcam, ac mox ab ipſis loco reſtitutus, poſtridie abſciſſis capite & manibus truncus eius ibidem iacere reperitur. Inſuper primò Azotij, deinde, cum arcam oppidatim circumducerent, & cæteri quo-

Philiſtijm mariſcis & maribus percutitur.

quoque Philiſtæi graui dyſenteria à Domi-
no percutiuntur, terraque eorum à muribus
deuaſtatur

1.Reg.6. Septimo itaq; menſe ſatrapæ Philiſtijm cō-
uenientes in Accaron, ſacerdotum ſuorum
conſilio ad placandum Deum Iſraël, arcam
Philiſtæi arcam remittunt. plauſtro nouo impoſitam cum quinque anis
totidemque muribus aureis per duas vaccas
lactantes remittunt vſq; Beth ſames. Qua viſa
Beth ſamitæ, læti per Leuitas arcam deponūt,
ibique in agro Ioſue ſuper lapidem magnum
plauſtrum ſimul ac vaccas offerunt holocau
ſtum Domino. Deinde cùm arcam aperirent,
ac curioſè inſpicerent, percutit Dominus de
clarioribus viris, 70. & de vulgo, 50. millia.

1.Reg.7. Arca in Cariathiarim. Tunc rogatu Beth ſamitarum viri Cariathi
arim reducunt ad ſe arcam, & inferunt eā in
domum Abinadab: vbi ſub cuſtodia Eleazari
filij eius manet 20. annis.

## Anno mundi 2870.

1.Reg.7. Hier. ibid. POST quos Samuel congregat vniuerſum
Iſraëlem, transfert arcam in Maſphat, ibi-
que fœdus Domini renouat populo, vt abie-
ctis idôlis, toto corde ſeruirent Deo ſoli: po-
pulus coram Domino peccata cōfitetur, flet
atque ieiunat.

Philiſtæi Deo tonāte conteruntur. Tunc Philiſtæi veniunt contra eos in præ-
lium, ſed Samuële agnum offerēte holocau-
ſtum Deo, & pro Iſraële orante, intonans de
cælo fragore magno Dominus, Philiſtæos ex
terret ac conterit, reliquos Iſraël cædit ac per
ſequitur vſq; Bethchar. vbi Samuel lapidem
adiutorij erigit, vrbes olim per Philiſtæos Iſ-
raêli ablatas recipit, ac deinceps habitans in
Ramatha, & quotannis circumiens oppida-
tim, iudicat Iſraëlem in pace.

1.Reg.1. Cùm autem ſenuiſſet Samuel, ponit 2. fili-
os ſuos iudices ſuper Iſrael in Berſabee. qui
Iſrael petit Regem. per auaritiam acceptis muneribus peruertūt
iudicium. Itaque anno 38. Samuelis omnes ſe
niores Iſraël conuenientes ad Samuelem in
Ramatha, poſtulant ab eo conſtitui ſibi Re-
gem exemplo gentium. perplexus Samuel,
orans Dominum ea de re conſulit. quo ægrè
illorum petitioni annuente, quòd Deum re-
gem habentes, regem ſibi ex hominibus flagi
tarent, Dei iuſſu Samuel populo ius regis præ
dicit.

## Anno mundi 2888.

1.Reg 9. SVB hæc Saul filius Cis de tribu Beniamin
vir electus & bonus, ab humero ſurſum al-
tior omni populo, corde tamen humilis, quę
rens aſinas patris ſui cum famulo ingreſſus
vrbem Ramatha ad conſulendum prophe-
tam, peruenit ad Samuelem. qui Deo reuelā
te indicat Sauli aſinas eſſe inuentas, & ipſum
ſalutat regem, & in prandio primo loco & ci
bo honorat. ac manè ſecretò vngit eū in Re-
1.Reg.10. Saul rex vngitur. gem ſuper Iſraêl, & oſculatur. varia ei dans
ſigna, quibus credat ſe certò à Deo vnctum.
diſcedens itaque Saul Dei ſpiritu mutatur in
alium virum, & obuium habens cætum Pro-
phetarum prophetantium, afflatus & ipſe Di
uino ſpiritu, vnà cum eis prophetat, cunctis
ob hoc admirantibus. 1.Reg.10.

Hinc Samuel conuocat populum in Maſ-
phat, arguit quod abiecto Deo, petierint re- Saul rex proclamatur.
gem. Saul ſorte repertus, publicè eligitur in
regem, populo acclamāte, viuat rex. Samuêl
legē regni populo recitat, in libro ſcribit, &
coram Domino, id eſt, in arca reponit. Saul
repetit domum in Gabaa, multis pijs ipſum
comitantibus, impijs autem calumnianti-
bus.

Poſt menſem Naas rex Ammonitarum ob 1.Reg.11.
ſidens labes Galaad, fœdus non admittit, niſi
vt ipſis Iabenitis omnib. oculos dextros eruat
& effodiat. quo audito ſaul veniēs poſt boues
ex agro, Dei ſpiritu accenſus conuocat in Iſ-
rael exercitum 330. milliū, quibuſcū Ammo-
nitas percutit ac diſperdit. vnde Samuelis Saul rex confirmatur.
hortatu populus pergens in Galgala, ibi co-
ram Domino innouant regnum Sauli, lætiq;
ſacrificantes in regem confirmant.

Tunc Samuel iam canus ibidem coram 1.Reg.12.
Deo, Rege, & vniuerſo Iſraêle, quàm integrè
inter ipſos conuerſatus ſit etiam populo atte
ſtante, declarat: ipſorumq; erga Deum ingra
titudinem reprehendit, quòd pro Deo rege,
qui tam diu Iſraêlē ſeruauerat, totieſque ab
hoſtibus liberauerat, hominem regem prote
ctorem ſibi poſtulauerint. vt autem in hoc ſe
peccaſſe ſciant, inuocat Deum, & ecce iam
meſſis tempore ſubitò cælitus dat tonitrua & Samuële orante, tonat & pluit
pluuiā. vnde populus territus, fatetur pecca
tum. quos Samuel hortatur, vt relictis idôlis,
Deo conſtanter adhæreant, promittens ſe in
ceſſanter pro ipſis oraturum.

Sub hæc Ionathas filius Saul percutit ſtatio 1.Reg.13.
nem Philiſtinorū, quę erat in Gabaa. quo au-
dito Philiſtęi, innumero exercitu caſtra me-
tantur in Machmas. vnde Iſraêlitæ pauidi, ab
ſcondūt ſe in ſpeluncis & munitionibus, alij
fugiūt trans Iordanem. Saul autem iuſſus in
Galgala expectare Samuelem diebus 7. vt ſa- Saul ſacrificans, à Deo abijcitur.
crificium offerre tibi, ſeptimo die tardāte il-
lo, cùm populus dilaberetur ab eo, Rex ipſe
illicita præſumptione ſacerdotis vſurpans of
ficium, offert holocauſtum Deo. Mox veniēs
Samuel, ait illi. Stultè egiſti, nequaquam reg-
num tuū ſtabit vltra: quæ ſiuit Dominus ſibi
virum ſecundum cor ſuum in ducem Iſraêl.
nempe Dauid. His dictis recedit. ſaul verò cū
Ionatha & 600. tantùm viris, ijſq; enermibus
aſcendit in Gabaa.

Porrò Ionathas in Deo fidens, cum armi- 1.Reg.14.
gero ſuo patre inſcio caſtra Philiſtijm ingreſ
ſus, multos hoſtium occidit, cæteri Dei mira- Philiſtæi mutuò ſe occidunt.
culo territi turbatique ſe inuicē interficiūt.
mox ſaul; conſulto ibi coram arca Domino,
cum ſuis reliquos profligat ac perſequitur vſ
que Hailon, populumque adiurat, ne quis,
intermiſſa cæde, comedat ante veſperā. cu-
ius ignarus Ionathas, laſſus & eſuriens in ſyl-
ua paululum mellis guſtat, & illuminan-
tur oculi eius. ob quòd à patre occi-
dendus, populo ſuffragan-
te liberatur.

Anno



## Anno Mundi 2888.

1.Reg.15. ANNO ſuo primo Saul verbis Dei iube-
tur à Samuele, vt Amalechitas, eò quòd
impugnaſſent Iſraëlem aſcendentem ex AE-
gypto, penitùs internecione deleat, nec par-
cat cuiquam. Itaq; pergens eò cū exercitu 210.
Deletio Amalec. millium, percutit Amalec ab Euila vſq; Sur,
populum pecuraque occidit, ac vilia quęque,
diſperdit: Agag aūt regem, & pulchra quęque
optimaſq; greges reſeruat, vt immularet eas
Deo, ac in Galgala adducit. vbi Dei iuſſu Sa-
Saul Deo inobediēs regno deijcitur. muel, licet tota nocte pro Rege oraſſet, arguit
Saulem, quòd non paruerit verbo Dei, aſſerēs
Deum malle obedientiam, quàm victimas: i-
deoque Diuinitus regnū ipſi ablatum, & me-
liori datum pronunciat, idque ſciſſura pallij
ſui ſignificat, mox ibidem coram Domino A-
gag Regem in fruſta concidit, reuerſuſque in
Ramatha, Saulem domum in Gabaa regreſ-
ſum vltrà non vidit, quem tamē reprobatum
à Deo luget.

## Anno Mundi 2888.

1.Reg.16. SVB hæc Samuel iuſſu Dei pergit Bethleem
ad domum Iſai, qui & Ieſſe, de tribu Iuda, &
Dauid vngitur in regem. Dauidem filium eius nouiſſimū, adoleſcētem
rufum, pulchrum, fortem & prudentem è paſ-
cuis accerſitum, inibi inter 7. fratres eius vn-
git in regem Iſraël, & directus eſt ſpiritus Do-
mini à die illa in Dauid, & deinceps. qui reuer
1.Reg.17. ſus ad gregem patris, leonem & vrſum rapta
oue fugientes, apprehendit & occidit.

Spiritus autem Domini receſſit à Saule, & a-
gitabat, vexabatq; eum ſpiritus malus, ad quē
Dauid pſallens demonem expellit. refocillandum accitus à grege pſaltes egregi-
us Dauid, eius gratiam inuenit, & ſtatim factus
eſt eius armiger. Igitur quandocunque ſpiri-
tus malus arripiebat Saul, Dauid citharā ma-
1.Reg.17. nu pulſans, Pſalmos Deo canebat, & ſpiritus
malus recedebat à Saule.

Paulò pòſt Philiſtæis congregatis ad præ-
liū in monte inter Sochot Iudæ, & Azecha, Iſ-
raelitis autem caſtrametatis in monte oppo-
ſito, Goliath Philiſthæus gigas prodigioſæ ſta-
turæ ſtans in valle terebinthi, inter vtramque
aciem, ſuis viribus, & armis confiſus ſuperbè
procat Iſraëlitas ad duellum, id eſt, ſingulare
certamen, cūque ita per dies 40. mane & veſ-
pere exprobraret Iſraeli, Saul pollicetur ei,
qui percuteret Goliath, filiam ſuam, & diui-
Dauid Goliath gigantē occidit. tias magnas, immunitatemque à tributu. Ne-
mine autē audente congredi, adoleſcens Da-
uid pugnæ ſe offert, ac Deo fretus, inermis cū
ſuo baculo, funda, & 5. lapidibus de torrente
Pſal. 143. electis, Goliath maledicentem aggreditur, &
fundæ iactu lapide fronti eius inflicto, ipſum
proſternit, ac ſuopte gladio caput eius abſcin-
dit: quo viſo Philiſtæi, territi fugiunt: quos Iſ-
1.Reg.18. raëlitæ inſequentes occidunt vſque ad portas
Geth, & Accaron.

Porrò Dauid caput Goliath defert ad Sau-
lem in tentorium, vbi gratiam Ionathæ na-
ctus, init cum eo fœdus amicitiæ. Inde caput
Goliath gerens, cū Saul reuertitur in Ieruſalē,
quibus in occurſum egreſſæ mulieres cū tym-
panis & choris, lætæ ludunt & cantant; Percuſ Gloria Dauid.
ſit Saul mille: & Dauid decem millia. Indignè Inuidia Saul.
autem ferens Saul plus laudis tribui Dauidi
quā ſibi, iratus ait: Quid ei ſupereſt, niſi ſolū
regnum? atq; ex hoc cœpit eum odiſſe ac per-
ſequi. Dauid verò poſuit arma Goliath in ta-
bernaculo Domini. Poſtridie Saul inuaditur 1.Reg.18.
à ſpiritu malo, domi ſuæ more arreptitiorum
prophetat, ac Dauidem ante ſe ( ſicut quoti-
die faciebat) ſuo more pſallentem, bis lancea
trāsfigere tentat. Deinde facit eum tribunum Saul Dauidi necem molitur.
ſuper mille viros, vt ſæpe periculis expoſitus,
ſemel à Philiſtæis occidatur. Dauid tamen au-
xiliante Deo prudenter ſe gerēs, populi fauo-
rem conſequitur, Porrò Saul Merob filiā ſuā
maiorem denuò Dauidi promiſſam, dat alte-
ri. Michol verò iuniorem magis dilectam in-
ſidioſè ei deſpondet, ſi pro dote ſeu ſponſali-
bus centum præputia Philiſtinorum adferret
at Dauid occiſis ducentis Philiſtæis, eorum Dauid ducit Michol.
præputia regi annumerat, ac dilectam Michol 1.Reg.19.
accipit in vxorem. Hinc Saul iubet Dauidem Dauid varijs modis quæritur occidi.
occidi. voce autē Ionathæ placatus, iurat nō
occidendum. quem tamen reuocatum, & per
cuſſis rurſum ab eo Philiſtæis, domi coram ſe
pſallentem, malo agitatus ſpiritu, iterum lan-
cea nititur perfodere. Deinde per ſatellites no Pſalm.58.
cte domum eius cuſtodit, vt mane occideret
eum. at Michol noctu clam virum per fene-
ſtram dimittit: ac ſimulachro in lecto eius po-
ſito, quærentem patrem decipit. Dauid aūt fu-
git ad Samuelem in Naioth, quæ eſt in Rama-
tha, ibiq; ſimul morantur in cuneo propheta-
rum prophetantium. Miſſi verò & huc à Saul
ſemel, iterum, tertioq; lictores, qui Dauidē ra-
perēt, rapti & ipſi ſpiritu Dei, ibidem prophe- Saul inter prophetas
tant. tandem etiam ipſe Saul eò veniens, cor-
reptus Dei ſpiritu, depoſito regali habitu, ſi-
mul cum illis tota die & nocte canit ac pro-
phetat. Inde digreſſus Dauid, apud Ionatham 1.Reg.20.
conqueritur quòd Saul iniquè quærat ipſum
occidere, ac denuò fœdus inter ſeſe & vtriuſ-
que poſteritatem iureiurādo paciſcuntur. Io-
nathas promittit Dauidi ſe indicaturum quis
ſit Sauli erga ipſum animus. Biduo pòſt, cele-
bratis Calendis Saul. in menſa Dauidis abſen-
tiam requirens, palam pronunciat mortem Saul nititur Ionatham tranſfigere.
ipſi definitam, & Ionatham ei patrocinantem
lancea transfigere conatur. quod Ionathas
mane Dauidi in argo latenti, trium ſagittarū
ſigno, indicat: oſculatumque flēs flentem di-
mittit.

Dauid autem fugit in Nobe ad Achimelech 1.Reg.12.
ſacerdotem. vbi eſuriens fame vrgente, mun- Dauid ſacros panes edit.
dus à muliere, panes propoſitionis (quibus ſo-
lis ſacerdotibus veſci licebat) in tabernaculo Matth.12.
Domini cū ſuis coram Doeg Idumæo come-
dit. & gladio Goliath ab Abimelech è taber-
naculo accepto, fugit ad Achis regem Geth,
ibiq; à Philiſtęis agnitus, detētus, ac regi obla Pſalm.55. Pſalm.33
tus: ſibi timens ne occidatur, cadens inter ma
nus eorum, ac ſpumans ſaliuam in barbam
ſuam, inſaniam ſimulat; ideoque ab Achis ex
pellitur.

Fugit ergo in ſpeluncam Odollam. vbi ſu- 1.Reg.22. Pſalm.56.
um patrem matrem, fratres, cognatos, omneſ-

 que an-

Dauid fit princeps 400. virorum.

que anguſtia & ære alieno grauatos, ad ipſum confugientes ſuſcipiens, fit princeps 400. virorum. Inde abit cum eis in Maſphat, ad Regem Moab, manetque ibi in prçſidio ſeu arce. Deinde monitu Gad Prophetç, redit cum ſuis in terram Iuda, in ſaltum Areth.

*Pſalm.62.* *1.Reg.22.*

Interea cũ Saul ſeruos ſuos accuſaret cõiurationis, quòd nemo vicem ſuam dolens, Dauidem ipſi proderet, Doeg indicat Achimelech pro Dauide conſuluiſſe Deum, ipſiq; dediſſe panes & gladium Goliath. Quapropter Saul Achimelech, ceteroſq; 85. ſacerdotes Domini è Nobe accerſitos, indutos ephod lineo, coram ſe, alijs ſeruis recuſantibus, per Doeg trucidat: & Nobe ciuitatem eorum, viros, mulieres, paruulos & lactantes, boues, aſinos, & oues occidit: ſolus Abiathar filius Achimelech euaſit, qui fugiens cum ephod ad Dauidem, comes fit totius exilij eius.

Saul 85. ſacerdotes trucidat. *Palm.51.*

*1.Reg.23.*

Per idem tempus Dauid conſulto Domino, cum ſuis Philiſtæos Ceilam obſidentes expugnat, vrbemq; ſeruat. Inde, ne à viris Ceilç traderetur in manu Saul, Dei oraculo monitus, cum 600. viris fugit in deſertum Ziph: ac perſequente eũ Saul, continens ſe in locis tutioribus, nunc in monte opaco, nũc in colle Achillæ, nunc in ſylua moratur: vbi à Ionatha eum viſitante cõfortatur in Deo: ſimulque fœdus iam tertio coram Domino ſanciunt. Ziphæi autem profecti in Gabaa, Sauli indicant, Dauidem apud ſe latitare: quem Saul in deſerto Maon verſantem perſequens, ipſum, viroſq; eius in petra ſe ſeruantes, exercitu ſuo in modum coronæ cingit. at Philiſtæis ſubitò in terram irruentibus, relicto Dauide, coactus it in occurſum eorum.

Saul cum ſuis Dauidem perſequitur.

*Pſalm.53.*

*1.Reg.24.* *Pſalm.141.*

Sic liberatus Dauid, fugit in deſertum Engaddi, vbi in ſpelunca interiore cum ſuis latitans, Saulis, cum tribus millibus electis ſe perſequentis, & in eadem ſpelunca ventrem purgantis, oram chlamydis clam abſcindit, & ne occideretur, ſuos cohibet: deinde poſt eum egreſſus, tuto eminus loco ipſum inclamans, & oram pallij oſtendens, alta voce ſuam innocentiam teſtatur: quare Saul flens Dauidem iuſtiorem ſe confitetur, & teſtificans ipſum certò regnaturum, ſuſcepto ab eo iuramento ne deleat ſemen ſuum, domum repetit.

Dauid oram pallij Saulis abſcindit.

## Anno Mundi 2889.

*1.Reg.25.* Mors Samuelis

ANNO 2. regni Saul moritur Samuel, & ab omni Iſraël plangitur, & ſepelitur in Ramatha. Porrò Dauid abit in deſertum Pharan, vnde mittens 10. ſeruos ad Nabal in Carmelo greges tondentem, humiliter petit ab eo cibum, quod pecudes eius diu à prædonibus, & feris intactas ſeruaſſet in deſerto: quem cùm Nabal contumelioſè denegaret, iratus Dauid cum exercitu pergit eò, vt impium Nabal, omnemque cognationem eius euertat: ſed Abigail vxoris Nabal, inſcio ac ebrio marito, cum cibarijs ſibi obuiam venientis, eleganti oratione placatus, decima poſt die, occiſo à Deo Nabal, aſſumit eam ſibi in vxorem, ſimul & Achinoam de Iezrael. Saul autem filiam ſuam Michol nuptam dat Phalti de Gallim.

Abigail Dauidem iratum placat:

*1.Reg.26.*

Poſt hæc Dauid cõtinẽs ſe in deſerto Ziph in colle Achillæ, rurſum à Ziphæis proditus, Sauli cum tribus millibus illic ſe perſequentis caſtra & tentorium nocte ingreditur, ne à ſodali ſuo perfoderetur prohibet, eiuſq; haſtam & ſcyphum aquæ aufert, cunctis altum dormientibus. Inde digreſſus procul in verticem montis, ſopitos clamore excitat, Abner principi exercitus, cæteriſq; ſomnolẽtiam exprobrat, Saulo probat quòd iniuſtè ipſum perſequatur, haſtamq; exhibet. Vnde Saul Dauidis innocentiam, ſuamque iniquitatem iterum fatetur, reuocatoque Dauidi ſecuritatem pollicitus, domum reuertitur,

Dauid haſtam & ſcyphum Saul tollit.

*1.Reg.27.*

Cæterùm Dauid veritus, ne quando incideret in manus Saul, tranſit cũ 600. ſuis in regionem Philiſtijm ad Achis regem Geth, atq; ab eo petit & accipit vrbem Siceleg: vbi habitans menſibus 4. multas quotidie exercet cædes, & agit prædas ab Amalecitis, alijſq; infidelibus, perſuadens regi Achis, quòd Iudæos occideret & ſpoliaret.

Siceleh datur Dauidi.

*1.Reg.28.*

Poſt hæc Philiſtæi aſſumpto Dauide cũ ſuis, pugnaturi contra Iſraël, caſtrametãtur in Sunam. Saul autem cum Iſraëlitis exiſtẽs in Gelboë monte, viſis caſtris Philiſtijm, territus cõſulit Dominum: quo nihil reſpondente, ipſe qui antea pythones, magos, & ariolos è medio abſtulerat, nunc mutato habitu abit nocte in Endor ad conſulendam pythoniſſam, iubet ſibi ſuſcitari Samuëlem: à quo audit ſuam, filiorumque craſtinam mortem, ac Iſraëlis internecionem: vnde conſternatus, cadit in terram; ſed ſumpto ibi cibo confortatus, eadem nocte caſtra repetit.

Samuel à pythonica ſuſcitatur: *Eccl.46.*

*1.Reg.29.*

Principes autem Philiſtijm, timentes ne Dauid in prælio fieret ipſis aduerſarius, conſenſu Achis eum remittunt: qui mane cum ſuis reuertitur ab terram Philiſtijm.

*1.Reg 30.* Spoliatio Siceleg.

Die tertio veniens in Siceleg, inuenit eam ab Amalechitis combuſtam & prædatam, ac ſuas ſuorumque vxores, filios & filias, pecora & ſpolia eſſe abducta. Itaque conſulto Domino, cum 600. viris ſuis Amalecitas, perſequẽs vltra torrentem Beſor humi epulantes & tripudiantes occidit, captiuos prædamque reducit, quam ſingulis ſocijs ex æquo diuidit, reuerſuſque in Siceleg, ex prçda gratificatur omnibus amicis ſuis.

*1.Reg.31.* *1.Par.10.*

Interea inita cum Philiſtæis pugna, Iſraëlitæ cæduntur & fugiunt, tres filij Saul occiduntur: Saul autem in monte Gelboe arctatus & à ſagittarijs vulneratus, iubet armigerum ſuum, vt ſe perfodiat, ne ab incircuncisis occidatur: quo nolente, vterq; ipſorum irruens ſuper gladium ſuum, ſeipſum occidit. Poſtridie Philiſtæi, dum cæſos expoliant, inueniunt Saulem, caput eius abſcindunt, idque in terra Philiſtijm circumferunt, & affigunt in templo Dagon, arma autem eius in templo Aſtaroth, corpus verò eius ſuſpendunt in muro Bethſan: quod viri Iabes Galaad nocte tollunt, & ſepeliunt, in Iabes, ieiunantq; ſeptem diebus.

Saul ſeipſum occidit.

Tertio



*2.Reg.1.*

Tertio die Amalecites quidam è caſtris veniens ad Dauid in Siceleg, nunciat ei cædem Iſraël, Saulis & Ionathæ mortem, ſeq; Saulem occidiſſe aiens, diadema & armillam eius Dauid adfert: quamobrem Dauid eum, quod Regem occidiſſet, occidi iubet; ſciſſiſq; veſtimẽtis cum ſuis plãgit, flet, & ieiunat vſque ad veſperam ſuper Saul, & Ionathan, ac cæteros occiſos: eoſque carmine lugubri lamentatur.

Dauid Saulem deflet.

## Anno Mundi 2890.

*Genebr. 3106.* *2.Reg.2.* *Pſalm.26.* Dauid vngitur rex Iuda.

POſt hæc Dauid conſulto Domino, cõmigrat cum ſuis in Hebron, ibiq; à viris Iuda vngitur in regem ſuper tribũ Iuda, annos natus 30. regnauit ibi in Hebron annis 7. & menſibus 6. Deinde in Ieruſalem annis 33. atq; ita ſimul annis 40. menſib. 6. mittẽs nuncios ad viros Iabes Galaad, collaudat eos quòd ſepeliſſent Saulem. Abner autem princeps exercitus Saul, Iſboſeth filium Saul quadragenariũ conſtituit regem ſuper reliquas tribus Iſraël, qui regnauit biennio. Cùm 12. pueri ex parte Dauid, & 12. ex parte Iſboſeth pugnarẽt iuxta piſcinam Gabaon, mutuis gladijs ad vnũ ſe conficiunt: mox inito ab vtraque parte conflictu, cæſi ſunt è ſeruis Dauid 20. è ſeruis autem Iſboſeth, 300. ortoq; inter eos bello, regnũ Dauidis quotidie creſcit, Iſboſeth verò decreſcit.

*2.Reg.3.*

Abner autem, cùm argueretur ab Iſboſeth, quod cum Reſpha concubina Saulis concubuiſſet, iratus fœdus init cum Dauid, remittit ei Michol, inducit Iſraëlitas, vt Dauidem ſuſcipiant in regem, abit in Hebron, à Dauide conuiuio excipitur, verùm à Ioab dolo occiditur: vnde Dauid dolens, occiſori maledicit, occiſum autẽ in Hebron cum ingenti pompa exequiarum ſepelit, ac ſequens ipſe feretrum, cum omni populo plãgit, & flet ad ſepulchrũ eius, ieiunatque vſque ad veſperam.

Abner à Ioab occiditur.

## Anno Mundi 2891.

*2.Reg.4.*

ANNO 2. Baana & Rechab latrones, clam ingreſſi domum Iſboſeth, meridie dormientem in lecto occidũt, & caput eius adferunt ad Dauidem in Hebron: propter quod & ipſi iuſſu Dauidis occiduntur, ac præciſis manibus & pedibus ſuſpenduntur: capur autem Iſboſeth ſepelitur in ſepulchro Abner.

Isboſeth occiditur.

*2.Reg.5.* *1.Para.11.et 12.* Dauid vngitur Rex Iſrael.

Deinde veniunt omnes tribus Iſraël ad Dauid in Hebron numero 340822. & data acceptaque fide coram Domino, vngunt eum in regem ſuper vniuerſum Iſraël, ſimulque læti triduo epulantur.

## Anno Mundi 2897.

*2.Reg.5.* *1.Para.11.14.* *Pſalm.29.* Dauid regnat in Ieruſalem. *2.Reg.23.* *1.Para.11.& 12.*

ANNO 8. regni ſui Dauid abit in Ieruſalem, aufert cæcos & claudos, expellit Iebuſæos, capit arcem Sion, & accipiens ab Hiram regi Tyri ligna & artifices, vrbem per circuitum reparat, in ea domum ſibi ædificat: & habitãs deinceps in arce Sion, vxoreſq; & cõcubinas multiplicans, Dei gratia creſcit in poteſtate ac prole: erãt ei electi ſtrenuique milites, quorũ quidam ſoli totum exercitũ debellaſſe, quidam 800. quidam 300. vna vice occidiſſe, alij gigantes, alij leones interfeciſſe ſcribuntur. Cumque Dauid exiſtens in arce, deſideraret aquã de ciſterna Bethleem, quæ erat in porta, mox tres fortes eius per caſtra Philiſtæorum, Bethleem obſidentium, irrumpentes, aquam à ciſterna hauriunt, hauſtam Dauidi adferunt, quam tamẽ Dauid bibere noluit, eò quòd cùm fortium ſuorum vitæ periculo allata eſſet, ſed libauit eam Domino.

Fortes Dauid.

*2.Reg.15.* *1.Para.14.* Debellatio Philiſtijm

Sub hæc Dauid Philiſtæos, bis ipſum bello inuadentes, bis conſulto Domino, bis in valle Raphaim Deo iuuante proſternit, & ſculptilia eorum comburit.

*2.Reg.6.* *1.Para.13.* Translatio arcæ.

Hinc Dauid conuocat omnes electos ex Iſraël 30. millia, & arcã Dei plauſtro nouo impoſitam, per boues reducit è domo Abinadab Ieroſolymam. Dauid autẽ & vniuerſus populus Iſraël, omni virtute ludebant coram Domino in omnibus canticis, pſalterijs, citharis, nablis, ſiſtris, lyris, cymbalis, tympanis & tubis: at cùm in via boue calcitrante arca caſum minitaret, Oza ſuſtentandi cauſa manu eam attingens, in veſtigio ibi à Deo occiditur: quare Dauid timens introducere arcam ad ſe, deponit eam in domo Obededom, vbi manet tribus menſibus, cui propter arcam Dominus benedicit.

*2.Reg.16.* *1..Par.15.*

Quo audito Dauid, iterũ conuocat vniuerſum Iſraël, & arcam per ſacerdotes in humeris portari, ac ingenti lætitia perferri facit Ieroſolymam ad domum ſuam, comitante omni populo Iſraël, ſacerdotibus verò & Leuitis cantantibus, ac cum omnibus inſtrumentis muſicis ac tubis reſonantibus. Porrò Dauid rex ipſe depoſito habitu regio, & accinctus ephod lineo, totis viribus coram arca cithara ludit & ſaltat: cumque hac pompa ac melodia intraret vrbem arcemque Sion, Michol videns per feneſtram Regem ſaltantem corã arca, eum deſpicit & deridet: ob quod nunquam illa deinceps peperit. Deinde collocant arcam iu tabernaculo, quod parauerat ei Dauid, & offerunt ſacrificia. Dauid benedicit populo, eoſque cibat: ac conſtituit ſecerdotes & Leuitas, qui iugiter coram arca Deo miniſtrarent, ſacrificarent, ac diuinas laudes decantarent, & omnibus muſicorum organis perſonarent.

Dauid ſaltat ante arcam. *2.Reg.6.* *1.Para.16.* *Pſalm.28.* Cultus Dei *Pſalm.104.* *Pſalm.95.*

*2.Reg.7.* *1.Para.17.*

Poſt hæc Dauid indignum iudicans, cùm ipſe habitaret in domo cedrina, quod arca Dei maneret ſub pellibus, indicat Nathan Prophetæ, ſe velle ædificare domum Domino: quod Nathan primùm collaudat, ſed nocte illa Dei oraculo admonitus, idipſum Dauidi prohibet, eò quòd ſit bellator, & in bellis multum ſanguinis effuderit: verùm eidem promittit iuratque de fructu ventris eius naſciturum filium, qui Salomon, id eſt, pacificus nominandus, ipſi in regno ſuccederet, & ædificaret tẽplum Deo, ac ipſe ipſiuſque ſemen in pace regnaret in æternum: quòd figuratè quidem in Salomone, ſpiritualiter autem in Chriſto cõpletum eſt. Quapropter Dauid ingreſſus tabernaculum, corã arca Dei erga ſe miſericordiam ac benignitatem laudat: oratque vt promiſſiones ſuas impleat.

*1.Par.22.* *Pſalm.131.* Chriſtus è Dauid promittitur. *Luca 1.* *Matth.22.* *Ioan.12.* *Actor.2.* *Heb.1.* *Pſalm.88.*

 Anno

## Anno Mundi 2899.

2.Reg. 1.Para. 18. Pſalm. 59. Dauid vicinas gentes ſubijcit.

ANNO 9. regni ſui Dauid expugnat & ſubiugat Philiſtiim, Moab, Adadezer regem Saba, Syriam Damaſci, Idumæam, Ammon & Amalec, quos omnes ſub tributo ſibi ſeruire facit; arma & vaſa aurea, argentea, & ænea ex præda templo Dei dedicat ac conſecrat: regnatque in pace & iuſtitia, idoneos habẽs officiarios.

2. Reg. 9. Miphiboſeth.

Hinc Dauid inquirit, nũ quis ſupereſſet de domo Saul, cui benefaceret: inuento itaque Miphiboſeth filio Ionathæ claudo omnes agros Saulis reſtituit, ipſumque ad mẽſam ſuam ſemper comedere facit.

## Anno Mundi 2900.

2.Reg. 10. 1.Para. 19.

ANNO 10. Dauid pio animo mittit legatos ad Anon regem Ammon, vt conſolaretur eũ ſuper morte patris eius: quos Anon, barbis dimidia parte raſis, & veſtibus vſque ad nates præſciſſis, remittit: quam contumeliam Dauid vlciſcens, trans Iordanem iuxta Medaba Ammonitas inuadit, & in vrbem compellit: & Syros eis auxiliantes ſemel ac iterum debellat, ſibique ſeruire facit.

Dauid Syros ſubigit.

## Anno Mundi 2901.

2.Reg. 11.

ANNO 11. vere ineunte, Ioab miſſus à Dauide cum exercitu, terrã Ammõ vaſtat, Rabbath metropolim obſidet. Dauid autem manens Ieruſalem, videt è ſolario ſuo Bethſabee ſe lauantem, captus eius pulchritudine, eam accerſit, dormit cum ea, ſtatimq; impræ-gnat: vtque factum cælaretur, Vriam virum eius ab exercitu reuocat, cibat, & inebriat, vt cum vxore ſua dormiat: cumque pius nollet, remittens eum cum literis ad Ioab, in primo pugnæ loco poni, & ita cum alijs occidi curat: deinde accipit Bethſabee ſibi in vxorem, quæ peperit ei filium.

Dauidis adulterium & homicidiũ.

2.Reg. 12. Nathan Dauidẽ arguit

Tunc Nathan miſſus à Deo ad Dauidẽ, propoſitá parabola de ouicula pauperi ablata, ipſum ita adulterij, homicidijque arguit, vt proprio ore ſe condemnaret. Eidem autem peccatum confitenti, culpam quidem à Deo condonatam eſſe denunciat, veruntamen in peccati pœnam multa illi mala à ſuis euentura. gladiũ de domo eius nunquã receſſurũ, vxores eius à proximo ſuo coram Sole & omni Iſraäl conſtuprandas, filiũ ex adulterio natum, moriturum. Percuſſit ergò Dominus puerum ex Bethſabee natum, pro quo ægrotante Dauid, ad terram proſtratus Deum orat, flet, ieiunat: ſeptimo autem die puero mortuo, ſurgit, ſeſe lauat, vngit, mutat veſtes, in tabernaculo Deũ adorat, comedit; ipſamq; Bethſabee conſolatur: ac tertio dehinc anno gignit ex ea Salomonem, quem Dominus dilexit, traditurq; Nathan Prophetæ erudiendus.

Pſalm. 50. 2.Reg. 12. Salomon naſcitur.

2.Reg. 12. 1.Par. 20. Deſtructio Ammon.

Dauid verò profectus & ipſe contra Ammonitas, expugnat Rabbath, coronam Regis precioſiſſimam imponit capiti ſuo, ipſamque vrbem regiam & cunctas ciuitates Ammonitarum deſtruit, populũq; crudeliter trucidat.

2.Reg. 13.

Poſt hæc Ammõ primogenitus Dauidis amore Thamar ſororis ſuæ tabeſcens, ſimulata in lecto ęgritudine, ipſam virginem vi opprimit & conſtuprat: mox exoſam dolentemq; vi domo expellit: quæ cinere aſperſa caput, ſciſſa veſte, clamans, in domum Abſolõ fratris ſui concedit.

Violatio Thamar.

2.Reg. 13. Cædes Ammon.

Poſt biennium Abſolom in tonſione ouium ſuarum, omnes filios regis fratres ſuos vocat ad conuiuium, in quo Ammonem fratrem ſuum ebrium occidit, fugienſque ad Regem Geſſur, triennio ibi latet.

2.Reg. 14. Reconciliatio Abſolon.

Inde Ioab oratione mulieris Thecuitæ Dauidem placans, eius conſenſu reducit Abſolom de Geſſur in Ieruſalem: vb Abſolom biennio manens in domo ſua, faciem Regis videre nõ potuit: deinde cùm ſegetem Ioabi ſuccenderet, ipſius interceſſione ad Regis cõſpectum, plenamq; gratiam oſculo recipitur.

2.Reg. 15. Dauid fugit à facie Abſolom.

Poſt 4. annos Abſalõ ſua forma, blandis verbis, amplexibus & oſculis cõciliato ſibi populi fauore, perſuadens Dauidi, ſe ob votum ire in Hebron, ibi cũ Achitophel conſiliario Dauid, alijſque multis coniurat in patrem, regno ipſum expulſurus: quo audito Dauid, relictis decem concubinis ſuis ad cuſtodiendam domũ, feſtinanter fugiens è Ieruſalem cũ Ethai proſelyto, & 600. fidis viris ſeruis ſuis, ac multis è populo tranſit torrẽtem Cedron, vbi Sadoc & Abiathar alioſq; ſacerdotes ac Leuitas ipſum comitantes, cum arca remittens in vrbem, vt acta, ſecreta Abſolon ipſi in cãpeſtribus deſerti latituro renunciarẽt, ſimul & Chuſai amicum ſuum, vt conſilium Achitophel diſſiparet, Rex ipſe flens operto capite nudiſque pedibus aſcendit montem Oliuarum, vt ibi Deum adoraret. Interim Abſolom cum ſuis Ieroſolymam ingreditur.

Pſalm. 3.

2.Reg. 16. Siba.

Dauid autem tranſgreſſus montem, Sibæ ſeruo Miphiboſeth cibaria & vinũ ipſi adferenti, herum tamen ſuum falſo accuſanti, cõfert bona Miphiboſeth.

2.Reg. 16. Pſalm. 7. Semei.

Progreſſus vſque Bahurim, Semei cognatũ Saul ſe ſuoſque maledicentem & lapidãtem, occidi vetat: pergenſque in campeſtribus deſerti cum ſuis laſſus, requieſcit.

2.Reg. 16. Inceſtus Abſolom.

Interea Abſolom Ieroſolymæ conſilio Achitophel publicè congreditur & concumbit cum concubinis patris ſui, inſpectante id Sole & omni populo Iſraël.

2.Reg. 17. Suſpendiũ Achitophel.

Sub hæc Achitophel conſulit, vt cõfeſtim cum 12. millibus inſequatur Dauidẽ, laſſumq; ea nocte obruat & occidat: quod cõſiliũ Chuſai diſſipans, Dei nutu perſuadet Abſolom, vt congreget vniuerſum Iſraël, à Dan vſq; Berſabee ad perſequendum patrem: quare indignatus Achitophel, abiens domum, laqueo ſe ſuſpendit.

2.Reg. 17. Pſalm. 140. Abſalom patrem perſequitur.

Porrò Dauid audito per nuncios, à Chuſai & ſacerdotibus miſſos, conſilio Achitophel, ſimulq; vt fugiat hortatus, mox tranſit cum ſuis Iordanem, & venit in Mahanaim, id eſt, Caſtra: vbi Sobi Rex Ammõ, & Machir de Lodabar & Berzellai primates Galaad, cibaria & neceſſaria quæq; ei ac populo eius adferunt. Cæterùm Abſalom cum vniuerſo Iſraël patrẽ inſequens, tranſgreſſus Iordanem caſtra metatur in terra Galaad.

2.Reg. 18. Abſalon de quercu pendens perfoditur.

Tum Dauid amicorum conſilio manens in vrbe, ſtans in porta, Iaobo alijſque ſuis militibus egredientibus ad pugnam, obnixè præcipit, ne occidatur, Abſolõ. Inito autem prælio in ſaltu Ephraim cæduntur ex Iſrael 20. millia. Abſolom dum mulo inſidens fugit, capillis (quos egregios prolixoſq; habebat) hærens in quercu, & mulo impetu tranſeunte illi ab arbore pendens, à Ioab lancea transfigitur, ac proiectus ibi in foueam, aceruo lapidum obruitur: cuius nece audita Dauid, amarè eum deflet.



2.Reg. 19. Dauid reuertitur.

Deinde Ioab hortatu ſedens in porta, exercitum redeuntem excipit, & ab omni Iſrael in regnum reuocatus, reuertitur ad Iordanem iuxta Galgala, vbi à tribu Iuda & Iſraelitis honorificè ſuſcipitur. Semei ſibi occurrenti, veniam precanti, iurat ſe non occiſurũ. Miphiboſeth falsò à Siba accuſatum, iubet vt agros cum Siba diuidat. Berzellaum octogenarium ſe comitantem vult in Ieruſalem ducere, & honorare, at propter ſenectam recuſantem cũ oſculo dimittens, Chamaam eius filium ſecũ retinet. Inde traiecto Iordane, intrat Galgalã, vbi Iſrael cum Iuda contendens, vterque Dauidem ſibi vendicat in Regem.

2.Reg. 20. Seditio Seba in Dauid Pſalm. 96.

Tunc ibi Seba clangens buccina, Iſraelem omnem à Dauide ad ſe conuocat, ſola tribu Iuda Dauidi adhærente: à qua Dauid reductus in Ieruſalem, decem concubinas ſuas, ab Abſalom fœdatas, includit, eaſque in viduitate ſeruat & paſcit, vſque ad diem mortis ſuæ. Inde Ioab cum exercitu perſequens Sebam, in via obuium ſibi Amaſam ſalutans, oſculanſque dolosè interficit, eò quòd à Dauide ſecũ exercitui præfectus eſſet. Deinde pergens, Sebam in Abela vrbe obſidet, induſtria autem mulieris capite Sebę per murum proiecto, reuertitur Ieroſolymam.

2.Reg. 21. 7. Filij Saul ſuſpenduntur.

Poſt hęc fame tribus annis terram prementе, Dauid Deum conſulens, audit immiſſam, eò quòd Saul contra iuramentum olim ab Iſraelitis præſtitum, Gabaonitas occidiſſet, ac voluiſſet delere: quare Dauid accitis Gabaonitis, ad illorum petitionem 7. filios Saulis crucifigit in monte iuxta Gabaa: oſſaque Saulis & Ionathæ vnà cum crucifixis ſepelit: itaq; placato Deo, pluit ceſſatque fames.

2.Reg. 21. 1.Para. 20. 4. Fratres Gigantes.

Dauide autem præliante contra Philiſtæos, Abiſai occidit Ieſbibenob gigantem. Sobochai autem interfecit Saph fratrem eius. Adeodatus verò necauit Goliath fratrem alterius Goliath, quem occiderat Dauid. Ionathan interemit gigantem, ſenos in manibus pedibuſque habentem digitos, id eſt, ſimul 24.

2.Reg. 22. Pſalm. 17. Ioſeph. 7. antiq. 12. 2.Reg. 23. Marc. 12. Pſalmi Dauid.

Tandem Dauid liberatus ab omnibus inimicis ſuis, canticum gratiarum actionis Deo loquitur: & deinceps in altiſſima pace degens, à Spiritu ſancto illuſtratus, varios metro cõponit Pſalmos: in quibus per modum Diuinæ laudis plurima commemorat Dei mirabilia, multaq; prophetat de Chriſto, & eius Eccleſia, deque Iudæorum abiectione ac gentiũ electione.

2.Reg. 24. 1.Para. 21. Tres plagæ Dauidi oblatæ.

Poſt hæc Dauid ſpiritu ſuperbiæ incitatus, numerat vniuerſum populum ſuum: quo facto, conſcientia remordente, peccaſſe ſe corã Deo fatetur, veniamque precatur: tum Dei iuſſu à Gad Propheta ipſi ex tribus pœnis, nẽpe fame trienni, bello trimeſtri, & peſte triduana, optio datur: ex quibus peſtem eligit: qua in populum ſæuiente, à mane vſque ad ſacrificium veſpertinum, mortui ſunt 70. millia virorum: tunc Dauid videns Angelum Domini in aëre, extento gladio, vt cæderet Ieruſalem, mox cum ſenioribus indutus ſaccum, ſupplex ſe peccaſſe ac flagris dignum clamitat, populo itaque parcat: hortatuque Gad in area Areuna ædificato altari, offert holocauſtum Deo, atque orat: & ecce ignis è cælo abſumit hoſtiam, placatoque Deo, ceſſat plaga.

1.Para. 22. Præparatio materiæ tẽpli.

Tum Dauid intelligens, eo in loco templũ Deo ædificandum, præparat ad eius ædificationem auri talenta centum millia, argẽti mille millia talenta, æs verò & ferrum abſque pondere, ligna & lapides, ac cætera quæque neceſſaria, varioſque artifices: deinde præcipit Salomoni, vt illud ædificet, Deumque ſedulò colat: hortaturque principes, vt illi ſint auxilio.

3.Reg. 1. Abiſag Dauidem calefacit.

Cùm autem Dauid ſenio confectus operiretur veſtibus, & non calefieret, datur ei Abiſag puella pulcherrima, quæ in ſinu eius dormiens, ipſum calefacit, virgo manens.

Adonias regnum occupat.

Adonias verò ſenior filius Dauid, auxilio Ioab & Abiathar inuitans fratres ſuos iuxta lapidem Zoeleth, fontemq; Rogel ad conuiuium, immolatis victimis, inter epulas ſe regem ſalutari facit, regnumque occupat inſcio patre: quod Bethſabee de cõſilio Nathan Prophetę, Dauidi indicans, petit ab eo, prout ſibi iurauerat, Salomonem conſtitui regem: qui mox præcepto Dauidis, ſuper mulam regis impoſitus, & eductus in Giõ, ibi à Sadoc ſacerdote & Nathan vngitur in regem ſuper Iudam & Iſrael, reſonantibus tubis ac tibijs, populoque cum plauſu acclamante, viuat Rex Salomon. inde reductus in Ieruſalem, collocatur ſuper ſolium regis: quo audito Adonias, timens, fugit in tabernaculum, tenetque cornu altaris: vnde iuſſu Salomonis auulſus, remittitur in domum ſuam.

Salomon Rex vngitur. Pſalm. 71.

## Anno Mundi 2929.

1.Para. 23. 24. 25. 26. 27. Cultus Dei ampliatio.

ANNO 40. regni ſui, Dauid conuocans omnes ſacerdotes & leuitas 38. millia, eos in 24. ordines ſorte diuidit, vt per vices hebdomadatim à ſabbato in ſabbatũ die nocteq; manentes in templo, in ſuo quique officio, in ſacrificijs alijſq; miniſterijs, Deo inſeruirent. Ordinatque cantores, pſaltes, & citharædos, qui Diuinos pſalmos vocibus varijſque inſtrumentis muſicis canerent. Deſignat & ianitores, qui templi portas obſeruent; ac ſacriſtas, qui theſauros, & ſacra vaſa cuſtodiant. Quin & exercitum ſuum in 12. turmas, id eſt, cohortes diſtinguit, quarum quælibet 24. millia militum continebat, cuique ſuum ducem præficiens, vt ſuo quique menſe regi miniſtrent. Cuique etiam tribui principem attribuit, idoneoſque paſſim officiarios conſtituit.

1.Para. 28. 29.

Hinc Dauid vniuerſos primates Iſrael conuocatos alloquens, ait Salomonem diuinitus ad regnum atque ædificationem templi eſſe electum: ipſumque & populum exhortatur,

Forma templi à Deo data.

vt Deo corde perfecto ſeruiant: dat Salomoni deſcriptionem templi, ſicut de manu Domini ſcriptum acceperat, ipſumque ad id perficiendum animat: in cuius ædificiũ principes ſpontè offerunt auri talenta 5. millia, argenti talenta 10. millia, multumq; æris, ferri, & lapidum: quin & populus ingenti gaudio donaria offert: vnde Dauid lætus, benedicit Domino, & orat pro Salomone ac populo.

1. Par. 29. 2. Vnctio Salomonis.

Sequenti die ſacrificijs Deo oblatis, Salomon ſecundò vngitur in regem, & Sadoc in Pontificem, ſeditque Salomon in ſolio regni; cui principes dant fidem ad manum, lætique diem feſtum agunt, ac edunt & bibunt in lætitia.

3. Reg. 2. Mors Dauid.

Paulò pòſt Dauid moribundus, Salomoni iniungit, vt Dei legem cuſtodiat, Ioab ob cædem Abner & Amaſæ, & Semei ob maledicẽtiam puniat, Berzellai autem filios ad mẽſam regiam retineat: & ſic moritur annos natus 70. & ſepelitur in monte Sion.

Genebr. 3146.

## Anno Mundi 2930.

3. Reg. 2. Salomon regnat.

SALOMON autem initio regni Adoniã interceſſione Bethſabee petentem Abiſag in vxorem, occidit. Abiathar ſummo ſacerdotio priuat, & in eius locum Sadoc Pontificem conſtituit. Ioab verò fugientem in tabernaculum, ad altare interficit, & pro eo Banaiam principem exercitus ponit. Semei quoq;, quia contra præſcriptum egreſſus eſt Ieruſalem, occidit.

3. Reg. 3. 2. Par. 1.

Hinc Salomon filiam Pharaonis regis AEgypti accipit in vxorem. Inde cum primatibus Iſraël profectus in Gabaon, ibi in tabernaculo Moyſi ſuper altare ęneum mille hoſtias offert: vbi Deus nocte ipſa in ſomnis ei apparens, ait: Poſtula quoduis, & dabo tibi: tũ Rex petit ſibi dari ſapientiam, vt diſcretè iudicet populum ſuum: quàm vnà cum diuitijs & gloria abundè ſupra omnes reges accipit. Reuerſus in Ieruſalem, oblatis & ibi coram arca victimis, conuiuium ſuis exhibet.

Salomon ſapientiã impetrat. Sap. 9.

3. Reg. 3. Iudicium Salomonis

Tunc duæ meretrices, quarum altera infantem ſuum in ſomno oppreſſerat, de infante viuo coram Rege contendunt: quem cùm Rex gladio vtrique diuidere vellet, matrem ex affectu pietatis dijudicans, dat ei puerum ſuum: vnde omnis Iſraël Regis ſapientiam miratur.

3. Reg. 4. Salomonis gloria.

Salomon itaque cum ſuis principibus & præfectis regnum prudentiſſimè gubernat, ac longè lateque dominatur, ab Aegypto vſque Euphraten, perfruens ſecura perpetuaq; pace, ac magnifico apparatu ciborum & equorum: atque ſapientia ſuperans omnes ſuos coæuos & pręceſſores, locutus eſt tria millia parabolarum, & quinque millia carminum: quorum pars magna extat in tribus eius libris, quos ſapientiales vocant: in quibus ſapientiam præ omnibus alijs quærendam & amplectendam; ſtultitiam verò deteſtandam, vitandamque multis modis hortatur: ſingulis ferè ſententijs, quantum illa proſit, hæc verò obſit, explicans, aptoque id agit ordine. Nam in Prouer-

Sapientia.

Prouerbia.

bijs, incipientes erudiens, inculcat eis Dei timorem, amorem, obedientiam, ac pios mores; fugienda autem conſortia malorum, blanditias meretricum, & illecebras peccatorum: doctrinæ falſæ reſiſtendum, ſuæ verò, vt ſanæ, inſiſtẽdum. In Eccleſiaſte, vniuerſa, quæ ſub Sole ſunt, eſſe vana & tranſitoria curioſè expertus, proficientes docet fluxis his rebus hilariter, ceu in tranſitu, vtendum: ad vera autem, & æterna bona contemplanda, & adipiſcenda, fortiter enitendum inſtigat. In Cãtico canticorum dulce canẽs epithalamium, per modum dialogi, incomprehẽſibilem exprimit amorem Chriſti erga ſponſam ſuam Eccleſiam; ac viciſſim Eccleſiæ erga Chriſtũ ſponſum: perfectam quamque animam mira gratia incitans ad ſuauiſſimos Chriſti amplexus.

Eccleſiaſtes.

Cantica.

Cæterùm liber Sapientiæ à Philone Iudæo ſacerdote Alexandrino, ex ſententijs Salomonis cõpilatus ac concinnatus eſſe cenſetur: in quo theolatriam & ſapientiam ſummoperè commendans, idololatriã autem reprobans, Chriſti à Iudæis, & piorum quorumcunq; ab impijs paſſiones: atque rurſum illorum ſubſecuturas in cælo fœlicitates, horum verò ſeras in inferno lamentationes euidenter deſcribit.

Liber ſapientiæ.

Ediſſerebat etiam Salomon naturas arborum, plantarum, & herbarum. Item animalium, pecorum, auium, & piſcium. Nec non curſus ſtellarum, mutationes, & viciſſitudines temporum, vim ventorum, virtutes elementorum, & diſpoſitionem orbis terrarũ: quin & poteſtatem in dæmones ipſum exercuiſſe teſtatur Ioſephus. Veniebantq; de cunctis regibus, & populis ad audiendam ſapientiam eius.

3. Reg. 4. Sap. 7. Philoſophia Salomon.

Ioſeph. 8. ant. 4. 2.

Hinc Salomon mittens plus quàm 153. millia operariorum, ac impetrans multos artifices ab Hiram rege Tyri, plura ligna & lapides pro templi fabrica in Libano monte cædi, atque ratibus per mare in Ioppen, ac inde porrò terra Ieroſolymam aduehi facit.

3. Reg. 5. 2. Par. 2. Ampliatio materiæ templi.

## Anno Mundi 2933.

Genebr. 3150.

ANNO quarto regni ſui menſe Aprili, cœpit Salomon ædificare Ieroſolymæ in monte Moria, ac area Ornæ templum Domini excellentiſſimum, intrinſecus circunquaque laminis aureis veſtitum, varijs picturis ornatum, & ſtratum marmore precioſiſſimo, cum porticu, & ante eam 2. columnas æreas. Item altare holocauſti æneum, mare æneum, quod ſtabat ſuper 12. boues fuſiles, ac 10. conchas æneas. Item candelabrum aureum, & menſam propoſitionis, altare thymiamatis, ſiue incenſi aureum, duos Cherubin aureos, phialas centum aureas, atque innumerabilia vaſa aurea ad templi ornatum & vſum pertinentia: quæ omnia ſeptennio perficiens, conſummauit ea regni ſui anno vndecimo, menſe Octobri.

3. Reg. 6. 7. 2. Par. 3. 4. Aedificatio templi.

Anno duodecimo, die octaua Septembris conuocato vniuerſo Iſrael, cepit ingenti ſolennitate celebrare dedicationem templi per dies 7. Decima autem Septembris, in feſto expiationis, ſacerdotes tollentes de Sion arcam (continentem 2. tabulas Moyſi) & omnia vaſa quæ dicauerat Dauid, inferunt in templum, & ponunt in ſancto ſanctorum ſub alas Cherubim. Cumque rex & populus immolaret boũ 22. millia, & ouium 120. millia, ſacerdotes verò, ac leuitæ, voce varijſque inſtrumentis iubilarent Deo, ecce nubes & gloria Domini impleuit templum.

3. Reg. 8. 2. Par. 5.



Dedicatio templi.

Tunc Salomon coram multitudine ante altare flexis genibus, & expanſis in cælum manibus, benedicit Deo, quod promiſſionẽ Dauidi factam compleuerit: ipſumque orat, vt ſanctificet domum iſtam, ac tam Iudæorum, quàm gentilium pro quacunque re in ea, vel eo verſus orantium, vota exaudiat, petitaque largiatur.

3. Reg. 8. 2. Par. 6. Oratio Salomonis.

Oratione regis finita, cunctis inſpectantibus, ignis deſcendit è cælo, & deuorat ſacrificium, & Maieſtas ſeu gloria Domini replet templum: quo viſo omnes corruentes proni in terram, adorant, & laudant Dominum.

2. Par. 7.

Decima quinta Septembris cępit feſtum tabernaculorum, quod & ipſum celebrant diebus 7. Die autem octaua, quæ eſt 22. Septembris, faciunt collectam pro neceſſarijs templi, ſicut lex præceperat. Dieq; ſequenti dimiſſus populus, lætantes ſuã quiſq; domum repetit.

3. Reg. 8. 2. Par. 7. Scenopegia.

Leuit. 23.

Hinc Salomon ædificat ſibi palatium. Item aliud palatium filiæ Pharaonis vxori ſuæ. Sed & domum ſaltus, pro conſeruandis armis, & aromatibus, ac recreandis animis: quæ omnia pefecit 13. annis.

3. Reg. 7. Regia Salomonis

Sub hæc Dominus Salomoni ſecundò nocte apparens, ait: exaudiui orationem tuam, & elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificij, ibique orantium preces exaudiam, tu quoque, ſi ſeruaueris præcepta mea, firmabo te, ſemenque tuum ſuper regnum Iſrael in ſempiternum: ſin autem me derelicto colueritis deos alienos, proijciam templum hoc à facie mea, & euellam vos de terra hac, eritque Iſrael in exemplum & deriſum cunctis populis. Exinde ceſſauit licentia ſacrificandi Deo alibi, quàm in templo Ieruſalem, niſi Dei ſpeciali diſpenſatione.

3. Reg. 9. 2. Par. 7. Locus Sacrificij.

Expletis autem in annis 20 ædificijs, Salomon dat Hiram regi in remunerationem 20. oppida in Galilæa: & plures ædificat ciuitates, & reliquos gentium facit ſibi tributarios: mittenſque de Aſiongaber claſſem in Ophir, plurimum auri inde recipit.

3. Reg. 9. 2 Par. 8.

Regina autem Saba, audita fama Salomonis, venit à finibus terræ multo cum comitatu Ieroſolymam, vt audiret ſapientiam eius, & tentaret eum in ænigmatibus, itaq; audit, videt, admiratur ipſius ſapientiam, ſtructuram templi & aulæ, holocauſta, cibos menſæ eius, ordinem & veſtes miniſtrantium: multa dat ei munera, aurũ, aromata, gemmas; ſed multo plura ab eo accipit: reuertiturque in terram ſuam.

3. Reg. 10. 2. Par. 9. Regina Saba.

Salomon autem accipiens multum tributum, variaque dona regum & gentium, ac quotãnis ex Ophir & Tharſis, id eſt, per mare Tharſicum, ingentem vim auri & argenti, nec non gemmas precioſas, ebur, ſimias & pauos, facit 200. ſcuta aurea equitum, & 300. peltas aureas peditum: ſed & magnificum ſoliũ eburneum auro veſtitum, vbi ſedebat ad iudicandum, quod ſex gradibus aſcẽdebatur, in quorum extremitatibus impoſiti erant 12. leones: omniaque vaſa eius erant aurea: argentum enim ipſius tempore nihil reputabatur, cuius tanta erat abundantia in Ieruſalem, quanta & lapidum: magnificatuſque eſt Salomon ſuper omnes reges terræ, & deſiderabat vniuerſa terra videre vultum eius, & audire ſapientiã eius, precioſiſſima ei deferentes munera.

3. Reg. 10. 2. Par. 9.

Thronus Salomonis

Poſt hæc Salomon adamat accipitque mulieres alienigenas multas, erantque ei vxores, quaſi reginæ, ſeptingentæ & concubinæ trecentæ, per quas in ſenectute ſua ſeductus, adorat ipſarum idola, ijſque phanum ædificat in monte offenſionis: quapropter iratus Dominus, ait illi; ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo: tribum vnam dabo filio tuo, propter Dauid ſeruum meum, & Ieruſalem quam elegi: ſuſcitatque ei Dominus 3. aduerſarios, Adad Idumæum, Razon ſyrum, & Ieroboam Ephratęum ſeruum eius, cui egreſſo de Ieruſalem occurrens Ahias Silonites Propheta, ſcindit pallium ſuum nouum in 12. partes, quarum 10. dans Ieroboano, denunciat Salomonis regnum diuidendum, ipſumque regnaturum ſuper 10. tribus Iſrael: itaque ſi Dei mandatis obediat, fore vt in regno ſtabiliatur: moritur deinde Salomon, cùm regnaſſet annis 40.

3. Reg. 11. 4. Reg. 23.

Salomonis idololatria.

Mors Salomonis

## Anno Mundi 2970.

ROBOAM autem filius Salomonis abit in Sichem, vbi omnis Iſrael conuenerat, vt conſtituerent eum regem, quibus petentibus, vt graue iugum tributi ipſis à Salomone impoſitum, leuet paululum, ſic ſe ei ſeruituros, Roboam ſuper hoc audito, ſed ſpreto ſano conſilio ſenum, & iuuenum conſilium ſecutus, reſpondet, ſe grauius ipſos preſſurum: propter quod decem tribus Iſrael relinquunt eum, & conſtituunt Ieroboam ſibi in regem, regnauit annis 22.

Genebr. 3186. 3. Reg. 12. 2. Par. 10. Sciſſio regni.

Atque hinc iam ſcinduntur tribus duodecim, quarum vna pars, quã obtinuit Roboam appellatur Iudæ, vel Ieruſalem, vel duarum tribuum, vel Dauid: Altera Ephraim, vel Samariæ, vel communi nomine Iſrael appellabatur, quòd plures tribus, decem videlicet, cõtineret: quæ omnes ſequebantur Ieroboam.

3. Reg. 14.

Porrò Roboam fugit Ieroſolymam, vbi ſola tribu Iuda ipſi adhærente, ac tribu Beniamin, quoties opus erat, fideliter Iudam adiuuante, regnat annis 17. mox congregrans 180. millia bellatorum, dum reliquas tribus ad obediendum ſibi compellere parat, à Domino per Semeiam Prophetam præliari vetatur, eò quòd Dei voluntate ab eo diſceſſerint. Ieroboam verò rex Iſrael habitans in Sichem, veritus, ne ſi populus ſuus pro ſolenni more feſta celebrandi ac ſacrificandi gratia frequentaret

3. Reg. 12. 2. Para. 11.

Roboam pręliari vetatur.

3. Reg. 12.

tarct Ieroſolymam, reuertatur ad domum Dauid, facit duos vitulos aureos, quorum vnum in Bethel, alterum in Dan ponit, ac tanquam deos, ab Iſraelitis adorari præcipit, conſtituitque vtrobique phanum, altare, & ſacerdotes quoſlibet è populo, feſtumque dedicationis celebrandum die 15. Octob.

Cultus vitulorũ aureorum.

Quo die, cùm Ieroboam ipſe in Bethel ſtãs ante altare, thus adoleret vitulo, eò ex Ieroſolyma miſſus à Deo Addo Propheta de Iuda, exclamat ad altare: Ecce filius naſcetur domui Dauid, nomine Ioſias, & immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorũ, qui nũc in te thura ſuccendũt, & oſſa hominũ ſuper te comburet, in cuius ſignum mox altare ſcinditur, & regis, Prophetam apprehendere iubentis, extenſa manus areſcit: quæ ſtatim orante Propheta ſanitati reſtituitur. Reuertens autẽ Propheta, eò quòd à pſeudopropheta deceptus contra Dei interdictum ibi comediſſet, Dei nutu in via à leone occiditur, occiſum tamen leo cuſtodit, donec à pſeudopropheta ſepeliretur. Ieroboam verò ſuã augens impietatem, eijcit ſacerdotes & leuitas Domini, aras in collibus excelſis extruit, lucos facit, & pecunijs acceptis omnes, qui vellent è plebe conſtituit ſacerdotes excelſorum, & dæmoniorum vitulis & idolis reſponſa dantium.

3.Reg.13.

Natiuitas Ioſiæ prædicitur.

Peccatum Ieroboam.

Roboam autem ſacerdotes & leuitas à Ieroboam eiectos, cæteroſque Dei cultores ex cunctis tribubus Iſrael ad ipſum cõfugientes, ſuſcipit; ac piè, benè, beateque viuit annis tribus. Quarto autem multiplicat ſibi vxores, quas habuit 18. concubinas 60. filios 28. & filias 60. relinquit Dominum, ædificat & ipſe cum populo in excelſis aras, & ſtatuas, ac lucos, in quibus ſcortantur, faciuntq; abominationes gẽtium. Ob quæ anno quinto venit Seſac rex Aegypti cum exercitu numeroſiſſimo, & captis ciuitatibus Iuda, obſidet Ieruſalem, tunc Dominus per Semeiam Prophetã ait regi & principibus obſeſſis; vos reliquiſtis me, & ego reliqui vos in manus Seſac. reſpondent; Iuſtus eſt Dominus, tum Dominus Semeiæ: quia humiliati ſunt, non diſperdam eos penitus per Seſac, verũtamen ſeruient ei, vt ſciant diſtantiam ſeruitutis meæ, & ſeruitutis regni terrarum, ingreſſus ergò Seſac, diripit theſauros tẽpli, domuſque regiæ, & recedit. ſcuta quoque aurea, quæ fecerat Salomõ, ſecum tulit in Aegyptum, pro quibus Roboam fecit ænea.

2.Para.11.

3.Reg.14.
2.Para.12.
Idololatria Iuda.

Spoliatio Ieruſalem.

Poſt hæc Ieroboam, filio ſuo ægrotante mittit vxorem ſuam in Silo ad Ahiam Prophetam iam præ ſenio cæcutientem, vt eum conſulat quid euenturum ſit puero: cui Ahias prædicit propter peccata Ieroboam, filium eius moriturum, & domum Ieroboam penitus delendam, ac Iſraelem euellendum de terra iſta, atque diſpergendũ trans flumen Euphratem. reuertente itaque illa domũ in Therſa, puer moritur.

3.Reg.14.

Prophetia Ahiæ.

## Anno Mundi 2987.

Genebr. 3203. & ſic inſeq.
2.Reg.15.
2.Para.13.

ABIA filius Roboã, paternæ impietatis æmulus, regnat ſuper Iudã annos 3. hic cũ 40. milibus armatorum pugnaturus contra Ieroboam habentem 80. millia, dehortatur exercitum Ieroboam à bello contra ſe, eò quòd Deum haberet ducem, quem illi abiecerant, at dum hæc loqueretur, Ieroboam miſſis à tergo inſidijs, ignorantes circũquaq; cingit, tum Iuda clamante ad Dominum, & ſacerdotibus tubis clangẽtibus, perterret Dominus Iſraelitas; fugiuntque, quorum percutit Abia 50. millia, ac diuerſas capit ciuitates, paternæque impietatis æmulus, accipiens vxores 14. procreat 22. filios, & 16. filias.

Deus terret Iſraelitas.

## Anno Mundi 2990.

Genebrar. 3206.
3.Reg.15.
2.Paral.14. 15.

ASA Abiæ filius. 3. rex Iuda, regnat annis 41 fecit rectum, ſicut Dauid. vniuerſas idolorum ſtatuas, aras, phana & excelſa deſtruit ac cõfringit, lucos ſuccindit, ſcorta maſcula effæminatoſque aufert, amouet matrem ſuam à cultu Priapi, cui illa ſimulachrum lucumque conſecrauerat, eique princeps præerat, Priapi ſpecũ ac lucum ſubuertit, eiuſque ſimulachrum, turpiſſimum confringit, cõterit, & comburit in torrente Cedron: præcipit Iudę, vt ſeruirent Domino, ideoque in pace regnans, vrbes Iuda ædificat ac munit, habens exercitum paratum in tempus oportunum, de Iuda, 300. milla bellatorum: de Beniamin verò 280. millia.

Aſa idola aufert.

## Anno Mundi 2991.

3.Reg.15.
Deletio domús Ieroboæ.

ANNO eius 2. Nadab filius Ieroboæ impiè regnat ſuper Iſrael biennio. quẽ Baaſa occidit, omnemque domum Ieroboæ delet, regnatque impius poſt impium in Therſa ſuper Iſrael annis 24. ambulans in peccatis Ieroboam.

## Anno Mundi 3004.

2.Para.14.

ANNO 15. venit contra Iudam Zara Aethiops cum exercitu decies centum millium, curribuſque trecentis, cui Aſa progreſſus obuiam iuxta Mareſa, acie ad bellum inſtructa, inuocat Dominum. tum Domino Aethiopes cædente, atque Aſa cum ſuis fugientes perſequente, Aethiopes omnes contriti ſunt.

Aethiopes Diuinitus debellãtur.

Reuertentibus cum præda Ieroſolymam, egreſſus in occurſum Azarias Propheta, ait victoriam à Deo datam, eò quòd legitima eius ſeruaſſent. itaque mactè procedant. prophetatque Iſraelem futurũ multo tempore abſque Deo vero, & abſque ſacerdote, doctore, & abſque lege, in multa anguſtia, tandemque reuerſurum ad Dominum, cuius verbis cõfortatus Aſa, reliquias idolorum de omni Iuda & Beniamin aufert, conuocatoque vniuerſo populo Ieroſolymam menſe Maio, immolat Domino de præda boues ſeptingentos, & oues 7. millia, fædus populi cum Deo renouat, iurantque omnes voce magna, & in iubilo ſe Deo toto corde ſeruituros. vnde Deus præſtat eis requiem per circuitum.

2.Para.15.

Prophetia Azariæ.

Renouatio fæderis.

## Anno Mundi 3015.

3.Reg.15.
2.Para.16.

ANNO 26. aſcendit Baaſa rex Iſrael in Iudam, & ædificat Rama, vt inde Iudæos infeſtaret, ſed Aſa miſſis theſauris templi & regiæ,



giæ, vocat Benedad regem Syriæ in auxilium. quo ciuitates Iſraël vaſtante Baaſa, relicta Rama, reuertitur in Therſa. Tunc Anani propheta Aſam increpat, quòd relicta in Deum fiducia, cuius auxilium expertus erat in debellatione Aethiopum, quæſiſſet adiutoriũ gentium. dicens ob id bella deinceps aduerſus ipſum conſurrectura. iratus Aſa, prophetam cõ ijcit in neruum, & propterea pedes ipſe poſtea doluit.

Incarceratio Anani.

Tunc & Iehu propheta filius Anani, miſſus à Deo ad Baaſa regem Iſraël, nunciat ei propter ipſius idololatriã & ſcelera totam progeniem eius euertendam. ideoq; propheta à rege occiditur.

3.Reg.16.

Occiſio Iehu.

Eodem anno 26. mortuo Baaſa, regnat impius Hela filius eius quem poſt biennium in Therſa epulantẽ & ebrium occidit Zamri ſeruus eius, & regnãs diebus 7. interficit omnem domum cognationẽq; Baaſa: deinde ab Amri obſeſſus in Therſa, ſeipſum cum domo regia comburit. Cui ſuccedens Amri, regnat annos 12. ſex in Therſa, & 6. in Samaria, quam extruxit in ſedem regni Iſrael, præceſſoribus ſuis ſceleratior fuit. Anno 30. cœperunt contra Aſam bella conſurgere.

3.Reg.16.

Deletio domus Baaſa.

2.Par.15.

## Anno mundi 3028.

3.Reg.16.

ANNO 38. cœpit regnare Achab filius Amri, cum quo regnat biẽnio, deinde adhuc annis 22. omnium regum præceſſorum ſceleſtiſſimus. ducit vxorem Iezabel filiam regis Sidõnis & Tyri, à qua incitatus præter vitulos aureos etiam Baal Deo Tyriorum in Samaria templum & aram ædificat, lucum plantat, ſacerdotes ac falſos prophetas conſtituit, eumq; colit & adorat. altaria aũt Domini in excelſis deſtruit, prophetas ac ſacerdotes eius occidit. quo tempore Abdias diſpenſator domus Achab ab infantia timens Deum, centum prophetas Domini abſcondit in duabus ſpeluncis, & pauit eos pane & aqua. ideoque poſtea conſecutus à Deo donum prophetiæ, prophetauit de vaſtatione Edom, & ſaluatione Iuda futura in monte Sion.

Achab regum peſſimus.

3.Reg.18.

Prophetia Abdiæ.
Abd. 11

Tempore Achab, Ahiel reædificat Iericho, in cuius fundatione obijt primogenitus eius. & deinceps alij filij eius, vltimus autem in appenſione portarum, iuxta maledictionem Ioſue.

3.Reg.19.
AEdificatio Iericho

## Anno mundi 3029.

3.Reg.15.
2.Par.16.

ANNO 39. cœpit Aſa ſenex ægrotare dolore pedum vehementiſſimo, & nec in infirmitate ſua quæſiuit Dominum: ſed magis in medicorum arte confiſus eſt. biennio pòſt defunctum, combuſſerunt ambitione nimia. cui ſuccedit Ioſaphat filius eius.

Mors Aſa.

Elias autem Theſbites propheta zelo iuſtitiæ propter idololatriam, Achab orat Deum vt non plueret ſuper terram, ſuaq; oratione claudens cælum, dicit regi Achab, nec rorem, nec pluuiam annis his deſcenſuram, niſi iuxta verbum ſuum. quo dicto, iuſſu Dei ſecedens ad torrentem Carith, Diuina prouidentia ibi paſcitur à coruis, mane & veſpere ei panem & carnes adferentibus, bibitq; de torrente. quo ob inopiam pluuiæ exiccato, præcepto Dei abit in Sareptam Sidonis, vbi à vidua paupercula recipitur & paſcitur: cuius hydria farinæ non deficit, & lecythus olei non minuitur. eiuſdemque viduæ filium paulò pòſt mortuum, Elias oratione ſua reſuſcitat, qui Ionas poſtea propheta fuiſſe affirmatur.

3.Reg.17.
Luc.4.
Iacob.5.

Elias paſcitur à coruis

Anno ſiccitatis tertio & ſemis exacto, fame vehementi omnem terram premente, Elias Dei iuſſu occurrens primò Abdiæ diſpenſatori, deinde regi Achab herbam iumẽtis quærẽti, exprobrat ob ipſius idololatriã Iſraelem affligi, iubet congregari ad ſe in monte Carmeli vniuerſum Iſrael, & prophetas Baal 450. prophetaſque luci 400. commenſales Iezabel. vbi cùm acciti à rege conueniſſent, Elias arguit populum Iſrael, quod in vtramque partem claudicantes, Deo & Baal ſeruirent. ac proponit, vt ipſe & prophetæ Baal, vterq; bouem ſuo Deo ſacrificaret, igne nõ ſuppoſito, & cuius hoſtia igne cæleſti abſumeretur, illius Deus coleretur. placuit propoſitio. prophetæ Baal primi offerentes, à mane vſque ad meridiem Baal fruſtra inclamant, circum altare ſaltant, cultriſque ſe incidunt, ita vt perfunderentur ſanguine. à meridie Elias cæſum bouẽ altari à ſe, ex 12. lapidibus, ædificato, ligniſque imponit, ac ter aqua perfundit, inde orat Deum, vt oſtendat populo ſe verum eſſe Deum. tum ignis de cælo decidens, holocauſtum penitus conſumit. quo viſo populus procidens, confitetur Dominum eſſe Deum. moxque Elia iubente omnes 850. prophetas Baal apprehendunt, deductoſque ad torrentem Ciſon occidunt. deinde Elias iubet regem abire ad cibum ſumendum, ipſe verò conſcenſo Carmeli vertice, pronus orans, pluuiam à Deo impetrat, velocique curſu regem proſecutus cum eo ingreditur Iezrael.

3.Reg 18.
Luc.4.
Iacob.5.

Elias ſuum Deum ſigno cæleſti probat.

Hinc fugiens Iezabelem, volentem ipſum occidere ob occiſos prophetas Baal, abit in Berſabee Iuda, inde pergit in deſertum iter diei, vbi cùm laſſus famelicusq; ſedens oraret Deum vt moreretur, obdormit ſub iunipero. excitatus autem ab Angelo, eius hortatu panem & aquam diuinitus miſſa, comedit & bibit, & in fortitudine cibi illius ambulat 40. diebus & 40. noctibus vſque ad montem Dei Oreb. ibique in ſpelunca percontanti Deo conquerens Iſraëlem dereliquiſſe pactum Domini, altaria Dei eſſe deſtructa, & prophetas occiſos, ſe ſolum relictum quæri ad necem: audit à Deo, adhuc ſeptem milia virorum eſſe relicta in Iſrael, qui non curuauerunt genua coram Baal: iuberurque reuerti, & in vltionem ac punitionem idololatriæ vngere Azaëlem in regem Syriæ, & Iehu in regem Iſrael, & Eliſeum in prophetam pro ſe. Reuertens ergo, reperit Eliſæum in Abelmeula arantem, & imponit pallium ſuum ſuper eum: qui ſtatim valedictis parentibus, deinceps ſequitur Eliam, eique miniſtrat.

3.Reg.19.

Fuga Eliæ.

Ieiunium Eliæ.

Vocatio Eliſæi.

## Anno mundi 3031.

*Genebrar. 3247. 3.Reg.22. 2.Par.17. 20.* Ioſaphat.

IOSAPHAT autem 7. rex Iuda, regnat annis 25. fecit rectum vt Aſa, & Dauid, aufert excelſa conſecrata dæmonijs: ſed non etiam illa, in quibus populus thus adolebat, & ſacrificabat Deo, quæ auferri debuerant poſt dedicationem templi. aufert & lucos, & reliquias effœminatorum, ideoque in pace regnat, diuitijs potens & armis.

*2.Par.17.* Iuda docetur legem Dei.

Anno tertio mittit principes Leuitas, & ſacerdotes cum libro legis, vt in vniuerſis ciuitatibus Iuda docerent populum timere Deũ. vnde factum eſt vt omnia regna terrarum in gyro eum timerent & honorarent.

*3.Reg.20.*

Anno 16. Benadad rex Syriæ cum 32. regibus & innumerabili exercitu obſidet Samariam. deſperatis rebus propheta quidam Achab cõſolans, promittit Deum daturum victoriam per pediſſequos principum Iſrael quorũ mox 232. egreſſi, mirabiliter hoſtes cædunt fugantque. Parta victoria, Propheta præmonet regẽ Achab Syros ſequenti anno redituros.

Syri à pueris cæſi.

*3.Reg.20.* Syri rurſus cæſi.

Anno itaq; proximo Syri redeunt, Achab rurſus per Prophetam de victoria aſſecuratus occidit ex eis in campeſtribus Aphec centum milia, reſidui, ad 27. millia, fugientes in Aphec, & ipſi ruina muri conteruntur, Benadad ab Achab miſericordiam petens, viuus dimittitur. propter quòd Michæas propheta, Dei iuſſu à ſocio ſuo vulneratus, reuertenti Achab occurrens, ait: quia dimiſiſti virũ dignum morte, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. ideoq; Michæam ab Achab incarceratũ teſtatur Ioſephus.

*8.anti.14.*

*3.Reg.22.* *3.Reg.21.*

Eodem anno conſtituit Achab vnum à 72. filijs regnare ſecum Ochoziam regẽ impijſſimum. Poſt hæc Achab poſtulat vineam Naboth, quæ in Iezraël palatio ſuo erat cõtigua. quam cùm ille denegaret eò quòd patrũ ſuorum eſſet hæreditas, rege ob id contriſtato, iuſſu Iezabel, Naboth coram iudicibus Iezraël à 2. falſis teſtibus accuſatus blaſphemiæ, extra ciuitatem lapidatur. Ob quod ipſi Achab ad poſſidendam vineam properanti Dei iuſſu occurrens Elias, ait illi: in loco in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lingent etiam ſanguinem tuum, ibidemq; canes comedent Iezabelem: addens vniuerſam progeniem ipſorum excidendam. quo audito Achab ſciſſis veſtibus ſacco ſe operit, ieiunat, coram Deo ſe humiliat: vnde Deus indicat Eliæ differendum ſupplicium vſque poſt mortem eius.

Lapidatio Naboth. Prophetia Eliæ.

*4.Reg.3.*

Anno 18. cœpit regnare ſuper Iſrael & Ioram frater Ochoziæ.

*3.Reg.22. 2.Par.18.*

Anno 20. Ioſaphat inuiſens Samariæ regem Achab, requiritur vt cum ipſo aſcendat ad recipiendum à Syris Ramothgalaad. Ioſaphat verò cenſet conſulendum ſuper hoc verbum Domini. acciti ergo ab Achab 400. pſeudoprophetæ, vno ore reſpondent eundum in bellum, fore vt Ramoth capiatur. Michæas autem vnicus Dei propheta, quem odiebat Achab, eò quòd infauſta illi prophetaret, ad petitionem Ioſaphat adductus, vtque vera loquatur ab Achab adiuratus, ait: Achab in prælio occidendum, & populum diſpergendũ. aſſerens pſeudoprophetas ſpiritu mendaci decipere regem Achab. quam ob cauſam à Sedechia pſeudopropheta percutitur in maxillam, iuſſuq; Achab reducitur in carcerem, arido pane & aqua ſuſtentandus, donec rex reuertatur in pace. Aſcendunt itaque in Ramothgalaad, vbi Ioſaphat circundatus à Syris, clamans ad Dominum, liberatur. Achab ictu ſagittæ vulneratus, moritur, ac relatus in Samariam, ſepelitur: cumque currus eius cruore fœdatus ablueretur in piſcina iuxta Iezrael, lingunt canes ſanguinem eius. cui ſuccedens Ochozias filius eius, impiè regnat annis 2. patri ſuo Achab & Ieroboam in impietate ſimillimus, cultor & ipſe Baal ac vitulorum.

Prophetia Michææ. Mors Achab.

*2.Par.19.*

Ioſaphat autem reuertens Ieroſolymam, increpatur à Iehu propheta quòd impio Achab præſtiterit auxilium: ideoque ipſum Dei iram promeruiſſe, ſed ob bona ipſius opera liberatum. Rurſumque circumiens ditionem ſuam, reuocat populum ad cultum Dei: conſtituitq; oppidatim iudices, præcipiens eis vt diſcretè iuſteq; iudicent, tanquam rationem Deo reddituri.

Iuda reuocatur ad Deum.

*2.Par.20.*

Poſt hæc Moabitis, Ammonitis, ac Idumæis, congregatis in Engaddi contra Ioſaphat, ipſe perterritus prædicato ieiunio cum vniuerſo populo ſuo in templo ſupplex implorat auxilium Dei. tum Iaziel propheta ſpiritu Domini incitatus, in medio cœtus exclamat: O Iuda & Ieruſalem, nolite timere, cras egredimini contra eos, & Dominus erit vobiſcũ: cõfidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini. Ita factum eſt: nam Iudæis in valle benedictionis laudem Deo canentibus, hoſtes in ſemetipſos verſi, mutuis ſe vulneribus conficiunt. quorum ſpolijs Iudæi per triduum direptis, cũ gaudio & iubilo reuerſi Ieroſolymã, in templo Deo gratias agunt.

Moab, Ammõ & Seir, ſe mutuò occidunt.

*3.Reg 22. 2.Par.20.*

Anno 21. Ioſaphat & Ochozias faciunt naues in Aſiongaber, quæ nauigarent in Ophir pro auro. at Eliezer propheta nunciat regi Ioſaphat naues Diuinitus tempeſtate cõfractas eſſe, eò quòd cum impio Ochozia ſocietatem inijſſet. vnde noluit ei ſecundò aſſociari.

Fractio nauium.

*4.Reg.1.*

Anno 22. Ochozias lapſus Samariæ per cancellos cœnaculi ſui, ægrotans mittit nuncios ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron, vtrum viuere queat de infirmitate ſua. quibus iuſſu Angeli occurrens Elias piloſus, zonaque pellicea accinctus, per eos regem increpat, ideoque moriturũ prædicit. ad quem capiendum rex mittit viciſſim tres principes quinquagenarios, quorum duo cum ſuis militibus ad verbum Eliæ igne cæleſti conſumuntur, tertius autem ſua modeſtia ſeruatur. cum quo hortatu Angeli Elias deſcendens ad Ochoziam, ipſum ob miſſos nuncios moriturum nunciat. quo mortuo, regnat Ioram frater eius annis 12. impius.

Zelus Eliæ. Elias centum viros perdit.

*4.Reg.2.*

Elias autem cum Eliſæo indiuiduo ſuo comite it de Galgalis in Bethel, inde in Iericho, deinde Iordanis aquas ictu pallij ſui diuidens, per ſiccum tranſit. Eliſæus petit ſibi dari ſpiritum Eliæ duplicem. cumque ſimul pergerent colloquentes, ecce Eliſęo vidente Elias à Deo curru igneo & equis igneis rapitur in cælum aëreum, ac vehitur in paradiſum terreſtrem.



Raptus Eliæ.

Eliſæus verò accepto Eliæ pallio & duplici eius ſpiritu, reuertens, rurſum pallio eius Iordanis aquas diuidit ac tranſit. habitans in Iericho, ad petitionem ciuium, aquas Iericho mortiferas, immiſſo in eas ſale, ſalubres reddit. Inde aſcendens in Bethel, à pueris propter caluitiem irridetur: quorum 42. ab eo maledicti, ab vrſis lacerantur. hinc abit in montem Carmeli. inde reuertitur in Samariam.

Miracula Eliſæi.

*4.Reg.3.*

Porrò Ioram rex Iſraël, amouet ſtatuam Baal: ſed permanet in cultu vitulorum. aſſumpto Ioſaphat, & rege Edom, ſimul pergunt tres reges per deſertum Idumææ contra regem Moab ſolida tributa Iſraëli ſoluere recuſantem. cumq; in deſerto deeſſet exercitibus aqua, Ioſaphat requirit Prophetam Domini. in cuius gratiam Eliſæus pſalte canente prophetans, promittit eis aquam ſine pluuia: inſuper & de Moabitis victoriam. Itaq; manè Diuinitùs aquam per viam Edom ádfluẽtem accipiunt. quarum rubore deceptos, ſibiq; occurrentes Moabitas vincunt, terram eorum vaſtant, regemq; in vrbe obſident. qui deſperans filium ſuum primogenitum offert holocauſtum ſuper murum. quo viſo Iſraëlitæ, reuertuntur in terram ſuam.

Impetratio aquæ.

*4.Reg.4. Ioſeph.9. antiq.5.*

Poſt hæc Eliſæus viduæ pauperculæ, vxori Abdiæ Prophetæ iam defuncti, ære alieno grauatæ, oleum in vaſis multiplicat: quo diuendito illa ſatisfaciat creditori, & de reſiduo cũ filijs viuat.

Multiplicatio olei.

*4.Reg.4.* Sunamitis.

Cùm autem ſæpè iter haberet per Sunam ciuitatem, inibi à muliere diuite hoſpitio ſuſcipitur & alitur: cui ſterili pro miniſterio filium à Deo impetrat. quem poſtea mortuum, ab ipſa de monte Carmeli adductus, cùm Giezi præmiſſus cum baculo ſuo ſuſcitare non valeret, ipſe ſua oratione & incubitu ſuſcitat.

*4.Reg.4.*

Reuerſus in Galgala, tempore famis pulmentum filiorum prophetarum amarum, iniecta farina dulceſcere facit. quin & 20. panibus hordeaceis centum viros famelicos ita ſatiat, vtupereſſet.

Auctio panum.

*4.Reg.5. Luc.4.*

Naaman autem princeps militiæ regis Syriæ leproſus, monitu ancillæ ſuæ Iſraëlitidis, cum magnis muneribus venit Samariam ad Eliſæum, vt curaretur à lepra: à quo iubetur vt ſepties lauet ſe in Iordane. quod primò cõtemnit, at famulorum conſilio deſcendit, lauat, mundatur. reuerſus ad Eliſæum confitetur Deum Iſraël, eumque colere ſtatuit: Eliſæo munera effert: ſed Eliſæus ea accipere renuit. Digreſſum verò per miliare Naaman conſecutus Giezi Eliſæi famulus, conficto mẽdacio argentum & veſtes ab eo accipit: ob quod ab Eliſæo reprehenſus, lepra percutitur, quæ ipſi ac poſteritati eius perpetuò adhæret.

Naaman à lepra purgatur.

*4.Reg.6.*

Hinc Eliſæus ferrum ſecuris filij prophetarum in Iordane ſubmerſum, proiecto in aquam ligno, ſupernatare facit.

Ferrum natat.

*4.Reg.6.*

Deinde indicat ſæpè regi Iſraël ſecreta & inſidias regis Syriæ: quapropter ab exercitu Syrorum in Dorhaim, vt caperetur, circundatus, ipſe DEO fidens miniſtro ſuo timenti oculos aperit, cæleſtemque circum ſe exercitum videre facit. Deinde Syros omnes cæcitate percutit, ob cæcatos ducit in Samariam ad Regem Iſraël: vbi remota cæcitate cibo potuq; refectos remittit in Syriam.

Syri excæcantur.

*4.Reg 6 7.*

Poſt hæc Benadad rege Syriæ obſidente Samariam, tanta in vrbe fames fuit, vt venderetur caput aſini 80. argenteis, & quarta pars cabi ſtercoris columbarum 5. argenteis, vtq; matres filios ſuos coquerent & comederẽt. quãobrem rex Iſrael mandat Eliſæũ occidi: mox mandati pœnitens, agnoſcit coram Eliſæo iuſtè à Deo tantam afflictionem immiſſam. tunc Eliſæus prædicit regi, magnam in craſtino futuram Samariæ frumenti abundãtiam: quod dux quidam regius negans poſſe fieri, audit ab Eliſæo: videbis, ſed inde non comedes, Nocte Syri Diuinitus ſonitu armatorum curruũ, equorumq; aduentantium terrefacti feſtinãter relictis omnibus fugitant. quorum fugam mane 4. leproſi vrgente fame ad caſtra hoſtium progreſſi, annunciant Samaritis, qui turmatim egredientes, caſtra Syrorum diripiunt. atq; ita ingens victualium copia inuecta. dux autem ille Eliſęi verbo incredulus, in porta Samariæ à turba conculcatus obijt.

Fames in Samaria.

*4.Reg.7.* Syri à Deo fugantur.

*4.Reg.8.* Sunamitis.

Eliſæus autem prædicit mulieri Sunamitidi hoſpiti ſuæ famem ſeptem annis futuram, quæ ipſius conſilio peregrinatur in terra Philiſtijm ſeptẽnio. deinde reuerſa, interceſſione Giezi narrantis regi miracula per Eliſæum facta, ob filium ſuum ab eo ſuſcitatum, ſuã domum, & agros cum fructibus recipit.

*4.Reg.8.*

Poſt hæc Eliſæus it Damaſcum, vbi Azaëli percontanti an Benedad rex Syriæ ægrotans, reualeſceret: reſpondet, eum naturaliter adhuc viuere poſſe, attamẽ morte violenta moriturum, ipſumque Azaëlem pro eo regnaturum: cui prædicit quanta mala facturus eſſet Iſraelitis. Itaq; reuerſus Azael ad Regem, eum ſanandum eſſe nunciat: quem tamen poſtridiè ſtragulo ſuffocat, regnatq; pro eo.

Mors Benadad. Azael rex Syriæ.

## Anno mundi 3056.

*Genebrar. 3272.*

*4.Reg.8. 2.Par.21.* Impietas Ioram.

DEFVNCTO Ioſaphat, Ioram filius eius regnat ſuper Iudam annis 8. qui occidit omnes fratres ſuos & quoſdam principes, inductus ab Athalia vxore ſua filia Achab derelinquit Dominum, & ambulat in vijs Achab, fabricatur idóla & excelſa, eaque populum adorare compellit. vnde Edom ſiue Idumæa & Lobna recedunt à Iuda. allatæ ſunt ei literæ ab Elia Propheta ex paradiſo tranſmiſſæ, hæc continentes: propter idololatriam & fratricidium ipſius regnum ac domum diripiendum: ipſumque peſſima

Epiſtola Eliæ.

ægritudine periturum. Suſcitati ergo à Deo Philiſtæi & Arabes, terrã Iuda vaſtant, omnẽ ſubſtantiam regis diripiunt, vxores auferunt, filios eius occidunt, excepto Ioachaz minimo natu, ipſeque rex percuſſus à Domino alui fluxu incurabili biennio cruciatur, & inteſtinis paulatim effluẽtibus, interit, ac ſine exequijs ſepelitur.

Punitio Ioram.

## Anno mundi 3064.

4. Reg. 8. 2. Par. 22. Ochozias.

OCHOZIAS, qui & Ioachaz, filius Iorã, 9. rex Iuda regnat anno vno. Athaliæ matris ſuæ impulſu ambulat in vijs Achab: abit cum Ioram rege Iſrael ad expugnandam Ramothgalaad: vulneratum ibi Ioram à Syris, ac reuerſum vt curaretur, in Iezraël inuiſit.

4. Reg. 9. 2. Par. 22.

Intereà Iehu iuſſu Eliſæi ab ipſius diſcipulo in Ramothgalaad vnctus in regem Iſraël, iuſſusq́; delere domum Achab domini ſui, & vlciſci ſanguinem prophetarum & ſeruorum Dei de manu Iezabel, venit cum exercitu in Iezraël, ac regem vtrumq; in ſuburbio ſibi occurrentem interficit: Ioram quidem in loco, cuius cadauer proijci iubet in agro Naboth: Ochoziam verò in fuga, quem Ieroſolymis ſepeliri permittit, eò quòd eſſet nepos pij Ioſaphat. Ingrediens autem portam Iezrael Iazabelem ornantẽ caput ſuum è feneſtra præcipitari mandat: quæ lapſa humi ab equis cõculcatur, & à canibus oſſe tenus comeditur.

Deletio domus Achab.

4. Reg. 10. 2. Par. 22.

Hinc Iehu miſſis literis ad primates Samariæ, 70. filios Achab necari, eorumq́; capita ſibi in Iezrael tranſmitti facit. inde pergens in Samariam, obuios ſibi 42. principes Iuda, filios fratrum Ochoziæ, in via iugulat. Dein obuium habens Ionadab filium Rechab, (à quo Rechabitæ originem habent) eum, data dextra, ſibi in ſocium aſſumit. ac cum eo ingreſſus Samariam, totam deinceps domum, progeniem, ac ſtirpem Achab delet & extirpat radicitus. Deinde omnes ſacerdotes, prophetas, & cultores Baal callidè ſimulato ſacrificio ex vniuerſo Iſraël conuocat in templum Baal, ac inibi ad vnum omnes trucidat, ſtatuas Baal comburit comminuitq́; templũ eius deſtruit, & ex eo facit latrinas publicas. Ob quæ à Domino Deo laudatus, promiſſionem accipit, ſuos filios regnaturos ſup Iſrael vſque ad quartam generationem. ipſe autem regnat in Samaria annis 28. attamen quia à peccatis Ieroboam non receſſit, ſed vitulos aureos adorare populum permiſit: ideo Iſrael vehementer ab Azael rege Syriæ affligitur.

4. Reg. 10.

Abolitio cultus Baal.

## Anno mundi 3065.

Genebrar. 3281. 4. Reg. 11. 2. Par. 22. Semen Dauid necatur. 2. Par. 24.

ATHALIA verò mater Ochoziæ, vidẽs occubuiſſe filium ſuum, occidit omne ſemen regium Dauidis, regnumq́; Iuda ſibi vſurpans, impiè regnat annis 6. ſpoliat templum Domini vaſis ijsq́; ornat phanum Baal. induſtria tamen Ioſabet ſororis Ochoziæ, vxoris Ioadæ Pontificis, furtim ſubtractus internecioni infans Ioas filius Ochoziæ anniculus, clam nutritur in templo Domini ſex annis.

## Anno mundi 3071.

Genebrar. 3287. 4. Reg. 11. 2. Par. 23. Ioas fit rex Iuda.

ANNO autem ſeptimo, Ioada pontifex aſſenſu auxilioque principum ac Leuitarum coronat, vngit ſalutatq́; in templo Ioas (qui & Simeon) puerum 7. annorum, in regẽ Iuda. Athaliam ſuperuenientem occidit, pãgit fœdus inter Deum, & regem, & populum: templum Baal dirui altaria & ſimulacra illius confringi, ſacerdotem eius interfici curat: cultum verò Dei reſtituit.

4. Reg. 12. 2. Par. 24.

Porrò Ioas regnat annis 40. facit rectum quàm diu viuit Ioada pontifex, qui eum docebat, cuius conſilio accipit 2. vxores, è quibus gignit filios & filias. Poſt quæ iubet ſacerdotes colligere pecuniam ab omni populo ad inſtauranda ſarta tecta templi: quòd cùm illi negligẽtius agerent, rex ipſe cũ pontifice, collocato in tẽplo gazophylacio, mandat ſingulos deferre precium à Moyſe conſtitutum: atq; ex ea pecunia templum inſtaurari curat.

Inſtauratio templi.

## Anno mundi 3093.

4. Reg. 13.

ANNO Ioas 23. mortuo Iehu, regnat Ioachaz filius eius ſuper Iſraël annis 17. ambulat in peccatis Ieroboam, quapropter Iſrael traditus à Domino in manu Azaël regis Syriæ, & Benedad filij eius, diu ac grauiſſimè opprimitur: Ioachaz autem deprecante Dominum, liberatur. pace tamen potitus, permanet in cultu vitulorum. Ioachaz verò mortuo ſuccedit in regno & peccatis Ioas filius eius annis 16.

Afflictio Iſrael.

2. Par. 24.

Anno 38. Ioiada defuncto, qui vixerat annos 130. Ioas à principibus ſuis ſe adorari admittit, derelictoq́; Domino, ſeruit ſculptilibus & lucis, miſſos à Deo prophetas hoc increpantes contemnit: Zachariam filium Ioiadæ idipſum corripientem, per populum lapidari facit inter templum & altare.

Matt. 23. Lapidatio Zachariæ.

4. Reg. 12. 2. Par. 24.

Quapropter anno proximo, Azaël rex Syriæ cum permodico exercitu veniens contra Ioas, capta Geth, aſcendit Ieroſolymam, infinitam multitudinem Iudæorum debellat, cunctos principes interficit, regem Ioas ignominioſè tractat, & acceptis ab eo templi ac palatij theſauris, ipſo Ioas in languoribus magnis relicto, redit in Damaſcum. Poſtremò Ioas in vltionem ſanguinis Zachariæ à ſuis ſeruis in lecto ſuo occiditur.

Debellatio Iudęorum.

Mors Ioas.

4. Reg. 13.

Eliſæus autem ægrotans Ioas regi Iſraël ſe inuiſenti ac flenti, tribus ſagittis arcu iactis, prædicit quòd tribus vicibus percuteret Syriam. paulo poſt moritur calendis (vt aiunt) Iulij, & ſepelitur in Carmelo. in cuius ſepulchrum ſequenti anno proiectus quidã mortuus, ad contactum oſſium Eliſæi reuiuiſcit. Eliſæum autem translatum aiunt Samariam, nunc Rauennæ quieſcere apud regulares.

Eliſæus mortuus mortuum ſuſcitat.

Ioas verò Benedad filium Azaëlis regem Syriæ tribus prælijs deuincit, vrbeſque Iſraëli ademptas recipit.





## Anno mundi 3111.

Genebrar. 3327. 4. Reg. 14. 2. Par. 25.

AMASIAS, qui & Leui, filius Ioas, 12. rex Iuda, regnat annis 29. facit rectum, ſed non corde perfecto vt Dauid. excelſa non aufert, occidit ſeruos occiſores patris ſui. monitu prophetę cuiuſdam remiſſis Iſraëlitis, quos conduxerat, cum ſolis Iudæis, Deo fidens, inuadit in valle ſalinarum Idumæos, quorum 10. milia interficit, ac alia 10. millia è petra prę cipitat. ſed victor reuerſus, deos Idumæorum ſecum allatos colit, adorat, ac eis adolet incẽſum. prophetæ à Domino miſſo id reprehendenti mortem minatur, ideoq́; ab ipſo audit ſe occidendum.

Amaſias colit idôla Edom.

4. Reg. 14. 2. Par. 25.

Anno autem 14. regni ſui, ſecundum Ioſephum, ob victoriam de Idumæis ſuperbia elatus prouocat Ioas regem Iſraël ad prælium, initoque certamine iuxta Bethſames Iudæ, Dei voluntate propter Deos Edom, Iuda cęditur, Amaſias capitur & ducitur in Ieruſalem, murus Ieruſalem deſtruitur à porta Ephraim vſque ad portam anguli 400. cubitis, templũ ac regia ſpoliantur, filij nobilium obſides abducuntur in Samariam. Tandem facta coniuratione Ieroſolymis contra Amaſiam, fugit in Lachis, ibique à ſuis occiditur.

Ieruſalem ſpoliatur.

## Anno mundi 3136.

4. Reg. 14.

IEROBOAM filius Ioas, poſt patrem ſuũ regnat ſuper Iſraël annis 41. facit malum, non recedens à peccatis Ieroboam. hic verbis Ionæ prophetæ excitatus, iuuante Deo, deuictis Syris liberat Iſraëlem ab afflictione grauiſſima, terminoſque amiſſos recuperat.

Iſraël liberatur.

Iona 1. 2. 3. 4.

Porro Ionas miſſus à Domino ad prædicãdum in Niniue metropoli Aſſyriæ, conſcenſa in Ioppe naui, fugit à facie Domini in Tharſis: propter quod orta tempeſtate, dormiens in naui, à nauclero excitatur, iactisque ſortibus ſortis ac tempeſtatis cauſa deprehẽſus, ſuopte conſilio proijcitur in mare, ceſſatque tempeſtas. ipſe autem à ceto abſorptus, fuit in ventre eius 3. diebus & 3. noctibus. ac inibi orat Dominum, exauditur, tertia die viuus euomitur in aridam. i. terram. rurſumque iuſſus à Domino, pergit in Niniuem, prædicat vrbem poſt 40. dies ſubuertendam. cui credentes Niniuitæ, cõuerſi ad Deum ſtrictè ieiunant, in ſacco & cinere pœnitentiam agunt. vnde miſertus Deus, parcit ciuitati. Ionas verò egreſſus ciuitate, videns verbum ſuum aduerſus Niniuem non impleri, ne falſa prædicaſſe videretur, cõtriſtatur, orat mori. at Dominus per hederã ſubitò productam & arefactam, probat iniuſtam eius indignationem: ſeque rectè parcere Niniuæ, in qua ſint plus quàm 120. milia innocentum.

Iona prædicante, Niniuitæ agunt pœnitentiam.

## Anno mundi 3140.

Genebrar. 3356 4. Reg. 15. 2. Par. 26. Ozias rex Iuda.

OZIAS, qui & Azarias & Mathat, filius Amaſiæ, 13. rex Iuda, regnat annis 52. facit rectum vt Amaſias pater eius, ſed excelſa non aufert: quæſiuit Deum in diebus Zacharię prophetæ poſthumi.

Vnde auxiliante Deo Philiſtijm, Arabes, & Ammonitas ſibi ſubijcit. erat exercitus eius trecentorum & ſeptem millium & quingentorum, quos reliquit ſub manu principum, ipſe verò erat agriculturæ deditus.

Oziæ ſtudium.

## Anno mundi 3166.

Amos 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Prophetia Amos.

ANNO Oziæ 27. biennio ante terræ motum, Amos paſtor Thecue videt prophetatque vltionem Domini in Damaſcũ, Philiſtijm, Tyrum, Edom, Ammon, Moab, & Iudã, & maximè contra decem tribus Iſrael, cui ob idololatriam, aliaq́; ſcelera prædicit imminere vaſtationem, & captiuitatem. Item tenebras ipſo meridie in paſſione Chriſti futuras, famemque audiendi verbum Dei, ac tabernaculum Dauid reſtaurandũ. Miſſusq́; à Domino ad populum Iſraël, ibi palam in templo Bethel prædicat Iſraëlem captiuum migraturum de terra ſua, obſiſtente Amaſia ſacerdote Bethel, à quo coram rege Ieroboam accuſatur rebellionis, iubeturque vt eat prophetatum in terram Iuda. at cùm nihilominus obnunciaret Amaſiæ cladem & Iſraeli tranſmigrationem, ibi eum vecte per tempora trãs fixum, ac dolore vulneris expiraſſe tradunt.

4. Reg. 15. 2. Par. 26. Sacrificiũ Oziæ.

Anno 30. Ozias rex corde elatus ingreditur ſanctuarium templi, ibique ſuper altare thymiamatis adolet incẽſum Domino, quod ſolis ſacerdotibus fas erat: quamobrem ab Azaria pontifice ac 80. ſacerdotib⁹ prohibetur. quibus cum minaretur: ſtatim facto terrę motu maximo, rex à Domino lepra percutitur, & à ſacerdotibus templo eijcitur. manenſque leproſus, habitat in domo ſeparata vſque ad diem mortis ſuæ, filio eius Ioatham interim regnum gubernante.

Ozias turificans, fit leproſus. Zach. 14.

## Anno mundi 3170.

Oſeæ 1. 2. & 13. 14.

HOC tempore Oſee propheta iuſſus à Domino accipit ſibi vxorem fornicariam. i. gentilem, & generans ex ea duos filios & vnã filiam, nominat primum, Iezrael: ſecundam, abſq; miſericordia: tertium, non populus meus: factis ac verbis prophetans ſanguinem Iezrael breui puniendum ſuper domũ Iehu, & Iſraelem ob fornicationem cum idolis, variaque peccata grauiſſimè ſine miſericordia affligendum, deuaſtandum, ac cum vitulo, quẽ colebat, transferendum in Aſſyriam. Chriſtũ, deuicta morte & inferno, die tertio reſurrecturum. Synagogam Iudæorum, tanquam adulteram, à Deo repudiandam: Eccleſiam verò ex gentibus Chriſto ſponſandam in ſempiternum. Porrò Iudæos diebus multis ſine rege & ſine ſacrificio expectaturos Meſſiam. nouiſſimè conuertendos ad Chriſtum.

Prophetia Oſee.

## Anno mundi 3177.

4. Reg. 15. Stirps Iehu deficit.

ANNO Oziæ 38. Zacharias filius Ieroboã impiè regnat ſuper Iſrael menſibus ſex, cumque quartum & vltimum de poſteritate Iehu, occidit Sellum, regnatque menſe vno. quem occidit Manahem, & auxilio Phul

regis Aſſyriæ vi regnum occupans, exigit à diuitibus mille talenta argenti, eaque dat Phul adiutori ſuo. regnat decennio, ambulans in peccatis Ieroboam.

## Anno mundi 3180.

*Iſaiæ 1. 2. 3. 4. 5.* Iſaias incipit prophetare.

HISCE diebus Eſaias regio natus ſtemmate, cœpit prophetare in Hieruſalem. tam diſertè & apertè Iudæorum vicinarumq; gentium ſcelera, & imminens ipſis excidium verbo ac ſcripto denũcians: tamq; clarè ac expreſsè de Chriſti natiuitate, prædicatione, miraculis, paſſione, reſurrectione, & aſcẽſione: deq; reprobatione Iudæorum & vocatione gentium, & Eccleſiæ myſterijs, de ſaluatione reliquiarum Iſrael, & die iudicij differens, vt non futura prædicere, ſed coram viſa narrare videatur, ideoque non tam Propheta dicẽdus ſit, quàm Euangeliſta.

## Anno mundi 3189.

*4. Reg. 15.* Phacee. *Hieron. in Oſee 1.*

ANNO Oziæ 50. Phaccia filius Manahem regnat in Iſrael biennio, patri impietate perſimilis, quem interficit Phacee, & regnat pro eo annis 20. non recedens à peccatis Ieroboam. Oſee, Eſaias, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, & Micheas συγχρόνοι, id eſt, contemporanei fuerunt.

## Anno mundi 3191.

*Iſai. 6.* Iſaias videt Gloriam Chriſti. *Ioan. 12.*

IN anno quo mortuus eſt rex Ozias, vidit Eſaias Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & Seraphim clamantes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. à quo per Seraphim carbone ignito purgatus, mittitur ad prædicandũ futuram tẽpore Chriſti Iudæorum incredulitatem & deſolationem: & eius, quæ derelicta erat, multiplicationem.

*Genebrar. 3408.*

## Anno mundi 3192.

*4. Reg. 15. 2. Par. 27.* Ionatham rex Iuda.

IOATHAM, qui & Iorim, filius Oziæ, 14. rex Iuda, regnat poſt mortem patris annis 16. facit rectum vt pater, excepto eo quòd excelſa non aufert. ædificat portam templi ſublimiſſimam, Ammonitas tributa pẽdere cogit.

## Anno mundi 3200.

*Micheæ 1. 2. 3. 6. 7.* Prophetia Micheæ.

TEMPORE Ioatham & deinceps, Micheas Moraſtites prophetat Samariam propter idola deſtruendam, & Ieruſalem funditus ſubuertendam, Iudæos abducendos in Babylonem: inde redimendos, ac reliquias Iacob exaltandas. Chriſtum enim naſciturum in Bethleem Iudæ, ſuorum peccata abliturum, aſcenſurum in cælum, & in monte Sion regnaturum ſuper eos in æternum.

*Genebrar. 3424.*

## Anno mundi 3208.

*4. Reg. 16. 2. Par. 28.*

ACHAZ, qui & Heliezer, filius Ioatham, 15. rex Iuda, regnat annis 16. ambulat in via regum Iſraël, ſtatuas Baal paſſim erigit, idolis ſacrificat, inſuper & filium ſuum in valle Benhennon holocauſtum in igne comburit idolo Moloch. quapropter Raſin rex Syriæ, & Phacee rex Iſrael, à Deo excitati, obſident Ieruſalem, cumque non poſſent expugnare, Raſin Haila vrbe capita, magnam prædam Iudæ abducit Damaſcum: Phacee occidit vno die filium Achaz & 120. milia virorũ eius, & 200. milia mulierum & puerorum captiua minat in Samariã, verùm hortatu Obed Prophetæ remittit omnes domum.

Achaz idololatra peſſimus.

*Iſaiæ 7.* Chriſtus promittitur ex virgine.

Paulò pòſt dicti reges ſtatuunt redire contra Hieruſalem. at Eſaias Dei iuſſu occurrens regi Achaz, timentemq; conſulens, prædicit hoc non futurum, ſignumq; offert: quòd cùm Achaz recuſaret, dat ſignum liberationis humanæ, virginem concepturam & parituram filium, cuius nomen Emmanuel. addens regnum Iſraël breui finiendum, terramque Iuda deſolatam iri.

*4. Reg. 16. 2. Par. 28. 4. Reg. 15. 1. Par. 5.* Translatio partis Iſrael.

Cæterum Achaz incredulus, miſſis theſauris templi ac palatij, auxilium petit à Teglat phalaſar rege Aſſyriæ: qui veniens, expugnat Damaſcum, Raſin occidit, habitatores traducit Cyrenen. deinde capit tribum Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manaſſe trans Iordanem, nec non tribum Neptalim, magnamque partem Galilææ, & trãsfert eos in Aſſyriã. ſed & Iudam vaſtans, Achaz ipſum tributo ſubdit.

*4 Reg. 16. 2 Par. 28.* Achaz ſacrificat dijs Syriæ.

Porrò Achaz progreſſus Damaſcum, cùm videret altare Damaſci, mittit exemplar eius Hieroſolymam ad Vriam ſacerdotem, præcipiens vt extrueret ei conſimile. quo facto, cũ rediſſet Achaz, ſuper altare nouum ſacrificat dijs Syriæ, inque eo deinceps ſacrificare mandat. tollens autem altare Domini æreum, facit ex eo horologium. claudit quoq; oſtia tẽpli Dei & facit ſibi altaria in omnibus angulis Hieruſalem, & in ſingulis vrbibus Iuda, ad cremandum thus dijs alienis. qua in impietate tandem obijt.

## Anno mundi 3211.

*4. Reg. 15. 17.* Iſrael fit tributarius.

ANNO Achaz 4. Oſee occidit dominum ſuum Phacee. volenſq; regnare pro eo, impeditur fermè decennio. deinde regnum obtinet annis 9. facit malum, ideoq; à Salmanaſar rege Aſſyriorũ deuictus ac tributo ſubactus eſt.

Roma.

Anno 5. Achaz Roma conditur. *Genebrardus tradit eam ſub Ozia conditam.*

Sibylla.

Sybilla Erythræa floret: cuius de Chriſto verſus allegat Auguſtinus.

*Iſai. 8. 9. 34. 35.* Prophetia Iſaiæ.

His temporibus Eſaias prophetat Iſraëlem deſtructum iri ab Aſſyrijs, Iudæam à Babylonijs, Babylonem à Medis & Perſis. Item futuram vaſtationem Philiſtijm, Moab, Damaſci, Aegypti, Aethiopiæ, Idumææ, Arabiæ, & Tyri. multa intermiſcens de Chriſti natiuitate, prædicatione, ſignis, cruce, ſepultura, & imperio, de fide gentium, conuerſione reliquiarum Iſrael, reſurrectione mortuorum, extremo iudicio, & beatitudine cæli.

ANNO



*Genebrar. 3440.*

## Anno mundi 3224.

*4. Reg. 18. 2. Par. 29.* Purgatio templi.

EZECHIAS, qui & Ieſus, filius Achaz, 16. rex Iuda, regnat annis 29. facit bonum vt Dauid. initio regni ſui, die 1. Martij aperit templum Domini, idque mox facit per ſacerdotes & Leuitas mundari, omnes idolorum ſordes aſportari in torrentem Cedron, abolitum Dei cultum reſtitui, Deumq; ſacrificijs placari, & canticis ac organis laudari.

*2. Par. 30.* Celebratio paſchæ.

Deinde miſſis in omnem Iudam & Iſraëlem nuncijs & epiſtolis, populum vniuerſum conuocat Ieroſolymam ad celebrandũ Paſcha menſe ſecundo, quia primò nondum erant parati. cumque multi conueniſſent, primùm deſtruunt altaria idolorum, quæ erant in Ieruſalem, deinde immolant & edunt paſcha die 14. Aprilis, ſolennitatemq; azymorum magnificè celebrant bis ſeptem diebus cum ingenti lætitia.

*4. Reg. 18. 2. Par. 31.* Deſtructio idololatriæ.

Peracto feſto, populus regreſſus domũ, iuſſu Ezechiæ cuncta ſimulachra, excelſa, & altaria in vniuerſo Iuda, Beniamin, Ephraim, & Manaſſe demoliuntur, lucoſq; ſuccidunt Ezechias autem ſerpentem æneum, quem erexerat Moyſes confringit, quia populus ſacrificabat ei. ſacerdotes & leuitas componit in ordinem miniſterij vtq; liberius ſacris vacent, primitias & decimas eis dari iubet: populo autẽ largiſſimè ea offerente, conſtituit procuratores, qui factis horreis oblata ſeruarent ac diſtribuerent.

## Anno mundi 3227.

*4. Reg. 17. & 18.* Translatio Iſrael in Aſſyriam.

ANNO Ezechiæ 4. Salmanaſer rex Aſſyriorum, comperto quòd Oſee rex Iſrael, miſſis ad regem Aegypti legatis, niteretur rebellare, aſcendens obſidet Samariam, quam poſt triennium capit, regem & Iſraelem vniuerſum captiuum transfert in Aſſyriam vltra montes Caſpios: quos nunquam in ſolum patrium reuerſos tradunt.

*Ioſeph. 11. antiq. 5. Tobiæ 1.* Tobias.

Inter alios Tobias cum Anna vxore & Tobia filio eius vnico ex tribu & ciuitate Neptalim abducitur in Niniuen. qui cùm ab infantia idola fugiens, Deum ſedulò coluerat, etiã in captiuitate à lege Dei non recedit. ideoque nactus gratiam Salmanaſar regis, accipit poteſtatem vt quocunque vellet, iret. vnde circumiens, fratres concaptiuos conſolatur, egentibus ſuccurrit, Gabelo mutuatio. talenta argenti.

*4. Reg. 17.* Samaritæ Deo & idôlis ſeruiũt.

Aſſyrij autem miſſi vt pro Iſraëlitis habitarent in Samaria, eò quòd cultum Dei ignorãtes idola ſecum allata colerent, Dei nutu à leonibus occiduntur. vnde mittitur eis à rege Aſſyriorum ſacerdos Iſraëliticus, qui ipſos inſtituat. à quo edocti, deinceps Deum colunt. ſed nihilominus & idolis ſuis ſeruiunt. pentateuchum Moyſi tantum recipiunt.

*Ioel. 1. 2. 3.* Prophetia Ioëlis.

Circa hæc tempora Ioel propheta prædicat Iudæis inſtare, per noxias beſtias & hoſtes, terræ deuaſtationem, ideoque hortatur omnes, & potiſſimum ſacerdotes, ad planctum, ieiunium, & orationem. & conuerſis magnam pollicetur proſperitatem, dãdum Doctorem iuſtitiæ, Spiritum ſanctum effuſum iri ſuper credentes, inuocantes Dominum ſaluos fore, denunciatq; magna prodigia diem Domini terribilem præceſſura, omneſque gentes in valle Ioſaphat iudicandos: adijciens cæleſtis Sion patriæ felicitatem.

## Anno mundi 3237.

*4. Reg. 18. 2. Par. 32. Iſaiæ 26.* Obſidio Ieruſalem.

ANNO 14. regni Ezechiæ, cùm Ezechias tributum, quod pater ipſius pendebat, Aſſyrijs recuſaret, Sennacherib rex Aſſyriorũ captis ciuitatibus Iuda munitis, oppugnat Lachis & Lobnam, at miſſus ab eo Rabſaces, obſidet Ieruſalem. Ezechias fretus Deo, viriliter hortatur populum fidere in Domino. cõtra Rabſaces multa iactãs probra in Ezechiã, & blaſphemias in Deum, varijs modis ac minis conatur Ieroſolymitas auertere à fiducia in Deum, & deditionem facere. idipſum agit & Sennacherib, mittens ad Ezechiam literas plenas blaſphemijs.

*4. Reg. 19. 2 Par. 32. Iſaiæ 37.* Oratio Ezechiæ.

Ob quas Ezechias ſciſſis veſtibus indutus ſacco, intrat templum, expãdit literas coram Domino, orat vt opẽ ac ſalutem adferat. mittit etiam ſacerdotes opertos ſaccis ad Eſaiam prophetam, vt & ipſe oret Dominum. qui regem conſolans, diuinum promittit auxilium: Deum enim iſtam vrbem protecturum ac ſaluaturum propter ſeipſum & Dauid ſeruum ſuum, blaſphemoſq; vindicaturum.

*Ioſeph. 6. bell. 11 & 10. antiq. 2. 4. Reg. 19. 2. Par. 32. Iſaiæ 37. Auguſt. ad Fre. ſer. 25.* Cædes Aſſyriorum.

Prima iam nocte obſidionis Ieruſalem, Angelus Domini percutit de exercitu Sennacherib 185. millia: corpora redigit in cineres (ait Auguſtinus) ne aërem fætore corrumperent: armis ac veſtibus illæſis, vt populus Hieruſalem ſpolia colligeret. Sennacherib cum paucis fugit in Niniuẽ, vbi iratus multos occidit ex filijs Iſrael. quorũ corpora cũ ſepeliret Tobias, iubet & eũ occidi, ni nudus effugiſſet. 45. die rex ipſe, adorans in templo Dei ſui, à filijs ſuis occiditur.

*Tob. 1. Lir. in 4. Reg. 19. 4. Reg. 20. 2. Par. 32. Iſaiæ 38.* Retroceſſio Solis.

Eodem anno 14. Ezechias ægrotans audit ab Eſaia ſe moriturum. vnde cum flens oraret Deum, rurſum audit ab Eſaia ſe intra triduũ à Deo ſanandum, & vitam ſuã ad 15. annos prolongandam. poſtulanti ſignũ, precibus Eſaiæ Sol retrocedit in horologio Achaz decem gradibus. itaq; cùm rex iuſſu Eſaiæ maſſam ficuum vlceri ſuo impoſuiſſet, curatur, ac die tertio ingreſſus templum, canticum gratiarũ actionis Deo canit.

*4. Reg. 20. 2. Par. 32. Iſaiæ 39.*

Merodach autem rex Babylonis Solem retroceſſiſſe obſtupeſcens, mittit legatos, literas & munera ad Ezechiam, vt quærerent cur tale portentũ accidiſſet. vnde elatus Ezechias, oſtentat eis omnes theſauros domus ſuæ. ob quòd ab Eſaia taxatus, audit eoſdem theſauros, filioſq; ſuos olim auferendos in Babylonem. ipſe verò fæliciter viuens, in pace obijt.

*Nau. 1. 2. 3.* Prophetia Naum.

Circiter hoc tempus Naum Elceſæus prophetat Niniuẽ, ad priſtina ſcelera reuerſam, Dei vltione igne & gladio perdendã & euertendam: totumq; regnum Aſſyriorum deſtruendum: Iſraëlem autem liberandum ac pacẽ ſuper montes Iuda euangelizandam.

*Tob. 2. 3.*

Porrò Tobias anno ætatis ſuæ 56. mortuorum

Tobias ſenior fit cœcus.

rum ſepultura fatigatus domi obdormiens, hirundinis ſtercore ex nido ſuper oculos ipſius delapſo, excœcatur. inſuper & ab Anna vxore ſua textrice ac cognatis, quòd fruſtra eleemoſynas & ſepulturas faceret, exprobratur. vnde ingemiſcens ad Deum cum lachrymis orat, vt moreretur. quo tempore & Sara filia Raguelis in Rages ciuitate Medorum paſſa improperium ab ancilla patris ſui ob 7. ipſius maritos à dæmonio in primo congreſſu occiſos, Deum cũ triduano ieiunio & fletu orat, vt ab improperio iſto liberaretur. ſimulq; exaudiuntur. Angelusque Raphael mittitur vt curaret eos.

Sara orat.

*Tob.4.5.*

Tobias autem cùm putaret ſe iam breui moriturum, Tobiæ filio ſuo pijſſima ſalutis monita inculcat, ac ſe 10. talenta argenti Gabelo in Rages Medorũ ſub chrirographo mutuaſſe indicat, iubetque vt eat ad repetendum ea. qui egreſſus vt ducem itineris quęreret, inuenit Raphaelem Angelum ignotum in ſpecie iuuenili, quo comite it in Rages Medorũ.

Angelus comes Tobiæ.

*Tob.6.*

Vbi ad Tigrim fluuium veniſſent, Tobias ablaturus pedes, inuadentē ſe piſcem hortatu Raphaelis apprehendit & exenterat, eius carnes pro viatico, cor, fel, & iecur ad medicamenta ſibi reſeruans. mox perſuadetur ab Angelo, vt Saram vnicā Raguelis filiam in matrimonium petat, edoceturq; quomodo ſuſcipiendum ſit coniugium.

Tobias piſcem capit.

*Tob 7.*

Tobias ducit vxorem.

Ingreſſi ad Raguelem, benignè ſuſcipiuntur, Tobias Saram filiam eius in vxorem petit: quæ conſilio Raphaelis ipſi à patre traditur, & ſcriptis coniugij literis, nuptiæ celebrantur.

*Tob.8.9.*

A cœna Tobias ingreſſus thalamum, doctrinam Angeli ſeruans, cor & iecur piſcis aſſat. itaque dæmone per Raphaelem fugato, ipſe Tobias & Sara orantes, ac tres noctes cõgreſſu abſtinentes, incolumes permanent. quapropter Saræ parentes actis Deo gratijs, ac repleto, quod paratũ erat, ſepulchro, pro dote medietatem bonorum aſſignant, cedente & reliqua medietate poſt parentum obitum, lætique cum amicis & vicinis epulantur. Interea Raphael rogatu Tobiæ, pergit in Rages ad Gabelum, pecuniam recipit, chirographum reddit, ipſumque ad Tobiæ nuptias adducit.

Nuptiæ Tobię.

*Tob.10.11.*

Peractis nuptijs Tobias ægrè à Raguele dimiſſus, vnà cum Angelo, vxore, & dote, ad parentes ſuos, ob ipſius moram anxios, reuertitur, oſculo & gaudio excipitur, monitu Angeli patris oculos felle piſcis linit, atque ita ille ſexagenarius viſum recipit. qua de re actis Deo gratijs, ingenti gaudio per 7. dies epulantur.

Tobias viſum recipit.

*Tob.12.13.14.*

Poſt quos Tobias vterq; Raphaeli pro mercede beneficijsque ſibi præſtitis offerunt medietatem omnium quæ attulerant. tum illi ſe Dei Angelũ declarat, & poſt reuelata alia myſteria, diſparens, reuertitur in cælum. vnde Tobias ſenior cantico benedicit Deum, prophetat de ſubuerſione, reædificatione, & futura fœlicitate Ieruſalem. qui poſt hæc annis 42. lætè viuẽs, cùm ſuam ipſe ſcripſiſſet hiſtoriam completis 120. ætatis ſuæ annis moriturus, filium ac nepotes ad pietatem hortatur, vtq; ſepultis parentibus è Niniue migrent, quã ob iniquitatem prædicit euertendam, & Ieruſalem reſtaurãdam: obijt & defunctus eſt ſub Manaſſe. Itaque Tobias iunior poſt obitum matris ad ſoceros reuerſus, ibi anno 99. vitæ ſuæ moritur ſub Ioſia, quando Cyaxares rex Medorum vaſtauit Niniuen, teſte Hieron. ſuper Ionam.

Raphael ſe manifeſtat.

*Iſaia 40. 41. & cat. 65.66.*

Prophetias Iſaiæ.

Per hæc tempora Eſaias inter alia multa prophetat Cyrum Iudæos relaxaturum à captiuitatę Babylonica: Chriſtum autem ſuos redempturum à ſeruitute diabolica, aſcenſu rum, daturum abundantiam donorum ſpiritualium, retributurum pijs fælicitatem incõprehenſibilem: impijs verò ignem inextinguibilem.

## Anno mundi 3253.

*Genebrar. 3467.*
*4.Reg.21.*
*2.Par.33.*

MANASSES, qui & Her, filius Ezechiæ, 17. rex Iuda, regnat annis 55. adorat & colit Solem, Lunam & ſtellas, vniuerſæque militiæ cæli ædificat altaria & idòla in templo Domini, aras Baal extruit, inſtaurat excelſa, facit lucos, filium ſuum in valle Benhennon ſacrificij loco igni exurit dæmonio Moloch. multiplicat magos, maleficos, incantatores, pythones, ariolos, augures, & aruſpices. ſeducit populum ſuum, vt plura mala facerent, quàm gentes. miſſos à Deo prophetas id increpantes, Deumque puniturum annunciantes, occidit. Eſaiam ſerra medium findit & ſecat in duas partes, iuxta fontem Siloë, quem ſocerum eius fuiſſe Iudæi affirmant. Inſuper & ſanguinem innocentium fundit multum nimis, donec impleret Ieruſalem vſque ad os.

Manaſſes idòla erigit.

*Hierony.*
*2.Par.33.*

Iſaias ſerra ſecatur.

*2.Par.33.*

Ob quæ mittit Dominus principes regis Aſſyriorum, qui Manaſſen capiunt, vinctumque catenis ac compedibus ducunt in Babylonem: vbi in carcere ad Deum conuerſus, agit pœnitentiam valdè, orat Dominum, exauditur, ac poſt decem annos à Domino reductus Ieroſolymam, regnoq; reſtitutus, idôla & aras aufert, altare ac cultum Dei reſtaurat, immolat victimas, ſeruit Domino, præcipitque Iudæ, vt & ipſe ſeruiret Domino Deo, attamen populus adhuc immolabat in excelſis Deo.

*2.Par.36.*

Manaſſes idòla deſtruit.

## Anno mundi 3308.

*Genebra. 3524.*
*4.Reg.21.*
*2.Par.33.*

AMON, qui & Helmadan, filius Manaſſe, 18. rex Iuda, regnat poſt mortẽ patris annis 2. colit idòla, ſecutus patrem peccantem, ſed non pœnitentem, & multò maiora delinquit. vnde à ſeruis ſuis in domo ſua interficitur.

Amon idolatra.

*Philo in Breuiario temporũ.*

## Anno mundi 3320.

*Genebrar. 3526.*
*4.Reg 22. & 23.*
*2.Par.34.*

IOSIAS, qui & Coſan, filius Amon 8. annorũ à populo conſtitutus 19. rex Iuda, regnat annis 31. Anno 8. regni ſui cùm adhuc eſſet puer, cæpit quærere Deum patris ſui Dauid. Anno 12. mundat templum, Ieruſalem, & Iudam ab idolis, altaria & ſimulacra Baal deſtruit, excelſa lucosque excindit, ſacerdotes Baal



tes Baal delet, Soli & Lunæ ſacrificantes occidit, equos & currus Solis comburit, domos effœminatorum diſſipat, Tophet cultumque idôli Moloch, quod erat in valle filij Ennom, euertit, phanum quoque quod Salomon ædificauerat in monte Offenſionis diruit, ſed & phanum & altare quod Ieroboam fecerat in Bethel comminuit, lucum ſuccendit, oſſa ſacerdotum ibi ſepultorum exhumat & comburit ſuper altare: ſepulchrum tamen Prophetæ, qui hæc futura ante 357. annos prædixerat, intactum ſeruat. inſuper & omnia phana, aras, ſtatuas, & lucos, in vrbibus Samariæ, Manaſſe, Ephraim, & Simeon, vſque Neptalim per vniuerſam terram Iſraël ſubuertit, omnesque ſacerdotes idolorum occidit: oſſa ſepultorum comburit, reuertiturque in Ieruſalem.

Ioſias idôla conterit.

## Anno mundi 3332.

*Iere.1.2.3. & c.18.19.*

Ieremias incipit prophetare.

ANNO 13. Ioſiæ, Ieremias Anathotites, qui ſacerdotali ortus ſemine, & in vtero matris ſanctificatus, etiam virgo permanſit, etiamnum puer mittitur à Domino ad prophetandum. Cumque cauſaretur pueritiam, manu Domini tactus ad os, accipit donum prophetiæ ac robur inuincibile. itaque palam deinceps prædicat Ieroſolymis, ob apoſtaſiam Iudæorum à Deo, & fornicationem cum idôlis, ſcelerumque frequentiam templum & vrbem Ieruſalem, omneſque ciuitates Iuda, à Babylonijs capiendas, deſtruendas, & deſolandas, populum gladio, fame, & peſte periturum, reſiduos captiuandos & abducendos, terramque deuaſtandam, ac redigendam in ſolitudinem: varia interim immiſcens de CHRISTO myſteria.

## Anno mundi 3337.

*4.Reg.22.*
*2.Par.34.*

Liber legis reperitur.

ANNO 18. regni ſui, facit Ioſias inſtaurari templum Domini: tum Helcias pontifex reperit in templo librum Deuteronomij, quem mittit regi, quo lecto conterritus rex ſcindit veſtimenta, flet coram Domino, mittit ad Oldam prophetiſſam, vt Dominum ſuper verbis libri reperti conſulat. quæ reſpondet: inducenda ſuper Iudam omnia mala in eo libro ſcripta ob tranſgreſſam à præceſſoribus Dei legem, Ioſiam tamen prius in pace moriturum.

*4.Reg.23.*
*2.Par.34.35.*
*3 Eſdr.1.*

Tunc Ioſias conuocato populo vniuerſo Ieroſolymam, ſtans in templo legit coram omnibus totum Deuteronomium, fœdusque cum Domino renouans omnes iuramento adſtringit vt lecta ſeruarent. ac dennò demolitis vbique idolorum reliquijs, pythonibus etiam ac ariolis deletis, eodem anno 18. die 14. Martij iuxta legem maxima cum ſolennitate celebrant Paſcha, feſtumque azimorum diebus 7. quale numquam fuit in Iſraël.

Celebratio phaſe.

*Sepho.1.2.3.*

Tempore Ioſiæ, etiam Sophonias prophetat Ieruſalem ac Iudææ, Philiſtijm quoque, Moab, Ammon, AEtiopiæ & Aſſyriæ diuinam imminere vindictam: ac Mundum denique vniuerſum in die illa tremenda ſeuerè à Deo iudicandum. attamen verè Iſraëlitas CHRISTI aduentu & reſurrectione ſaluandos, atque in pace fœliciter beateque victuros.

Prophetia Sophoniæ.

*4.Reg.23.*
*2.Par.35.*
*3.Eſdr.1.*

Anno Ioſiæ 31. aſcendit Nechao rex AEgypti contra regem aſſyriorum. Ioſias autem volens impedire tranſitum eius per Iudæam, pergit ad reſiſtendum. cui Nechao ait: Non aduerſum te hodie venio, ſed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus feſtinatò ire præcepit: deſine aduerſus Deum facere, qui mecum eſt, ne interficiat te. Noluit Ioſias acquieſcere Dei verba loquenti: ſed pugna congreſſus in campo Mageddo, à ſagittarijs vulneratur, ac relatus in Ieruſalem moritur, lugetque eum vniuerſus populus, Ieremias maximè, cuius lamentationes ſuper Ioſiam in exequijs cantatæ, longo deinceps tempore replicatæ ſunt.

Ioſias ſagitta necatur.

## Anno mundi 3351.

*Genebrar. 3557.*
*4.Reg.23.*
*2.Par.36.*
*3.Eſdr.1.*

IOACHAZ, qui & Sellum, filius Ioſiæ, 20. rex Iuda inique crudeliterq; regnat 3. menſibus. Interim Nechao potitus victoria, venit in Ieruſalem, Ioachaz vinctum mittit in AEgyptum, & tributo Iudæis impoſito, fratrem eius Eliachim, qui & Iechonias, regem conſtituit, vertitque nomen eius Ioakim, regnat annis 11. occidit Vriam prophetam, eò quòd prædicaret Ieruſalem deſtruendam: & proiecit cadauer eius in ſepulchris vulgi ignobilis. hunc & Ioachaz prædictum leones vocat Ezechiel, quia populum violenter oppreſſerunt.

Ioakim fit rex Iuda.

*Ierem.26.*
*Ezec.19.*

*Ierem.22.*

Tunc Dei iuſſu Ieremias intrans domum regis Iuda, ait de primogenito Ioſiæ: Nolite flere mortuũ. Mox de Ioachaz ſubdit: Plãgite eũ qui egreditur. quia hæc dicit Dominus ad eum, nõ reuertetur huc amplius, ſed in loco, ad quem tranſtuli eum, ibi morietur. Deinde ait de Ioakim: Hæc dicit Dominus ad Ioakim, nõ plangent eũ, ſed ſepultura aſini ſepelietur, proiectus extra portas Ieruſalem. Ac demũ ad filium eius Ioachim ſiue Iechoniam adiecit: Viuo ego dicit Dominus, quia ſi eſſet Iechonias annulus in manu mea dextera, inde euellam te, & dabo te in manu regis Babylonis, & mittam te & matrem tuam in Babylonem, ibique meriemini.

Prophetia contra domum regis.

*Iere.26.*

Sub hæc Ieremias prædicans in templo omni populo, niſi reſipiſcant, templum vrbemque deſtructum iri, apprehenditur à ſacerdotibus & pſeudoprophetis, ac coram principibus accuſatur vt occidatur. quibus reſpondet ſe à Deo miſſum vt iſta nunciaret, vnde per principes & ſeniores abſoluitur.

Ieremias occidẽdus.

## Anno mundi 3354.

*4.Reg.24.*
*2.Par.36.*
*3.Eſdr.1.*
*Daniel.1.*

ANNO tertio regni Ioakim, aſcendit Nabuchodonoſor rex Babylonis, obſidet Ieruſalem, capit Ioakim regem cũ multis nobilibus, inter quos erat & puer Daniel adhuc puer, & Ananias, Miſael, & Azarias.

Tranſlatio Danielis & ſociorum eius.

regem vinctum catenis, cum alijs, partemque vaſorum templi quàm celerrimè potuit abducit in Babylonem, vbi vaſa ponit in templo Dei ſui, Danielem autem & tres ſocios eius, eò quòd ſemine regio prognati, cæteros forma & ingenio pręcellerent, ibi cibis regijs nutriri, ac lingua & literis Chaldæorum erudiri facit, vt poſt triennium ſtarēt coram rege. qui conſenſu præpoſiti eunuchorum abſtinentes à dapibus regijs, & ſolis leguminibus & aqua victitantes, vultus corpulentiā ac ſapientiam ſuper cæteros coæuos ſuos, qui cibo regio veſcebantur, à Deo obtinent, & Daniel præterea intelligentiam ſomniorum, triennioq; expleto ſtant coram rege, decuplum omnes Magos Chaldæorum ſuperantes.

## Anno mundi 3355.

Ierem. 46.

INTEREA Nechao collecta multitudine AEgyptiorum, AEthiopum, Lybium & Lydorum, venit vindicaturus ſe de Chaldæis, quòd vectigales ſuos Iudæos abegiſſent in Babylonem. anno igitur quarto regni Ioakim Babylonica captiuitate detenti, commiſſum eſt prælium iuxta flumen Euphrâten in Carchamis: vbi rex vterque cecidit, AEgyptij cæſi, Chaldæi verò ſuperiores effecti, tollunt ab AEgyptijs, quicquid illi abſtulerant Aſſyrijs ab Euphrâte AEgyptum vſque. tunc reſtitutus Ioakim regno ſuo, fit tributarius regi Babylonis, ſeruitque ei ſub tributo 3. annis. & hic primus annus eſt regni Nabuchodonoſor magni regis Babylonis: regnauit ex hoc annis 45.

Ioakim tributari⁹ Babylonijs. 4. Reg. 24.

Hoc eodem anno 4. Ioakim, clamat Ieremias ad Iudæos, ſe iam per annos 23. prophetaſſe: at quia nec ſe, nec reliquos Prophetas hortantes ad pœnitentiam audire voluerūt, pronunciat ipſos à rege Babylonis capiēdos, eique ſeruituros 70. annis.

Ierem. 25. 46. 47. 48. 49. 50. 51. Captiuitas 70. annorū pronunciatur.

Prophetatq; omnes in circuitu gentes Aegyptios, Philiſtæos, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, & cæt. bibituras de calice Babylonis vinum furoris Domini: & poſt 70. annos ipſam etiam Babylonem bibituram, & à Medis penitus ſubuertendam, ac in perpetuam ſolitudinem redigendam. & tum demum Iſraëlem reuerſurum in terram ſuam, atque ibi bene beateq; victurum.

Babylon calix & virga furoris Domini.

Ierem. 36.

Eodem anno 4. rex Ioakim claudit Ieremiam in carcere. vbi anno 5. Ioakim, menſe Nouembri, Dei iuſſu Baruch ſcriba & notarius Ieremiæ ſcribit in libro ex ore Ieremiæ omnes prophetias eius contra Iudam & gentes. Inde miſſus à Ieremia cum libro ad populum in templo congregatum atque ieiunia celebrātem, inibi legit eum coram omni populo, vt reſipiſcant. Deinde accerſitus ad principes, legit eundem coram omnibus principibus in domo regis. qui obſtupeſcentes, dicunt ad Baruch: vade, abſcondere tu & Ieremias. ſoluunt ergo prophetam, & ingreſſi ad regem, nunciant ei verba libri, quem rex ſtatim legi, & paucis in eo lectis, cultro ſcindi, & in igne comburi facit, Ieremiam, & Baruch quærit ad mortem: ſed abſcondit eos Dominus. cuius iuſſu mox Baruch ex ore Ieremiæ eaſdem prophetias in alio libro ſcribit: & inſuper additum eſt, quòd ob prioris libri combuſtionem, cadauer Ioakim proijcietur ad æſtum per diem, & gelu per noctem.

Liber Ieremiæ ſcribitur. Legitur. Exuritur. Reſcribitur.

Tum Ieremias arguit Baruch puſillanimitatis, quòd quæreretur ſe dolorem habere, non requiem: cui tamen in cæterorum vaſtatione pollicetur animæ ſalutem.

Ierem 45. Baruch.

## Anno mundi 3356.

EODEM anno 5. videt Nabuchodonoſor anno 2. regni ſui in ſomnio ſtatuam grandem capite aureo, pectore argenteo, ventre æreo, tibijs ac pedibus ferreis: quam lapis de monte ſine manibus abſciſſus, contriuit, factusque mons, impleuit vniuerſam terram. quod ſomnium cùm ſapientes Babylonis regi, cui id exciderat, nec indicare, nec interpretari poſſent, ideoque iuberentur omnes interfici: Daniel Deo ipſi reuelāte, & ſomnium regi indicat, & illud interpretatur de 4. regnis, Babylonico, Perſico, Macedonico, & Romano: quibus ſuccedet Chriſti regnum æternū, omnibus vbique & ſemper dominaturum. quo audito Nabuchodonoſor, Dominum Deum confitetur, Danielem adorat, & hoſtias ac incenſum illi præcipit offerri, muneribus donat, ipſumque ac 3. ſocios eius vniuerſæ Babyloniæ præficit.

Daniel 2. Somnium Nabuchodonoſor. Viſio ſtatuæ myſticæ. Somnij ſignificatio. Daniel exaltatur.

Anno 7. Ioakim AEgyptiorum fiſus auxilio rebellans contra Nabuchodonoſor, negat ei tributum, nolens vltra ſeruire Chaldæis: vnde miſſi à Deo exercitus Chaldæorum, Syriæ, Moab, Ammon, diſperdūt Iudam propter peccata Manaſſis.

4. Reg. 24. Rebellatio Ioakim.

Tunc Ieremias Dei mādato accedit Rechabitas, qui ex præcepto patris ſui religiosè viuebāt, non bibentes vinum, nec habentes agros aut vineas, in tabernaculis pro domibus habitantes; iamq; neceſſitate belli in vrbe habitantes. & propinat eis vinum: quod cùm bibere nollent, exemplo obedientiæ ipſorum arguit pertinacem Iudæorum inobedientiam Dei præceptum negligentiū. quapropter his ſupplicium, illis autem præmium prænunciat.

Ierem. 35. Rechabitarū religio.

## Anno mundi 3362.

ANNO 11. regni Ioakim, Nabuchodonoſor veniens Ieroſolymā, occiſum Ioakim proijcit extra Ieruſalem à beſtijs auibuſque lacerandum: regem conſtituit filium eius Ioachin, qui & Iechonias, regnat menſes 3. & dies 10. malitia patri ſimilis, nomine diſſimilis.

4. Reg. 24. 2. Par. 36. 3. Eſdr. 1. Mors Ioakim.

## Anno mundi 3363.

POST tres aūt menſes, verno tempore Nabuchodonoſor reuerſus obſidet Ieruſalē: ad quem exiens de conſilio Ieremiæ rex Ioachin, & mater, vxores, & principes eius, oēſq; nobiles & optimates Iuda, inter quos erat & puer Ezechiel & Mardochæus, & Ioſedec pōtifex, vltro ſe tradunt regi Babylonis: qui eos vnà cum cæteris vaſis ac theſauris templi & palatij, ac ditioribus, robuſtis, & optimis quibuſq; artificibus transfert in Babylonem, vbi Ioachin carceri traditur. Regem autem conſtituit eius patruum Mathaniam filium Ioſiæ, facitque eum iurare per Deum, quod fideliter ſub tributo ſeruirent Chaldæis, in ſignum cuius vertit nomen eius Sedechiam, quod iuſtitiam Domini ſonat. impiè regnat annis 11. faciens malum, vt Ioakim, nec obediuit conſilio Ieremiæ.

Hiero ſuper Matt. & Danie. 4. Reg. 24. 2. Par. 36. 3. Eſd. 1.



Ier. 37. 52. Tranſmigratio Babylonis.

Ierem. 24. Viſio ficuū.

Anno 1. regni eius, videt Ieremias ficus optimas & peſſimas Diuinitùs poſitas ante templum, auditque priores ſignificare Iudæos iam pridem translatos in Babylonem, eoſq; à Domino reducendos in Iudæam: poſteriores verò deſignare cæteros, qui manſerant in Ieruſalem, eoſque gladio, fame, ac peſte perdendos.

Ierem. 29. 30. 31. Epiſtola Ieremiæ ad captiuos Babyloniæ.

Statimq; ſcribit Ieremias, & mittit litteras ad eos, qui traducti erāt in Babylonem, quod poſt 70. annos reuerſuri ſint in terram ſuam: eos verò, qui Ieroſolymis remanſerant, gladio, fame, & peſte conſumendos. Prophetat & veram populi liberationem per Chriſtum fiendam, nouamque legem in cordibus ſcribendam, ac Ieruſalem reædificandam, vbi liberè, ſecurè, cunctorum affluentia bonorum ſeruiant Domino.

Dan. 13.

Erant tunc in Babylone duo ſenes Preſbyteri iudices Iudæi, Achab & Sedechias, qui caſtiſſimam Suſannam, Iudæam clam in horto ſe lauantem, ad libidinem ſeu ſtuprum concupiſcentes, cū eius concubitu frui non poſſent, ipſam coram populo falsò adulterij accuſant, quæ cùm damnata duceretur ad mortem, Deumque oraret, Dei ſpiritu ſuſcitatus puer Daniel, retractat iudicium, ipſoſque ſenes ſeparatim interrogatos, proprio ipſorum ore de falſo teſtimonio conuincit. quos lege talionis populus lapidare properabat, ſed iuſſu Nabuchodonoſor igne combuſti ſunt, ſicut prædixerat Ieremias.

Suſanna à Daniele liberatur.

Ierem. 29 Ierem. 20. Ieremias incarceratur.

Ieremias autem in templo verbum Dei annuncians, à Phaſſur Pontifice percutitur, & in neruum mittitur: poſtridie ab eodem eductus, ipſum cum omni Iuda in captiuitatem Babylonicam abducēdum, ibiq; moriturum gemebundus obnunciat.

## Anno mundi 3365.

Ierem. 51. Babylon.

ANNO 4. Sedechiæ, Ieremias ſcribit in libro omnia mala, quæ imminebant Babyloni, & tradit eum Saraiæ principi prophetiæ proficiſcenti cum Sedechia rege in Babylonem, præcipitque, vt ibi coram Iudęis librū legat, deinde alligatum lapidi proijciat in fluuium Euphrâten, ac dicat: Sic ſubmergetur Babylon.

Ierem. 28. Ierem. catenam portat.

Eodem anno, menſe Iulio, Ananias Pſeudopropheta tollens in tēplo coram ſacerdotibus & omni populo catenam ligneam de collo Ieremiæ, quam iuſſu Dei in ſignum futuræ captiuitatis portabat, eamque confringens, ait: ſic conteret Deus poſt 2. annos iugū regis Babylonis de collo omnium gentium, & rex Iechonias, omneſq; tranſmigrati cum vaſis templi huc reuertētur, ſed Ieremias iuſſu Dei pro catena lignea ferream portans, Ananiam falſa vaticinari, ideoq; breui moriturum denunciat, qui ſecūdo poſt menſe obijt.

Reuerſo Sedechia, Ieremias mittit catenas ad 5. reges, Edom, Moab, Ammon, Tyri, & Sidonis, per legatos ipſorū, qui venerant ad Sedechiam, quibus monet illos, ſimul ac regem Iuda, ſi ſeruire velint regi Babylonis, permāſuros in terra ſua: alioqui perituros gladio, fame & peſte, prædicit etiā ſacra vaſa, quæ reliqua ſunt Ieroſolymis, transferenda in Babylonem: & tandem referenda Ieroſolymam.

Ierem. 27. Ieremias mittit catenas regib.

## Anno mundi 3366.

ANNO 5. tranſmigrationis, dies 5. Iunij, Ezechiel ſacerdos Iudæus in Babylone anno 30 ætatis ſuæ, videt in nube ac igne ſimilitudinem 4. animalium, nempe hominis, leonis, bouis & aquilæ, impetu ſpiritus rectà incedentiū; & effigiem hominis ſedentis in throno gloriæ Dei: myſticè repræſentantes Chriſtum ac 4. Euangeliſtas, iuſſuſque comedit librum cælitus miſſum, ſcriptum intus & foris, continentem lamentationes, carmen & væ, atque ita conſtantia ſpiritus accepta, Diuinitus mittitur, vt prophetet Iudæis concaptiuis ſuis in Babylone, cumque per 7. dies taceret, viſa rurſum in cāpo gloria Domini, iubetur in domo ſua includi, quaſi vinctus ac mutus, & figurare ac depingere in tabula obſidionem Ieruſalem, & inter ſe & ciuitatem Ieruſalem ſartaginem ferream ponere pro muro, qui remediū cæleſtis auxilij capiendis excluderet, & aſſumptis iniquitatibus Iſraël, dormire ſuper latus ſuum ſiniſtrum 390. diebus, deinde ſuper latus dextrū 40. diebus, aſſumptis iniquitatib. Iuda, & quotidie comedere panem in pondere, cibum vilem, modicum, confectum ſtercore boum, & bibere exiguum aquæ in menſura. Iubetur & pilos capitis & barbæ ſibi detondere, detonſos tripartitim conſumere, atque his omnibus deſignabat & denunciabat propter perpetratas iniquitates futuram arctiſſimam ciuitatis Ieruſalem obſidionem, famem, peſtem, ſedem, atque afflictionem; totiuſq; Iudææ extremam & ineuitabilem vaſtationem ac deſolationem.

Ezech. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Ezech. incipit prophetare cōcaptiuis in Babylone. Ezech. 3. 4. 5. 6. 7. Deſtructio Ieruſalem diuerſimodè varijs ſignis præfiguratur.

Anno 6. tranſmigrationis, die 5. Auguſti, Ezechiel raptus in ſpiritu, & ductus in Ieruſalem, videt ibi in templo peſſimas Iudæorum abominationes idololatriæ, & ob eas, variaq; ſcelera, quibus Sodomam ac Samariam ſuperabant, etiamſi Noë, Daniël, & Iob pro ipſis orarent, populū omnem, qui à viro lineis veſtito non eſſent ſigno Thau in fronte notati, occidendum, vrbemque exurendam: Sedechiam autem Regem, eò quòd confœderatus Regi AEgypti, rupto ac fracto iuramento rebellaret contra Nabuchodonoſor, capiendum, & abducendum in Babylonem, ipſum tamen eam non viſurum, ibique moriturum,

Ezech. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. Raptus Ezechielis. 4. Reg. 24. 2. Par. 36. Rebellio Sedechiæ.

riturum, tranſmigratos verò reuerſuros in patriam.

*Ezech. 20. 21.22.23.* Anno 7. tranſmigrationis, die 10. Iulij, Ezechiel Iudæis à ſe reſponſum diuinum quærentibus replicat beneficia Dei Iſraëlitis in AEgypto, in deſerto, & in terra promiſſionis exhibita, ſemperque fuiſſe rebelles imperio: ideoque Ieroſolymæ irreuocabilem minatur gladium, cladem & excidium.

## Anno mundi 3370.

*4.Reg. 25. Ierem. 39. & 52. Ieruſalem obſidetur. Ierem. 19. Thre. 4. Baruc. 2. Ezech. 5. Ezech. 24.*

ANNO 9. Sedechiæ, die 10. Decembris, venit Nabuchodonoſor cum exercitu, arctiſſimeq; obſidet Ieruſalem ſeſquianno, niſi quod medio tempore propter AEgytios duobus menſibus abfuerint, interea fame tanta in ciuitate obſeſſos premente, vt parentes cōederent liberos ſuos, & liberi parentes. Eodem die, mane Ezechiel per ollam electis carnibus & oſſibus plenam, igniq; admotam & liqueſactam, ſignificat trāſmigratis futurum incēdium Ieruſalem, populiq; exitiū, veſpere eiuſdem diei obijt dilecta vxor eius, pro qua prohibetur à Deo lugere, inſignum futuræ deſolationis templi. Prophetatque imminere etiam Ammonitis, Moabitis, Idumæis & Paleſtinis ſeu Philiſtæis exitiū, quòd de afflictione Ieruſalem exultauerint.

*Ezechielis vxor moritur. Ezech. 25.*

*Ierem. 21. Prophetia Ieremiæ.* Tunc mittit Sedechias rex nuncios ad conſultandum Ieremiam: quibus reſpondet Propheta, Sedechiam regem capiendum, vrbemque exurendā; qui verò è populo manſerint in vrbe, fame, peſte ac gladio morituros, qui autem profugerint ad Chaldæos, victuros.

## Anno mundi 3371.

*Ierem. 32. & 34.*

ANNO 10. Sedechiæ, Ieremias miſſus à Domino ad Sedechiam, dicit ei, quòd ciuitas caperetur ac incenderetur, & rex nō effugeret, ſed captus viſibiliter coram cùm Nabuchodonoſor loqueretur, non tamen gladio occideretur, ſed ductus in Babylonem, ibi in pace naturaliter morte naturali moreretur, quam ob cauſam claudit rex Prophetam in carcere ad dies aliquot.

*Ieremias incarceratur. Ierem. 32. Ieremias emit agrum.* Ieremias autem poſitus in carcere, iuſſu Domini emit à patruele ſuo agrum, qui erat in Anathot, præcepitque ipſi Baruch literas emptionis ſigillatas poni in vaſe fictili & ſeruari: teſtificans Ieruſalem quidem deſtruendam, populumque captiuandum: ſed iterum reuerſurum, ac ſecurè poſſeſſurum agros ſuos in proſperitate. *Ierem. 23. & 33.* Prophetat etiam Chriſtum naſciturum, factaque redemptione fœliciter in omni gaudio ſemini Iacob & Dauid regnaturum ſine fine.

*Ierem. 34.* Poſthæc Sedechias in arcto poſitus, ob imminēs periculum, eò quòd intraret ſeptimus annus, hoc eſt, ſabbatum terræ, dimittit Prophetam, & conuocat populum in templum, feriūt pactum coram Domino, vt vnuſquiſq; dimitteret ſeruos ſuos liberos, & inſignum firmitatis, inter partes conſciſſi vituli transeunt, imprecantes ſibi nouiſſimas pœnas niſi pacta ſeruarent, itaque ſeruos dimittunt.

*Dimiſſio ſeruorum.*

*Ierem. 37. Aduentus Aegyptiorum.* Interea exercitus regis Aegypti venit in Iudæam, promiſſum Iudæis allaturus auxilium: quo audito Chaldæi, ſoluentes obſidionem Ieruſalem, pergunt obuiam Aegyptijs, eoſq; retrocedere compellunt.

*Ezech. 29. 30. Prophetia contra Aegyptum.* Eodem anno 10. in Decembri prohetat Ezechiel eò quòd rex Aegypti auxilium præſtitiſſet Iudæis, Aegyptū per Nabuchodonoſor Regem Babylonis eſſe vaſtandam, deſtruendam, & in ſolitudinem redigendam: poſt 40. autem annos reſtituendam, licet non ad priſtinam gloriam.

*Ierem. 34. Retractio ſeruorum.* Cùm receſſiſſent autem Chaldæi, Iudæi rati ſe omninò eſſe liberatos, ſtatim ſeruos dimiſſos retrahunt in ſeruitutem. vnde Dominus per Ieremiam fœdifragos increpans, dicit ipſos gladio, peſte & fame perituros.

*Ierem. 37.* Quin etiam Ieremias Sedechiæ regi ab ipſo Diuinū reſponſum quærenti, reſpondet; Aegyptios reuerſuros in terram ſuam: & Chald. redituros Ieroſolimam, vrbemq; exuſturos.

*Ierem. 37.* Tunc Ieremias volens exire in Anathot viculum, vnde fuit oriundus ad poſſidendum agrum quem emerat, cōprehenditur in porta à cuſtodibus falsò accuſantib. quòd ad Chaldæos transfugeret, ac iuſſu principum cæſus mittitur in carcerem, ſederq; ibi diebus multis. Inde eductus à rege Sedechia, & abſconditè veritatem interrogatus, ait ipſum verè capiendum, itaq; reponitur in carcere, aſſignata ipſi quotidie torta ponis donec conſumerētur omnes panes de ciuitate. *Ieremias incarceratur.*

*Ierem. 38.* Interea fugatis Aegytijs, continuatur obſidio Ieruſalem. Ieremias autem inceſſanter prædicabat è carcere omni populo, vrbem capiendam, ac manentes in ea gladio, fame, & peſte morituros, qui verò ad Chaldæos transfugerint, mortem euaſuros, quare principes petunt à Rege Prophetam occidi, eiuſq; conſenſu exemptum è carcere, fune demittūt in lacum lutoſum, vt ibi moreretur fame, ſed conniuente rege, extrahit eum Abdemelech AEthiops eunuchus, ac reponit & recludit in carcere, qui Abdemelech propter hoc beneficium, & maximè, quia ſemper confidebat in Deo, audit ab Ieremia, ſe Diuinitus à captiuitate & morte liberandum. *Ieremias mittitur in lacum. Ierem. 39.*

*Ierem. 38. Sedechias conſulit Ieremiam.* Poſt hæc Ieremias iterum clam ductus ad regem, ac ſecretè interrogatus, ſuadet ac conſulit ei, vt ſe dedat Chaldæis, ſic ipſum vrbemque ſaluos fore: alioquin vrbem ab eis comburendam, ipſumq; nō effugiturum, quo dicto reducitur ac recluditur in carcere, manetque ibi vſq; dum capta eſt Ieruſalem.

## Anno mundi 3372.

*Ezech. 26. 27. 28. Prophetia contra Tyrum.*

ANNO autem 11. prima menſ. Martij prophetat Ezechiel Tyrum vrbem maris inclytam ac frequentia negotiatorum opulentiſſimam, à Nabuchodonoſor euertendam, eò quòd ſuper afflictione & deſtructione Ieruſalem exultauerit: Regem autem Tyri ob eius ſuperbiam, qua ſe Deum, ac ſapiētiorem



Daniele, viro iam tunc magni nominis, & famæ, propter interpretationem ſomniorum regis, liberationemq; Suſannæ, iactabat, occidendum: Iudæos verò reducendos in terram ſuam.

*Ezech. 3.* Eodem anno 11. die 1. Maij comparat Ezechiel Pharaonem cū rege Aſſyriorum: quòd ſicut Aſſur ſublimis deiectus eſt, ita deijceretur & regnum Aegyptium.

## Anno mundi 3373.

*Genebrar. 3568. 4.Reg. 25. Ierem. 39. & 52.*

EODEM anno 11. Sedechiæ, qui erat 19. Nabuchodonoſor, die 5. Iun. Chaldæi irrumpunt exteriorem murum Ieruſalem, & intrāt vſque ad portam interiorem ſecundi muri, quo viſo Rex Sedechias, nocte per viam ſubterraneam, cū ſuis principibus fugiens, à Chaldæis comprehēditur in campo Iericho, & ducitur ad Nabuchodonoſor in Reblata, qui ob iurgato eo de infidelitate & periurio, filios eius, ac omnes principes Iuda in cōſpectu eius occidit, deinde eruit oculos eius, & vinctum catenis mittit & abducit in Babylonem, vbi ponit eum in carcere, vſque ad mortem eius. Impletumq; eſt verbum Domini, quod dixerat: adducam eum in Babylonem, & ipſam non videbit. Ezech. 12.

*Sedechias capitur. Excæcatur. Incarceratur.*

*4.Reg. 25. 2.Par. 36. Ierem. 39. & 52. 3. Eſdr. 1. Ieruſalem capitur. Exuritur. Deſtruitur.*

Die 9. Iunij, Chaldæi capiunt vrbem Ieruſalem, populum occidunt, non parcentes adoleſcenti, virgini, ſeni. Die ſeptima Iulij venit Nabuzardan princeps exercitus & comburit palatium regis, omneſque domos Ieruſalem. Porrò die decima Iulij incēdit templum Domini, cùm ſtetiſſet annis 440. ſimulque combuſti libri ſacri, qui paſſim in Scriptura citati, iam nō extant. vniuerſas turres & muros vrbis Ieruſalem per circuitum, & reliqua ædificia deſtruit. Populum reſiduum cum transfugis ac vaſis templi abducit in Babylonem. relinquit illic pauperes aliquot ruſticos ad colendam terram, quibus præficit Godoliam.

*Ierem. 39. & 40. 4.Reg. 25. Ieremias liber dimittitur.* Ieremiam verò Nabuzardan ex mandato Nabuchodonoſor ſoluit à catenis, & educit è carcere, datq; ei libertatem, facultatem, & optionem proficiſcendi ſecum in Babyloniam, in honore habendus, vel habitandi vbicunq; voluerit, at Propheta malens in patria reſidere, multis cibarijs ac muneribus ab eo donatus, ac Godoliæ commendatus, vnà cum Godolia habitat in Maſphat: *Ieremias habitat in Maſphath.* vbi Godolias Iudæos paſſim diſperſos benignè recipit, eiſq; ſecuritatem promittit, dummodo ſeruire velint Regi Babylonis, à quibus monetur, vt ſibi caueat ab Iſmaële intentante ei mortem, qui tamen audire noluit benè monentes.

*Thre. 1. 2. 3. 4. 5. Threni Ieremiæ.* Porrò Ieremias amaro animo ſedens, dolens ac flens, quadruplici alphabeto metrico lamentatur deſtructionem Ieruſalem, euidētiſſimè plangens & deplorans Chriſti paſſionem, mortem, ac ſepulturam, & Eccleſiæ deſolationem, oratque Deum pro deſolatis.

*Ierem. 41. 4.Reg. 25. Occiſio Godoliæ.* Tertia autem Septembris, Iſmael Iudæus proditoriè occidit in Maſphath Godoliam, alioſque complures Iudæos ac Chaldæos, qui cum eo erant, vnde cùm & ipſe à reliquijs Iudæorum quæreretur ad necem, fugit cum 8. viris, ad Ammonitas.

*Ierem. 42. Reliquiæ Iudæ.* At reliquiæ Iudæorum timentes à Chaldæis facti vltionem, ſtatuunt fugere in AEgyptum, rogant Ieremiam vt oret ac cōſulat Dominum, quid facere debeant, iurantes facturos ſe quicquid ille iuſſerit. Decima pòſt die reſpondet Dominus per Ieremiam ipſos Dei præſidio fore ſaluos, ſi in Iudæa maneant: ſin autem in AEgyptum fugiant, proteſtatur eos omnes ibi gladio, fame, & peſte morituros.

*Ierem. 43. Fuga in AEgyptum.* At illi ſpreto Dei oraculo cogentes Ieremiam & Baruch ſecum proficiſci, ſimul abeiunt ac proficiſcuntur in AEgyptum, habitantque iuxta Taphnis, vbi conſtitutus Ieremias prædicit illis Nabuchodonoſor regem Babylonis vaſtaturum prorſus AEgyptum cum idôlis ſuis, eique dominaturum.

## Anno mundi 3374.

*Ierem. 44. Iudæi perſiſtunt in idololatria.*

POST HAEC Iudæi in AEgypto reprehenſi à Ieremia ſuper idololatria, quòd ibi ſacrificarent idolis, obſtinatè reſpondent vnà cum multitudine mulierum ſe permanſuros in idololatria inueterata, ac ſacrificaturos reginæ cæli, id eſt, Lunæ, quos Ieremias prędicit vniuerſos gladio & fame penitus conſumendos, regemque AEgypti Pharaonem capiendum, & quia non deſtitit ipſos arguere, lapidauerunt eum ibi: *Ieremias à Iudæis lapidatur.* quem honorantes AEgyptij, ob deſugatos ipſius oratione ab eodem loco ſerpentes, ſepelierunt iuxta ſepulchra regum ſuorū, magnaq; cum ibi religione venerantur.

*Baruc. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Epiſtola Ieremiæ.* Tunc Baruch abit in Babylonem, vbi ſcribit librum ſuum, quē vnà cum epiſtola, quam olim ex ore Ieremiæ ſcripſerat, legit ibi coram rege Iechonia & vniuerſis Iudæis, deinde anno 5. à deſtructione ſiue deſolatione Ieruſalem, die 7. menſis, mittit librum ſuum vnà cum collectis pecunijs ad alios Iudæos, qui de locis vicinis, ad quæ profugerant, redierāt in Ieruſalē, vt oblatis holocauſtis orent pro Nabuchodonoſor, & Balthaſar filio eius, & pro ipſis captiuis; *Liber Baruch.* ac legant librum iſtum in die ſolenni ibi in platea, ſeu area templi, continentem inter alia ſalutis monita, Iudæos quidem meritò propter peccata ſua cum ignominia ductos in captiuitatem, attamen cum gloria reducēdos ad Ieruſalem: ſed plenius per Chriſtum Deum ſuum in terra videndum, ac cum hominibus conuerſaturum, redimēdos, perfectius docēdos, ac ſempiterno honore, ſplēdore ac iucunditate exaltādos in lumine Maieſtatis Dei.

*Ezech. 33.* Poſthæc emergunt alij Iudęi de locis vicinis, ad quæ profugerant, & dicunt; vnus erat Abraham, & poſſedit terram: nos autem multi ſumus, nobis data eſt terra in poſſeſſionem, itaque euntes habitant ibi in ruinoſis.

## Anno mundi 3374

*Ezec. 33.*

ANNO 1. deſolationis Ieruſalem, qui erat tranſmigrationis 12. die 5. Decemb. venit quidā fugitiuus de Ieruſalem in Babylonem

nem ad Ezechiel, dicens: vaſtata eſt ciuitas, quo tempore prophetat Ezechiel quòd reliquiæ Iudæorum, qui habitabant in ruinoſis, propter iniquitates ſuas, à beſtijs, & gladio ac peſte perderentur, & terra in ſolitudinem redigeretur.

*Ezech. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39.*

Eodem anno, die 1. Februarij, Ezechiel plangit ſuper futura Pharaonis à Nabuchodonoſor occiſione, eiuſq; ac pluriũ nationũ ad inferos deſcenſu: eò quòd dederint terrorem ſuum in terra viuentium, hoc eſt, Iudæorum, & Patriarcharũ: quos propter notitiam & cultum Dei, Dominus in Euangelio viuentes appellat. Matth. 22. Deſcribit etiam Euangelici prædicatoris officium, ac pro paſtorib. Iudæorũ neglecto grege, ſeipſos paſcentibus, promittit verum paſtorem Chriſtũ, qui ſuas oues congregabit, ſanabit, & paſcet in pace & vbertate, prædicit Idumæam vaſtandã. & deſtruendam, eò quòd populũ Dei affli xerit: Iſraëlem verò à captiuitate reducendum, ac reſtituendum in terram ſuam, vbi vniti ſub vno æternoq; Rege ac paſtore Chriſto, in fœlicitate habitabunt, & in præceptis Dei ambulabunt, cuius reſtitutio oſtenditur prophetæ in campo per arida oſſa reuiuiſcentia, myſticè etiam reſurrectionem generalem mortuorũ præfigurantia. Poſtremò vaticinatur Gog & Magog in nouiſſimis diebus cum inſtructo ingentique exercitu ab Aquilone venturos in terram Iſraël, ibique perituros.

Prophetia Ezechielis.

*Ioſephus ant. Iud. li. 10. cap. 11.* Vaſtatio Syriæ, Ammon, Moab, & Aegypti. *Ierem. 52.*

Anno 5. deſolationis, qui fuit 23. regni ſui, Nabuchodonoſor, deuicta Tyro & Sidone, vaſtat ſubigitque Cœleſyriam, Ammonitas, Moabitas, Edom, & Aegyptum, occiſoq; qui tunc regnabat, & alio conſtituto rege, repertos ibi Iudæos partim occidit, partim captiuos abducit in Babylonem. Tunc Nabuzardan omnes reliquias Iudæorum in Iudæa ac Ieroſolymæ habitãtes in ruinoſis partim cædit in Iudæa, partim reſiduos numero 745. transfert in Babylonem.

*Dan. 3.* Tres pueri in fornace.

Nabuchodonoſor autem triumphator reuerſus in Babyloniam, ſtatuam ſuam auream erigit, atq; ab omnibus adorari facit, quã cũm cæteris adorantibus, Ananias, Azarias, & Miſael adorare nollent, iuſſu Regis ligati cõijciuntur in fornacem ignis ardentis. at iniectoribus à flamma combuſtis, illi in medio ignis cum Angelo Dei illæſi & intacti ambulantes, cantico benedicunt Domino, atq; ad laudem eius omnem creaturam exhortantur, quod Nabuchodonoſor animaduertens, obſtupeſcit, & illis de fornace euocatis, benedicit Deum ipſorum, iubens ac mandans edicto vt occidatur, quiſquis ipſum blaſphemauerit.

*Dan. 4.* Nabuchodonoſor. cum feris habitat.

Poſt hæc videt Nabuchodonoſor ſomniũ de excelſa arbore ſuccidenda. quod ſolus Daniel interpretatur de futura ſeptenni regis eiectione, & habitatione cum beſtijs, eiuſque tandem in regnum reſtitutione, quæ monitu Danielis propter eleemoſynas ad annum dilata eſt, deinde Rex ob ſuam ſuperbiam verſus in amentiam, regnoque pulſus, tanquam beſtia cum beſtijs ſyluas incolens annis 7. gramen vt bos comedit, ac æſtu roreque cæli perfunditur, deinde precibus ac oratione Danielis menti regnoque reſtitutus, Deum cæli recognoſcit, confitetur ac glorificat, actaq; per epiſtolas ſuis ſubditis diuulgat.

## Anno mundi 3386.

ANNO 14. captiuitatis Babylonicæ, qui eſt 25. tranſmigrationis, die 10. Martij, Ezechiel in ſpiritu ductus in terram Iſraël, Angelo ei oſtendente, videt ſub figura ciuitatis (Ieruſalem) & templi certa menſura ac dimẽſione ſuper montem reædificandi, ac gloria Dei replendi, Eccleſiæ Chriſti ſacroſancta myſteria.

*Ezech. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48.* Viſio Ezechielis.

Anno 16. deſolationis, eoque 27. tranſmigrationis, die 1. Mart. dicit Dominus Ezechieli, ſe daturum Nabuchodonoſor regi Babylonis & exercitui eius Aegyptum in prædam pro mercede laboris ſui, quo ſeruierat ipſi deuaſtando Tyrum. tandem Ezechielem à duce populi Iſraël, eò quòd ſeuerius corriperet eum, propter ſimulacrorum cultũ, equis diſtractum & occiſum, & à populo in ſepulcro Seth, aliàs Sem & Arphaxat ſepultum tradunt.

*Ezech. 29.* Aegyptus datur Regi Babylonis. Mors Ezechielis.

## Anno mundi 3394.

ANNO 20. deſolationis Ieruſalem, tranſmigrationis verò 31. Nabuchodonoſor iturus aduerſus Aegyptios, incarcerat Ioachin Regem Iuda: ne fugam fortè meditaretur.

*Philo in Breuiar.* Incarceratio Ioachim.

## Anno mundi 3400.

ANNO 26. deſolationis, qui eſt 37. tranſmigrationis, defuncto Nabuchodonoſor, anno regni ſui 45. ſuſcipit imperium Euilmerodach filius eius, qui timens, ne pater ſuus reuiuiſceret, ſicut de amentia ad mentem redierat, facit corpus eius in 300. partes diuidi, & à totidem vulturibus comedi, vt Iſaias prædixerat, ſtatimque tertia die regni ſui eleuat & educit Ioachin in regem Iuda de carcere, & exaltat eum ſuper omnes principes Babylonis, & comedebat ſemper cum rege cunctis diebus vitæ ſuæ, tunc populus teſte Philone, nominat eum Neri, quòd interpretatur lucerna mea, eò quòd lucerna Dauid, quæ timebatur extincta, illuxerit, q mox genuit Salathielem, patrem Barachiæ, qui & Zorobabel cognominatus eſt.

*Iſai. 14. 4. Reg. 25. Ierem. 52.* Exultatio Ioachim. *Philo in Breuiar.*

## Anno mundi 3406.

ANNO 30. ruinæ ciuitatis, ſeu captiuitatis, Eſdras Propheta abductus & captiuus in Babylone ac regione Medorum, in regno Artaxerxis regis Perſarum, ieiunãs, plorans, & orans, miſſo ad ſe Angelo Vriel (& archangelo Ieremiel,) in Babylone, audit videtque Iudæos conſolandos, Ieruſalem reædificandam, arcana quædam futura reuelat. Ieſum filium Dei reuelandum, Chriſtum moriturum, & ad iudicium venturum. Horrenda Babyloni, Aſiæ, Aegypto, ac Syriæ ventura. Meminit

*Lib. 4. Eſd.* Viſio Eſdræ



minit Abacuc, Aggæi, Sophoniæ, Zachariæ, Malachiæ, & aliorum.

*Dan. 14.* Daniel euertit Bel. Daniel inter leones.

Cùm autem Rex Babylonis quotidie adoraret Bel idòlum, Daniel conuiua & commenſalis regis, detegit ei dolum 70. ſacerdotum Bel, qui cum vxoribus & liberis quotidie appoſitos idòlo cibos occultè vorabant. quo deprehenſo rex ſacerdotes occidit, eiuſque conſenſu Daniel idòlum Bel, templumque eius euertit. ſimiliter & draconem, quem colebant Babylonij, iniecta in os maſſa ex pice, adipe, & pilis confecta interficit. quapropter inſtantibus Babylonijs mittitur in lacum 7. leonum, inter quos eſurientes Diuinitùs ſeruatus diebus 6. ab Abacuc propheta, illuc ex Iudæa cum cibo per Angelum adducto, paſcitur. Die 7. rex inueniens & videns Danielem illæſum ſedere inter leones, Deum Danielis magnificat, ipſoque educto aduerſarios illius conijcit in lacum. quibus mox à leonibus deuoratis, iubet omnes timere Deum Danielis.

*Abac. 1. 2. 3.* Prophetia Abacuc.

Poſthæc Abacuc prophetat de deſtructione Babylonis: deque Chriſti aduentu, paſſione in cruce, & victoria aduerſus peccatum, mortem, Diabolum & infernum.

*Ioſeph. 10. ant. 12.*

Anno 56. captiuitatis, Regaſſar filius Euilmerodach regnat in Babylone annis 3. Inde Labaſſardach frater eius annis 6. Deinde Balthaſar priorum frater annis 5.

*Daniel. 7.* Viſio 4. beſtiarum.

Anno 1. regni Balthaſar filij Euilmerodach regis Babylonis, videt Daniel in ſomno 4. beſtias, leonem, vrſum, pardum, & terribilem, & cornu paruum è capite quartæ beſtiæ exortum multos debellare, quæ deſignabant 4. Monarchias, Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum, ipſumq; Antichriſtũ inde oriturum, ac per annos tres & ſemis ſanctos perſecuturum, quem Filius hominis, accepta ab antiquo dierum poteſtate, diſperdet, conteret, ac cum alijs iudicabit, ipſeq; regnabit in æternum.

*Daniel 8.* Viſio pugnæ hirci cũ ariete.

Anno 3. Balthaſar, videt Daniel hircum pugnare contra arietem, ipſumque deuincere: deinde cornu modicum ex hirco prognatum multam in populum templumque Dei exercere tyrannidem. auditque à Gabriele ita regem Perſarum olim prælio vincendum à rege Græcorum. atque ex eo oriturum regem impudentem (nempe Antiochum Epiphanem, figuram Antichriſti) regnaturum dies 1296. aliàs 1300. vel 2300. qui ſanctos interficiet, templum violabit, ſacrificia cultumque Dei auferet & abolebit, tandemq; ſine manibus conteretur.

*Daniel. 5.* Viſio manus ſcribentis. Deſtructio Babylonis & regni eius.

Anno 5. Balthaſar Cyrus rex Perſarum, & Darius rex Medorum auũculus eius, obſident Babylonem. Balthaſar autem rex vrbis munitione fretus, vacans conuiuijs, bibit vinum cum ſuis principibus, vxoribus & concubinis ex vaſis templi Ieruſalem, laudãdo idòla ſua. quapropter videt manum ſcribentem in pariete, Mane, thecel, phares. quam ſcripturam cum Magi Babylonis neque legere, neque interpretari valerent, ſolus Daniel eam perturbato regi, & legi & interpretatur ſignificare, ipſum regno deturbandum, idque Diuinitùs datum Medis & Perſis. vnde Daniel torque aurea & purpura honoratur, ac tertius regni conſtituitur.

*Ierem. 51.* 2. Monarchia Perſarum.

Eadem nocte Medi & Perſæ, fluxu Euphratis aliò ducto, per ſiccum alueum Babylonem ingreſſi, Balthaſar regem populumq; interficiunt, vrbem turremq; deſtruunt, regnum ſuſcipit Darius Medus annos natus 62. Cyrumque præceſſit, quia ſenior, quia auũculus, quia potentioris regni Dominus. hanc enim triplicem rationem aſſignat Hieron.

*Daniel 6.* Daniel in lacu leonum.

Daniel autem aſſumptus à Dario in Mediam, conſtituitur princeps ſuper ſatrapas regni. cumque ob ſapientiam præ cæteris regi charus eſſet, inuidia principum eius accuſatur apud regem, quòd cõtra regium edictum quotidie ter DEVM cæli oraret. vnde renitente licet multùm rege, proijcitur in lacum leonum, aduolutoque lapide os laci obſignatur. Primo diluculo rex Danielem à Deo ſeruatum & à leonibus illæſum inueniens, ipſum educit, & accuſatores eius leonibus obijcit. quibus ſubitò deuoratis, decreti publicatione per totum regnum Deum Danielis timẽdum prædicat.

## Anno mundi 3443.

*Daniel 9.* 70. Hebdomadæ Danieli reuelantur. Viſio ſeu reuelatio 70. hebdomadarum Danieli.

EODEM anno 1. imperij Darij Medi ſuper Chaldæos, anno 69. Daniel intelligens ex libro Ieremiæ appropinquare terminum 70. annorum deſolationis Ieruſalem & captiuitatis Babylonicæ, proſtratus coram Deo Domino in ieiunio, ſacco & cinere, confitetur Iudæos propter peccata ſua iuſtè captiuatos, oratque vt iuxta ſuum promiſſum miſericorditer reducere dignaretur eos in terrã ſuam. cui apparens Angelus Gabriel reſpondet & indicat orationem eius exauditam eſſe. & inſuper reuelat ei, quando templum, quando vrbs & ciuitas Ieruſalem rurſum ædificaretur. quodque maius erat omnibus, prædicit ei tempus, quando vera libertas Chriſtus venturus eſſet. nempe ſeptuaginta hebdomadas (quarum vnaquæque iuxta Scripturæ conſuetudinem 7. annos continet, quæ faciunt annos 490.) à Deo determinatas & definitas eſſe vſque ad Chriſtum, quando abolito & expiato peccato, veram adduceret libertatem, iuſtitiamque ſempiternam. Itaque ab exitu ſermonis regis permiſſuri vt iterum ædificetur Ieruſalem, hoc eſt, ab anno 20. Aſſueri Darij Artaxerxis Longimani regis Perſarum, quando miſit Neemiam reædificare Ieruſalem, vſque ad illum diem, quo Chriſtus ſanctus ſanctorum in ſuo baptiſmate cælitùs à Deo Patre per Spiritum Sanctum vngeretur dux ac doctor Chriſtianorũ, eſſe hebdomadas 69. annuas, id eſt, ann. 483. hebdomada verò ſeptuageſima, id eſt, vltima ac poſtrema Chriſtum confirmaturum pactum, id eſt, legem Euangelicam, nouum teſtamentum, ſeu Euangelium multis doctrinis ac miraculis. in medio autem eiuſdem hebdomadæ Chriſtũ occidendum, & ceſſaturum ſacrificium veteris legis. populum, qui eum Chriſtum negaret,

garet, abijciendum, abominationem deſolationis in templo futuram ſeu collocandam, (quæ dicta eſt, inquit Chriſtus Matth. 24. Mar. 13. à Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto vbi nō oportet: qui legit intelligat) vrbem verò ac templum diſſipandum, & deuaſtandum à duce & populo venturo, ac deſolatum iri, eorumque deſolationem duraturam vſque ad finem Mundi.

*Not. Videatur de hebdomadibus Genebrardus, qui aliter orditur, nam & inter Aſſuerū & Longimanum diſtinguendum eſt, qui hic confunduntur, quæ omnia quoniam paucis explicari non poſſunt, ſuffecerit lectori hæc indicaſſe.*

## Anno mundi 3444.

*Genebrar. 3638. 2. Par. 36 1. Eſdr. 1. 3. Eſd. 2.*

ANNO 70. deſolationis Ieruſalem ſiue captiuitatis Babylonicę, peracto iam ſabbato terræ, mortuo Dario Medo, Cyrus rex Perſarum monarchiam regnorum adeptus regnat ann. 22. qui ſtatim monarchiæ ſuæ anno 1. Diuinitùs inſpiratus, publicato vbique in toto regno ſuo edicto, dat Iudęis licentiam redeundi, ac præcipit Iudæis redire in Ieruſalem, in Iudæam patriam ac terram ſuam, atq; impenſis regijs ædificare ibi templum Deo Iſraël, reddens eis 5400. aurea & argentea vaſa templi, quæ abſtulerat Nabuchodonoſor de Ieruſalem.

Relaxatio captiuitatis Babylonicæ.

*1. Eſd. 2. 2. Eſdr. 7. Philo in breuiar.* Reditus è captiuitate Babylonica in Iudęā. *1. Eſd. 3. 3. Eſd. 5.* Erectio altaris.

Redeuntium ac reuertentium numerus erat 50. ferè millia. qui duce Zorobabel filio Salathiel annos nato (ait Philo) 17. præfuit annis 58. ſummo ſacerdote Ieſu, qui & Ioſue filio Ioſedec, præfuit annis 36. qui vnà cum Neemia, Mardochæo, ac iumentis, multaque ſubſtantia in ædificationem templi data, regreſſi in Iudæam & Ieruſalem ſtatim vnanimiter ædificant altare holocauſti ſub dio, Domino in loco templi. ſuper quo cæperunt à die 1. Septembris ac quotidie deinceps iuxta legem offerre ſacrificia Domino, & celebrant quoque ſolennitatem tabernaculorum, aliaque deinceps feſta, & præparare materiam ad ædificandum nouum templum.

Anno 3. Cyri, vbi Daniel ſe luctu, ieiunio & oratione per 3. hebdomadas afflixiſſet, videt die 24. Martij iuxta fluuiū Tigrim virū lineis veſtitum fulgentemque, vnde & timens ac tremēs confortatur & docetur de Michaële principe Synagogæ Iudæis auxiliante. & de varijs bellis inter reges Perſarum & Græcorum, & inter reges Auſtri, id eſt, Aegypti, & Aquilonis, id eſt Syriæ. de Antiocho Epiphane figura Antichriſti ſe contra Deum deorum elaturo, & ablato iugi ſacrificio Iudæos per annos 3. & ſemis perſecuturo. quam tamen prophetiam perfectius ac plenius complendam intendit in Antichriſto, qui ſub finem mundi Chriſtianos per dies 1290. id eſt, annos & dimidium miſerè affliget. deinde verò poſt magnam afflictionem mortuos reſurrecturos quoſdam ad opprobrium ſempiternum, quoſdam ad vitam æternā, vbi docti ac doctores vt ſtellæ fulgebunt.

*Daniel. 10. 11. 12.* Danieli futura reuelantur.

## Anno mundi 3445.

*1. Eſd. 3. 3. Eſd. 2. & 5.* Fundatio templi.

ANNO 2. reuerſionis ſeu reditus ſui, mēſe Aprili, cæperunt Iudæi reædificare Ieroſolymæ templum Domini. quo fundato ſacerdotes laudant Dominum, populo vociferante, partim ex gaudio, partim ex fletu, ſtatimque Samaritæ vicinæ gētes, quæ ciuitates Samariæ inhabitabant, cùm ſimul ædificare non admitterentur, aſſiduis inſultibus ædificationem impediunt, omni tempore Cyri. ſcriptisque poſtea literis ad Artaxerxem regem Perſarum, falsò accuſant Iudæos, quòd ciuitatem rebellem ædificabant. quibus rex nimium credulus, prohibet opus. itaque tunc vnuſquiſque rem ſuam curabat, & opus Domini neglexerunt, & ceſſatum eſt ædificari vſque ad 2. annum Darij. Zorobabel autem & Ieſus reuerſi ſunt in Babylonem, tēpus opportunum expectantes, ſi tandem fortè regem flectere poſſent, vt impetrarent perfici templum.

Templi ædificatio impeditur.

## Anno mundi 3466.

ARTAXERXES Aſſuerus priſcus, imperat Perſis annis 20. huius anno 13. miſſus Holofernes, à Iudith truncatus eſt: ideoq; prohibita adhuc ædificatio templi.

*Not. Genebrar. contendit, quæ de Iudith referuntur, contigiſſe ſub Sedechia, atque eo magis cōmotum Nabuchodonoſor contra Ieroſolymam mouiſſe, & tandem totum Iuda Babylonem tranſtuliſſe.*

## Anno mundi 3480.

*Iudith. 1. 2. 3. 4.*

PER hæc tempora Nabuchodonoſor rex Aſſyriorum, qui regnabat in Niniue, anno 12. regni ſui victo Arphaxad rege Medorum potentiſſimo, elatus victoria ſtatuit totum orbem ſuo ſubiugare imperio. itaq; anno proximo miſſus ab eo Holofernes cum exercitu de Niniue, pertranſiens Ciliciā, Meſopotamiam, Damaſcum, & Syriam, cunctas regiones vaſtat, ſata ſuccēdit, arbores vineaſque excindit, populos occidit, vrbes & caſtra ſubuertit, etiam ſeſe ſponte dedentium ciuitates, aras, atque deos deſtruit, vt ſolus Nabuchodonoſor deus habeatur. vnde filij Iſraël vehementer timentes, hortatu Eliachim, qui & Ioachim ſummi ſacerdotis, loco patris abſentis, & Oziæ principis populi loco Zorobabel, parant ſe reſiſtendum, ac cilicijs, ieiunijs, & orationibus ſeſe affligentes, auxilium à Domino implorant.

Holofernes cuncta vaſtat.

*Iudith. 5. 6. 7.*

Tum interroganti Holoferni de ſtatu populi Iſraël, narrat Achior dux Ammonitarū, quæ ac quanta. Deus egerit Iſraëlitis mirabilia: eos inuictos eſſe dicens, niſi fortè Deum offenderint. quare iratus Holofernes iubet eum ipſum Achior duci in Bethuliam, vt ea deuicta ſimul cum Iſraëlitis occidatur. moxque Bethuliam obſidet, ac præciſo aquæ ductu fontes omnes cuſtodit. quapropter ciues ſiti cruciati, ciuitatem tradere volunt. Ozias tamen princeps populi loco Zorobabel, perſuadet

Achior traditur Iudæis. Bethulia obſeſſa.



ſuadet vt per 5. dies expectent à Domino miſericordiam.

*Iudit 8. 9.* Iudith arguit primates.

Tunc Iudith vidua ſancta, pulchra, & diues, reprehendit Oziam & presbyteros quod pręfigiſſent terminum miſericordiæ Dei, eoſque hortatur, vt patrum exemplo populum ad patientiam animent, ac pro ſe Deum orent. Quin & ipſa oratorium ſuum ingreſſa, cilicio induta, caput cinere conſperſa, proſtrata orat Deum pro liberatione populi, vtque ſibi virtus detur euertendi Holofernem.

*Iudit 10 11.* Iudith Holoferni ſiſtitur.

Deinde vbi ſe aptiſſimè exornaſſet, cum ancilla vrbe egreditur, & ab Aſſyrijs apprehenſa, ducitur ad Holofernem, cui cauſam fugæ quærenti, ait ſe transfugio vitæ conſuluiſſe, ſpecioſam illi pollicetur victoriam, atque ita ſua pulchritudine & oratione illius nacta gratiam, facultatem obtinet proprijs veſcendi cibis, & nocte ad orationem egrediendi.

*Iudit 12. 13.* Iudith Holofernem truncat.

Quarto autem die ad cœnam inducta, coram Holoferne edit & bibit, qui eius concupiſcentia ardens, vehementer inebriatur, euntque cubitum. Ibi Holoferne ebrietate ſopito, Iudith facta ad Deum oratiōe, ſuopte enſe præſcindit caput eius, ac noctu ſuo more exiens, repetit Bethuliam, vbi caput Holofernis ciuibus oſtendens, eos ad gratiarum actionem hortatur. quo viſo Achior relicta gentilitate, credit Deo, & circunciditur.

*Iudith 14. 15.* Aſſyrij cæduntur. *Iudit 16.*

Orto Sole Iudæi ex conſilio Iudith capite Holofernis in muro Bethuliæ ſuſpenſo, irruunt in Aſſyrios, qui cùm Holofernem excitarent mortuum inuenientes, vehementer cōſternati & trepidi omnibus relictis fugiunt. Hebræi autem fugientes perſecuti, multis cæſis, ſpolijs collectis plurimum ditantur. Iudith autem à pōtifice & populo multum laudata, canticum ob partam victoriam Deo canit, & quæ Holofernis propria fuerant Ieroſolymis Domino offert: populuſque omnis veniens in Ieruſalem, holocauſta cum gratiarum actionibus offert. & dies huius victoriæ quotannis perpetuò apud Iudæos in numero ſanctorum dierum celebratur.

## Anno mundi 3488.

*Philo in breuiar.* Darius fit rex Perſarum.

POſt hæc Darius Artaxerxes Longimanus cum fratre ſuo de imperio dimicans, monitu Zorobabel cari amici ſui vouit Deo cœli, ſi victoria potiretur, ædificaturum ſe templū Domini in Ieruſalem. quo victo imperat Perſis annis 37.

*3. Eſdr. 3. 4.*

Anno eius 1. Dario poſt ſplendidam cœnam omnibus ſuis præfectis exhibitam, dormiente, tres corporis eius cuſtodes quæſtionē inter ſe proponunt, quidnam ſit fortius. Itaq; manè corā rege & principibus primus vini vires cæteris præſtare diſſerit. ſecundus Regis poteſtatem pręcellere affirmat. tertius, qui eſt Zorobabel, mulieres iſtis fortiores eſſe, demonſtrat: veritatem tamen omnia vincere probat. Data ergo veritati palma, Darius à Zorobabele voti ſui admonitus, concedit ipſi Zorobabeli & ſocijs eius redire & perficere templum Domini in Ieruſalem, redditque reſidua ſacra vaſa. ſcribens inſuper præfectis Syriæ & Phœnicis, vt Iudæis detur libertas à tributo, & de tributis regijs impenſæ in fabricam ſeu ad extructionem templi ac Ieruſalem, ſimul ac ſacrificia.

Veritas vincit omnia. Licentia perficiendi templum.

*3. Eſdr. 5.*

Reuerſus ergo Zorobabel & Ieſus pontifex in Iudæam, inueniunt populum graui penuria laborantem: fuerant enim anni ſteriles.

## Anno mundi 3489.

*Agg. 1.* Aggæus prophetare incipit.

ANNO ſecundo Darij, die 1. Auguſti, Aggæus propheta Dei iuſſu increpat Iudæos, quòd neglecto templo propria ædificia curabant: ideoque ſterilitatem terræ ac famem ipſis à Deo immiſſam: hortaturque eos ad templi ædificationem. vnde Zorobabel & Ieſus vnà cum populo excitati, cæperunt rurſum parare materiam in opus templi 24. die præfati menſis.

*Agg. 2.* Eccleſia præfertur ſynagogæ.

Porrò 21. die Septembris, promittit Dominus per Aggæum maiorem futuram gloriam templi huius nouiſſimi, quàm fuerit prioris: cò quòd Chriſtus venturus ſua præſentia, & prædicatione, & miraculis illud glorificaturus ſit.

*Zach. 1.* Zacharias prophetat.

Eodem anno 2. Darij, menſe Octobri, cæpit & Zacharias prophetare & exhortari populum vt conuertatur ad Dominum, & reſtauret templum eius.

*Agg. 2. 1. Eſdr. 5. 3. Eſdr. 6.* Templi reædificatio reſumitur.

Die ergo 24. Nouembris, cæperunt Iudæi rurſus ædificare templum Domini. quapropter licet nulla futurarum frugum ſigna eſſent, ſed omnia latitarent in terra, Aggæus promittit eis à die iſta deinceps omnium frugum abundantiam; inſuper & Chriſtum de ſtirpe Zorobabel naſciturum.

*Zach. 1. 2. 3. 4. 5. 6.* Viſio Zachariæ.

Die autem 24. Ianuarij, nocte audit Zacharias Angelum Michaëlem orātem. Domine exercituum, vſque quo tu non miſereberis Ieruſalem & vrbium Iuda, quibus iratus es iam annos 70. ſiue, iſte iam ſeptuageſimus annus eſt, ſupple diu tranſactus, ac ſi dicat, cur differs reſtaurare Iudæam, cùm ſeptuageſima deſolationis eius iam diu tranſacta ſit. & reſpondit Dominus Angelo verba conſolatoria, quod templum manibus Zorobabel fundatum, manibus eiuſdem perficietur, & Ieruſalem etiā reædificaretur, Dei gloria, & habitatoribus vehementer repleretur, ac ciuitates bonis omnibus affluent. videtque idem Propheta ſub typo Ieſu ſacerdotis magni veſtibus ſordidis induti, deinde mutatorijs ac corona donati, CHRISTVM ignominia & gloria coronandum, qui Eccleſiam ædificabit, ac inhabitabit, quæ abſque muro inhabitabitur præ multitudine gentium, cui tamen Deus pro muro erit & gloria, ac dominabitur in ſolio ſuo.

*1. Eſdr. 5. 6. 3. Eſdr. 6. 7.*

Cæterùm Samaritani gentis vicinæ repetitam templi ædificationem impedire & inhibere conantes, ſcripta ad Darium regem epiſtola, opus templi à Iudæis reſumptum, ac

Templi ædificatio proficit.

quàm diligentiſſimè profici ſignificant. eumque ſuper agendis conſulunt. at Darius Cyri decretum de templo extruendo in bibliotheca ſua inueniens, miſſo diplomate mandat cæptum opus regio ſumptu compleri, ac quotidie pro ſe ſacrificio offerri Deo cæli, impedientes verò ſuſpendi. Itaque Iudæi adhortatione Aggæi & Zachariæ inſtanter ac diligentiſſimè ædificant, proſperaturque opus in manibus ipſorum.

Zach.7.8. 9.10.11.12. 13.14.

Anno quarto Darij, die quarta Nouembris, monet Zacharias Iudæos facere iudicium & miſericordiam, ac diligere veritatem & pacem potius, quàm infructuosè ieiunare. ieiunia abſque operibus miſericordiæ parum aut nihil vtilia eſſe, promittit templum ædificantibus proſpera multa, Ieruſalem reædificandam, ſanctificandam & habitatoribus replendam. Vaticinatur CHRISTVM regem humilem ac pacificum venturum, ſedentem ſuper aſinam & pullum eius ingreſſurum Ieruſalem, vendendum 30. argenteis proijciendis in templo ad ſtatuarium, eundemque Chriſtum paſtorem percutiendum, & oues diſpergendas, multa paſſurum, perfoſſis manibus affigêdum cruci. ſanguine proprio ſuos redempturum. Item ſpiritum gratiæ, fontemque baptiſmatis effundendum ſuper habitatores Ieruſalem. gentes ad Chriſtum & Eccleſiam concurſuras, templum ac Ieruſalem per Romanos vaſtandum & deſtruendum. Iudæos per vniuerſum orbem diſpergendos. ſub typo Ieruſalem Antichriſtum gregem & Eccleſiam CHRISTI diſſipaturum, Chriſtum verò eundem & ſuos iudicaturum.

Prophetia de Chriſto.

## Anno mundi 3493.

1.Eſdr 6. 3.Eſdr 7. Ioan.2. Templum conſummatur & dedicatur.

ANNO ſexto Darij, die tertia Februarij conſummatum eſt templum. ex quo primum fundari cæpit anno 46. faciuntq; dedicationem eius cum ingenti lætitia & oblationibus multis.

1.Eſdr.6. 3.Eſdr.7. Paſcha.

Porrò die decimaquarta Martij, celebrant Paſcha & feſtum ſiue ſolennitatem azimorum 7. diebus, epulantes & gaudentes quòd Deus conuertiſſet cor regis ad eos.

## Anno mundi 3494.

1.Eſd.7.8. 3.Eſd.8.

ANNO 7. Darij Artaxerxis Eſdras ſacerdos & ſcriba legis Dei doctiſſimus (qui libros veteris teſtamenti à Chaldæis exuſtos reparauit, vtq; Samaritanis non miſcerentur, nouis literis cõſcripſit) impetratis ab Artaxerxe rege literis libertatis magnæq; libertatis ac poteſtatis, ac vaſis plurimiſque donis auri & argenti, aſcenſurus de Babylone Ieroſolymam, vt ibi legem Dei doceret, & populum regeret, cæpit 1. die Mart. congregare Iudæos iuxta fluuium Ahaua, vbi peracto triduano ieiunio ac oratione, ad Deum vt Deus dux eſſet itineris, cum ſocijs 1775. iter ingreſſi die 12. Martij, proſperè perueniunt in Ieruſalem 1. die Iulij, vbi die 4. vaſa ac dona ſecum allata in templo ſacerdotibus tradunt, victimaſq; Deo offerunt.

Eſdras aſcendit Ieroſolymã.

*Not. Hæc omnia de Eſdra Genebrardus multò ante contigiſſe dicit, vt & de Heſter.*

1.Eſdr.9. 3.Eſdr.8. Eſdras luget peccata populi.

Eiuſdem anni 7. menſe Nouembri, cùm audiſſet Eſdras multos Iudæorum duxiſſe vxores alienigenas, ſcindit veſtes, euellit pilos capitis & barbæ, ſedetq; dolens, mærens ac ieiunans vſque ad veſperam. tunc in templo genibus flexis, manibusq; ad Deum extenſis, flens confitetur peccata populi, oratq; coram Domino, populumq; ad fletum & pœnitentiam commouet.

1.Eſd.10. 3.Eſd.9. Separatio exterarum.

Deinde die 20. Nouembris Iudæos vniuerſos conuocatos Ieroſolymam, in atrio templi trementes propter peccatum ac frigus pluuiamque peccaſſe arguit, vxores alienigenas cum liberis earum repudiare præcipit, conſtituitque iudices qui facta examinatione à prima Decemb. vſque ad primã Martij ſeparant externas cum natis earũ à populo Iſrael, Deũque victimis placant.

## Anno mundi 3502.

1.Par.3. Philo.

RESA Miſciola filius Zorobabel, 2. dux Iudæorum præeſt annis 66

## Anno mundi 3507.

Neemia ſiue 2.Eſdra.1.

ANNO 20. Artaxerxis Longimani regis menſe Nouembri, Neemias Iudæus pincerna Artaxerxis regis Perſarum audiens in Perſide à quibuſdam qui venerant de Ieruſulem afflictionem eorum qui erant in Iudæa, flet & luget diebus multis, ieiunat & orat Deũ vt inueniret gratiam coram rege: menſe autem dein Martio cum inter epulas vinũ porrigeret regi mæſtus, impetrat à rege conſenſum & literas eundi ac reædificandi vrbem Ieruſalem. Hoc ergo tempore inchoantur 490. anni hebdomadum Danielis, ac terminantur triennio poſt mortem Chriſti.

Licentia ædificandi Ieruſalem. 2.Eſd.2. 70. Hebdomadæ Danielis.

*Not. Hæc non ſatis conſtant: nam 70. hebdomades incipiunt ſtatim à 70. captiuitatis finito: atq; hinc illæ diſcrepantiæ chronologorum, propter admirabilem ſcripturarum & hiſtoriarum diuerſitatem, quemadmodum etiam fatetur B. Arias.*

Eſd.3.4.5.6.7. Aedificatio Ieruſalem.

Profectus autem Neemias in Iudæam, cæpit 5. die Iulij ædificare muros, portas & turres Ieruſalem, adiuuantibus eum Eliaſib filio Ioachim filij Ieſu filij Ioſedec pontifice maximo, & Reſa Moſollam filio Zorobabel duce populi, alijſque principibus plebis, ac populo: & propter varias irriſiones, ſubſannationes, inſidias ac inſultus hoſtium circunfinitimarũ ædificationem impedire conantium, Iudæi vna manu tenentes gladium, & altera ædificantes, Deo proſperante intra 52. dies opus perficiunt, idq; complent 25. die Auguſti. quo abſoluto Neemias valuas, fores, vectes ac cuſtodes portis adhibet.

Iudæi armati ædificant.

2.Eſdr.8. 3.Eſd.9.

Die 1. Septembris conuocato omni populo Ieroſolymam, Eſdras ſtãs in templo è ſuggeſtu legit clarè & diſtinctè legem Domini à

mane



Eſdras docet populum.

mane vſque meridiem vniuerſa multitudine virorum & mulierum audiente, flente, Deumque adorante. Inde digreſſi, feſtum lætumque diem agunt. & deinceps iuxta legem celebrant feſtum tabernaculorum, palmarũ, & collectæ, Eſdra ſingulis diebus legente in libro legis.

2.Eſd.9.10. Fœdus Iudæ ſeu Iſrael cum Deo.

Die autem 24. Septembris conueniunt in ieiunio & ſaccis, & humus ſuper capita. rurſumque ſeparant ſemen alienum, legunt in libro legis quater in die, confitentur Dei beneficia, ſuaque peccata, fœdus cum Deo percutiunt, promittunt, iurant, ac ſubſignant ſeruaturos ſe Dei legem, præcepta, feſta, annum ſeptimum, oblationes, primitias & decimas.

2.Eſdr.11. 12.13. Dedicatio muri Ieruſalem.

Poſthæc Neemias vrbem Ieruſalem habitatoribus populat, & conuocatis vndique ſacerdotibus & Leuitis, magnificè celebrat dedicationem muri Ieruſalem cum magna lætitia, canticis, & victimis. ac regit ibi populum annis 12. deinde redit ad Artaxerxem an. 32. regni eius, ſicut promiſerat. Poſt paululum conſenſu regis reuerſus Ieroſolymam, quædam mala in ipſius abſentia orta, corrigit, librumque ſcribit eorum quæ geſſit, ibique ſenex obijt.

## Anno mundi 3525.

DARIVS Nothus rex Perſarum, annis 19.

## Anno mundi 3544.

Aſſuerus regnat.

ASSVERVS, qui & Artaxerxes magnus, regnat ab India vſque Aethiopiam ſuper 127. prouincias annis 55.

Eſter 10.11. Somnium Mardoch.

Anno eius 2. die 1. Martij, Mardochæus Iudæus, tranſlatus de Ieruſalem cũm Iechonia rege Iuda, videt in ſomno fontem paruum creſcere in fluuium, lucem, & Solem: quo ſignificabatur humilem Heſter exaltandam.

*No. Genebrar. notat hunc Aſſuerum fuiſſe Xerxem, qui in Græciam copias duxerit, cui nupſerit Heſter: Huius filium fuiſſe Darium Longimanum, cui ſucceſſerit ille, qui ab Alexandro cæſus eſt.*

## Anno mundi 3546.

Eſter 1. Conuiuium Aſſueri.

ANNO 3. regni ſui Aſſuerus volens oſtentare diuitias gloriæ regni ſui, facit in veſtibulo horti ſui grande conuiuium cunctis principibus & præfectis ſuis, in quo rex hilaris Vaſthi reginam accerſit, vt oſtenderet conuiuis pulchritudinem eius. at cùm venire nollet, rex 7. ſapientum conſilio eam repudiat, edictumque promulgat, vt vxores quæque deferant honorem maritis ſuis.

Eſter 2. Eſter fit regina.

Deinde multas facit ſibi adduci virgines ſpecioſas, ex quibus vnam eligeret loco Vaſthi. deligit autem Heſter Iudæam, ignotam tamen, neptem occultam Mardochæi, quæ cæteras pulchritudine & gratia præcellebat: eamque coronat ſibi in reginam & vxorem, celebratque nuptias anno 7. regni ſui, menſe Decembri. Porrò Mardochæus ad oſtium palatij obſeruans, 2. eunuchos vitæ regis inſidiantes prodit: itaque re comperta, illis ſuſpenſis, hoc factum Mardochæi annalibus inſcribitur.

## Anno mundi 3555.

Eſter 3. Iudæi occidendi. Tyrannis Aman. Eſter 13.

ANNO 12. Aſſueri, menſe Martio, Aman ſecundus à rege, indignatus quòd ſolus Mardochæus Iudæus ipſum adorare nollet, impetrat ab Aſſuero vt iuberet omnes in regno ſuo Iudæos interfici. miſſa ſorte quando id fieret, exit ſeu cadit menſis Februarius. Itaque mittit ad vniuerſas 127. prouincias literas regis annulo ſignatas, vt 13. Februarij vniuerſi vbique Iudæi occidantur.

Eſter 4. Eſter 13. & 14.

Quapropter Mardochæus ac reliqui paſſim Iudæi vehementer lugent. Heſter autem mandato Mardochæi non vocata ad regem ingreſſura, vt necem Iudæorum deprecetur, iubet vt triduo pro ſe ieiunent & orent: idemque ipſa facit.

Eſter 5. & 15.

Die autem tertio regali cultu ornata anxiaque intrat ad regem, petit vt ipſe & Aman ad ſuum veniant conuiuium, in quo ab exhilarato rege de ſua petitione ſeu quidnam peteret interrogata, rurſus vtrumque inuitat ad ſequentis diei conuiuium. Egreſſus autem è conuiuio Aman, videt Mardochęum non exhibere ſibi honorem: vnde iratus parat ipſi patibulum, in quo poſtridie eum ſuſpendat.

Eſter 6. Exaltatio Mardoch.

Noctem illam rex ducens inſomnem, iubet annales ſibi legi, reperienſque inibi Mardochæi fidelitatem in detectis eunuchorum inſidijs, facit ipſum mane per Aman honorari, corona purpuraque ornatum regio equo vehi & obequitare per plateas vrbis.

Eſter 7. Suſpenſio Aman.

Heſter autem in conuiuio regem exhilaratum orat pro ſua & populi ſui vita, & liberatione: ipſumque Aman Iudæorum hoſtem palam & apertè accuſat. quem rex mox iubet ac facit ſuſpendi in patibulo quod ipſe Mardochæo parauerat: Mardochæum verò exaltans in ſuſpenſi locum, ſecundum à Rege conſtituit.

Eſter 8.9. & 16. Liberatio Iudæorum.

Porrò Heſter die 23. Maij conſenſu ac nomine regis mittens ad ſingulas regni prouincias nouas literas annulo regis obſignatas, veteres literas ab Aman in necem Iudæorũ miſſas retractat & irritas facit, Iudæis ſecuritatem præbet, inſuper & poteſtatem vt eadem die decimotertio Februarij, qua neci erant deſtinati, ipſi vice verſa occidant omnes aduerſarios & hoſtes ſuos. Itaque gauiſi prædicto die 13. Februarij ſuſpendunt 10. filios Aman, ac paſſim trucidant vſque ad 75. millia hominum. conſtituitque Mardochæus diem Phurim, id eſt, ſortium deinceps annuatim à Iudæis gaudio atque conuiuijs celebrandam. vixitque Mardochæus, teſte Philone, annis 198.

Feſtum ſortium.

Malach.1. 2.3.4. Prophetia Malachiæ.

Circa hæc tempora Malachias propheta increpat Iudæos ſiue Iſraëlem, quòd vitioſas hoſtias offerant, ideoque eorum ſacrificia à Deo reprobanda: gẽtium autem oblationem mundam, quæ in omni loco offeretur & ſa-

 crifica-

crificabitur Deo, ei gratam fore. prædicitque Ioannem Baptiſtam Diuinitùs mittendum præcurſorem primi aduentus Chriſti: Eliam verò prophetā mittendum ante poſtremum eiuſdem aduentum ad iudicium, qui conuertat cor patrum ad filios.

## Anno mundi 3568.

*Philo in breuiar. Ioſeph. antiq. Iud. li. 11. cap. 7. & 8.*

IOANNA ben Reſa 3. dux Iuda præeſt Iudæis annis 53. Deinde Iudas Hircanus primus annis 14. cuius tempore Manaſſes frater Iaddi pontificis Iudæorum, eò quòd alienigenam duxiſſet vxorem, filiam nempe Sanaballet ſatrapæ ſeu principis Samariæ, ab altari pulſus, abiens in Samariam ad ſocerum contra legem extruit in monte Garizim templum Ieroſolymitano ſimile. eiuſque à Sanaballet Pontifex conſtituitur. incidit autem huius templi deſolatio ab Hircano poſt annos 200. Ioſeph. 13. antiq. 16. 17.

*Templum in Garizim.*

*Ioſep. ant. 11. cap. 8. Alexand. Magnus.*

Poſthæc Alexander Magnus rex Macedoniæ mouens exercitum in Perſas, capta Damaſco ac Sidone, Tyrum oppugnat, ſcriptiſque ad Iaddum Iudęorum pontificem literis, petit auxilium. Pontifice recuſante, eò quòd Dario regi Perſarum fidei ſacramento obligatus eſſet: iratus Alexander capta mox Tyro, properat ad expugnandam Ieruſalem. at Pontifex indicta populo ſupplicatione, Dei iuſſu indutus ornamentis pontificalibus, cum ſacerdotibus ac populo in veſtibus albis obuiam procedit Alexandro, quem cùm ſic ornatum videret Alexander, depoſito furore protinus deſilit ex equo, ac pronus ſupplex adorat Dei Pontificem, nomenque veneratur. obſtupeſcentibus hoc ſuis principibus, reſpondet, quòd cùm eſſet adhuc in Macedonia, Deum hoc ipſo habitu ſibi apparuiſſe, ac promiſiſſe quòd ipſius ope potiretur Perſarum imperio.

*Alexander adorat Dei pontificem.*

*Alexander Deo ſacrificat.*

Ingreſſus vrbem Ieroſolymam ac templum, ex ſacerdotis præſcripto victimas Deo immolat. Oſtenſoque ſibi Danielis libro, in quo Græcum quendam Perſas debellaturum ſignificat, hunc ipſum ſe eſſe interpretatus, Iudæis magna priuilegia tributorumque immunitatem concedit.

*1. Mach. 1. 3. Monarchia Græcorum.*

Hinc ſubacta Aegypto, pergit in Perſas, Darium ipſorum regem pugna victum occidit, monarchiam transfert ad Græcos. quo tempore Hiſpani, Belgæ, Morini, eius amicitiam petunt. qua illis conceſſa Alexander bellis ac victorijs progreditur vltra Indos vſque ad fines terræ.

## Anno mundi 3641.

*1. Mach. 1. Diuiſio imperij.*

REVERSVS Babylonem, veneno intoxicatur, ætatis ſuæ anno 32. regni 12. moriensque diuidit regnum pueris ſuis, quorum Philippus Aridæus frater Alexādri, tenet Macedoniam & Græciam. Ptolomæus Lagi filius, Aegyptum. Antigonus, Pamphiliam & Aſiam. Seleucus Nicanor Babyloniam. qui anno 12. poſt mortem Alexandri victo Antigono, imperare cœpit & Syriæ, ac Aſiæ, vniuerſiſque regnis Orientis à Phrigia vſque ad Indiam. regnans deinceps annis 32. Ab hoc tempore ſupputatur regnum Græcorum in libris Machabæorum.

## Anno mundi 3635.

*Luca 3. Philo. Ioſeph. 12. antiq. 1.*

IOSEPH Priſcus, dux 5. præeſt Iudæis annis 7. deinde Semei Abner annis 11. ſub quo Ptolomæus Soter rex Aegypti ſpecie religionis ſub ſimulatione ſacrificij venit Ieroſolymam ſabbato, & multa Iudæorum millia doloſè capta, transfert in Aegyptum, ac in ſeruos vendit.

## Anno mundi 3653.

*Luca 3. Philo. Duces Iuda.*

MATATHIAS Heli, dux 7. præeſt reliquijs Iudæorum annis 12. Inde Maat Aſar annis 9. Nagge Artaxat annis 10. Heſli Agai annis 8.

## Anno mundi 3685.

*Ariſteas lib. ad Philocratem. Ioſeph. 12. antiq. 2.*

PTOLOMAEVS Philadelphus rex Aegypti, ſtudioſiſſimus literarū amator, innumeros libros vndiq; comparat ſibi Alexandriæ in bibliotheca. audiens autem Diuinam legem Hebraicè ſcriptam eſſe Ieroſolymis, vt & eam obtineret, ilicò 120. milia Iudæorū, qui in regno ſuo ſeruiebant, ab Aegyptijs redimit, pro quolibet capite 120. drachmas argenti ſoluens, redemptos manumittit: deinde mittit multa munera templo Domini, & epiſtolam ad Eleazarum Iudęorum pontificem, obſecrans ſibi transmitti Dei legem, viroſq; peritos, qui poſſent Græcè transferre. ſtatim mittit Eleazarus 72. ſeniores cū lege aureis literis tenui mēbranæ inſcripta. quos rex ſuſcipiēs honorificè Alexandrię, triduo permagnificè tractat. Poſtea deſignat eis baſilicam, ad quā quotidie certis horis conuenientes, intra 72. dies legem interpretati ſunt, cautè potius, quàm ſyncerè. Completa tranſlatione, remittit eos rex ad propria maximis pręmijs honoratos. cuius bibliotheca cum 40. milibus librorum tandem à Iulio Cæſare exuſta eſt.

*70. Interpretes Biblia vertunt.*

*Plutar. in vita Cæſaris.*

## Anno mundi 3685.

ANTIOCHVS Soter, rex 2. Syriæ, regnat annis 19. deinde Antiochus Theos annis 15. huic tradidit Ptolom. Philadelphus Bernicen filiam ſuam in vxorem cauſa firmandæ pacis: quam tamen obtinere diu non potuit, vt prophetauerat Daniel, eò quòd occiſa ſit ab alia dicti regis vxore.

*Daniel. 11.*

## Anno mundi 3692.

*Luca 3. Philo.*

NAVM Maſlot, 11. dux Iudæorum, præeſt annis 7. poſt eum Amos Syrach annis 14. Matathias Siloa annis 10. Ioſeph iunior Arſes annis 60.

## Anno mundi 3719.

SELEVCVS Gallinicus 4. rex Syriæ, regnat annis 20. Ptolomæus Euergetes rex Aegypti



*Daniel. 11.*

Aegypti vindicans necem Bernicis ſororis ſuæ, vt prædixerat Daniel, debellat Seleucum Gallinicum, obtinet Syriam: cumq; audiret in Aegypto ſeditionem moueri, diripit ex Syria deorum ſimulacra 2500. vaſaque pretioſa, & 40. millia talenta argenti, quibuſcum reuertitur in Aegyptum.

## Anno mundi 3739.

*Daniel. 11.*

SELEVCVS Ceraunus 5. rex Syriæ, regnat annis 3. cœpit debellare duces Euergetis, ſed anno 3. ab eis occiditur. quo audito Antiochus magnus frater eius, feſtinanter ex Babylone aſcendit, debellat duces Aegyptios, & obtinet Syriam, quam tenet 36. annis.

## Anno mundi 3737.

*Eccleſ. 1. 2. 3. & c. 50. 51. Liber Eccleſiaſticus.*

TEMPORE Ptolomæi Euergetis regis Aegypti, & Simonis Iuſti Iudæorum pontificis, Ieſus filius Sirach Ieroſolymita aureas ſapientum ſententias ab auo ſuo Ieſu filio Sirach Hebraicè collectas, græcè transfert, ac ſub titulo ſapientiæ edit. quem librum vocāt πανάρετον, quaſi omnium virtutum receptaculum, nos Eccleſiaſticum appellamus. in quo ad ſapientiæ virtutumque omnium amorem ſanctorum patrum tum ſententijs tum exemplis inuitat.

*Daniel. 11. Lib. 3. Machabæorū.*

Ptolomæus Philopator rex Aegypti egreſſus, exercitum Antiochi magni debellat, Syriamque recipit. Inde cum exercitu ingreſſus Iudæam, Ieroſolymę in templo ſacrificat, maximo Deo gratias reddens: at prohibentibus licet ſacerdotibus, viſendi gratia intrat ſancta ſanctorum, vnde Simone pontifice orante, à Deo flagellatur acerbè in templo, ita vt humi iaceret ſine viribus. Reuerſus in Aegyptum, edicto iubet omnes Iudęos in Aegypto exiſtentes, vinctos ad ſe perduci ſeu in campo congregari puniendos, tribus viciſſim vicibus occidi ac deleri.

*Philopator Diuinitus in templo flagellatus.*

*Daniel. 11. Ioſeph. 12. antiq. 3. Antiochus magnus.*

At Eleazaro ſene viro inſigni cum alijs Iudæis orante, 2. Angelis cælitus apparentibus, Iudæi liberantur, Philopatoriq; reconciliati, epulantur, liberè in Iudæam reuertuntur, ac diem feſtum annuum liberationis celebrandum ſtatuunt. verùm Antiochus reparato exercitu, deuincit hoſtes, & omnia recuperat, Iudæam ſibi ſociat, vt Daniel prophetauerat. Deinde Scopam ducem Ptol. Epiphanis regis Aegypti Iudæam Syriamque occupantem auxilio Iudæorum ad fontes Iordanis ſuperat fugatque. Ingreſſus Ieroſolymam, Iudæos magnis immunitatibus muneribuſque donat. Inde doloſè fœdere cum Ptolo. Epiphane inito, deſpondet & dat ei Cleopatram filiam ſuam, vt licentius Aegyptum inuaderet. Ille vt dolum ſenſit, cauit ſibi. Antiochus igitur aliò ſe diuertens, capit Rhodum, Samum, & alias inſulas Aſię. tandem victus & captus à Scipione Romano, iubetur regnare intra Taurum montem ſub tributo annuo, filiuſq; eius Antiochus Epiphanes obſes Romam perducitur. Inde fugit in Apamiam, cumque aduerſus Elimaęos pugnaret, cum omni deletur exercitu.

*Daniel. 11.*

*Daniel. 11. 1. Mach. 8.*

*Antiochus Epiphanes Romæ obſes.*

## Anno mundi 3775.

*Genebrar. 3922.*

SELEVCVS Philopator, qui & iners dicitur, 7. rex Syriæ viliſſimus, indignus decore regio, regnat annis 2. quos Daniel vocat dies paucos, reſpectu patris. deinde contritus eſt non in furore, nec in prælio.

*Daniel. 11.*

*Ioſeph. 12. antiq. 5. 1. Mac. 12. S. Onias.*

Tunc apud Iudæos pontifex erat ſanctus Onias pius, Simonis iuſti filius annis 39. ad quem miſit legatos & literas Arius rex Spartanorum. i. Lacedæmoniorum, amicus & frater, & filius Abrahę, denuncians Iudæos & Lacedæmones ex vno patre Abraham ortos.

## Anno mundi 3783.

*Ioſeph. 12. antiq. 4.*

IANNAEVS Hircanus Secundus, 15. & vltimus dux de domo Dauid, præeſt Iudæis annis 16. poſt quem propter perſecutionem Antiochi Epiphanis ducatus vacat anno 1. Deinde Machabæi tam ducatum ſeu principatum, quàm ſacerdotium tenuerunt vſque ad Herodem.

*2. Mach. 3.*

His diebus Seleucus Philopator, qui & iners, filius Antiochi magni, Aſiæ rex, alijque reges ac principes multis donarijs honorabāt templum in Ieruſalem. Sed poſtea Simō quidam præpoſitus templi rebellis Oniæ pontifici, fugiens, indicat Apollonio, Phœnices duci & ille Seleuco Philopatori, eſſe Ieroſolymis in templo ærarium plenum pecunia, fiſco regis applicanda, quæ tamen pro ſuſtentatione pauperum ſeruabatur. miſſus ergo à rege Ieroſolymam Heliodorus vt eas auferat, cùm id attentaret, Iudæis Deum implorantibus, Diuinitus ab Angelis multis plagis flagellatur, ſed Oniæ ſacrificio ac precibus liberatus, mortem euadit, actiſque Deo & Oniæ gratijs, regreſſus nunciat regi Seleuco ac cæteris omnibus magnalia Dei.

*Honor templi.*

*Heliodorus templum ſpolians, flagellatur.*

## Anno mundi 3789.

*1. Mach. 1.*

ANNO regni Græcorum 137. præfatus Seleucus cupiens liberare fratrem ſuum Antiochum Epiphanem. i. illuſtrem ſiue nobilem, ab vrbe Roma, vbi erat obſes, mittit eis filium ſuum Demetrium in locum eius. Dimiſſus Antiochus Epiphanes, qui Romæ obſes erat, audita morte patris ſui & inertia fratris ſui, clam profugit de Roma, cumq; adhuc eſſet in via, eccè ſubitò Seleucus frater eius occiſus eſt, non in furore, nec in prælio, ſed proditoriè ab Heliodoro familiari ſuo, ſicut Daniel prophetauerat. Antiocho autē clam venienti in Syriam, primùm non eſt datus honor regius, ab his qui Ptolomęis fauebant, verùm poſtea (quia callidiſſimus erat) ſimulatione clementiæ in fraudulentia, dolo, & blāditijs obtinet regnum Syriæ, tenetque annis 11. radix peccati, & figura Antichriſti.

*Demetrius Romæ obſes datur.*

*Daniel. 11. Antiochus Epiphanes fit rex Syriæ.*

*1. Mach. 1. Daniel. 11.*

Inde pugna congreſſus cum principibus Aegyptijs, inter Peluſium & montem Caſſiū, ijs deuictis victor intrat ac vaſtat Aegyptum, capit ſpoliatque ciuitates, regnum Aegypti ſuſcipit: ſimulans ſe hæc agere titulo, ac prætextu tutoris pro conſobrinis filijs ſororis ſuę

*1. Inuaſio Aegypti.*

Ptolomæis Philometore & Phiſcone rege Aegypti impuberibus, cumque per hæc ſuſpectus fieret Ptolemæis. i. principibus Aegypti, bellum repetitur: verùm Antiochus omnia innocenter ſe feciſſe fingens, pacat eos, atque onuſtus eorum ſpolijs, reuertitur in Syriam terram ſuam.

*1. Mach. 1.* *2. Mach. 4.*

Veniens Ieroſolymam, facit mala multa, quem ibi ſtatim adit Iaſon frater Oniæ pontificis, petit permitti ſibi pontificatum fratris, ac poteſtatem viuendi more gentium, promittens regi quotannis argenti talenta 590. conſentit rex. tum ille occupato pontificatu ſtatim omnem Dei cultum peruertit, factoque & ædificato gymnaſio Ieroſolymis ſub arce, transfert gentem ſuam ad ritus gentilium, & optimos quoſque epheborum in lupanaribus ponit. bene conſtituta amouet, praua inſtituit, mittitque Tyrum 300. didrachmas argenti in ſacrificium Herculis.

Introductio gentilitatis Ieroſolymæ.

## Anno mundi 3792.

*1. Mach. 4.*

POST triennium mittit Iaſon Menelaum vt ferret regi pecuniam. qui plura regi talenta pollicitus obtinet ſibi pontificatum. expulſoque Iaſone, qui proprium fratrem captiuauerat, ſedem illius inuadit: ſed quia nõ citò dedit pollicitas regi pecunias, amouetur. & frater eius Lyſimachus ſubrogatur. tunc quoque ſanctus Onias pontifex eò quòd Menelaum de ſacrilegio argueret, illius inſtinctu ab Andronico dolo perimitur Antiochiæ, quò fugerat à facie Iaſonis fratris ſui. propter quod iuſſu Antiochi Andronicus in eodem loco interimitur. Menelaus autem non ferens eiectionem ſuam concitata plebe fratrem ſuum Lyſimachum ſacrilegum iuxta ærarium opprimit: multaque pecunia mediante à rege abſolutus, occiſis innocentibus eius accuſatoribus, reſumit pontificatum, creſcens in malitia. tandem iuſſu Antiochi Eupatoris occiſus eſt.

*2. Mac. 13.*

## Anno mundi 3795.

*2. Mach. 5.* *Daniel. 11.*

ANNO regni Græcorum 143. rex Antiochus intelligens vrbes Aegypti à ſe defeciſſe, ſecundam parat profectionem ſeu expeditionem in Aegyptum: ſed iuxta ſententiam Danielis non erat nouiſſimum priori ſimile. cùm enim apud Alexandriam haberet exercitum, illicò appellunt naues Romanorum ad ſubuentionem Aegyptiorum, Marcuſque Popilius Romanorum legatus præcipit Antiocho, vt ab amicis populi Romani recederet. At ille: Deliberabo, inquit, cum concilio meo. Tunc Marcus ſceptro ſuo circunſcribit in arena regem, & ait: Senatus, populusque Romanus præcipiunt, vt hîc reſpondeas. Territus Antiochus dicit: Si hoc placet Romanis, recedendum eſt. itaque furibundus mouet exercitum verſus Iudæam.

2. Inuaſio Aegypti.

*2. Mach. 5.* Signa in aere.

Interea Ieroſolymis armati exercitus in aëre congredi diebus 40. conſpiciuntur. Paulò pòſt Iaſon credẽs Antiochum obijſſe, cum mille viris inuadit Ieruſalem, ciues crudeliter occidit: iterumque profugus exul apud exteros miſerè perit.

*2. Mach. 5.* Clades Ieruſalem.

Deinde Antiochus 25. die menſis Caſleu, efferato animo armis ingreſſus Ieroſolymam, intra triduum 80. millia ciuium trucidat, 40. millia vinxit, non minus venundat. inſuper Menelao ductore intrat templum; aufert altare aureum, menſam propoſitionis, candelabrum luminis, vniuerſa vaſa ac theſauros, auri & argenti 1800. talenta, velociterque regreditur Antiochiam. Sed brachia ex eo ſteterunt, iuxta Danielem. Diſcedens enim Antiochus reliquit Ieroſolymis præſidij loco principes præpoſitos ſe ipſo crudeliores ad affligendum gentem Iudæorum.

*1. Mach. 1.* *2. Mach. 5.* Strages populi Iudęorum. Spoliatio templi. *Daniel. 11.*

## Anno mundi 3797.

POST 2. annos Anno 145. regni Gręcorum, rex Antiochus miſſo Apollonio duce cũ exercitu 22. millium ſimulata pace doloſè in Ieruſalem, denuò plurimos Iudæorum occidit ſabbato, mulieres ac pueros vendit, multas domos ac ædes ſpoliat, exurit, ac diruit, ſpolia pecoraque rapit, arcem Sion præſidio gentium munit, tollit & iuge ſacrificium, publicatoque in Ieruſalem, Iudæa, & per omne regnum ſuum edicto; ſub mortis pœna mandat & compellit Iudæos relinquere Dei legem, ſacrificia, feſta, ſabbata, ac ceremonias, libros ſacros legis ſeu teſtamenti Domini cõburi; ac leges gentium ſeruare, aras & idôla erigere, & ijs thus incendere ac ſacrificare, porcinas carnes immolare & edere, & anno 145. die 15. Nouembris ponit in templo ſuper altare Dei idôlum ac ſimulachrũ Iouis Olympij, cui ſacrificare cœperunt 25. die menſis eiuſdem, immolantes ac offerentes porcos aliaque illicita, ac in ipſo templo comeſſantes ac ſcortantes cum meretricibus. in templo autem montis Garizim ponunt imaginem ſeu ſtatuam Iouis hoſpitalis. itaque multi paſſim Iudæorum relicta Dei lege gentilitatem ſequuntur, impij quidem voluntariè, infirmi autem timore: pij verò in legis obſeruantia perſiſtentes vbique crudeliter trucidantur.

*1. Mach. 1.* *2. Mach. 5. 6.* Perſecutio Antiochi ſæuiſſima. Abolitio cultus Dei. Pollutio templi.

Tunc mulieres, eò quòd filios ſuos circuncidiſſent, infantibus ad colla ſuſpenſis per ciuitatem circumductæ, per muros præcipitantur.

*1. Mach. 1.* *2. Mach. 6.*

Alij autem ad proximas coeuntes ſpeluncas, & latenter ſabbatum celebrantes, concremantur.

*2. Mach. 6.*

Tunc Eleazarus ſcriba nonagenarius, quòd nollet comedere carnem porcinam, nec id ſimulare, diris plagis perimitur.

*2. Mach. 6.* Eleazarus.

Tunc ſeptem fratres Machabæi vnà cum matre ſua, nolentes porcinis veſci carnibus, pro lege Dei ab Antiocho rege poſt atrocia fortiſſimeque tolerata ſupplicia ac tormenta terribili morte & Martyrio conſummantur.

*2. Mach. 7.* Machabæi martyres.





## Anno mundi 3799.

*Genebrar. 3922.* *1 Mach 2.* *2. Mac. 5.*

TVNC Matathias ſacerdos in ciuitate Modin cum 5. filijs ſuis Ioanne, Simône, Iuda, Eleazaro & Ionatha, ſciſſis veſtibus plangens ac lugens ſanctorum prophanationem, afflictionemque Iſraël, reſpondet his qui ab Antiocho à rege miſſi erant, nec ſe, nec ſuos idôlis ſacrificaturos, quin Iudæum quendam ſacrificantem, regiumque ducem ad hoc compellentem, occidit, aram diruit, & fugit cum filijs & amicis in deſertum, in montibus & ſpeluncis, inter feras herbis victitantes. vbi mille Iudæi nolentes ſabbato pugnare, trucidantur. Matathias autem collecto piorum exercitu zelo legis arma corripiens, & ſabbatis etiam pugnans, Antiochi ducibus reſiſtit, idololatriam deſtruit, vindicat legem, reuocat Dei cultum pueros incircunciſos circuncidit, tandemque moriturus hortatur filios vt patrum exemplo ſemper fortiter tueãtur legem Dei, dans eis Simônem filium ſuum in conſultorem, & Iudam Machabæum in militiæ principem. obijt anno regni Græcorum 146.

Matathias Dei legem vindicat.

## Anno mundi 3800.

*1. Mach. 3.* *2. Mach. 8.* *Philo in breuiar.* Iudas Machabæus. *1. Mach. 1.* Iudas Antiochi duces debellat.

IVDAS Machabæus loco patris principatum ſimul ac pontificatum Iudæorũ (quorum alterum domui Dauid, alterum tribui Leui hactenus adhæſerat) tenet annis 5. ſtatimque vt gigas ac leo perambulans ciuitates Iuda, omnes impios trucidat: mox Apollonium Samariæ ſeu Cæleſyriæ ducem occidit exercitumque eius delet, ac gladio illius deinceps vtitur.

*1. Mac. 3.* Seron.

Deinde Seronem Syriæ principem, cum paucis Deo fidens, potentiſſimumque eius exercitum iuxta Bethoron conterit. quo audito rex Antiochus, conſcribit ac colligit exercitum: at deficiente pecunia, committit Lyſię bellum in Iudæos, vt Iudæos penitus deleret, & abit in Perſidem colligere tributa regionum.

*1. Mac. 3. 4.* *2. Mac. 8.* Cædes gentium.

Anno 147. Lyſias mittit Nicanorem & Gorgiam cum 47. millibus bellatorum in Iudæam ad delendum Iudæos. at Iudas peracto in Maſpha ieiunio, pœnitentia & oratione, Deo fretus, ſuosq; ad conſtantiam hortatus, cum tribus millibus iuxta Emauntem hoſtes inuadit, fundit, ac fugat, eorumq; ſpolia Iudęi debilibus, orphanis, & viduis diuidunt. Nicanor autem ſolus per mediterranea fugiens Antiochiam, prædicat Iudæos Deum habere protectorem.

*1. Mach. 4.*

Anno 147. venit Lyſias ipſe cum 65. millibus in Iudæum iuxta Bethoron. Iudas verò inuocato Dei auxilio cum 10. millibus hoſtium copias deuincit, proſternit, profligat. Lyſias fugit Antiochiam, nouum reparaturus exercitum.

*1. Mac. 4.* *2. Mac. 10.* Encœnia, id eſt Dedicatio tẽpli.

Iudas autem cum ſuis aſcendit Ieroſolymam recipit ciuitatem, aras in plateis extructas deſtruit, arcem Sion expugnat, templum purgat à ſordibus idolorum, ædificat nouum altare holocauſti, altare thymiamatis, candelabrum menſam, vaſa, cæteraq; omnia renouat & exornat. cultum Dei reſtituit. offert ſacrificium anno 148. 25. die Nouembris, triennio deſolationis præciſè completo. ornant templum coronis aureis, celebrant dedicationem altaris & templi magna lætitia diebus 8. ſtatuunt vt ſimili modo ſingulis annis ageretur.

*Ioan. 10.*

Hinc Iudas auxilio fratrum debellat Idumæos, Galilæos, Galaaditas, Ammonitas, & alias gentes finitimas Iudæis infeſtas, Timotheum ducem Ammonitarum ſemel atque iterum deuincit, variaſque ciuitates expugnat. idôla ipſarum ſuccendit, aras earum diruit, & ſubuerſis ipſarum ſimulachris integro numero reuerſi in montem Sion, læti Domino ſacrificant.

*1 Mac. 5.* Debellatio vicinarum gentium.

Anno 149. menſe Martio Antiochus tentat ſpoliare opulentiſſimum templum Elymaidis in Perſide, ſed fugatus à ciuibus fugit ac reuertitur in Babyloniam circa Ecbatanas: vbi audiens ſuorum in Iudæa debellationem Iudæorumque proſperitatem, furibundus proponit feſtinanter Iudæos omnes perdere, ac Ieruſalem euertere. ſed ſubitò percutitur à Deo maximis viſcerum doloribus, ita vt de corpore eius vermes ſcaturirent cum fætore intolerabili. vnde confitetur hoc ſibi contigiſſe, & hęc ſe pati propter mala quę in Iudęos exercuerat. ſimulat pœnitentiam, promittit emendationem, ſcribit ad Iudæos literas ſupplices, vt filio ſuo Antiocho ſubditi perſiſterent, tandemq; à vermibus cõſumptus perit. impletaque eſt prophetia, quæ dixerat: Sine manu conteretur, Daniel. 8. quo cognito Lyſias, conſtituit filium illius Antiochum Eupatorem regem adoleſcentem, regnat annis. 2.

*1. Mac. 6.* *2. Mac. 9.* Antiochus Epiphanes à vermib. cõſumitur.

Iudas autem primò Gorgiam, deinde Timotheum duces Eupatoris Iudæam inuadentes deuincit, vltra 66. milia hoſtium occidit, 5. equitibus è cælo ei auxiliantibus, variaſque aduerſariorum munitiones expugnat.

*2. Mac. 11.* Auxilium è cælo.

Vnde Lyſias cum 80. millibus, & 80 elephãtis. & equitatu vniuerſo veniens in Iudæam, iuxta Bethſuram conatur Iudæos debellare, ſacraque profanare: at cæleſti equite Iudæos adiuuante, ab ipſis debellatur. itaq; intelligens Iudæos, Dei auxilio innitentes, inuictos eſſe, pacem ab eis petit, & accepit. Igitur anno 148. die 15. Aprilis concedit rex per literas Iudæos ambulare in legitimis ſuis.

*2. Mac. 11.* Angelus Iudæos iuuat.

Eodem quoque die legati Romanorum per familiares literas amicitiæ ſigna ſcribunt Iudæis, eadem concedunt. Menſe autem Iunio Lyſias ad eoſdem ſuas mittit, & abit Antiochiam.

*2. Mac. 11.* Romani. *2. Mac. 11.*

Iudæi itaque agriculturæ operam dant, ſed reliquiæ nationum, non ſinentes in pace agere infeſtant eos. compulſus ergo Iudas Machabæus, illorum multa millia proſternit, diuerſas ciuitates expugnat, cum 6. millibus Timotheum habentem 122. millia Deo iuuante vincit, ac Gorgiam iuxta Odollam debellat. Iudæos autem in prælio occiſos ſepelit, reperto quod de donarijs idolorum ſuſtulerant,

*2. Mac. 12.*

*Oratio pro defunctis.*

ſtulerant, pro ipſis orat, factaque collatione mittit Ieroſolymam 12. millia drachmas argenti, curar pro ipſorum peccatis ſacrificium offerri. ſpem reſurrectionis oſtendit.

*1. Mach. 6. 2. Mach. 13. Obſidio arcis Sion. Eupator inuadit Iudæam. Eleazari magnanimitas. Leuit. 25.*

Anno 150. his qui in arce erant Iudæos affligentibus, cœpit Iudas obſidere arcem in Ieruſalem. quod vbi rex Antiochus Eupator audiuit, iratus venit cum Lyſia & exercitu 120. millium, & 32. elephantum turres cum militibus in tergo geſtantium, ad debellandum Iudam, cum quo ſemel & iterum congreſſus, multa milia ſuorum amittit. Eleazar Iudæus fortiter caſtra hoſtium penetrans, occiſo elephante ab eo oppreſſus, interit. rex tamen Eupator Bethſuram per deditionem capit & Iudæis aufert, eò quòd non eſſent alimenta concluſis, quia erat ſabbatum terræ, & quæ repoſita fuerant, iuxta legem, iam alienigenæ conſumpſerant.

*1. Mach. 6. 2. Mac. 13. Obſidio templi. Eupator pacem init cũ Iudæis.*

Deinde rex diebus multis obſidet & oppugnat montem ſiue arcem Sion, hoc eſt, templũ, vbi Iudas ſe munierat. ſed audiẽs Philippum quendã dominari Antiochiæ, poſtulat à Iuda pacem, concedens Iudæis vt ambulent in legitimis ſuis, & iurans ſe nihil facturum mali. acquieſcit Iudas. rex ingreſſus templum, offert ſacrificium, munera ponit, Iudam oſculatur, & facit eum principem à Ptolemaide vſque ad Gerrenos, ſed contra iuramentum ſuum deſtruit murum in gyro templi, ne fortè poſt diſceſſum ſuũ, occaſione præſidij rebellarent. receditque feſtinanter Antiochiam, ac Philippum fugat.

*Ioſeph. 12. antiq. 14. Ioſeph. 13. antiq. 4. Templũ in Aegypto. Iſa. 19. Ioſe. 1 bel. 1 & 7. bel. 30.*

Onias ſacerdos ſancti Oniæ pontificis filius cum multis Iudæorum fugit in Aegyptum, & impetrato à rege Philometore loco apud Hieropolim, ædificat ibi templum inſtar illius quod erat in Ieruſalem, cultumque Diuinum inſtituit: fingẽs hoc modo ſe implere ſcripturam, quæ dixerat: In die illa erit altare Domini in medio terræ Aegypti. hoc templum permanſit vſque ad imperium Veſpaſiani, & tũc funditus dirutum eſt.

*1. Mac. 7. 2. Mac. 14. Alcimus apoſtata. Pſalm. 78.*

Anno 151. poſt triennium, quàm templum à Machabæo purgatum eſt, Demetrius Soter antedictus Seleuci filius clã Roma profugus occupat regnum Syriæ, occiſiſque Antiocho Eupatore & Lyſia, regnat annis 9. aliàs 12. quem ſtatim adit Alcimus quondam pontifex, ſed propter idololatriã fugatus à Iuda, ac datis muneribus petit & ſe reſtitui in pontificatum, & interfici Iudam, quo ſuperſtite, nunquam futuram pacem. Miſſus ilicò Bacchides dux cum exercitu magno, in circuitu Ieruſalem multos Iudæorum perfidè occidit, conſtituit Alcimum pontificem, datiſque ei militibus, vt Iudam debellaret, redit ad regem. Iudas è cõtrario debellat Alcimum, qui regreſſus ad regem, imperat nouum exercitum, ducemque Nicanorem.

*1. Mach. 7. 2. Mac 14. Iudas ducit vxorem*

Nicanor autem metuens cum Iuda confligere, pacem cum eo facit, intrat Ieruſalem, hortatur Iudam ducere vxorem, filioſq; procreare, nuptijs intereſt, vnanimiter comiterque viuunt. quæ videns Alcimus, tertiò regem aggreſſus, omnia defert. rex commotus & iratus, ſcribit Nicanori vt Iudam caperet. Iudas autem tẽpeſtiuè ſubtrahit ſe. iratus Nicanor irriſis ſacerdotum ſacrificijs, extendens manum ad templum, iurat ſacerdotibus, ni Iudam tradant, ſe templum euerſurum. vnde ſacerdotes flentes Dei implorant auxilium, vt templum conſeruet, & vindicet Nicanoris blaſphemiam. Tunc ſenex Razias Iudæus à militibus Nicanoris comprehendẽdus, ſeipſum interficiens, in eos proprijs manibus ſua inteſtina proijcit.

*2. Mac. 14.*

*2. Mac. 15. Oratio ſanctorum defunctorum pro viuis.*

Nocte videt Iudas in ſomnis ſanctum Oniam pontificem extenſis manibus orare pro populo Iſraël: ac Ieremiam prophetam aureum ſibi tradere gladium, quo aduerſarios deuinceret.

*1. Mac. 7. 2. Mac. 15. Occaſus Nicanoris.*

Quam viſionem 3. millibus, qui ſecum erãt, exponens, animos eorum confortat. factaq; ad Deum oratione, Nicanorem contempta Dei potentia ſabbato, die 13. Februarij, ſe aggredientem, cum 35. millibus, totoq; exercitu proſternit, caput & dexteram ipſius præſciſſa, ſuſpendit Ieroſolymis contra templum, linguam verò eius blaſphemam particulatim auibus dat. conſtituitque præfatum diem quotannis feſtiuè celebrari, ad memoriam Diuinæ victoriæ.

## Anno mundi 3805.

*1. Mach. 8. Fœdus cũ Romanis.*

STATIM igitur poſt mortem Nicanoris, Iudas audita Romanorum potentia, mittit legatos Romam, fœdus ſocietatis mutuique auxilij cum eis init. qui remittunt Iudæis icti fœderis reſcriptum in tabulis æreis, & ſine mora ſcribunt Demetrio, ne Iudæos amplius moleſtaret.

## Anno mundi 3805.

*Genebrar. 39. 44. 1. Mach. 9. Iudas glorioſè occumbit. Philo in breuiar.*

AT Interea Demetrius rurſũ miſerat Bacchidẽ & Alcimũ cum nouo & electo exercitu in Iudæam menſe Martio anni 152. aduerſum quos Iudas cum paucis fortiter à manè vſq; ad veſperam confligens, in prælio occiditur. cuius frater Ionathas rogatu populi principatum, ducatum, ac pontificatum ſuſcipit. præeſt annis 19. ac ſtrenuè ſe Bacchidi opponit, ac Ioannis fratris ſui cædem vindicat.

*1. Mach. 9. Alcimi mors.*

Anno 153. Alcimus cœpit deſtruere muros ſancti ſanctorum, & opera prophetarum. ſed ſubitò percuſſus à Deo paralyſi, moritur tormento magno. quod videns Bacchides, redit ad regem. Sed poſt biennium reuocatus à falſis Iudæis, victuſque à Ionatha, facit pacem cum eo, atque diſcedit. ceſſatque gladius ex Iſraël.

*1. Mach. 10.*

Anno 160. Alexander nobilis, filius Antiochi Eupatoris, occupat Ptolemaidem, regnatque annis 10. Demetrius autem veritus ne forte Ionathas adhæreret Alexandro, feſtinat facere cum eo pacem, dat ei poteſtatem congregandi exercitum, & fabricandi arma, reddit omnes munitiones præter arcem Bethſuram, obſides reſtituit, magnaſque immunitates pro-



tes promitit. quin & Alexander conſtituit Ionatham pontificem Iudæorum, mittitque ei ſtolam purpuream & coronam auream, vt eum in ſuas partes pertrahat. itaque Alexandro adhærens Ionathas, induit ſe ſtola ſancta menſe Septembri eiuſdem anni 160. in feſto Scenopegiæ congregat exercitum, facit arma copioſa.

*1. Mac. 10. Ionathæ gloria.*

Deinde Alexander Demetrium prælio victum occidit, aſſumptoque Syriæ regno, mittit ad Ptolomæum Philometorem regem Aegypti, petens ſibi filiam illius vxorem dari. Conſentit ille, venitque cum Cleopatra filia ſua Ptolemaidam anno 162. ibique nuptiæ celebrantur. ad quas vocatus & Ionathas, ab vtroque rege plurimum honoratur, indutuſque purpura aſſidet Alexandro.

*1. Mac. 10. Ionathæ victoriæ.*

Anno 165 Demetrius ſecundus filius ſuperioris Demetrij Soteris venit à Creta in Syriam vt debellaret Alexandrum. ſed impediuit eum Ionathas, Apollonium eius ducem deuincit; octo millia occidit Azotum & templum Dagon ſuccendit, & in præmium accipit ab Alexandro fibulam auream, & Accaron cum finibus ſuis in poſſeſſionem

*1. Mac. 11. Mors 2. Regum.*

Anno 167. Ptolomæus Philometor dolo occupat regnum Alexandri generi ſui, filiam ſuam ei ablatam tradit in vxorem Demetrio. Alexander bello victus fugit in Arabiam, vbi caput eius abſcindunt mittuntque Philometori. quo viſo, & ipſe moritur poſt triduum. tunc ergo regnare cœpit Demetrius, & regnauit annis 6. in Aegypto: ſuccedit Euergetes ſecundus.

*1. Mac. 11. Libertas Iudææ.*

Tunc cœpit Ionathas obſidere arcem in Ieruſalem. Demetrius autem ſcribit ei, ne hoc faceret, ſed feſtinaret venire Ptolemaidam ad regale colloquiũ. acquieſcit, accedit regem, confirmatur in pontificatu, impetrat immunitatem Iudææ ab omnibus exactionibus.

*1. Mac. 11.*

Videns autem Demetrius ſe pace perfrui, dimittit exercitus ſuos quorum ob hoc indignationem incurrit, quod noluit ſtipendia dare diebus pacis. igitur dux Tryphon abit in Arabiam ad Antiochum Alexandri filium, vt eum regem conſtitueret.

*Fortitudo Iudæorum.*

Ionathas autem rogat Demetrium, vt eijceret ſatellites arcis. Promittit rex vt faceret, modò mitterentur ſibi Iudæi milites Antiochiam. miſſi ter mille viri, vix aulam regis ingreſſi ſunt, & ecce 120. millia de ciuitate inſurgũt in eum. Iudæi verò pro rege viriliter pugnant, centum milia ciuium vno die occidunt, ciuitatem ſuccendunt, regem liberant. Porrò rex liberatus ingratus, mentitur Ionathæ, & alienat ſe ab eo, vexatque eum valdè.

*1. Mac. 11.*

Paulò poſt reuerſus Tryphon & Antiochus adoleſcens Alexandri filius, Sedetes, expulſo Demetrio regnat annis 9. cum Ionatha fœdus init, Ionathas autem Bethſuram expugnat, alienigenaſque debellat.

*1. Mac. 12. Ionathas dolo capitur.*

Interim Ionathas miſſis legatis renouat amicitiam cum Romanis & Spartiatis, principes Demetrij fugat, Arabes percutit, Iudæam munit: ſed tandem à Tryphone cupiente regnum Antiochi inuadere, & fingente ſe amicum, deceptus, ac dolo circumuentus, Ptolemaide comprehẽditur, omneſq; qui cum eo erant interficiuntur.

## Anno mundi 3824.

*Genebrar. 39. 52. 1. Mac. 13. Philo in Breuia. Simon Machab. Ionathas perfidè perimitur.*

STATIMQVE anno 170. Simon frater eius à populo princeps, dux ac pontifex electus, præeſt annis 8. reſiſtit Tryphoni Iudæam inuadenti, eidemq; mittit petitam pecuniam & 2. filios Ionathæ ad eius redemptionem. Tryphon autem accepta pecunia, patrem cum filijs occidit. & inde anno mundi 3824. dominum ſuum Antiochum adoleſcentem regem proditoriè occidit, regnumque eius inuadit, regnatque pro eo.

*1. Mac. 13. Simon Machab.*

Anno 170. ducatus ſui 1 Simon miſſis legatis impetrat à rege Demetrio Iudæis immunitatem à tributis, Gazamq; expugnat & mundat ab idôlis.

*1. Mac. 13. 14. Pax in Iſraël.*

Anno 171. ad deditionem compellit cuſtodes arcis Sion in Ieruſalem, quibus eiectis, mundat arcem ab idôlis, & intrat in eam die 23. Aprilis cum ramis palmarum & canticis, ſtatuit eum diem quotannis lętè agendum, filiũq; ſuum Ioannem Hyrcanum cõſtituit ducem militiæ, ac magna pace cum ſuo populo fruens, ſuper omnes gloria claret.

*1. Mac. 14. & 15.*

Anno 172. miſſis legatis renouat ſocietatem cum Spartiatis & Romanis, mittitque his clypeum aureum mnarum mille. qui remittunt ei libertatem in tabulis æreis, & ſcribunt literas cunctis regibus & regionibus, ne fœderatos infeſtent.

*1. Mac. 15.*

Anno 174. Demetrio in Media ab Arſace rege deuicto, capto; & incarcerato, eius filius Antiochus Sedetes volens vendicare & occupare regnum paternum, ne Iudæi reſiſterent, primò cum Simone fœdus fecit, ſcribens ei gratioſam epiſtolam, & adijciens ad indulta priorum, etiam proprij numiſmatis percuſſuram. deinde cum centum viginti octo millibus Tryphonem perſequens, compulſum in Dora, terra marique obſidet: ſed quia recuſat miſſum à Simone auxilium, Tryphon naui effugit.

*1. Mac. 15. & 16.*

Poſthæc Antiochus rupto fœdere, repoſcit à Simone reſtitutionem arcis Ieruſalem, Ioppe, Gazæ, ac tributa. quibus denegatis, mittit aduerſus eum Cendebæum ducem exercitus. quem Ioannes & Iudas filij Simônis iam ſenis deuincunt ac profligant.

## Anno mundi 3832.

*Genebrar. 39. 52. 1. Mac. 16. Simon in conuiuio necatur.*

ANNO 177. menſe Ianuario, Simon perambulans ciuitates Iudææ, & ſolicitudinem gerens earum, deſcendit Iericho cum Iuda & Mathatia filijs ad generum ſuum Ptolomæum, qui dominandi ambitione inflammatus acceptos conuiuio in Doch caſtro dolo occidit ſocerum & filios eius, ſedẽtes ad menſam ſuam, & mittit ad regem auxilium petens, vt ei traderet regionem. ſed Ioannes Hyr-

Ioannes Hyrcanus. *Ioſeph. 13. antiq.14. & 1.bel.2. Philo in breuiar.*

Hyrcanus priſcus ſupradictus ſtatim exurgẽs loco patris, viriliter ſe opponit, velociſſimè Ieruſalem venit, populum confortat, ducatũ ac põtificatum ſuſcipit, expulſoque ac effugato Ptolomæo, præeſt annis 26. alij, 31.

*Ioſeph.13. antiq.15.* Obſidio Ieruſalem.

Rex autem Antiochus Sedetes an. 4. ſui imperij, & 1. Hyrcani, Ieroſolymam multiplici vallo circundat Hyrcanus in vrbe concluſus, rogat regem concedi ſibi legitima, ſicut fecerant alij reges. reſpondet Antiochus, facturũ ſe, ſi traderent arma, ſi tributa ſoluerent, ſi cuſtodes militum in arcem admitterent. Iudæi neceſſitate compulſi, primas conditiones ſuſcipiunt, cuſtodiam refutant, ſed loco eius, 300. argenti talenta præbent. quibus rex acceptis, diſcedit in Perſidem, vbi cùm diriperet templum Nanceæ, à ſacerdotibus lapidatur, membratimq; diuiditur.

*2.Mach.1.* Antiochi mors.

*Ioſeph.13. antiq.17. 1.bel.2.* Hyrcani geſta. Samaria deletur.

Hyrcanus autẽ Ieroſolymæ primus Xenodochia pauperum inſtituit, mittit Romam, qui de facta ſibi ab Antiocho violentia quererentur, decreto ſenatus inter amicos refertur: cæterùm nihil ab eis auxilij conſequitur. Samariam obſidione captam ſolo æquat, templũ montis Garizim deſtruit. quod ſteterat annis 200. Idumæos circũciſionem ac Iudaiſmum recipere compellit.

*2.Mach.1. & 2.* Liber 2. Machabęorũ

Anno 188. Iudęi habitantes Ieroſolymæ cõpilant ex 5. libris Iaſonis Cyrinæi librum Machabæorum ſecundum, & per modum epiſtolæ mittunt Iudæis commorãtibus in Aegypto adhortãtes eos gratias agere Deo, de morte Antiochi, vtq; celebrent duas feſtiuitates à ſe nouiter inſtitutas, nempe feſtum dedicationis templi per Iudam Machabæum, & diem ignis de cælo dati.

*Ioſeph. 13. ant.18.& 8.ant.2.& 2.bel.7.* 3. Sectę Iudæorum. Phariſæi.

Erant hoc tempore apud Iudæos ſectæ tres, Phariſæorũ, Sadducæorum, & Eſſenorũ. Phariſæi, fidei ſinceritate, ſolida eruditione, atq; autoritate cęteros pręcellentes, præter legem Moyſi & prophetas, multas traditiones cæremoniasq; ſeruabant, quibus ſimul & habitu à communi hominum diſcreti, reputabant ſe cæteris meliores. Phylacteria, id eſt, decalogũ membranæ inſcriptum, coronæ vice gerebãt in fronte & ſiniſtro brachio, dilatabant fimbrias, ieiunia, orationes & eleemoſynas libenter faciebant in publico, vt ab hominibus viderẽtur. Sadducæi autem, 5. libros Moyſi tantùm recipiebãt, nec Angelos, nec ſpiritus, nec reſurrectionem mortuorum eſſe credebant: ſed animas ſimul cum corporibus interire, ideoq; nec vlla poſt hanc vitam iuſtitiæ præmia reſtare.

*Luc.20. Act.23. Matt.22.* Sadducęi

Eſſeni.

Eſſeni verò Dei cultum religionem ac iuſtitiam pertinaciſſimè ſeruabant, in communi viuebant, à mulieribus, vino, & carnibus ſemper abſtinebãt, veſtes habere mundas ſtudebant, ante Solis ortum orabant, interdiu operabantur, veſperi ſub ſilentio edebant, & quia ſobrij longę erant vitæ.

## Anno mundi 3858.

*Genebrar. 3983. Ioſeph.13. antiq.18. 1.bel.3.* Ariſtobolus rex Iudæorum.

HYRCANO defuncto, filius & ſucceſſor eius Ariſtobolus, non contentus parentum gloria vt dux & pontifex diceretur, primus poſt captiuitatẽ Babylonicam aſſumpto diademate, etiam regem ſeipſum facit, regnat anno 1. ſtatimque matrem & fratres incarcerat, vbi mater in carcere fame interit. Antigonum fratrem occidit, cuius mortem Iudas Eſſæus propheta diſcipulis ſuis prædixerat, tandem tyrannus ipſe, cùm Ituræam ad circunciſionem ac Iudaiſmum compuliſſet, laceratis viſceribus, ore ſanguinem vomens, perijt.

## Anno mundi 3859.

*Genebrar. 3984. Ioſeph.13. ant.19 20. 21.1.bel.3. 4.* Alexander Crucida.

MOX ſoluit vxor eius vinctos, & fratrem illius Alexandrum Iannæum regem cõſtituit, qui crudeliſſimè regnat 27. annis. matrem, fratrem proprium, & plurima milia ciuium occidit, multas vrbes ſuorum euertit. octingentos Iudæos, coniugibus ac liberis eorum coram ipſis iugulatis, crucifigit Ieroſolymæ, eò quòd dixiſſent: nõ aliter quàm tua forſitan morte, conciliabis tibi animos populi, & hæc fieri lætus inter epulas cum concubinis ſuis proſpectat. tandem ex temulentia morbo contracto obijt.

## Anno mundi 3886.

*Genebrar. 4011. Ioſeph.13. antiq.22. 1.bel.4.* Alexandra regina.

ALEXANDRA Alexandri vxor, adiuuantibus eam Phariſæis, pacificè regnat annis 9. Hyrcano filio ſeniore creato pontifice, qui ſacris tantùm præſideret.

## Anno mundi 3895.

*Genebrar. 4020. Ioſeph.14. anti.1.2. & c.7.8. 1.bel.5.* Contentio fratrum de regno

MORTVA Alexandra, filij eius Hyrcanus & Ariſtobolus inter ſe de regno cõtendentes ac dimicantes, occaſionem dant Romanis, vt Iudęam inuaderent. Hyrcanus enim à fratre Ieroſolyma excluſus adit Pompeium Romanum in Damaſco, de violentia conqueritur. Itaq; Pompeius venit cum exercitu in Iudæam, Ariſtobolum ipſi occurrentẽ ſecum retinet, ciuibus ipſum excludentibus, Ieroſolymam obſidet, à fautoribus autẽ Hyrcani in vrbem receptus fautores Ariſtoboli in templo ſe continentes obſidet, tertio demum menſe vi capto templo, ingreditur cum ſuis vſque ad ſancta ſanctorum. theſauros ac vaſa templi intacta relinquit, ſacra facere præcipit, Hyrcano pontificatum donat, ac pontificem declarat. Iudæam tributariam facit, eius procuratorem Antipatrum Idumæum, Herodis Aſcalonitæ patrem conſtituit, Hyrcano pontificatnm firmat. Ariſtobolum & filios eius captiuos abducit ſecum Romam.

Iudæa ſubacta à Romanis.

Iudęa fit tributaria Romanis.

*Ioſeph.14. antiq.10. 1.bel.6.*

Gabinius autem Iudæam in 5. toparchias ſiue curias partitur, ſingulis ſingulas metropoles aſſignat: Ieroſolymam, Doram, Amathunta, Ierichuntem & Sephorim, quæ eſt Galilææ ciuitas. Sicque Iudæi regali dominatione liberati ſub aliorum dominatione degebant.

Anno



## Anno mundi 3910.

*Ioſeph.14. antiq.13. 1.bel 6.* Craſſus.

POST hæc Craſſus conſul Romanus proficiſcens contra Parthos, intrat Ieroſolymam, ſpoliat templum: ideoque transgreſſus Euphraten à Parthis in Perſide cum filio totoque exercitu perijt.

## Anno mundi 3914.

Iulius Cæſar.

IVLIVS Cæſar Romanus poſtquam Gallos, Germanos, Britannos ſubiugaſſet, Hiſpaniam, Aſiam & Africam occupaſſet, Romæ primus ſingulare ſuſcipit imperium, (à quo imperatores Romani Cæſares appellãtur) idque vi armorum tenet annis 4. menſ. 2. die. 15. Calendarium & annum iuxta Solis curſum (vt hodie adhuc vtimur) emendat, & ſtatum reipublicæ reformat, quintilem menſem, ꝙ eo natus eſſet Iulium dici decernit. tandem à Bruto & Caſſio & 60. vel amplius ſenatoribus facta conſpiratione, in curia Idibus Martijs 23. vulneribus cõfoditur & occiditur: occiſores intra triennium omnes vel trucidati ſunt, vel ſemetipſos interemerunt.

*Ioſeph.14. antiq.19. 1.bel.9.*

## Anno mundi 3920.

*Genebrar. 4090.* Auguſtus Cęſar.

OCTAVIVS Auguſtus, Romanus, Cæſar 2. adoptatus Iulij filius, imperat annis 55. mẽſ. 8. die. 24. poſt varia bella ciuilia deuictis hoſtibus cum maximo triumpho ingreſſus Romam, Ianum (qui ad indicandum bellũ iam 200. annis patuerat) claudit in ſignum pacis. ac iudicio ſenatus populiq; conſenſu appellatur Auguſtus. Sextilis etiam menſis ab eo Auguſtus eſt dictus: ſummaq; per totum Orbem pace fruebantur omnes.

*Ioſeph.14. ant.18.20.*

Interea Antipater ex filijs ſuis Phaſelum ſeniorem Iudææ, Herodem verò Aſcalonitam Galilææ præficit. ipſe velut omnium pater, ſolicitè cunctis ſuperintendit. tandẽ à Malcho Iudæo veneno necatus interijt, ipſeque Malchus ab Herode perimitur.

## Anno mundi 3926.

*Ioſeph.14. an.24.25. 1.bell.11.* Hyrcanus captus à Parthis. Hyrcano aures abſciſæ.

ANNO 32. pontificatus Hyrcani, 4. Auguſti Parthi & prece & precio prouocati ab Antigono Ariſtoboli filio Iudæam inuadentes, eundem Hyrcanum pontificem & Phaſelum ducem Iudææ captiuos abducunt, Antigonum violenter in regnum intrudunt, præeſt annis 3. qui patruo ſuo priuſquam abduci permitteret, aures amputat, ne ad recipiendũ pontificatum eſſet idoneus. Phaſelus autem, cum manus liberas non haberet, colliſo ad ſaxum capite, ſeipſum occidit.

*Ioſeph.14. an.23.24. 25.26.27. 28.1.bell. 11.12.13.* Herodes Aſcalonita fit rex Iudæorum.

Herodes verò Parthorum vix manus effugiens, aſpera licet hyeme abit Romam, Auguſto Cæſari ſenatuiq; ſuas clades exponit, ibiq; creatur ac conſtituitur rex Iudæorum, acceptiſq; auxiliarijs ad debellandum Antigonũ, ſtatim reuerſus in Iudæam, quærit omni modo ſuſcipere regnum: ſed iudæis (quod alienigena eſſet pertinaciſſimè renitentibus, toto biennio parum proficit. anno autem tertio, menſe tertio, vt armorum capta Ieroſolyma, inuitis Iudæis tyrãnicè regnat an. 31. deinde legitimè annis 6. ſimul annis 37.

*Philo in breuia. Ioſeph.15. ant.3.20. antiq.18.*

Antigonũ captũ curat ab Antonio Antiochiæ ſecuri percuti, ſumit ſibi vxorẽ Mariamnem filiã Hyrcani capti à Parthis, & filiũ eiuſdem Hycani Ariſtobolum declarat pontificem, vt Iudæorum animos ad ſe inclinaret. ſuſtulit autẽ ex filia Hyrcani ſibi vxore filios duos.

## Anno mundi 3942.

*Ioſeph.12. antiq.14. 1.bel.16.* Inſtauratiõ templi.

ANNO regni ſui 15. Herodes inſtaurat tẽplum Domini in Ieruſalem, quod occaſione bellorum confractum iacebat: intraque triennium, aliâs octẽnium conſummat. Item Samariam, Turrim Stratonis ſiue Cæſaream Palæſtinæ, & Antipatridam vrbes operoſis ædificijs ampliat. Herodiumque caſtellum extruit ac condit.

*Ioſeph. 16. antiq 11.* Inuaditur ſepulchrũ Dauid.

Poſthæc nocte quadam Herodes paucis cõſcijs, ſepulchrum Dauid aperire præſumit, ſperans ſibi maximos inuenire theſauros: ſed cũ vaſa quædam pretioſa reperiſſet, & niteretur interius ingredi, ſtatim è tenebris flamma erumpens 2. milites eius extinxit: & ita territus à cœpto deſtitit.

## Anno mundi 3954.

*Philo in breuiar. Ioſeph.15. ant.2.3.7. 9.& 16. ant.13.1. bel.17.* Tyrannis Herodis.

ANNO 26. tyrannici regni ſui cùm Herodes Hyrcanum pontificem à Parthis reuerſum aduerteret more priſco regem ſalutari à Iudæis, illum ſibi ſocerum, ſocrumq;, & filium eius Ariſtobolum pontificem à ſe creatum, atque filiam eius ſibi vxorem, & duos ex ea ſuſceptos filios adoleſcentes Alexandrum & Ariſtobolum, & quicquid ſeminis regij ſupereſſet, crudeliſſimè necat. libros etiam omnes in quibus genealogia regum in templo ſeruabatur deſcripta comburit, biẽnioq; poſt Iudæos multis calamitatibus affligit.

## Anno mundi 3958.

*Philo in Breuiar.*

ANNO verò 30. regni ſui tyrannici, Zanedrim, id eſt, concilium 70. iudicum ſiue 70. iudices ex domo Dauid delet, & Analeum quendam Babylonium pontificem Iudæorum conſtituit; atque Zanedrim ex proſelytis ſufficit, qui nimium in lege videbantur eruditi. tum & Salomen ſororem ſuam & virum eius de tribu Iuda, itemque proprium filium, quem ex vxore eiuſdem tribus ſuſceperat, interficit, ꝙ diceretur iam in lege promiſſus Chriſtus natus. Feſſi tandem Iudæi anno proximo vltrò Herodi ac eius poſteris regnũ offerunt: iurantes in fide ipſius ac poſterorum ſeſe permanſuros. regnat deinceps legitimè annis 6. tunc iuxta prophetiam Iacob Patriarchę ablato ſceptro de Iuda & duce de femore eius naſci debebat Chriſtus.

Sceptrum ablatum de Iuda.

*Geneſ.49.*

*Hierony. de ortu B. Mariæ.* S. Ioachim & Annæ cõiugium.

Ioachim, qui & Heli, Nazarenus, ortus de tribu Iuda, ac ſtirpe Dauid cùm eſſet annorũ 20. ducit vxorem de tribu ſua Annam Bethleemitam exiſtentem annorum 16. ſimulque ſanctè viuentes, ſubſtantiolæ ſuæ tertiam partem,

tem, eamque potiſſimam templo ac miniſtris eius, proximam pauperibus erogant, reliquā victui ſuo ſeruant. & ita per annos 20. prolem ex coniugio non habentes, vouent Domino, ſi donaret ipſis ſobolem, eam Domini ſeruitio manciparent. cumque quodam Enceniorum feſto Ioachim Ieroſolymis ad altare oblationem ſuam offerre volens, à pontifice ſterilitatis exprobraretur, pudore ſuffuſus ſecedit ad caulas inter paſtores & ecce Angel. Gabriel apparēs primùm Ioachimo, deinde Annæ, annunciat filiam ipſis naſcituram, nomenque Mariæ naſcituræ imponendam.

## Anno mundi 3945.

Natiuitas Mariæ.

CONCIPIT igitur Anna 8. die Decembris, & poſt nouem menſes Die 8. Septembris in Nazaret Galilææ parit Mariam. cuius ortui B. Ioachim octiduo ſuperuiuens, obijſſe memoratur 16. die menſis eiuſdem. cuius frater Cleophas Annam duxiſſe fertur vxorem, vt iuxta legem ei maſculinum ſuſcitaret hæredem: ſed cum & ipſe filiam genuiſſet, etiam Mariæ nomen imponit, & poſt non multum temporis, appoſitus eſt ad patres ſuos. quo defuncto, Salomas Annam dicitur habuiſſe, tertiamque genuiſſe Mariam.

Præſentatio Mariæ. Niceph. 2. hiſt. eccl. 3. Bern. ſuper miſſus eſt. hom. 2.

Prima, cùm tertio ætatis ſuæ anno ablactata iuxta votum præſentaretur à parentibus Ieroſolymis in templo, ſola per 15. gradus aſcendit in templum, vbi cū alijs virginibus, nubiles vſq; ad annos Domino ſeruiens, ac ſanctitate florēs, prima virginitatem ſuam Deo vouet: Diuinæque contemplationi intenta, ibi permanet vſque ad 14. ætatis ſuæ annum. tunc deſponſata Ioſeph fabro, ac reuerſa in Nazaret, mox Gabriele Angelo annunciante Diuinitus concepit & peperit Chriſtum Dei filium.

Matt. 27. Act. 1. Matt. 13. Marc. 6. Maria Cleophæ.

Secunda, nuptum tradita Alphæo, genuit Iacobum minorem, Ioſeph Iuſtum, Simonem Zelotem, & Iudam Thadæum.

Maria Salome.

Tertia, coniuncta Zebedæo, genuit Iacobum maiorem, & Ioannem Euangeliſtam.

Porrò Anna obijt 26. Iulij, feria 3. anno ætatis ſuæ 50. Maria iam Chriſtum in vtero ferente.

VITA



# VITA IESV CHRISTI, EX QVATVOR EVANGELISTIS BREVITER CONTEXTA, ET IN GERMANVM VERVMQVE ORDINEM DIGESTA.

## Anno mundi 3959.

Genebrar. 4089.

TEMPORE Herodis Aſcalonitæ Regis Iudææ, Angelus Gabriel Zachariæ ſacerdoti ſeni in templo thymiama adolēti apparens, nunciat ex vxore Elizabet ſterili & anu, ipſi naſciturum filiū, qui matris in vtero ſanctificandus, & Ioannes appellandus, præcurſor Chriſti foret: cui Zacharias non credens, mutus efficitur. Elizabet autem paulò pòſt concipit die vigeſimoquarto Septembris, ipſo æquinoctio autumnali. *Lucæ 1.*

Conceptio Ioannis.

## Anno mundi 3960.

Incarnatio Chriſti.

SEXTO dein menſe, æquinoctio vernali, vigeſimoquinto Martij, idem Gabriel miſſus à Deo in Nazaret Galilææ, ad Mariam virginem deſponſatam Ioſeph fabro annunciat filium, qui Ieſus nominandus, Dei filius, & Chriſtus rex eſſet, ex ipſa naſciturum, idque illæſa eius virginitate: cui illa aſſentiens, mox virtute Spiritus Sancti concipit. *Luc. 1.*

Viſitatio Mariæ.

Prægnans Maria, e veſtigiò abit ad montana in ciuitatem Iuda, ſalutatque Elizabet cognatam ſuam: cuius fœtus materno in vtero præ gaudio ſubſilit. Elizabeth afflata ſpiritu, Mariamq; fructumque eius benedicit. Maria verò Dominum cantico magnificat: ac morata ibidem menses ferè tres domum repetit. *Luc. 1.*

Natiuitas Ioannis.

Die vigeſimoquarto Iunij, ſolſtitio æſtiuali, Elizabeth parit filium: qui octauo die circumciditur, vocatur Ioannes, gaudent ac mirantur vicini. Zacharias recepta loquela prophetans, cātico Deum benedicit. Puer autem creſcit habitatq; in diſerto, vſque ad diem oſtenſionis ſui coram Iſraël. *Luc. 1.*

Vacillatio Ioſeph.

Cæterum Ioſeph Mariam deſponſam ſibi coniugem, à ſe intactam, grauidam aduertēs, vult eam clanculum dimittere: ſed nocte ab Angelo edoctus, quod de Spiritu Sancto imprægnata, paritura eſſet Saluatorem, accipit eam in ſuam. *Matth 1.*

## Anno Chriſti 1.

Natiuitas Chriſti.

POSTHAEC cùm Auguſti cæſaris edicto, deſcriberetur vniuerſus Orbis, Ioſeph & Maria aſcendūt in Bethleem Iudæ nomina accenſum daturi: vbi illa parit Chriſtum, ipſo ſolſtitio hyemali, noctis medio, quæ diem vigeſimumquintum Decembris, cumq; Dominicum, præcedebat: editum faſcijs inuoluit, in præſepi reclinat: idque Angeli cælitus paſtoribus ſuper grege ſuo excubantibus nunciāt: paſtores feſtini puerum inuiſunt, vident, prædicant. *Luc. 2.*

Circumciſio.

Octauo die, calendis Ianuarij, puer circumciditur, vocaturque Ieſus. *Luc. 2.*

Epiphania.

Quinto à circumciſione die, Ianuarij ſexto, Magi tres ſtellæ ductu ab Oriente profecti Ieroſolymam, & inde in Bethleem, ſupplices puerum adorant, ei munera aurum, thus, & myrrham, offerunt: oraculoque moniti, alia via redeunt in patriam. *Matth. 2.*

Purificatio Mariæ.

Die à partu quadrageſimo, Februarij ſecundo, completis diebus purgationis Mariæ, delatus puer à parentibus Ieroſolymam, ſiſtitur ſecundum legem in templo ipſi Domino: vbi Simeon pius ſenex ſuſcipiens infantem in vlnas, Deum cātico laudat: & mira de puero eiuſque matre vaticinatur. Anna quoq; propheтiſſa vetula, Domino confitetur, puerumque commendat. *Luc. 2.*

Fuga in Aegyptū.

Nocte ſequenti, Ioſeph ab Angelo in ſomnis admonitus, fugit à facie Herodis, cum puero & matre eius in Aegyptum: ibiq; commorantur ſexennio, vſque ad obitum Herodis. *Matt. 2.*

Infanticidium.

Herodes autem volēs exſtinguere Chriſtū, miſſis ſatellitib. occidit omnes pueros, à bimatu, & infrà: in Bethleem, & in omnibus finibus eius. *Matth. 2.*

## Anno Chriſti 6.

Tetrarcha.

SEXTO hinc anno Herodes morbo intercutis aquæ, & ſcatētibus toto corpore vermibus, miſerè moritur. Statimque Cæſar Auguſtus, in quatuor filios eius partito regno, Archelaum Iudææ, Herodem Antipam Galilææ, Philippum Iturææ & Traconitidis, Lyſaniam Abilenæ, Tetrarchas inſtituit. *Luc. 3. Ioſeph. 17. ant. 17. & 2. bel. 4.*

Reditus ex Aegypto.

Tunc Ioſeph, Angeli monitu, cum puero ac matre eius reuertitur in terram Iſraël: Audiens autem Archelaum regnare in Iudæa, oraculo iuſſus, ſecedit in Galilæam: habitatque in Nazaret. Puer verò creſcit ac confortatur. Euntq; parentes eius quotānis in feſto Paſchæ Ieroſolymam. *Matt. 2. Luc. 2.*

## Anno Chriſti 12.

Ieſus inter Doctores.

IESVS autem annos natus duodecim, aſcendit cum parentibus ad feſtum Paſchæ Ieroſolymā: vbi amiſſus, ac fruſtra inter cognatos notoſque quæſitus, poſt triduum inuenitur in templo, ſedens in medio docto-

 rum

rum ac diſputans cum eis, ita vt admirarentur omnes. redit cum parentibus Nazaret: & ſubditus illis, proficit ætate, ſapientia, & gratia, apud Deum & homines. *Luc.12.*

## Anno Chriſti 15.

Præſides.

ANNO principatus ſui nono, Archelaus accuſatus à Iudæis inſolentiæ apud Cæſarem: relegatur in exilium Viennam Galliæ. Ac deinceps Iudæa à Romanis Præſidibus gubernatur. *Ioſeph.17.ant.19.& 2.bel.6.*

Tiberius.

Auguſto defuncto, Tiberius Cæſar imperat annis viginti tribus. Initio modeſtè præfuit adeò vt quibuſdam præſidibus augenda tributa ſuadentibus, ſcripſerit: Boni paſtoris eſſe, tondere pecus, non deglubere.

## Anno Chriſti 29.

ANNO Tiberij decimoquinto, Pilato Præſide Iudææ, ſub Pontificibus Anna & Caipha: Ioannes, qui hactenus in diſerto vitam miræ auſteritatis egerat, veſtitus pilis cameli, cinctus zona pollicea circa lumbos, victitans locuſtis ac melle ſylueſtri, panem non edens, vinum & ſiceram non bibens: iam triceſimum ætatis agens annum Dei mandato incipit in diſerto Iudææ, & circumquaque in finitimis Iordanis prædicare pœnitētiam, baptizare, obiurgare, terrere, minari arboribus ſterilibus excidium: Phariſæos & Saducæos ſeuerè corripiens, turbis miſericordiæ opera, publicanis iuſtitiæ tenorē, militibus iniuriæ abſtinentiam præſcribens: Conteſtans inſtare regnum cælorum: ſe baptizare aqua ad pœnitētiam, ſed iam iam fortiorem ac præſtantiorem ſe venturum, qui baptizaret Spiritu Sancto & igni: & areæ ſuæ paleas à tritico ſecerneret. Itaque multi vndiq; ad baptiſmnm confluunt. *Matth.3.Marc.1.Luc.3.*

Prædicatio Ioannis.

## Anno Chriſti 30.

Baptiſmus Chriſti

VENIT eòdem & Ieſus, ac inter alios, à Ioanne, licet aliquamdiu recuſante, baptizatur in Iordane, ſexto Ianuarij, ingreſſus iam iam annum ætatis ſuæ trigeſimum: cumque oraret, apertū eſt cælum, & Spiritus Sanctus ſpecie columbæ in verticē ipſius deſcendit: quin & Pater ſua voce è cælo palàm teſtatur hunc eſſe Filium ſuum vnicè dilectum. *Matt.3.Marc.1.Luc.3.*

Ieiunium.

Baptizatus, mox impetu Spiritus ſecedit in diſertum Quarentanæ: vbi habitans cum beſtijs quadraginta dies noctesq; ieiunat. *Matth.4.Marc.1.Luc.4.*

Tentatio.

Poſt quos eſuriens, variè tentatur à Diabolo, primò lapidibus in panes vertendis: inde ductus Ieroſolymam ſuper pinnam templi, præcipitio ſui: dein ſubductus in montem excelſum, adoratione Satanæ: tandem, victus in omnibus Diabolus, recedit: victori Chriſto miniſtrant Angeli. *Matt.4.Marc.1.Luc.4.*

Multis autem exiſtimantibus, Ioannem eſſe Chriſtum, mittunt Iudæi ab Ieroſolymis ſacerdotes ad Ioannē in Bethabara trans Iordanē baptizātem, vt interrogarent eum, quis nam ſit? Quibus reſpōdet, ſe non eſſe Chriſtū, nec Eliam, nec Prophetam illum: ſed vocem clamantis in diſerto, Parate viam Domini, iuxta Iſaiæ prophetiā. In medio autem ipſorum ſtare quēdam, qui ſe eſſet prior, tantoque dignior, vt ipſe indignus ſit qui ſoluat corrigiam calceamenti eius. *Ioan.1.*

Teſtimonium Ioannis de Chriſto.

Demonſtratio.

Poſtridie venientem ad ſe Ieſum digito demonſtrans populo, denunciat eum eſſe Agnum Dei qui tollit peccata Mundi: ſibique cæleſti ſigno manifeſtatum, ipſum eſſe filium Dei. *Ioan.1.*

Agnitio.

Poſtero die rurſus Ieſum ambulantem diſcipulis ſuis oſtendens, iterum prædicat Agnum Dei: vnde Andreas & Petrus Chriſtum agnoſcere & ſequi cæperunt. *Ioan.1.*

Adhæſio.

Quibuſcum abiens Ieſus in Galilæam, obuium ſibi Philippum ad ſe conſequēdum vocat: per quē & Nathanaëli innoteſcit. *Ioann.1.*

## Anno Chriſti 31.

Mutatio aquæ in vinum.

TERTIO die, vocatus cum diſcipulis ad nuptias in Cana Galilææ, cùm deficeret ibi vinum, Maria matre ipſius interpellante, primum edens miraculum, aquam conuertit in vinum: eodē (vt tradunt Patres) die, quo fuerat baptizatus, anno reuoluto. *Ioan 2.*

Capernai.

Inde deſcēdit Capernaum cum matre, cognatis, & diſcipulis: ibiq; manent diebus paucis. *Ioan.2.*

Eiectio vendentium.

Sub feſtum Paſchæ, aſcēdit Ieroſolymam, ac ibi vendentes vnà cum ipſorum mercibus, flagello eijcit è templo. Rogatus à Iudæis ſignum vendicatæ autoritatis: reſpondet, templum corporis ſui ab ipſis ſoluendum, idemque à ſe intra triduum excitandum. Et pleriſque eo loci editis miraculis, multos ad credēdum in ſe pertrahit. *Ioan 2.*

Nicodemus.

Paulò poſt Nicodemum Phariſæum, principem Iudæorum nocte ad ſe venientem, docet regenerationis ex aqua & Spiritu neceſſitatem: Item ſe, inſtar ſerpentis à Moyſe in deſerto erecti, exaltandum: ac credentes in ſe, ſaluaturum. *Ioan.3.*

Baptizatio Chriſti.

Hinc abiens, moratur in Iudæa cum diſcipulis ſuis, ac per eos baptizat: Ioāne id temporis baptixante in Ennon iuxta Salim. Vnde cùm diſcipuli Ioannis quererentur ad ipſum, quòd plures ad Ieſum confluerent, reſpondet Ioannes: Illum oportere creſcere, ſe verò minui. *Ioan.3.*

Incarceratio Ioannis.

Poſthæc, Ioānes corripit Herodem Tetrarcham Galilææ, quod Herodiade vxore Philippi fratris ſui viui, per inceſtum coniugium abuteretur: quapropter ab eo captus, vinctus carceri includitur. quem Herodes libenter audiebat, & audito eo, multa faciebat. *Matt.14.Marc.6.Luc.3.*

Seceſſus Chriſti.

Huius traditionem, ſimul & Phariſæorum contra ſe quoque inuidiam intelligens Ieſus: relicta Iudæa, repetit Galilæam. *Matt.4 Marc.1.Luc.4.Ioan.4.*

Venit



Venit itaq; Sichar Samariæ, quatuor menſibus ante meſſem, hoc eſt, ſub finem Nouembris: vbi, diſcipulis vt cibos emerēt ciuitatem ingreſſis, Ieſus fatigatus ad fontem Iacob reſidens, cum muliere Samaritana loquitur de aqua viua, deq; adorando Deo in ſpiritu & veritate: cui tandem aperit ſe eſſe Meſſiam, ac per eam multis Samaritanorum innoteſcit: quorum rogatu ingreſſus ciuitatem, manet ibi dies duos. *Ioannis 4.*

Samaritana.

Galilæi.

Inde progreſſus in Galilæam, à Galilæis benignè excipitur ob miracula ipſius Ieroſolymæ conſpecta. *Ioan.4.*

Regulus.

Pergit Canam Galilææ, vbi à Regulo pro filio eius Capernai iam animam agente ſeriò requiſitus: verbo filium à febri, & patrem ab incredulitate liberat. *Ioan.4.*

Prædicatio Chriſti.

Poſthæc relicta Nazaret, migrant Capernaum Galilææ emporium, inq; eo deinceps habitat: & exinde incipit palam prędicare Euangelium regni Dei. *Matth. 4.Marc.1.*

Vocatio piſcatorum.

Ambulans iuxta mare Galilææ, Petrum & Andream fratres piſcantes ad ſe ſequendum vocat. Progreſſus puſillum, alios item fratres Iacobum, & Ioannem retia in naui cum Zebedæo ipſorum patre reſarcientes, ad ſe conſectandum euocat. *Matt.4.Marc.1.*

Captura piſcium.

Cumq; iuxta idem mare (quod & ſtagnum Genezaret dicitur) turba irrueret in ipſum, vt audiret verbum Dei, ingreſſus cum prædictis diſcipulis nauim Petri, ſedens docet ex ea turbam: inde iubet eijci rete, ilicò capitur ingens vis piſciū: quo miraculo eoſdē diſcipulos in ſui admirationem pertrahit: qui mox relictis omnibus, conſtanter iam illi adhærent. *Luc.5.*

Dęmoniacus.

Cum his reuerſus Capernaum, ſtatim ſabbatis in ſynagôga docet, ac inibi ſpiritum immundum, ipſum Sanctum Dei confitentem, verbo ex dæmoniaco pellit: ob quod multi ipſius poteſtatem & doctrinam mirantur. *Marc.1.Luc.4.*

Socrus Petri.

Hinc ingreſſus domum Petri ſocrum eius febricitantem, ſuo attactu, dicto ſanat: & veſperi multos infirmos & dæmoniacos ſibi oblatos, curat. *Matt.8.Marc.1.Luc.4.*

Seceſſus Chriſti.

Diluculo ſecedit in diſertum, ibique orat: hîc primùm à Petro ac diſcipulis, deinde & à turba quæſitus, inuenitur ac tenetur: quibus reſpōdet, etiam alijs ciuitatibus viciſq; euangelizandum. *Marc.1.Luc.4.*

Circuitus Galilææ.

Itaq; deinceps Galilæam totam peragrat, prædicans in ſynagogis, ſanans omnem languorem, ac dæmonia eijciens: vnde fama eius in vniuerſam Syriam ſpargitur, ita vt ad ipſum vndique cum varijs ægrotis confluerent, quos ſanat omnes: multique ipſum ſequuntur: quoſdam autem ſequi volentes, reprehēdit. *Matt.4.&8.Marc.1.Luc.4 & 9.*

Sedatio tēpeſtatis.

Poſthæc traijciens mare Galilææ cū inter nauigandum dormiret, tempeſtas oritur: Diſcipuli territi, dormientem inclamant, excitantque: tum Dominus, increpata illorum diffidentia, tempeſtatem ſuo ſtatim imperio ſedat: cunctis, qui aderant, ſtupentibus. *Matt.8.Marc.4.Luc.8.*

Eiectio dæmonum.

Appulſus in regionem Geraſenorum, duos dæmoniacos ſæuiſſimos ſibi occurrētes, (quorum alter legione dæmonum obſeſſus erat) verbo liberat: dæmones ipſius permiſſu migrant in porcos, qui mox ad duo millia præcipitati in mare, ſuffocantur: vnde Chriſtus rogatus à Geraſenis, vt diſcedat: qui à legione liberatus erat, vult Chriſtum conſequi, ſed ablegatus domum, paſſim prædicat, quanta ſibi feciſſet Ieſus. *Matt.8.Marc.5 Luc.8.*

Paralyticus.

Rurſus ergo transfretat in Galilæam, à turba excipitur, redit Capernaum. vbi cùm quodam die ſedens in domo turbam confertam doceret, Paralyticum per tectum in lecto ante ſe demiſſum, primùm à peccatis, deinde & à paralyſi, dicto curat, ita vt ſublato in humeros lecto, abiret domum: turbis ob hoc mirātibus. *Matt.9.Marc.2.Luc.5.*

## Anno Chriſti 32.

Vocatio Matthæi.

REGRESSVS ad mare Galilææ, turbam eò conuenientem docet: præteriens autem Capernai telonium, Matthæum publicanum in telonio ſedentem, ad ſequelam ſui vocat: Mox inibi conuiuio ab eodem acceptus, ac cum Publicanis manducans, Phariſæis ob id murmurantibus, reſpondet: ſe veniſſe, vt vocaret peccatores ad pœnitentiam. Ibidē diſcipulis Ioannis reprehendentibus, quòd Chriſti Diſcipuli non ieiunarent, ait: ablato ſponſo ieiunaturos. *Matt.9.Marc.2.Luc.5.*

Sanguiflua.

Hîc Iairus archiſynagôgus ſupplex obteſtatur, ſanatum veniret vnicam ſuam filiam duodenam, morti proximam: quò dum pergit Ieſus, inter eūdum, mulierem, quæ annos duodecim ſanguinis profluuium paſſa, omnia ſua in medicos impenderat, firma fiducia fimbriam veſtis ipſius tangētem, ſanat: hinc ædes Iairi cum paucis ingreſſus, eius filiā iam mortuam, ſua voce excitat, excitatam cibari iubet. *Matt.9.Marc.5.Luc.8.*

2. Cęci.

Inde digreſſus domum, duobus cœcis ſe ſubſecutis, viſū reddit. Poſt quos, mox dæmoniacum mutū curat: turbis quidem mirantibus, at Phariſæis calumniantibus. *Matt.9.*

Languidus 38. annis.

Poſt hæc aſcendit iterum Ieroſolymam ad feſtum Paſchæ, vbi hominem, qui triginta octo annos ob peccata lāguerat, ad piſcinam probaticam Angelicum aquæ motum expectantem ſabbato ſanat, vt iam ſublato grabato ambularet. Ob quod cùm Iudæi Chriſtum perſequerentur, docet ſe vnà cum Deo Patre ſuo operari, & habere poteſtatem etiam mortuos ſuſcitandi ac iudicandi omnes: cui, & Ioannes, & propria ipſius opera, & Pater ipſe, imò & Moyſes omneſque Scripturæ, teſtimonium perhibent *Ioann.5.*

Cōfricatio granorum.

Hinc tranſit per ſata ſabbato ſecundo primo, diſcipuli eſurientes, ſpicas vellunt, cōfricant & edunt: Phariſæi accuſant, Chriſtus autem excuſat eos exemplo Dauidis & ſacerdotum. *Matt.12.Marc.2.Luc.6.*

Alio

Manus arida.

Alio ſabbato Ieroſolymis in ſynagôga docet, ibique hominem, cui dextra manus erat arida, ſanat, probans licere ſabbatis benefacere: vnde offenſi Phariſæi cum Herodianis de perdendo Chriſto conſultant. *Matth. 12. Mar. 3. Luc 6.*

Attactus Chriſti.

Id ſciens Ieſus, ſecedit illinc ad mare Galilææ, multæque eò cõcurrunt turbæ, ex omnibus vndique regionibus, quarum ægrotos cũctos ſui attactu curat; quin & dæmones, ipſum Dei Filium, confitentes coërcet; nauiculamque ingreditur propter preſſuram multitudinis. *Matt. 12. Marc. 3. Luc. 6.*

Electio 12. Apoſtolorum.

Dehinc aſcendit in montem, vbi & pernoctat in oratione. Facto die, vocat ad ſe diſcipulos quos vult, atque ex ipſis eligit & ordinat duodecim Apoſtolos, Petrum, Andream, Iacôbum, Ioannem, Philippum, Bartholomæum, Matthæum, Thomam, Iacôbum minorem, Simonem, Thadæum, & Iudam. *Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6.*

Sermo in monte.

Quibuſcum in monte ſedens, inſigni ſermone ſummam Euangelicæ perfectionis ipſos docet: primumque diſſerit, quibus in rebus ſita ſit vera beatitudo. Deinde veterem legem perfectioribus mandatis adimplet. Modum item tradit eleemoſynas dandi, orandi, & ieiunandi. Monet, in cœlo theſaurizandũ, ſolicitudinẽ de victu & veſtitu in Deum proijciendam: non temerè iudicandum aut docendum: orationi autem inſtandum: per arctam viam ad vitam intrandum; à pſeudoprophetis cauendum: ſuæq; huic doctrinæ firmiter inhærendum. *Matth 5. 6. 7.*

In planicie.

Inde deſcendit cum illis de monte, ac ſtans in loco campeſtri, eadem ferè coram copioſa plebis multitudine replicat *Luc. 6.*

Leproſus.

Hinc progreſſus, leproſum ſuppliciter orãtem ſuo tactu mundat: mundatum mittit ad ſacerdotem *Matth. 8. Marc. 1. Luc. 5.*

Centurio.

Mox intrat Capernaum, vbi à Centurione gentili, pro ſeruo eius ex paralyſi periclitante, rogatus: rogantis fidem coram omnibus commendat, eiuſque ſeruum abſentem verbo ſanat. *Matth. 8 Luc. 7.*

Seceſſus Chriſti.

Cumque ob populi confluxum iam non poſſet manifeſtè in ciuitate verſari, ſecedit in deſertum, ibique orat *Marc. 1. Luc. 5.*

Adoleſcẽs.

Pergit cum diſcipulis Naim, appropinquans portæ ciuitatis adoleſcentem vnicum viduæ filium, qui ſepeliendus efferebatur, ad vitam reuocat: rediuiuum matri reddit. *Luc. 7.*

Chriſtus factis probat ſe eſſe Meſſiam.

Poſthæc Ioannes Baptiſta, cùm audiret ex diſcipulis ſuis in carcere facta Chriſti, mittit eorum duos ad Chriſtum, vt quærant, num eſſet ipſus Meſſias qui expectabatur: Chriſtus verò miraculis id comprobans, illis ſpectantibus multos curat languidos, debiles, cœcos, dæmoniacos, varioſque malè habentes: deinde iubet vt viſa auditaque renunciarent Ioanni. Hiſce digreſſis, incipit Dominus ad turbam, & Ioannis prædicare dignitatem: & Iudæorum exprobrare obſtinatum animum qui nec Ioannis auſteritate, nec ſuo amicabili conuictu, commoti ſint ad pœnitentiam. comminatur etiam væ ciuitatib. Corozaim, Bethſaidæ, & Capernao, in quibus plurimas fecerat virtutes, quòd necdum pœniterent. Oneratos autem ad ſe vocans, iugum ſuum ſuaue ferentibus, animi tranquillitatem pollicetur. *Matth. 11. Luc. 7.*

Peccatrix.

Subhæc in domo Simonis Phariſæi menſæ accumbens, mulieri peccatrici, iam pœnitenti, ſuos pedes lachrymis rigãti, capillis tergenti, oſculanti, vngenti, multumque amanti, multa peccata remittit. *Luc. 7.*

Dæmoniacus cœcus & mutus

Venit in domum ſuam Capernai: turbaque circumfuſus, oblatum ſibi dæmoniacum cœcum ac mutum, ſic curat, vt ille ter miſer iam liberatus à dæmonio, & videret, & loqueretur. Vnde turba miratur, cognati Chriſti exeunt, vt ipſum, ceu furioſum, comprehendant. Phariſæi autem obijciũt, quòd per Beelzebub eijciat dœmonia. Scribæ verò cæleſte potius ſignum poſtulãt. At Chriſtus, primùm efficacibus oſtendit rationibus, miraculum illud non diabolica, ſed diuina factum virtute: atque ob id, Phariſæorum blaſphemiam, tanquam in Spiritum Sanctum commiſſam, non remittendam, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Scribis autem negat ſignum è cælo, ſed docet Ionæ prophetæ ſignum, ſuæ ſepulturæ ac reſurrectionis eſſe figuram: proteſtans Iudæos, Niniuitarum & reginæ Auſtri collatione, in iudicio condemnandos. *Matt. 12. Marc. 3. Luc. 11.*

Mater Chriſti.

Hæc audiens mulier quædam è turba beatam proclamat tanti Magiſtri genitricem: at Dominus, beatos pronunciat, qui verbũ Dei audiunt & faciunt. *Luc. 11.*

Cognati Chriſti.

Eodem tempore cùm quidam nunciaret, matrem & fratres eius ſtare foris, quærentes ei loqui: reſpondet, matrem ac fratres ſuos eſſe, qui Dei faciunt voluntatem. *Matth. 12. Marc. 3. Luc. 8.*

Sermo è naui.

Inde egreditur ad mare Galilææ, vbi congregata ad ſe multitudine magna, ſedens in naui, multitudinem in littore ſtantem varias docet parabolas: Nẽpe, de ſeminante in viam, petroſa, ſpinas, terrã bonã, ac triplici ſeminis fructu. Item de zizanijs ſemini bono ab inimico ſuperſeminatis, creſcere vnà permittendis vſque ad meſſem. De ſemine paulatim ſuccreſcente vſque ad maturitatem. De grano ſinapis, quod, cùm minimum ſit, creſcit in arborem. De fermento quod tribus farinæ ſatis commixtum, fermentat totum. *Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8. & 13.*

In domo.

Redit Capernaum, domumque ſuam: vbi priuatim ab Apoſtolis interrogatus, interpretatur eis parabolas, ſeminantis, zizaniorum, & reliquas: quibus futurum Euangelij incrementum, & Eccleſiæ ſtatum ſignificat. Adijcitque ibidem & alias parabolas, de theſauro & margarita, inuentis & emptis. De reti bonos ſimul ac malos piſces concludente, in





iudicio ſeparandos. De ſcriba proferente è theſauro ſuo noua & vetera. rurſus Euangelij precium, Eccleſiæque ſtatum inſinuans. *Matt. 13. Marc. 4. Lucæ 8.*

Chriſtus præcipitandus.

Hinc abit Nazaret, ibique ſabbato legit in ſynagoga prophetiam Iſaiæ, Spiritus Domini ſuper me, &c. quam in ſe impletam docet: mirantur eius ſapientiam, & ſcandalizantur; quibus ait: Prophetam in patria ſua deſpici. Cumque eos incredulitatis (ob quam paucos duntaxat infirmos ibi curârat) exemplo viduę Sareptanæ, & Naaman Syri, taxaret: irati ipſũ ciuitati expellunt, ducuntque vſq; ad ſupercilium montis, in quo Nazaret ſita erat, vt præcipitarent eum. Ieſus autem tranſiens per medium illorum, abit. *Matth. 13. Marc. 6. Luc. 4. Ioan. 4.*

Circuitus Galilææ.

Perambulans deinde ſingulas ciuitates ac vicos Galilææ, docet vbique in ſynagogis, curatq; omnes infirmitates: comitãtibus ipſum Apoſtolis & mulieribus aliquot, quæ ab ipſo ſanatæ, miniſtrabant ei de facultatibus ſuis. *Matth. 9. Marc. 6. Luc. 8.*

## Anno Chriſti 33.

Miſſio 12. Apoſtolorum.

POSTHAEC conuocat duodecim Apoſtolos, & data eis poteſtate curandi dæmoniacos ac ægrotos quoſcunq;, certis mandatis instructos, mittit binos annũciatum quaquauerſum Iſraelitis regnum Dei, qui circumeũtes per pagos, vbiq; prædicant, dæmonia eijciunt, infirmos oleo vngunt & ſanant. *Matth. 10. Marc. 6. Luc. 9.*

Ieſus autem ipſos ſequens quoquouerſum, prædicat in ciuitatibus eorum. *Matth. 11.*

Decollatio Ioannis.

Herodes Tetrarcha Galilęę natalis ſui conuiuium cum ſuis principibus celebrãs, ad petitionem ſaltantis filiæ Herodiadis, Ioannem Baptiſtam in Macherunte caſtro in carcere decollari iubet, die vigeſimoquinto Martij, nondum expleto ætatis eius anno trigeſimotertio. Cuius caput datur in diſco puellæ ſaltatrici, corpus à diſcipulis ipſius ſepelitur Samariæ inter Abdiam & Elizæum Prophetas. Celebratur autem illius decollatio vigeſimonono Auguſti, quòd eo die caput eius in Edeſſa ciuitate inuentum ſit. *Matth. 14. Mar. 6.*

Opinio de Chriſto.

Poſtea Herodes audita fama Ieſu, dicit Ioãnem Baptiſtam reſurrexiſſe, cupitq; eum videre: alij autem Eliam, alij Prophetam ex antiquis eſſe aiunt. *Matt. 14. Mar. 6. Luc. 9.*

Reditus Apoſtolorũ.

Apoſtoli verò, peracta prædicatione, Capernai conuenientes ad Ieſum, renunciant ei quid egerint ac docuerint: quos feſſos ſeuocat in deſertum, vt liberi à turba, quieſcant. *Mar. 6. Luc. 9.*

Multiplicatio 5. panũ.

Traijciens ergo cum eis mare Galilææ, ſecedit in deſertum Bethſaidæ tranſmarinum: & confluente illuc quoque turba, ſubit in montem, ibique ſedet cum ſuis, idque inſtante iam iam Iudæorum Paſchate: Videns autem turbam fieri frequentiorem, deſcendit, docet, ægrotos ſanat, ac ſub veſperam diei, ibidem quinque panibus hordeaceis & duobus piſcibus, quinq; millia virorum ſatiat, ita vt duodecim cophini fragmentorum ſupereſſent. vnde cùm vellent ipſum facere Regem, iubet diſcipulos abnauigare Bethſaidam: ipſe verò fugiens, ſubducit ſe iterum in montem, vt ſolus oret. *Matt. 14. Mar. 6. Luc. 9. Ioan. 6.*

Ambulatio ſuper mare.

Diſcipulos autem ob intempeſtatem ventumque contrarium in mari periclitantes, conſequitur Chriſtus quarta vigilia noctis ambulans ſuper mare: quem cùm viderent propinquantem, ſuſpicati ſpectrum eſſe, præ metu exclamant: at Ieſus, eis confidere iuſſis, Petro facultatem facit veniendi ad ſe ſuper aquas: qui inter eundum diffidens, incipit mergi: verùm à Chriſto ſeruatus, vnà cum ipſo aſcendit in nauim; ſubitoque tempeſtate ſedata, appellunt ad terram Genezareth. vnde diſcipuli ſtupefacti, ipſum Dei Filium confitentur & adorant. *Matth. 14. Marc. 6. Ioan. 6.*

Tactus Chriſti.

Pergens Capernaum, collectos vndequaque infirmos, quacunque tranſibat, ſuæ fimbriæ contactu ſanat. *Matth. 14. Marc. 6.*

Sermo in Synagoga

Poſtero die turba quæ ſtabat trans mare, quærentes IESVM, nauigio veniunt Capernaum, inuentum rogant, quî eò venerit: hos Chriſtus ibi in ſynagoga à deſiderio cibi corporalis ad ſpiritualem æternumq; quærendum auocans, prolixè diſſerit: primò de manna, quod DEVS olim duce Moyſe Iſraêlitis in deſerto ex aêre depluerat. Deinde de ſe pane verò ac viuo, quem Pater iam miſiſſet à cælo in mundum, vt daret vitam credentibus. Poſtremò promittit & ſe daturum panem viuificum ſalutiferumque, qui ſit caro ſua, eaq; ipſa quam traditurus eſſet pro Mundi vita. Quod myſterium multi diſcipulorum non capientes, deſciſſunt ab eo. Petrus autem confitetur ipſum habere verba vitæ æternæ: ipſique Apoſtoli cum eo perſeuerant: quorum tamen vnum dicit eſſe diabolum. *Ioan. 6.*

Paſcha.

Hic celebratum eſt feſtum Paſchæ Ieroſolymis.

Chriſtus occidẽdus.

Poſthæc verſatur IESVS in Galilæa, eò quòd Iudæi quærerent ipſum interficere. *Ioann. 7.*

Diſceptatio de traditionibus.

Tunc Phariſæi & Scribæ è Ieroſolymis ad ipſum profecti, expoſtulant cum eo; quòd Diſcipuli eius, illotis edentes manibus, tranſgrediantur traditionem ſeniorum. Chriſtus, regerens crimen, magis impium, obijcit; quòd ipſi propter hominum cõſtitutiones Dei præcepta negligant, violent, iiſque aduerſentur. Docetque ibi turbam, ac poſtea apertiùs domi diſcipulos, quæ intrant per os non polluere mentem: ſed quę de ore ex corde prodeunt. *Matth. 15. Marc. 7.*

Cananæa.

Hinc exit in partes Tyri & Sidonis, vbi aſſiduis Cananęæ precibus victus, eius filiam abſentem verbo à dæmonio liberat. *Matth. 15. Marc. 7.*

Regreſſus per medios fines Decapoleos

Surdus.

ad mare Galilææ, ſurdo eidemque muto, digitis in aures miſſis, ac lingua ſputo contacta, auditum loquelamq; reſtituit. *Marc.7.*

Auctio 7. panum.

Aſcendit in montem vltra mare Galilææ, vbi ſedens cœcos, mutos, claudos, mutilos, aliosque multos curat: ac miſertus multitudinis famelicæ, quæ iam triduo ipſi adhæſerat, ibi in deſerto vſque ad quatuor millia hominum, ſeptem panibus & paucis piſciculis ſaturat: ita, vt ex reliquijs implerentur ſeptem ſportæ. *Matt.15. Marc.8.*

Signum.

Mox nauigat in fines Magedan & Dalmanutha: hîc Phariſæis & Saducæis rurſus ſignũ è cœlo efflagitantibus, IESVS ſpiritu ingemiſcens, iterum dat ſignum Ionæ. *Matth.16. Marc.8.*

Fermentũ.

Rurſus transfretat mare Galilææ, atque ibi commonet Diſcipulos, vt ſibi cauerent à fermento, id eſt, doctrina Phariſæorum, Saducæorum, & Herodis. *Matth.16. Marc.8.*

Cœcus.

Redit Bethſaidam: vbi cœco cuidam oculos eius ſuo ſputo attingens, reſtituit viſum prius imperfectum, poſtea perfectum. *Marc.8.*

Confeſſio Petri.

Abit in partes Cæſareæ Philippi: in via interrogat Diſcipulos, quem ipſum eſſe dicant homines? Reſpondent: alij Ioannem Baptiſtam, alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Rogat quem autem vos? Tum Petrus: Tu es, inquit, Chriſtus Filius Dei viui. Ob quam profeſſionem Ieſus beatum pronunciat Petrum, ac pollicetur ſe ſuper hanc petram ædificaturum Eccleſiam ſuam inexpugnabilem: ſeque ei daturum claues regni cælorum, cum poteſtate ligandi & ſoluendi quæcunq;. *Matth.16. Marc.8. Luc.9.*

Prædictio paſſionis.

Mox indicat diſcipulis, ſe Ieroſolymis paſſionem ac mortem ſubiturum, & tertio die reſurrecturum: Petrum id diſſuadentem ſeuerè increpans, ſatanam dicit: Addens, poſt ſe crucem cuiq; ſuam quotidie tollendam, qui ſalui eſſe vellent: ac quoſdam ibidem aſtantes breui viſuros gloriam regni Dei. *Matth. 16. Marc.8. Luc.9.*

Transfiguratio.

Octauo hinc die, aſſumpto Petro, Iacobo, & Ioanne, aſcendit in montem Tabor; vbi orans, glorioſè transformatur: apparent Moyſes & Elias colloquentes cum eo de morte, quam paſſurus eſſet Ieroſolymæ: Petrus delectatus viſione, expetit ibi permanere: vox Patris cælitus lucida è nube iam ſecundò ſonat, Hic eſt filius meus chariſſimus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite. Chriſtus vetat ſuis, ne cui dicant viſionem donec reſurrexerit; docetq; Ioannem Baptiſtam in ſpiritu fuiſſe Eliam. *Matt.17. Marc.9. Luc.9.*

Lunaticus.

Poſtridie deſcendit de monte ad turbam, & obnixè rogatus à patre pueri lunatici, eijcit ex eius filio dæmonium immundum, mutum ac ſurdum, quod ipſius Diſcipuli, ob imbecillitatem fidei, non potuerant eijcere: quos docet poſtea domi, hoc genus dæmoniorum nõ niſi oratione & ieiunio expelli. *Matth.17 Marci 9. Luc.9.*

Prædictio paſſionis.

Inde iter faciens per Galilæam, iterum prædicit ſuis imminentem ſibi paſſionem, ac reſurrectionem. *Matth.17. Marc.9. Luc.9.*

Vectigal.

Redit Capernaum, exactores exigunt didrachma: Chriſtus, licet immunis, ne offenderet eos, iubet Petro mittere hamũ in mare, & ſtaterem in ore piſcis inueniendum, pro ſe & illo dare. *Matth.17.*

Sermo in domo.

Cùm autem veniſſet domum, ſciens diſcipulos inter eũdum diſceptaſſe, quis ipſorum eſſet maximus: ſtatuit puerum in medio illorum, eiuſq; humilitatem imitandam docet, per quam quiſque ſaluaretur, ac fieret maximus. Ioannes indicat quendam eijcere dæmonia in nomine Ieſu, qui non ſequatur eum, ideoque ab ipſis prohibitum: Chriſtus reſpondet, Non prohibendum. Adijcitque, omnibus, præcipuè pijs, benefaciendum: ac ſtudioſè cauendum, ne quis cuiquam, puſillis potiſſimùm, ſcandalum faciat, aut ipſe alicundè patiatur. Fratrem autem in nos peccantem, ſemel, iterum, tertioque corripiendum: contumacem & Eccleſiam non audientem, pro ethnico habendum: eidem verò, toties quoties reſipuerit, remittendum: adhibita ad hoc ſimilitudine de ſeruo, qui remiſſionem decem millium talentorum à Domino ſuo nactus, & non remittens ſuo conſeruo centum denarios, ob id tortoribus traditus eſt. *Matth. 18. Marc.9. Luc.9. & 17.*

Aſcenſus in Iudæam.

Poſthæc cognatis ſuis ambitioſè monentibus, vt Dominus ob inſtans feſtum Tabernaculorum, tranſiret in Iudæam: eos præmittẽs, tandem & ipſe occultè eodem ſubſequitur. *Ioan.7.*

Chriſtus ciuitate excluditur.

Tranſiens itaque per Galilæam mediamq; Samariam, præmittit nuncios in ciuitatem Samaritanorum, qui parent ipſi hoſpicium: à Samaritanis non recipitur: quos Iacobus & Ioannes igne cæleſti perdendos cenſent: at Ieſus, his increpatis, abit in alium pagum. *Luc.9.*

10. Leproſi.

Hic obuios habens decem leproſos, ipſius miſericordiam implorantes, ad ſacerdotes ire iubet, euntes mundat: quorum ſolus Samaritanus ad ipſum reuerſus, ſupplex gratias agit. *Luc.17.*

Scenopegia.

Ingreſſus deinde Ieroſolymam, circa medium feſtiuitatis Scenopegiæ, menſe Septembri docet palàm in templo ſe à Deo miſſum, & diuina veraque docere: tam efficaciter hæc aliaque prædicans, vt cùm quidam ipſum apprehendere deſiderarent, nemo fuerit auſus inijcere illi manus, multi autem è turba crediderunt in eum. *Ioan.7.*

Chriſtus capiendus.

Vnde infenſi Phariſæi, mittunt miniſtros, qui Chriſtum comprehenderent: ipſe verò nihil deterritus, vltimo feſtiuitatis die ſtans, ſitientes ad ſe fontem aquæ viuæ inuitat: tam disertè, vt multi de turba ipſum Prophetam, alij Chriſtum profiterentur: vtque miniſtri re infecta ad Phariſæos reuerſi referrent, nunquam ſic hominum quenquam locutũ: quos Phariſæi cum imperita multitudine ſeductos clamitant: à quibus & ipſe Nicodemus, cùm ibidem CHRISTO patrocinaretur, malè audit



audit. Ieſus autem pergit in montem Oliueti. *Ioan.7.*

Adultera.

Diluculo redit in templum, vbi cùm ſedẽs doceret populum, Scribæ ſubdolè adducunt mulierem in adulterio deprehenſam, accuſantes eam: at Ieſus digito inſcribens terræ accuſatores ipſos pudefacit, accuſatam abſoluit. *Ioan.8.*

Sermo in templo.

Rurſus ibidem in gazophylacio docet, ſe eſſe lucem Mundi, & principium: ſeque à Iudæis in cruce exaltandum: ipſos verò in peccato ſuo morituros, eoſdem dictitans non ex Abraham, neque ex Deo, ſed ex Diabolo eſſe, qui veritatem dicenti non crederent, ſed molirentur necem. Conuitiantibus reſpondet, ſe dæmonium non habere, ſed ſe honorare DEVM Patrem ſuum. Abraham autem cum gaudio vidiſſe diem ſuum: quodque antequam Abraham naſceretur, ipſe eſſet. Ob quod cum Iudæi, raptis lapidibus, CHRISTVM, quaſi blaſphemum, obruere vellent, auferens ſui cõſpectum, exit è templo. *Ioan.8.*

Chriſtus lapidandus.

Cœcus natus.

Præteriens, cœci à natiuitate oculis lutum ſua ſaliua temperatum illinit, idq; abluere iubet in fonte Siloë, quo facto, viſum illi donat ſabbato: quapropter cùm is, qui cœcus fuerat, Chriſtum ſtrenuè defenderet apud Phariſæos, è ſynagoga eijcitur: verùm tum à Chriſto receptus & plenius edoctus, credit & adorat ipſum. *Ioan.9.*

Chriſtus paſtor.

Hinc docet Chriſtus, ſe eſſe oſtium ſalutis, ac Paſtorem bonum fidumq;, qui vitam dat pro ouibus ſuis: Phariſeos verò mercenarios, fures, & latrones inſinuans. *Ioan.10.*

Miſſio 70. diſcipulorum.

Poſthæc deſignat & alios ſeptuaginta duos Diſcipulos, quos, inſtar duodecim Apoſtolorum, præceptis inſtruens, dataq; poteſtate ſanandi infirmos, præmittit binos prædicatum in omnem locum, quo ipſe erat venturus. *Luc.10.*

Reuerſio.

Reuerſi ſeptuaginta 2. Diſcipuli cum gaudio, referunt gloriabundi etiam dæmonia ſibi ſubiecta. quos iubet Chriſtus potius gaudere, quòd nomina ipſorum ſcripta ſint in cœlis. Ipſeq; exultans ſpiritu, confitetur Patri, quòd abſconderit hæc ſapientibus, & reuelarit ea paruulis. *Luc.10. Matt.11.*

Dilige, & viues.

Legiſperitus quidam tentans Chriſtum, quærit, quid ſibi facto ſit opus, vt vitam poſſideat æternam? cùm autem pronunciatum eſſet, Diligendum Deum ſuper omnia, & proximum ſicut ſeipſum, quærit, quis ſuus ſit proximus? Cui Dominus, adhibita parabola de Samaritano, qui hominem à latronibus vulneratum, & à Sacerdote & Leuita neglectum, curauerat: indicat quemq; cuiq; proximum. *Luc.10.*

Vita contẽplatiua.

Intrans Bethaniam, à Martha excipitur hoſpitio: qua ſollicitè apparando conuiuio operam dante, eius ſoror Maria ſedet ad pedes Ieſu, audiens verbum illius: cuius cùm opem ſibi poſtularet Martha, audit à Chriſto, Mariã optimam partem elegiſſe. *Luc.10.*

Orationis vis.

Chriſtus quodam tempore orans, vt ceſſauit, rogatus ab vno ex Diſcipulis, & breuem orandi formam præſcribit, & perſeueranti oratione nihil non impetrari oſtendit: comparatione introducta, ab eo, qui importunitate panes ab amico intempeſta nocte impetrauit. *Luc.11.*

Præpoſtera religio.

Cùm à quodam Phariſæo ad prandium vocatus, quòd illotis accumberet manibus, reprehenderetur; acriter Phariſæorum & Legiſperitorum coarguit præpoſteram & mundiciam & religionem: ambitionem item, hypocriſim, & parricidialem animum. *Luc.11.*

Deus timendus.

Aliâs coram conferta hominum multitudine docet, Phariſaicam hypocriſim cauendam, DEVM maximè timendum, mortem corporis parui pendendam, ſuumque nomen liberè palam & vbique cõfitendum. *Luc.12.*

Cæleſtia quærenda.

Rogante quodam, vt iubeat fratri ſuo hæreditatem ſecum diuidere: ſe excuſans, ab auaricia ac ſolicitudine rerum temporalium ſuos auocat: & ad cæleſtia maximè quærenda hortatur. Subijciens, quàm magnificè præmiandus ſit fidelis deſponſator, qui ſedulò expectans venturum Dominum, dat familiæ ſuæ in tempore demenſum cibum. *Luc.12.*

Pœnitentia agenda.

Nunciantibus quibuſdam, de Galilæis horrendo ſupplicio à Pilato occiſis, CHRISTVS occaſione capta, & ab his, & ab alijs octodecim, qui ruina turris in Siloë oppreſſi erant: pœnitentiam agendam prædicat: alioqui omnes, inſtar ficus infrugiferæ, excidendos. *Luc.13.*

Contracta.

Docens in ſynagoga ſabbato, piam mulierem à Satana annis octodecim afflictam contractamq; verbo curat: atq; ipſum archiſynagogum, alioſq; ob id indignantes, pudefacit: populo interim gaudente. *Luc.13.*

Arcta via vitæ.

Cùm per ciuitates & vicos ambulans ac docens, iret Ieroſolymam: rogatus, num pauci ſint ſaluandi? reſpondet: Contendite intrare per anguſtam portam, cuius oſtium, vbi clauſum fuerit, multi fruſtra pulſabũt. *Luc.13.*

Chriſtus occidẽdus.

Eodem die, monitus à Phariſæis, vt diſcedat, Herodem enim velle ipſum occidere: reſpondet, Non niſi Ieroſolymæ ſibi necem decretam: eamque vrbem, ob ſuam crudelitatem & incredulitatem, deſertum iri. *Luc.13.*

Hydropicus.

Ieroſolymis in domo principis Phariſæorum ſumpturus cibum ſabbato, Hydropicum contactu ſuo ſanat: probatque id licere ſabbato. Mox intendens quomodo Phariſæi primos accubitus eligerent, docet, & inuitatos, vt extremum menſæ locum deligant: & ſuum hoſpitem, vt pauperes potiſſimum inuitet, quibus non ſit compenſandi facultas, id enim recompenſandum in reſurrectione iuſtorum. Cumque quidam accumbentium, beatum diceret, qui manducaturus eſſet panẽ in regno DEI: Chriſtus per parabolam de homine, qui, cum inuitati ad cœnam bene paratam venire recuſarent, pauperes vndecunque collectos introduci iuſſit: ſignificat ſuperbis Iudæis repulſis, ad cæleſte conuiuium

Sermo conuiualis.

um non niſi humiles gentiles admittendos. *Luc.14.*

Crux ferenda. ✠

Multa ipſum comitante turba, docet, quiſquis verè ipſius velit eſſe Diſcipulus, ei, ſaltem affectu, renunciandum omnibus, & ſe, ſublata cruce, ſequendum: proinde cuique apud ſe expendendum, num his par ſit, inſtar ædificaturi turrim, aut commiſſuri cum hoſte prælium. *Lucæ 14.*

Encænia.

Chriſtus lapidandus.

In feſto Encæniorum, hoc eſt, dedicationis templi, idque hyeme, menſe Decembri, ambulat Ieſus Ieroſolymis in templo in porticu Salomonis: vbi à Iudæis circundatus, rogatur, vt palam diceret, Num ipſe ſit Chriſtus? Reſpondet, Opera ſua ſatis ſuperq; teſtari ſe Dei Filium: Addens, ſe cum Patre vnum eſſe Deum. quamobrem Iudæi rurſus ipſum primò, quaſi blaſphemum, lapidare: moxq; apprehendere conantur. quorum manibus ſubtrahēs ſe Chriſtus; ſecedit in fines Iudææ trans Iordanem, vbi Ioānes baptizauerat primum. Cumq; & huc plurimi conuenirent ad ipſum, eos, pro ſuo more, & docet & ſanat, multoſq; ad credendum in ſe pertrahit. *Matth.19. Marc.10. Ioan 10.*

Peccatores recipiūtur.

Phariſæis autem & Scribis obmurmurantibus, quòd peccatores reciperet, ederetq; cū illis: Ieſus tribus parabolis, nempe de oue, drachma, & filio prodigo, perditis, atque iterum magno gaudio inuentis: oſtendit quàm grata ac iucunda ſit, Sanctis, Angelis, ipſique Deo, peccatorum conuerſio. *Luc.15.*

Eleemoſyna faciēda.

Hiſce ſubdens parabolam de diſpenſatore, qui dum diſpenſatione fungeretur, prudēter de bonis domini amicos ſibi parauit: hortatur ſuos, vt de mammona iniqua parent amicos, qui ipſos recipiant in æterna tabernacula. Auari autem Phariſæi hæc deridebant. *Luc.16.*

Diues immiſeors.

Quibus proponit exemplum de diuite epulone, qui cùm opiparè viuens, Lazaro vlceroſo mendicanti micas panis non dediſſet: poſt mortem in inferno flamma cruciatus, fruſtra orauit, vt Lazarus in ſinu Abrahæ quieſcens, gutta aquæ linguam ipſi refrigeraret. *Luc.16.*

Coniugiū.

Cœlibatus

Cùm Phariſæi tentantes interrogarēt Chriſtum, liceátne viro repudiare vxorem: reſpondet: Quod DEVS coniunxit, homo ne diſiungat. Vnde cùm poſtea domi diſcipuli dicerent, non expedire, contrahere matrimonium: ait, Non omnes capere verbum iſtud, ſed quibus datum eſt: Caſtrandum autem ſeſe, propter regnum cælorum conſulit. *Matt. 15. Marc.10. Luc.16.*

Regnum Dei.

Interrogatus à Phariſæis, quando venturū eſſet regnum Dei: reſpondet, Id intra nos eſſe: diem verò iudicij, ex inopinato ſuperuenturum Mundo, vt olim diluuium, & conflagratio Sodomæ *Luc.17.*

Semper orandum.

Aliâs docens ſuos inſtanter humiliterque orādum: proponit parabolam de vidua, quæ improbis precibus Iudicem, nec Deum, nec homines metuentem, vicit. Item parabolam de Phariſæo & Publicano templum orandi gratia ingreſſis, quorum ille ſe iuſtum iactās, reprobatus: hic ſe peccatorem confitens, iuſtificatus eſt. *Luc.18.*

## Anno mundi 34.

Benedictio paruulorū.

OFFEREBANT ei pueros vt eis manus imponeret, Diſcipuli autem prohibebāt offerentes: at Ieſus, increpatis Diſcipulis, pueros complexans; impoſita manu benedicit eis: aſſerens non niſi talium eſſe regnum cælorum. *Matt.19. Marc.10. Luc.81.*

Paupertas voluntaria

Poſthæc rogat eum adoleſcens perdiues, Magiſter, quid faciam, vt vitam conſequar æternam? ait, Serua præcepta decalogi: Cui ille, Hæc omnia ſeruaui à puero, quid adhuc mihi deeſt? Ad hęc Chriſtus, Si vis, inquit, perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me. quo audito adoleſcēs abijt triſtis. Tum Chriſtus Diſcipulos docet, confidētes in diuitijs difficile ingredi regnum DEI: eos verò, qui propter ipſum ſua relinquerent, hic recepturos centuplum, & poſtea vitam æternam. *Matt.19. Marc.10. Luc.18.*

Vineæ cultura.

Subijcit regnum cælorum ſimile eſſe patrifamilias, qui diuerſis diei horis conducenti operarios ad colendam vineam ſuam: quorum ſingulis in fine diei eandem perſoluit mercedem. *Matth.20.*

Suſcitatio Lazari.

Sub hæc Martha & Maria mittunt ad Chriſtum, qui nunciet Lazarum ipſarum fratrem ægrotare: quo audito Dominus, biduum adhuc manet trans Iordanem. deinde repetiturus Iudæam, diſſuadentibus licet Diſcipulis, eiſdem obnunciat Lazarum eſſe mortuum. Hinc venit Bethaniam, vbi fiducia Marthæ, ploratuque Mariæ permotus, infremens & flens, Lazarum quatriduo iam ſepultum fœtentemque, in vitam reuocat: rediuiuum per Apoſtolos ſolui iubet. quo viſo Iudæorū multi crediderunt in Chriſtum *Ioan.11.*

Cōſpiratio in Chriſtū.

Hoc audito Pontifices & Phariſæi, conuocant concilium, in quo Caipha Pontifice anni illius ignoranter prophetante, quod expediret, vt vnus homo moreretur pro populo, ne tota gens periret, certò definiūt Chriſtum occidendum: dantque mandatum, vt vbi vbi eſſet, proderetur ac comprehenderetur. Chriſtus itaque publico abſtinens, ſubducit ſeſe in ciuitatem Ephrem ſitam iuxta deſertum Quarentanæ, ibique moratur cum Diſcipulis. *Ioan.11.*

Aſcēſus in Ieruſalem.

Paulò pôſt inſtante feſto Paſchæ, aſcendens Ieroſolymam, in via duodecim Apoſtolis apertè iam tertiò prænunciat ſe Ieroſolymis illudendum, conſpuendum, flagellandum, & crucifigendum: ſed tertio die reſurrecturum. *Matth.20. Marc.10. Luc.18.*

✠ Zebedæi.

Tunc vxor ac filij Zebedæi petunt à Chriſto, vt vnus à dextris, alter à ſiniſtris ipſi aſſideat in regno eius: quibus reſpondet, ipſos prius crucis & paſſionis ſuæ debere eſſe participes, quàm gloriæ. Mox reliquos Apoſtolos horum ambitionem indignè ferentes, docet exem-



exemplo ſui, quòd, quicunque voluerit eſſe maximus, is omnium ſit miniſter. *Matth.20. Marc.10.*

Cęcus.

Appropinquans ciuitati Iericho, cæcum mendicum conſtanter, licet à turba prohiberetur, miſericordiam implorantem, verbo viſu donat. *Luc.18.*

Zachæus.

Ingreſſus Iericho, Zachæum publicanum ipſius videndi cupidum, ex arbore deuocat, & ad eius domum diuertit: cui & ſalutem factam pronunciat. *Luc 19.*

10. Mnæ.

Subijcit parabolam de homine nobili, qui cùm dediſſet decem ſeruis ſuis decem minas, vt negotiarentur: poſtmodum ſubducta ratione, eos qui lucrifecerant honorauit, inutilem verò reprobauit. *Luc.19.*

2. Cæci.

Egreſſus Iericho, duobus cæcis mendicis, quorum alteri nomen erat Bartimæus, inſtanter precantibus, ſuo contactu viſum reſtituit. *Matth.20. Marc.10.*

Vnctio Chriſti.

Hinc venit Bethaniam ſabbato, ſexto die ante Paſcha: vbi in domo Simonis leproſi honorifica excipitur cœna: in qua Lazaro ſimul accumbente, & Martha miniſtrante, Maria precioſo vnguento perfundit caput Chriſti accumbentis. Ob quod cùm Iudas burſifer, & quidam Diſcipulorum, indignantes, aſſererent vnguendi precium potius pauperibus erogandum: Dominus, pauperes ſemper futuros reſpondens, conteſtatur eam præſtitiſſe opus & bonum & myſticum. Quare infenſus Iudas, ex hoc vendendi Domini concepit voluntatem. *Matth 26. Marc.14. Ioan.12.*

Palmarum.

Poſtero die, eoque Dominico, venit Bethphage ad montem Oliuarum: vbi inſidens aſinæ & pullo eius, equitat Ieroſolymam: turba ſternente veſtimenta ſua & ramos palmarum in via, ipſique acclamante, O ſanna, filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſrael: O ſanna in excelſis. *Matth.21. Marc.11. Luc.19. Ioan.12.*

Deploratio Ieruſalem.

Vt appropinquauit, videns ciuitatem flet: ſuper illam, prædicitq; funditus euertendam eò quòd non cognouerit tempus viſitationis ſuę. *Luc.19.*

Clarificatio Chriſti.

Ingreſſus hoc triumpho Ieroſolymam ac templum, inibi cæcos & claudos ſanat. Phariſæi hæc videntes, & audientes pueros in templo accinere Chriſto, O ſanna, indignantur & indurantur. At gentiles quidam Ieſum videre quærunt. Quamobrem, ad ipſius petitionem, iam tertiò Pater voce è cælo miſſa, palā Chriſti gloriam clarificat, ſeque clarificaturum promittit. Cumq; ibidem Chriſtus inter alia docuiſſet, ſe granum frumenti in cruce mortificandum, vt credentes in ſe ſaluet: veſperi concedit cum ſuis Bethaniam. *Matth.31. Marc.11. Ioan.12.*

Ficus ſterilis.

Feria ſecunda, cùm manè reuerteretur Ieroſolymam, eſuriens in via ficui fructibus carenti, perpetuam increpatur ſterilitatem. *Matth.21. Marc.11.*

Eiectio negotiatorū.

Deinde ingreſſus templum, vendentes & ementes expellit, docetq; eam domum Deo & orationi dicatam. vnde cùm Principes Iudæorum quærerent ipſum perdere, veſperi egreditur Ieroſolyma. *Matthæi 21. Marc.11. Luc.19.*

Ficus arida.

Feria tertia, diluculo rediens Ieroſolymam, diſcipulis videntibus & admirantibus ficum exaruiſſe, declarat & fidei & orationis efficaciam. *Matth.21. Marc.11.*

Quæſtio Iudæorum.

Mox templum repetit, atque inibi docentem adorti principes Iudæorum, ſciſcitantur: Qua authoritate facis iſthæc? quos ipſe viciſſim rogat. Baptiſmus Ioannis vnde erat? è cœlo, an ex hominibus? Quibus ſe neſcire reſpondentibus: ipſe quoq; illis ſe reſponſurum negat. *Matt.21. Marc.11. Luc.20.*

Reprobatio Iudæorum.

Ibidemque ſubijciens tres parabolas, primam de duobus filijs: alteram, de vinea elocata agricolis: tertiam, de nuptiali conuiuio inuitatis iam parato: apertè indicat, Regnum Dei à Iudæis transferendum ad gentes. *Matt. 21. & 22. Marc.12. Luc.20.*

Tributum pendendū.

Tunc Phariſæi & Herodiani inſidioſè percontantur, An cenſus Cæſari ſit dandus: an non: Quem Chriſtus ex denarij imagine & inſcriptione perſoluendum oſtendit. *Matth.22. Marc.12. Luc 20.*

Probatio reſurrectionis.

Hinc Saducæi quæſtionem mouent de reſurrectione mortuorum, quam ipſi negabant futuram: quorum CHRISTVS redarguens inſcitiam, mortuos reſurrecturos Scripturæ teſtimonio aſtruit. *Matth.22. Marc.12. Luc.20*

Summa legis dilectio

Deinde quidam è Scribis quærit, Quod ſit maximum præceptum in lege: Cui Chriſtus Diligendum DEVM ex toto corde ſupra omnia, & proximum vt ſeipſum. *Matthæi 22. Marc.12.*

Chriſtus Dominus Dauidis.

Quin & ipſe Ieſus repetens quæſtionem, rogat Phariſæos, cuius filius eſſet Chriſtus? Dicunt, Dauidis: Tum Ieſus: Cur ergo Dauid afflatus Spiritu ſancto in Pſalmis vocat eum Dominum: Cui cùm non poſſent reſpondere: nō auſi ſunt ipſum amplius interrogare. *Matth. 22. Marc.12. Luc.20.*

Scribæ audiendi: at non imitandi.

Tunc Ieſus verſus ad Diſcipulos & plebem, docet Scribarum & Phariſæorum audiēdam doctrinam, ſed vitanda opera eorumq; diuerſa vitia apertè depingens & inſectans, væ maledictionis illis minatur. Veſperi egreſſus tēplum, ſecedit, pernoctatq; in monte Oliueti. *Matth.22. Marc.12. Luc.20. & 21.*

Oblatio.

Feria quarta, manè regreſſus in templum, docet populum: ibique ſedens, offerentes munera in Gazophylacium ſpectat: viduamque pauperculam duo æra minuta mittentem, plus omnibus miſiſſe pronunciat. *Mar.12. Lucæ 21.*

Aedificium templi.

Egreſſus templo, Diſcipulis oſtendentibus magnificam eius ſtructuram prædicit, id funditus deſtructum iri. *Matt. 24. Marc.24. Luc.21.*

Sedens deinde in monte Oliuarum, Diſcipulis ſciſcitantibus tempus & ſignum huius deſtructionis, ſimul & conſummationis Mūdi: prædicit varias calamitates Iudæis obuenturas: abominandum idolum in loco ſancto collo-

collocandum: Ieroſolymam obſidione cingendam, vaſtandam, euertendam, atq; Iudæis expulſis, à gentibus inhabitandam. Deinde prænunciat multa ſuis Diſcipulis euentura mala in mundo, perſecutiones, afflictiones, occiſiones: Item falſos Chriſtos falſosq; Prophetas ſurrecturos, ac edituros miracula ad ſeducendos (ſi fieri poſſet) etiam electos. Poſthæc terrifica prodigia, in cælo, terra, & mari, aduentum ſuum præceſſura, tandemq; ſe ſubitò fulguris in morem, Angelis ſtipatũ magna cum poteſtate & gloria in nubibus cæli venturum, iuſteque iudicaturum bonos & malos. Proinde monet ſuos, vt ad hunc ſuum aduentum inopinatum omnibusque ignotum ſeſe parent, ſobrietate, vigilantia, oratione, aſſiduoq; exercitio piorum operum. Ad quæ vt eos magis extimulet, adducit exemplum de ſeruo fideli & vigili intẽpeſtiuum Domini ſui aduentum iugiter expectante. Item parabolam de decem virginibus euntibus obuiam ſponſo: & alteram de decem talentis à Domino in tres ſeruos diſtributis. Poſtremò proſequitur modum extremi iudicij, quibus dictis, ſubijcit ſe poſt bidum in Paſchate crucifigendum. *Matth.24. & 25. Marc.13. Luc.21*

Sermo in monte Oliueti.

Tunc Principes Iudæorum congregati in atrio Caiphæ Pontificis, conſultant inter ſeſe, quomodo Ieſum dolo caperent & occiderent: ad quos ingreſſus Iudas, triginta argenteis paciſcitur ſe illum ipſis traditurum. *Matt. 26. Marc.14. Luc 22.*

Venditio Chriſti.

Feria quinta, primo die azymorum, Chriſtus mittens Petrum & Ioannem, Paſcha parari iubet Ieroſolymis in monte Sion in cœnaculo cuiuſdam amplo & adornato, eis per ingreſſum hydriam aquæ baiulantis, deſignato. *Mat.26. Marc.14 Luc.22.*

Præparatio Paſchæ.

Veſperi eò ſecutus, accumbit cum duodecim Apoſtolis, ſimulq; iuxta Moyſaicam Legem agnum Paſchalem comedunt. *Matth.26. Marc 14. Luc.22.*

Eſus agni.

Surgens dein ex cœna ſuorum Apoſtolorum, Petro quantumnis aliquamdiu reluctante, lauat pedes, linteoq; detergit: in exemplũ humilitatis, ſimul & myſterium puritatis. *Ioan.13.*

Lotio pedum.

Menſæ iterum accumbens, acceptum panem in ſuum corpus, & vinum in ſuum ſanguinem, conſecrat: ac ſuis ſumenda tradit: præcipitq; vt id ipſum faciant in ſui memoriã. *Matth.26. Marc.14. Luc.22.*

Inſtitutio Euchariſtiæ.

Mox proteſtatur ſe ab Apoſtolorum vno prodendum: omnibusque ob hoc perplexis, tandem Ioanni in pectus ſuum recumbenti, qui is eſſet, intincta buccella demõſtrat: qua ſumpta Iudas exit *Matt.26. Marc.14. Luc.22. Ioan.13.*

Inſinuatio proditoris.

Quo digreſſo, Ieſus ſe mox diſceſſurum indicans, nouum dat ſuis mandatum, vt diligãt ſeſe mutuo: addens, eos mutua è dilectione cognoſcendos, quòd ſui ſint Diſcipuli. *Ioann.13.*

Mandatum dilectionis

Hinc prædicit ipſos omnes ea nocte, ſe derelicto, fugituros: ipſumque Petrum, (qui ſibi id euenturum, etiam ſi commoriendum eſſet, pernegabat,) prinſquam gallus bis caneret, ter ſe negaturum. *Matt.26. Marc.14. Luc.22. Ioan.13.*

Prædicatio negationis

Sub hæc Apoſtolos mœſtos varijs modis conſolans, dicit, in domo Patris ſui manſiones multas paratas. ſe eſſe viam, veritatem, & vitam. Item, Patrem in ſe videri. Diligentes ſe, præcepta ſeruare: quibus Spiritum ſanctum promittit: pacemque ſuam relinquit ac commendat. *Ioan.14.*

Sermo poſt cœnam.

Deinde cantato hymno, ſurgens à menſa, inibi ſtando, ſe vitem, Patrem agricolam, Diſcipulosque palmites eſſe docet. Præceptum de mutua dilectione ſecundò ac tertiò iniungit. contra Mundi odium ac perſecutiones, ſuos præmunit promiſſione Paracleti, quem ſe à Patre miſſurum pollicetur: qui mundum arguat, ipſos doceat, & ſe clarificet. Ac tandem orans Patrem, ſe, ſuos, omneſque credituros, illi commendat. *Ioan.15. 16.17.*

Sermonis continuatio.

Hinc egreditur cum ſuis trans torrentem Cedron, in hortum villæ Gethſemani, quæ erat in monte Oliueti: vbi ad iactum lapidis à Diſcipulis progreſſus, ſupplex ter Patrem orans, deprecatur mortem: anxius ſudat ſanguinem, ab angelo confortatur, tertioque ad ſuos dormientes rediens, vltrò hoſtibus procedit obuiam. *Matth.26. Marc.14. Lucæ22. Ioan.18.*

Agonia in horto.

Tunc Iudas cum armata cohorte ſatellitũ aggreſſus Dominum, mox voce Chriſti ſternitur cum ſuis retrorſum in terram: deinde Chriſtum ſeſe offerentem, oſculo tradit: Iudæi comprehendunt. Petrus amputat aurem Malcho. Chriſtus Petrum prohibet, aurem reſtituit. Diſcipuli fugiunt. Adoleſcens quidam nudus effugit. *Matth. 26. Marc.14. Luc.22. Ioan.18.*

Captiuitas.

Chriſtus ligatus, ducitur Ieroſolymam, primò ad Annam Caiphæ ſocerum: à quo de diſcipulis & doctrina ſua interrogatus, ſe publicè coram omnibus docuiſſe reſpõdet: & ob id à miniſtro alapa cæditur. *Ioan.18.*

Coram Anna.

Inde ductus ad domum Caiphæ Pontificis, ſiſtitur in Concilio Sacerdotũ & Seniorum. à falſis teſtibus falsò accuſatur. quibus cùm nemini quidẽ reſpõderit, à Pontifice adiuratus, an ſit Chriſtus Filius Dei: idq; confeſſus: quaſi blaſphemus, mortis reus eſſe condemnatur. *Matth.26. Marc.14. Luc.22.*

Coram Caipha.

Mox à miniſtris in faciem conſpuitur, oculis obuelatur, pugniſq; cæditur, iubetur vaticinari, ac tota nocte varijs modis illuditur & blaſphematur. *Matth 26. Marc.14. Luc.22.*

Illuſio.

Interea Petrus Ieſum à longè ſecutus, & à Ioanne introductus in atrium Pontificis: cùm inter miniſtros aſtans igni, ab ancilla oſtiaria proderetur, Dominum negat. Paulò pòſt volens exire in veſtibulum, ab alia ancilla accuſatus, gallo canente, Chriſtum abiurat. Poſt horæ ſpatiũ denuò accuſatus à cognato Malchi, cum execratione deierat, ſe non noſſe Ieſum,

Negatio Ieſu.



ſum. Tum gallo iterum canente, & Domino ipſum intuente, reſipiſcens: egreſſus foras, flet amarè. *Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioannis 18.*

Corã concilio.

Feria ſexta, quem Paraſceuen vocant, manè collecto rurſus cõcilio, Ieſus denuò à principibus Iudæorum interrogatus, profitetur ſe Chriſtum Dei filium. quapropter vinctus abducitur, traditurque Pilato Præſidi. *Matth.27. Marc.15. Luc.22.*

Suſpenſio Iudæ.

His viſis Iudas, facti pœnitens, confitetur coram principibus Iudæorum, ſe tradidiſſe ſanguinem innoxium: & proiectis in templo triginta argenteis, abiens laqueo ſe ſuſpendit, crepanſq; medius, effuſa ſunt omnia viſcera eius. At principes acceptis argenteis, decreto conſilio, emerunt agrum figuli in ſepulturã peregrinorum. *Matth.27. Act.1.*

Coram Pilato.

Pilato præſentatus in prætorio Ieſus, accuſatur à Iudæis, quod peruerteret populum, prohiberet tributa dari Cæſari, diceret ſe Chriſtum Regem. Quem Pilatus ſeorſum examinans, inquirit, an ſit rex Iudæorum? Chriſtus ſe quidem Regem eſſe fatetur, veruntamen regnum ſuum non eſſe huius Mundi. Vnde Pilatus ipſum innocentem pronunciat. Cùm autem Iudæi inſtanter Ieſum, licet tacentem, ſeditioſum eſſe inclamarent: Pilatus audito, quod Galilæus eſſet, mittit eum ad Herodem Galilææ Tetrarcham, qui & ipſe tunc erat Hieroſolymis. *Matt.27. Marc.15. Luc. 23. Ioan.18.*

Coram Herode.

Herodes viſo Ieſu gauiſus, multa interrogat. Ieſus nihil reſpondet. Iudæi pertinaciter accuſant. Tandem Herodes cum ſuis Chriſtum ſpernens ludibrij cauſa indutum veſte alba, remittit ad Pilatum, eiq; per hæc reconciliatur. *Luc.23.*

Coram Pilato.

Pilatus perſpecta iam Chriſti innocentia, Iudæorumque inuidia: primùm conatur feſti Paſchæ gratia, populi fauore, ipſum dimittere. At cum ſuaſu ſacerdotum præ illo Barrabas latro eligeretur dimittendus; Chriſtus verò exigeretur crucifigendus: vult eundem caſtigatum dimittere. *Matth.27. Marc.15. Luc.23. Ioan.18.*

Caſtigatio Chriſti.

Ductus igitur Ieſus à militibus Pilati in atrium prætorij, coram tota cohorte nudatus, dirè flagellatur. Deinde chlamyde purpurea induitur: ſpinis coronatur: arundine in dextra accepta, vt Rex ſalutatur: & genu flexo irriſoriè adoratur: variè illuditur: conſpuitur: alapis & arundine percutitur. *Matth.27. Ioan. 19. Marc.15.*

Oſtenſio.

Sic tractatum & ornatum Pilatus educens foras, populo videndum exhibet, vt vel ſic ſatiati deſiſterent. At cùm tanto magis clamarent vt crucifigeretur, quod filium Dei ſe feciſſet: reducit eum in prætorium, iterumq; examinat; & inſontem quærit abſoluere. *Matth. 27. Marc.15. Luc.23. Ioan.19.*

Verùm cùm Iudæi eò magis atque magis exclamarent, ipſum tollendum in crucem, quod ſe Regem faciens, aduerſaretur Cæſari: tandem Pilatus iterum producto Ieſu foras, ſedit pro tribunali: vbi etiam vxore ſua monente, vt à iuſto abſtineret: coram omni populo lauans manus, proteſtatur; quod innocens iuſtum adiudicet morti: & Barraba dimiſſo; tradit Ieſum ſuis militibus crucifigendum. *Matth.27. Marc.15. Luc.23. Ioan.19.*

Cõdemnatio.

Tum Ieſus rurſum induitur proprijs veſtibus, & ducitur extra ciuitatem ad locum ſupplicij, baiulans crucem ſuam: quę deinde poſt ipſum portanda etiam Symõni Cyrenæo imponitur. Inter eundum autem Chriſtus mulieres plorantes, iubet non ſuam mortem, ſed imminens ſibi ipſis exitium deplorare. *Matt. 27. Marc.15. Luc.23. Ioan.19.*

Cruciſlatio ✠

Progreſſus in montem Caluariæ, veſtibus exuitur, vino myrrhato felle mixto potatur. atque ibi ſub ſextam diei horam, manibus pedibuſque clauis perfoſſis, Cruci affigitur, ac ſuſpenditur ipſo meridie duos inter latrones medius, Occidentem verſus ſpectans: affixo cruci titulo, ſcripto Hebraicè, Græcè & Latinè, IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. milites autem ſorte diuidunt ſibi veſtes eius. *Matth.27. Marc.15. Luc.23. Ioan. 19. Pſalm 21.*

✠ Crucifixio

Pendens in cruce, varijs conuicijs inſultatur, varijſq; modis deridetur, à prætereuntibus, à principibus, à militibus, & ab ipſis etiã latronibus. Pro quibus omnibus Patrem ipſus orat. Latroni reſipiſcenti promittit Paradiſum. Matrem ſuam commendat Ioanni. obortiſque tenebris ab hora ſexta vſque ad nonam, à Deo ſe derelictum conqueritur. ſitit: potatur aceto. ac tandem conſummatis omnibus; cum clamore valido & lachrymis Patri commendãs ſpiritum, hora nona moritur, die vigeſimo quinto Martij, emenſus à natiuitate annos triginta tres, & menſes tres: incarnationis autẽ ſuæ anno triceſimo quarto præciſè completo. *Mat.27. Marc.15. Luc.23. Ioan.19. Heb.5.*

Deriſio. Oratio. Expiratio.

Anima ipſius deſcendit ad eum inferorum ſinum, quem Limbum Patres vocant: Diuinitate tamen eius nec à corpore, nec ab anima ipſius, demigrante. *Pſalm.15.*

Deſcenſus ad inferna.

Et ecce, mox velum templi ſciſſum, terra mota, petræ ruptæ, monumenta aperta, ſancti ipſo poſtea cum Chriſto, reſurgentes, Ieroſolymæ apparent multis. Centurio cum ſuis cuſtodibus profitetur Ieſum fuiſſe iuſtum, & Filium Dei, & quæ ſpectatum venerãt turbæ, percutientes pectora ſua reuertuntur. *Matth. 27. Marc.15. Luc.23.*

Prodigia.

Noti eius & mulieres, quæ etiam in Galilæa miniſtrauerant ei, aſtantes procul ſpectãt quæ fiunt. Milites frangunt crura latronum. Chriſti latus lancea aperitur: ex quo profluit ſanguis & aqua. *Matth.27. Marc.15. Luc.23. Ioan. 19.*

Transfixio cordis.

Ad veſperam Ioſeph ab Arimathea & Nicodemus, conſenſu Pilati, corpus Ieſu cruce deponunt: idque myrrha & aloë conditum, inuoluunt ſindone munda, ac ſepeliunt in horto propinquo, in monumento nouo è petra exciſo, capite occidentem verſus: mulieribus cun-

Sepultura.

cuncta ſpectantibus. Cumq; aduoluiſſent lapidem magnum ad oſtium monumenti abeunt. *Matt.27.Marc.15.Luc.23.Ioan.19.*

Munitio ſepulchri.

Poſtero die, eoque ſabbato, quo Iudæi celebrabant Paſcha ſuo more tranſlatum; mulieres ſecundùm legem quieſcunt. At principes Sacerdotum, impetrata à Pilato poteſtate, muniunt ſepulchrum; lapidem obſignant; cuſtodiam militum adhibent. *Matth. 27. Luc.23.*

Reſurrectio.

Primo die à Sabbato, qui exinde dictus eſt Dominicus, ſummo diluculo Chriſtus rediuiuus ſurrexit. *Marc.16.*

Acceſſus ſepulchri.

Eodem tempore Maria Magdalena, Maria Iacôbi, & Salome, aliæque mulieres, paratis ſibi aromatibus, adeunt monumentum, vt vngerent Ieſum, vbi ab Angelis docentur ipſum reſurrexiſſe: eorumque iuſſu, inſpecto ſepulchro vacuo, redeuntes celeriter Ieroſolymam, hæc Diſcipulis annunciant. *Matt.28. Marc.16.Luc.24.Ioan.20.*

Petrus & Ioannes.

Petrus ergo & Ioannes excurrunt ad monumentum: vident ſola linteamina inibi iacentia, abeuntq; mirantes. *Luc.24.Ioan.20.*

Magdalena.

Magdalena interim cum mulieribus reuerſa ad monumentum, dum cæteris recedentibus, ſola ibidem perſtaret plorans; cum duobus Angelis colloquitur: ac prima videt ipſum Ieſum ſpecie hortulani ſibi apparentē, tandemq; agnoſcit. *Marc.16.Ioan.20.*

1. Apparitio.

Mox Ieſus occurrit & reliquis mulieribus regredientibus Ieroſolymam, ſalutatque. Illæ tenent pedes Ieſu, eumque adorant: cuius iuſſu ſecundò eunt, ſimulque renunciant Diſcipulis, ſeſe iam vidiſſe Dominum. *Matth.28. Marc.16.Ioan.20.*

2. Apparitio. Mulieres.

Cuſtodes.

Interea milites ſepulchri cuſtodes, aſpectu Angelico perterriti, velut exanimes obnunciant principibus Iudæorum Chriſtum reſurrexiſſe: cæterùm copioſa ab eis accepta pecunia, populo perſuadent, ipſis dormientibus, Chriſtum nocte à Diſcipulis furto ſublatum. *Matth.28.*

3. Apparit. Petrus.

Hinc Ieſus apparet Petro. *1.Corint.15.*

4. Apparit. Emaus.

Sub veſperam huius diei, comitem ſe adiungit forma peregrini, duobus Diſcipulis euntibus Emauntem de ſe colloquentibus: quibus inter eundum interpretatur Moyſis, omniumq; Prophetarum Scripturas in ſe impletas, eoſq; in ſui amorem accēdit. Tandem mēſæ accumbens, in fractione panis agnoſcitur. *Marc.16.Luc.24.*

Itaque hi duo Diſcipuli eadem veſpera regreſſi Ieroſolymam, dum in cœnaculo ab Apoſtolis & cæteris Diſcipulis audiunt Dominum apparuiſſe Petro: ac ipſi viciſſim narrant eum ipſum & ſe comitaſſe in via: ingreſſus foribus clauſis ipſe Ieſus, ſtans in medio eorum, pacem eis precatur. Mox manus, latus, ac pedes, eis conſpiciendos ac palpandos præbet: inſuper & coram illis comedit. Deinde, inſufflans, dat eis Spiritum ſanctum, ſimul & poteſtatem remittendi & retinendi quorumcunq; peccata. *Marc.16.Luc.24.Ioan.20.*

Apoſtoli. 5. Apparit.

Thomas incredulus.

His peractis, adueniens Thomas, cùm ab Apoſtolis audiret Dominum ipſis viſum; negat ſe crediturum, niſi clauorum & lanceæ veſtigia ipſemet videret ac contrectaret. *Ioan. 20.*

6. Apparit. Thomas credit.

Octauo pòſt die, iterum ad Diſcipulos in cœnaculo congregatos, ianuis clauſis, ingreſſus Ieſus: ſtans in medio, ſalutat: deinde Thomæ ſui lateris, manuum, ac pedum vulnera videnda & contrectanda exhibet, eumque ita ad fidem adducit. Beatos interim pronuncians, qui non viderent, & crederent. *Ioan.20.*

7. Apparit. Piſcantes.

Poſtea Petro, Thoma, Nathanaële, Iacobo, & Ioanne, alijſque duobus Diſcipulis, in mari Tiberiadis tota nocte fruſtra piſcatis, mane Ieſus ſtans in littore, iubet rete emitti ad dextram nauigij, mox capiunt centum quinquaginta tres piſces magnos. Quo miraculo Petrus per Ioannem Dominum agnoſcens, conijcit ſe in mare, aditque eum; reliqui autem nauigio appellunt: ſimulque prandet cum eis Ieſus in littore. *Ioan.21.*

Primatus Petri.

A prandio Ieſus Petrum an ſe diligat ter ſciſcitans, ter id profitenti, ter ſuas oues paſcendas committit: ipſumque, cùm ſenuerit, crucis martyrio conſummandum, Ioannem verò placidè moriturum, ſignificat. *Ioan.21.*

8. Apparit. 500. Diſcipuli.

Hinc in monte Galilææ, quem olim ſuis cōſtituerat, vndecim Apoſtolis ac pluſquam quingentis fratribus ſimul apparet, ab eis videtur & adoratur: vbi dat eis & authoritatem & mandatum prædicandi Euangelium vbique gentium, ac baptizandi omnes: promittens ſe ſemper adfuturum ipſis vſque ad conſummationem mundi. *Matth.28. Marc.16.1.Corint.15.*

9. Apparit. Iacobus.

Deinde viſus eſt Iacôbo. *1.Corinth.15.*

10. Apparit. Proceſſio à Ieruſalem.

Quadrageſimo poſt reſurrectionem die, in vnum collectis Ieroſolymæ Diſcipulis ſuis omnibus, Ieſus aperit illorum mentem, vt intelligerent Scripturas: & iubet vt Spiritū ſanctum in Ieruſalem expectent. Inde educit eos foras in Bethaniam: quærunt, num eo tempore reſtituturus ſit regnum Iſraêl? Reſpondet, non eſſe eorum id ſcire, ſed accepto Spiritu ſancto ipſorum fore, de ſe teſtimonium ferre vbique terrarum. Deinde eleuatis manibus, benedixit eis, atque ex monte Olíueti, illis videntibus, ipſo meridie, aſcendit in cœlum, & ſedit à dextris Dei. Diſcipuli autem adorato Domino Ieſu, & à duobus Angelis Ieſum olim ſic reuerſurum edocti: regrediuntur Ieroſolymam: vbi manentes in cœnaculo, perſeuerant, cum mulieribus & matre ac cognatis Ieſu, vnanimiter in oratione. *Marc.16.Luc.24. Act.1.*

Aſcenſio Chriſti.

Regreſſio Diſcipulorum.

Electio Mathiæ.

Hiſce diebus hortatu Petri, fuſis ad Deum precibus, in locum Iudæ proditoris, Mathias ſorte ſubrogatur. *Act.1.*

Die Pentecoſtes, qui quinquageſimus erat à Reſurrectione, iſque Dominicus, congregatis Ieroſolymæ in cœnaculo montis Sion centum viginti Diſcipulis: hora diei tertia venit



Miſſio Spiritus ſancti.

venit vehemēti cum ſonitu Spiritus ſanctus in eos: quo repleti, apparētibus ſuper capita ſingulorū linguis igneis diſpartitis, lęti loquuntur varijs linguis magnalia Dei. Quod audiētes diuerſę nationis Iudæi, mirantur: alij irridentes, muſto ebrios eſſe calumniantur. Ad quos Petrus orationē habens, probat ex Ioële & Pſalmis illud eſſe donū Spiritus ſancti, à Chriſto in vitā excitato, & dextera Dei exaltato, cœlitùs effuſi. Hęc aliaque tā efficaciter diſſerens, vt ter mille Iudæi compuncti, conuerſi, & eo die baptizati, ac Diſcipulis appoſiti ſint. Simulque perſeuerāt quotidie in doctrina Apoſtolorum, & communicatione & fractione panis, & orationibus: habentes omnia communia. *Act.2.*

Concio Petri.

Diuiſio Apoſtolorū.

Poſtmodùm verò digreſſi, prædicant Euāgelium vbiq; Orbis terrarū, hominibus quibuſcunq;, tonant verbis, fulgurāt miraculis, Domino cooperante, & ſermonē confirmāte ſequentibus ſignis. *Marc.16.Pſal.18.*

*Act.3.* Curatio claudi.

Petrus & Ioannes aſcendentes in templum ad horam orationis nonam, claudum ex vtero matris, quadragenarium, in porta templi ſpecioſa, ſtipem mendicantem, dicto ſanāt. Vnde mox facto populi cōcurſu, docēt in tēplo ipſos id feciſſe in nomine Ieſu: quē oſtendūt eſſe Meſſiam promiſſum per Moyſen, & omnes Prophetas, ipſiq; Abrahę. Quo quidē ſermone 5. milia virorum ad fidē Chriſti cōuertūt. Quapropter à primoribus Iudęorū incarcerātur. Poſtridie examinati in cōcilio ſeniorū, intrepidè profitētur, in ſolo Ieſu, lapide angulari, eſſe ſalutē: ac primoribus minaciter prohibentibus, ne deinceps Ieſum doceant, reſpondent: Deū potius audiēdum, quam ipſos. Itaq; dimiſſi, & reuerſi ad ſuos ſimul congregatos, vnanimiter orāt Deū pro conſtantia prędicandi: vnde facto terręmotu, denuò repleti ſunt omnes Spiritu S. ac loquebantur verbum Dei cū fiducia; cōcorditer conuiuētes ex communi. Nulluſq; ipſorum quicquā propriū habebat, ſed vēditis poſſeſſionibus ſuis, faciebant precium eſſe cōmune: quod fecit & Barnabas diuendito agro ſuo. Ananias autem & Saphira vxor eius, vendito agro, partem pretij fraudulenter ſibi ſeruātes, mētiendo, arguente id Petro, concidunt & expirant, cum terrore multorum.

*Act.4.*

*Act.4.*

*Act.4.*

Communio bonorum.

*Act.5.*

*Act.5.* Captiuitas Apoſtolorum.

Per manus aūt Apoſtolorū fiebāt miracula multa in plebe: quin & Petri vmbra infirmi ac dęmoniaci vndequaq; allati, in plateis curabantur. Quamobrē Apoſtoli à primoribus Iudęorum comprehenſi, publico carceri includuntur. vnde noctu ab angelo educti, eius iuſſu, diluculo docent in templo populum. Inde rurſus à magiſtratu ſine vi reducti in conciliū, ac durè, quòd denuò prędicarēt, increpati, reſpōdent: Obediēdū magis Deo, quàm hominibus: Chriſtumq; audacter confitentur. Quapropter cùm interficiēdi forēt, Gamalielis Phariſæi legiſdoctoris conſilio, rurſum ſtrictè prohibiti, ne omnino prędicarent Ieſum, virgis cæſi dimittūtur: gaudentes quòd digni habiti ſint pro nomine Ieſu contumeliā pati. quem inceſſāter quotidie in tēplo domibuſque annūciant. Creſcēte indies numero diſcipulorum, Apoſtoli, vt ipſi liberius orationi ac prædicationi inſtarēt; orātes manuum impoſitione ordināt 7. Diaconos, Stephanū, Philippum, Prochorum, Nicanorem, Timonem, Permenam, & Nicolaū: qui communitati neceſſaria procurarent. Ex quibus Stephanus plenus Spiritu S. edebat miracula magna in populo: quo cum diſputabāt diuerſi Iudęi: cumq; ipſius ſapientię reſiſtere non poſſent, raptū & pertractū in conciliū, per falſos teſtes accuſant blaſphemię in Deū in Moyſen, in templū, & in legem. Tum Stephanus facie, tāquā Angelus, reſplendens, inſigni oratione demonſtrat ſe piè recteq; de Deo, de Moyſe, de lege, deq; tēplo ſentire: ipſos verò Iudæos & patres eorū ſemper Moyſi ac Spiritui Sācto pertinaciter reſtitiſſe: inſuper prophetas Chriſti præcones, ipſumque Chriſtum occidiſſe. Porrò ſpectans in cælū, cùm diceret ſe videre cælos apertos, & Ieſū ſtātem à dextris Dei: impetu eijcitur extra ciuitatem: orāſque pro aduerſarijs, lapidatur, tertio Auguſti, feria 4. adoleſcēte Paulo Gamaliêlis diſcipulo cuſtodiente veſtes lapidātium, ac conſentiente neci eius.

*Act.6.*

Electio 7. diaconorum.

Stephanus

*Act.7.*

Lapidatio Stephani.

*Act.8.* Perſecutio Eccleſiæ.

Mox perſecutio magna facta eſt Ieroſolymis aduerſus Eccleſiam, ita vt diſcipuli omnes, præter Apoſtolos, diſpergerentur per regiones Iudææ & Samariæ: qui peragrantes paſſim euangelizant Iudæis verbū Dei. Interea Paulus Ieroſolymę deuaſtans eccleſiam, viros ac mulieres vndequaq; pertrahit in carcerem: eoſque virgis cædens in ſynagôgis, & frequenter puniens, cōpellebat blaſphemare Chriſtum: cumque occiderentur, deferebat ſententiam.

*Act.22. 26.*

*Act.8.* Prædicatio Philippi.

Philippus autem diaconus in Samaria ciuitate Chriſtū prædicans, multa ſigna edit, dæmones expellit, paralyticos & claudos ſanat, plurimos cōuertit viros ac mulieres, ipſūq; Simonem magum (qui diu gentem Samariæ dementârat) baptizat. Ad quos miſſi ab Apoſtolis Petrus & Ioannes, orātes impoſitione manuum dant baptizatis Spiritum Sanctū. Quo viſo Simon oblata eis pecunia volens poteſtatem dandi Spiritum Sanctū emere: ſeuere à Petro corripitur. qui cum Ioāne multis oppidulis Samaritanorum euangelizans, reuerſus eſt Ieroſolymam.

Confirmatio.

Simonia.

*Act.8.* Eunuchus AEthiops.

Philippum verò miſſus ab Angelo ad Eunuchum Aethiopē theſaurarium Cādaces reginæ Aethiopiæ, ab Ieroſolymis, vbi Deum adorauerat, curru reuertentem Gazam, & legentem Iſaiam prophetam, euāgelizat illi Ieſum: credentemque in fonte obuio baptizat. Inde à ſpiritu raptus in Azotum, pertranſiens euangelizat ciuitatibus cunctis, donec veniret Cæſaream Paleſtinæ.

## Anno Chriſti 35.

*Act 9.22. 26.*

PAVLVS aūt ſæuiſſimè perſequens diſcipulos Chriſti, impetratis à ſummo Pōtif. epiſtolis in damaſcū ad ſynagogas, vt huius viæ viros ac mulieres vinctos perduceret Ieroſolymam vt punirentur: cùm iter faciens appropinquaret Damaſco, die medio ſubitò

Conuerſio Pauli.

luce è cęlo proſtratus in terrā, voce Ieſu conuertitur, 25. Ianuarij, feria 4. menſe decimo poſt Domini paſſionem. Mox introductus à ſuis comitibus Damaſcum, triduò cęcutiens ieiunanſque orat; ac Deo reuelante docetur Euangeliū. Deinde Anania à Domino ad ipſum miſſo, per impoſitionem manus viſum recipit, baptizatur, ac ſpiritu ſācto impletur. ſtatimq; cœpit Damaſci in ſynagogis per dies aliquot ſtrenuè prædicare Ieſum eſſe Chriſtum, filium Dei. Inde abijt in Arabiam.

*Galat. 1.* *Galat. 1.*

## Anno Chriſti 36.

*Tertullianus in apologetico lib. 5.* — Chriſti religio Romæ aſſeratur, repellitur. *Oroſius lib. 7 cap. 2.*

PER hæc tempora ſcripſit Pilatus ad Tiberiū geſta Chriſti Saluatoris. Tiberius omnia retulit ſenatui, petens vt Chriſtus Deus haberetur, eiuſq; religio ſuſciperetur. Senatus autē indignatus, nō ſibi prius iuxta morē fuiſſe delatum, cōſecrationem Chriſti recuſauit: edictoque conſtituit, Chriſtianos vrbe exterminandos. Quare Tiberius vehementer iratus, edicto cōtrario accuſatoribus Chriſtianorum comminatus eſt mortem: mox multos ſenatorum, patriciorum, & equitum Romanorū interfecit, plurimos proſcripſit, populumq; grauiter afflixit: vt qui ſperabāt Chriſto rege ſaluari, rege cęſare punirentur.

## Anno Chriſti 38.

*Act. 9. 2. Cor. 11.* Paulus ſporta demiſſus. *Act. 9. Galat. 1.* Paulus profugus.

PAVLVS autem poſt multum temporis reuerſus eſt Damaſcum: vbi cum inſidijs Iudæorū a præfecto Aretæ regis quæreretur interficiēdus, nocte à diſcipulis è feneſtra in ſporta per mœnia demiſſus, effugit. & triennio poſt ſuam conuerſionem venit Ieroſolymam: hic à Barnaba ductus ad Apoſtolos Petrum & Iacobum, mãſit apud Petrum dies 15. Ieroſolymæ, & circumquaq; fortiter prædicans ac diſputās cum Iudæis, in Grecia natis: qui cum conarētur ipſum occidere, rurſum à fratribus deductus Cæſaream Paleſtinę, dimittitur Tarſum Ciliciæ metropolim, vbi natus erat.

Fuga Pauli *Act. 22. 23.* *Galat. 1.*

Deinde venit in regiones Syriæ & Ciliciæ, adhuc facie ignotus eccleſijs Iudææ, ſed tantùm fama ijs notus.

*Act. 9.* Aeneas. Tabita.

Petrus autem peragrans eccleſias Iudææ, Samariæ, & Galilææ, venit Lyddam: vbi Aeneā, qui annos 8 ex Paralyſi decubuerat, verbo ſanat. Auocatus Ioppē, Tabitam mortuam, oratione fuſa, reſuſcitat. dieſq; multos moratur Ioppæ, diuerſatus apud Simonem coriarium.

*Act. 10.* Gentes ad euangeliū admiſſæ.

Hinc à Cornelio centurione iuſſu Angeli accerſitus, ac ieiunus hora ſexta orans, ter cælitus per lintei omnis generis animantia cōtinentis viſionem, perq; ſpiritū, admonitus, gentes ad Euāgelij gratiam eſſe admittēdas, cum 6. fratribus proficiſcitur Ceſareā Paleſtinæ: vbi Cornelio, & cognatis ac amicis eius gentilibus Chriſtum predicans, cū ſuper omnes, qui ſermonē eius audiebant, Spiritus ſanctus ſigno viſibili deſcenderet, & iam loquētes varijs linguis magnificarent Deum, ipſos baptizat. Reuerſus Ieroſolymā, Apoſtolis aliiſq; fratribus reprehendētibus, quòd ad gētes diuertiſſet: reddit rationem ſe id nō niſi Deo autore feciſſe.

*Act. 11.* Circumciſi. Obmurmurant.

*Act. 11.* Eccleſia Antiochię.

Diſcipuli verò in perſecutione à morte Stephani diſperſi, peragrãtes vſq; ad Phœnicē, & Cyprum, & Antiochiam, ſoliſque Iudæis euangelizantes: florentiſſimam Antiochiæ Syriæ cōgregauerunt credētium eccleſiam. quo audito eccleſia Ieroſolymitana, mittit ad eos Barnabā: qui multis cōuerſis, adducit eò & Paulum à Tarſo: ſimulq; Antiochię annum totum docēt turbam multam: ita vt diſcipuli ibi primùm appellati ſint Chriſtiani. Chriſtiani.

## Anno Chriſti 39.

Agabus. *Act. 26.*

TVNC eôdem ſuperuenerūt ab Ieroſolymis prophetę, quorum vnus nomine Agabus prędixit famem magnam in toto orbe futuram. Quamobrem Barnabas & Paulus mittūtur Ieroſolymam ad ſeniores, vt exhiberēt collectam eleemoſynam in ſubſidiū pauperum fidelium contra venturam famē, & accedentes eccleſias per omnem Iudæam, prædicant.

Caius Caligula. *Danie. 9. Matt. 24.* Abominatio deſolationis. *Ioſeph. 18. ant. 1. 5 & 19. ant. 1. & 2. bell 8. 9.* Philo iudęus. *Philo libro legationis qui Flaccus inſcribitur.*

Caius Caligula Cæſ. IIII. imperat an. 3. mēſ. 10. d. 8. vir ſceleſtiſſimus, ſororibus ſuis ſtuprum intulit, ſtupratas inſulari exilio condemnauit, plurimos nobilium interfecit. optare ſolet, vt vnam tātùm ceruicem haberet populus Romanus, vt omnes ſimul vno ictu poſſet interficere, fratrē Iouis ſe nominauit, adorari tanquam Deus vbique voluit: ſtatuā ſuam poni iuſſit Ieroſolymis in templo domini, ac ſub nomine Iouis nobiliſſimi noui Dei Caij adorari: ſimiliter & in ſynagogis Iudeorum, & Alexandrię AEgypti aliiſq; multis in locis per totum imperium ſuum, quod Iudæi Alexādrię obſtinatiſſimè recuſantes, miſerunt ipſi Caio legatū Philonem Iudæū natione Alexandrinum virum doctiſſimū, ſupplicantes ne cogerentur adorare deos alienos: ſed præter ſuam irriſionem Philo nihil reportauit.

*Ioſeph. 18. ant. 14. & 2. bell. 8.* *Ioſeph. 2. bell 8. 10.* *Act. 12.* Decollatio Iacobi maioris. *Euſ. 2. hiſt. eccl. 9.* *Act. 12.* Incarceratio Petri.

Pilato à Caio Lugdunum Galliæ in exilium relegato, vbi tādē angoribus coarctatus, propria ſe manu interfecit; & Herode Antipa tetrarcha vnà cum Herodiade in Hiſpaniam fugato, vbi vterque mærore perijt: in eorum locum Herodes Agrippa priſcus à Caio rex Iudææ & Galileæ conſtitutus regnauit annis 7. Hic anno regni ſui 1. in gratiam Iudæorum mittens manum vt affligeret quoſdā de eccleſia, Iacobum fratrem Ioānis, iam ex Hiſpania, vbi euangelium prædicauerat, reuerſum, occidit gladio, 25. Mart. qui dùm ad ſupplicium duceretur, oblatum paralyticum in via ſanans. eo miraculo Ioſiam, qui ſe vinctū ad Herodē traxerat, conuertit, oſculatus eſt, & martyrij participē effecit. Corpus Iacobi tranſlatum in Hiſpaniam, ſepultū eſt Cōpoſtellæ, 25. Iul. Quin & Petrū cōiecit Herodes in carcerē, vinctūq; catenis duabus, à 16. militibus aſſeruari curat, volens poſt Paſcha producere eū populo. cæterū Eccleſia ſine intermiſſione orāte pro Petro, nocte eiꝰ diei, quo occidēdus erat, mirabiliter ab Angelo liberatus eſt: q cùm fratribus narraſſet idq; Iacobo Ieroſolymorū epiſcopo aliiſq; nūciare iuſſiſſet, migrat Anthiochiā Syriæ. vbi eccleſię preſidēs an. 7. in Pōto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia, prædicauit Euangelium.



Cathedra Petri Antiochiæ.

*Anno Chriſti 46. Act. 12.* Herodis mors. *Ioſeph. 19. ant. 8. 9.*

Herodes autem poſtea Cæſareæ Paleſtinæ indutus veſte regia fulgēte cōcionabatur pro tribunali: populo verò acclamante, Dei vox, & non hominis: confeſtim, eò quod non daret gloriā Deo, ab Angelo percuſſus, & à vermibus conſumptus, expirauit. cui ſuccedens filius eius Agrippa, iunior, regnauit annis 27.

*Act. 12.* *Act. 13.* Paulus & Barnabas Apoſtoli gentium.

Barnabas autem & Paulus expleto miniſterio, reuerſi ſunt ab Ieroſolymis Anthiochiam Syriæ, aſſumpto Ioanne Marco. vbi cùm inter cæteros prophetas & doctores florerent, ſacrificantibus illis domino, & ieiuuantibus, iubente Spiritu ſancto Paulus & Barnabas ſegregati, per ieiunium, orationem, manuumque impoſitionem, ordinati ſunt Apoſtoli ad prædicandum gentibus.

*Act. 13. Anno Chriſti 46.*

Itaq; dimiſſi, eunt Seleuciam, aſſumpto Ioanne Marco miniſtro. Hinc nauigant Salaminam Cypri. vbi cùm prædicaſſent in ſynagogis Iudæorum, peragrant vniuerſam inſulam Cypri vſque ad Paphum. hîc Paulus Elymam magum pſeudoprophetam Iudæum, ipſorum prædicationi reſiſtentem, dicto excæcat ad tēpus: ac Sergium Paulum proconſulem Cypri conuertit ad fidem.

*Act. 13.* Paulus & Barnabas prædicant inter gentes.

Inde nauigant Pergen Pamphiliæ: ibi Ioannes Marcus ab eis decedit Ieroſolymam, illi verò pergunt Anthiochiam Piſidiæ: vbi Paulus ſabbatis in ſynagōga prolixè annunciat Ieſum eſſe ſaluatorem Iſraëli ex ſemine Dauid promiſſum, ibique plurimos, maximè gentiles, ad Chriſtum conuertunt. ſed Iudæis contradicentibus, & perſecutionem in eos excitantibus, ipſoſq; ciuitate eijcientibus: illi, Iudæis valedicentes, excuſſo in eos puluere pedum, conuertuntur ad gentes.

*Act. 14. 2. Tim. 3.* *Anno Chriſti 49.*

Abeunt Iconium Lycaoniæ: vbi multo tempore demorantes. doctrina variiſq; miraculis multos conuertunt: cæterùm Iudæis ipſos lapidare tentantibus, fugiunt Lyſtram Lycaoniæ: Hic Paulus claudum ab vtero matris verbo ſanat: populumq; ac ſacerdotem Iouis ob id ipſis, ceu dijs, ſacrificare volentes, vix compeſcunt dicentes & ſe eſſe mortales, Deū immortalem annunciantes.

*Act. 14. 1. Cor. 11.* Lapidatio Pauli.

Mox concitata à Iudæis ab Anthiochia & Iconio ſuperuenientib. turba, Paulꝰ lapidatur; & ciuitate extractus, pro mortuo relinquitur. qui ad ſe reuerſus, poſtridie cum Barnaba profectus eſt Derben Lycaonię. Cùmq; & ibi, & in finitima vndique regione euangelizaſſent: reuertuntur Lyſtram, & Iconium, & Antiochiam Piſidiæ, conuerſos confirmantes, & ordinantes per ſingulas Eccleſias presbyteros. Peragrataq; Piſidia, veniunt in Pamphiliam, & prædicato in Perge Euangelio. deſcendūt Attaliam Pamphiliæ. inde tandem renauigant Antiochiam Syrię vnde exierant: vbi congregantes eccleſiam acta paſſaq; referunt: ibique multū temporis cōmorati ſunt cū diſcipulis.

## Anno Chriſti 41.

Euangeliū Matthæi. *Abdias in vita.* Martyrium Matthæi.

MATTHAEVS Apoſtolus in Iudæa propter eos q ex circunciſione crediderant, primus Euangelium ſuum ſcribit & edit Hebraicè: quod quis poſtea in græcum tranſtulerit, non ſatis certum eſt. Deinde Aethiopiam prædicando penetrauit. apud vrbem Nadabar conuictos magos Zaroë & Arphaxat expulit. Euphronon Aegyppi regis Aethiopiæ filium ſuſcitauit ex mortuis. Cōuerſus rex cum ſuis, eccleſiam miræ magnitudinis 30. dierum ſpacio fabricatus eſt: vbi Matthæus 33. annis ſedēs totam fermè terram Chriſto ſubdidit. Iphigeniam regis filiam Deo dicatam, pluſquàm ducentis præfecit virginibus. Hirtacus autem ſucceſſor Aegyppi defuncti, volens habere eam vxorem, cùm ipſa in ſancto virginitatis propoſito perſeuerāte, voti compos eſſe non poſſet: miſſo ſpiculatore, Matth. quē eius conſilij autorem eſſe ſciebat, iuſſit ad altare, in quo miſsā celebrauerat, ſecuri interfici, die Dom. 21. Sep. an. ſalutis 77. Poſtea cœnobio virginū copioſum ignem circumdedit, vt omnes ſimul concremaret. Sed apparente Apoſtolo, eaſq; protegente, vorax flamma palatium inuaſit, & omnia præter Regē & filium eius, abſumpſit, filius arreptus à dæmone, peccata patris cōfitebatur. Rex lepra percuſſus, ſemet occidit. Populus Euphronon ſibi regem cōſtituit, qui per annos 70. Chriſtianum cultum mirabiliter augmentauit.

## Anno Chriſti 42. 43.

Claudius. *Anno Chriſti 46.* Iuſtinus martyrium apologetico. Simon Magus. Sulpitius. *Euſ. eccl. hiſt.* Abagarus.

TI. Claudius 1. Cæſar 5. imperat an. 13. menſ. fere 10. Hic, conſilio regis Agrippæ, adorationem Caij inhibuit. Simon magus Samarites fugens ex Antiochia à facie S. Petri, venit Romam: vbi magicis artibus populū ſeducēs, ſtatim in Deos aſſumptus eſt, ſtatuæ donatus honore hunc habentis titulū: Simoni Deo ſancto. Sed & comes eius Selene meretrix dea habita. Poſtea cùm Simon arte magica, vt ſe Deum probaret, duobus ſuffultus dæmonijs, in aërem euolaſſet: orationib. Petri & Pauli fugatis dæmonibus, delapſus in terram, populo inſpectante, diſruptus eſt. vnde Nero iratus Petrum & Paulū, multoſq; Chriſtianos occidit. Tatthæus vnus ex 70. diſcipulis à B. Thoma ex commonitione diuina miſſus ad Abagarum Edeſſenorum toparcham, ipſum ęgritudine morbi corporalis abſoluit: vniuerſamque ciuitatem Edeſſenorum Chriſto fide ſociauit: vt futurum antea ſcripſerat ipſe Chriſtus Abagaro.

## Anno Chriſti 44.

Cathedra S. Petri Romæ.

ANNO 2. Claudij, Petrus archiApoſtolus admonitus à Spiritu ſancto, migrans ab Antiochia, aſſumpto Marco, per Pontū, Galatiam, vicinaſq; regiones prius à ſe illuſtratas, venit Romā ad expugnādum Simonem magum: ibiq; Romanā cathedrā pōtificatus ſuſcepit 18. die Ian. in qua primus poſt Chriſtum pōtifex eccleſiæ præſedit an. 25. m. 5. d. 13. Aduētum Domini & Quadrageſimā celebrare, viros comas decurtare, & viros mulieresq; habitu diſcretos eſſe primū pręcepit. Ibidē imperāte Claudio, dū Marcus filius eius adhuc apud ſe eſſet, ſcripſit ex vrbe Roma, miſitq; per Siluanū Epiſtolā ſuam primam aduenis ſparſim

Epiſtolæ Petri.

incolentibus Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, & Bithyniam: exhortans eos vt cõſtanter ferentes aduerſa, Chriſtianam fidem dignis moribus honeſtẽt. Indidem ſecundam Epiſtolam ſcripſit eiſdem admodum ſenex & iam morti vicinus: terrore extremi iudicij, mundique olim igne exurendi deterrens ipſos à peccatis.

## Anno Chriſti 45.

*Clemens presbyter hypotypoſeon lib. 6.* Euangeliũ Marci.

MARCVS diſcipulus & interpres Petri, iuxta quòd Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, græcè breue ſcripſit Euangelium: quod cùm Petrus audiſſet, probauit, & Eccleſię legendum ſua autòritate edidit.

## Anno Chriſti 46.

Prædicatio in Aegypto.

MARCVS itaque aſſumpto ſuo Euangelio, perrexit in Aegyptum, & primus Alexandriæ Chriſtum annuncians, conſtituit ibi Eccleſiam tanta doctrina & vitæ continentia, vt omnes ſectatores Chriſti ad exemplum ſui cogeret, haberentq; omnia cõmunia. Quã Eccleſiam cùm ſanctiſſimè rexiſſet annis 20. Alexandrię anno Neronis 8. in ſolẽnitate paſchali, diuina celebrãs, ab Aegyptijs fune collo eius iniecto raptus tractuſque per ciuitatem, carceri mancipatur: vbi nocte ſequente confortatus à Chriſto, poſtridie laqueo ſtrangulatus eſt, 25. Aprilis Corpus eius Veneti mercatores clàm obtentum, detulerunt Venetias anno Chriſti 838 eique templum magnificentiſſimum extruxerunt.

*Anno Chriſti 64. vel 65.* Paſſio Marci.

*Anno Chriſti 41.* *2. Cor. 12.* Raptus Pauli.

Paulus raptus in tertium vſque cælum, audit arcana verba, quæ fas non ſit homini loqui & ne excellentia reuelationum extollatur, datur ei ſtimulus carnis ſuæ, nuncius ſatanæ, vt ipſum colaphizet: ſuper hoc cùm ter Dominum rogaret, vt diſcederet à ſe, dictum eſt ei: ſufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.

## Anno Chriſti 47.

*Act. 11.* Fames. Halena.

ANNO 4. Claudij fames illa grauiſſima vniuerſum occupauit orbem quam Agabus futuram prædixerat: qua durante Helena regina Adiabenorum nuper ad Chriſti fidem conuerſa, ſuis impenſis vim magnam frumenti ex AEgypto delatam, Ieroſolymæ diſtribuit fidelibus.

*Ioſeph. 20. an. 2. & 4.*

Anno Claudij 5. à natiuitate S. Seruatij (ſecundum annales Traiectenſium) 17. Petrus miſit à Roma ad Germaniam Eucharium cũ Valerio & Materno, vbi Eucharius cæpit epiſcopatum Treuerenſem, ſedit annis 23. deinde Valerius ann. 15 Maternus deinde ann. Domini 85. fit tertius Epiſcopus Treuerenſis; conuertit Coloniam & Tungrim, fuitque primus Epiſcopus Colonienſis & primus Tungrenſis, ſedit ann 40. ſicut 40. diebus iacuit in ſepulchro reſuſcitatus baculo S. Petri Apoſtoli.

Epiſcopatꝰ Treuerenſis omnium primus & antiquiſſimus.

*Philo in li. d theorica* Philo.

Philo Iudæus ſecunda vice Romã ad Claudium veniens, ibi Petrum Apoſtolum verbũ Dei prædicantem, vidit, allocutus eſt, eiuſque habuit amicitiam: & hanc ob cauſam ſcripſit poſteà librum in laudem Chriſtianorũ commorantium in Aegypto.

Ieroſolymis tanta ſeditio in diebus azymorum exorta eſt, vt in portarum exitibus populo coarctato 30. milia Iudęorum cęde proſtrata ſint.

*Anno Chriſti 49. Ioſeph. 20. antiqu. 6.* Seditio.

## Anno Chriſti 48. 49.

*Act. 15.* *Galat. 2.*

ORTA Antiochiæ diſceptatione propter Iudæos, docentes quòd gentes ad Chriſtum conuerſæ deberent circuncidi, ac ſeruare legem Moyſi, Paulus iuſſus oraculo, & ordinatus ab eccleſia, cum Barnaba & Tito gentili incircunciſo, ac quibuſdam alijs per Phœnicen Samariamque anno à conuerſione ſua 14. aſcendit Ieroſolymam, vt cum Apoſtolis ſuper hac quæſtione conferrent, vbi conuocato vndequaque Apoſtolorum ſeniorumq; concilio, Paulus & Barnabas narrant conuerſionem gentium, ac magna vltrò citroque habita diſputatione, poſt Petri, qui à Roma venerat Ieroſolymam, & Iacobi Epiſcopi Ieroſolymitani ſuffragia, communi decreto ſtatuunt gentes non obligari ad obſeruationem legis antiquæ iam obrogatæ, tantùm ad tempus, vt abſtinerẽt ſe ab idolothytis à ſuffocato, à ſanguine, & à fornicatione: verùm vnumquemque per fidem gratia Chriſti ſaluandũ. Quin Petrus & Iacobus & Ioannes, columnæ Eccleſiæ, dextras dederunt Paulo & Barnabæ ſocietatis, vt hi inter gentes, ipſi autem inter Iudæos Apoſtolatu fungentes, euangelizarẽt; hoc tantùm rogantes, vt pauperum memores eſſent: id concilij decretum literis mandatum per Paulum, Barnabam, Iudam & Silam trãſmittunt Antiochiam Syriæ: qui traditis, lectiſque coram Eccleſia literis, ibi aliquamdiu demorati ſunt, docentes cum alijs plurimis verbum Domini.

Concilium Apoſtolorum. *Act. 15. & 16.* *Galat. 2.*

Eodem tempore Maria virgo Chriſti mater Ieroſolymæ præſentibus Petro, Iacobo, Ioanne & reliquis Apoſtolis, & Timotheo primo Epiſcopo Epheſiorum, & Hierotheo, aliiſq; ex S. fratribus, ipſoque Dionyſio Areopagita obijt 15. Auguſti, feria 4. ætatis ſuæ anno 72. ac ſepulta eſt in vallis Ioſaphat medio, iuxta villam Gethſemani, tertio die ſepulchrũ eius explorantes, idq; vacuum inuenientes ipſam corpore ſimul & anima aſſumptam in cælum, ac ſuper omnes choros angelorum exaltatam piè crediderunt, vt quidam fuiſſe reuelatum ſcribunt, poſtea in ſepulturæ loco, eius in honore fabricata eſt Eccleſia muro lapideo tabulatu.

*Dion. Areopa de diui. nomin. c. 3. Euſ. 3. c. 1. Nicep. lib. 2. cap. 21. 22. 23.* Aſſumptio B. Mariæ. *Genebrar. ait aſſumptam vndecim, aut certe quindecim annis poſt Chriſtum paſſum.*

Petrus autem cùm veniſſet Antiochiam, palàm coram omnibus reprehenſus eſt à Paulo, quòd edens cum gentibus, metu ſuperuenientium a Iacobo Iudęorum, è conuiuio ſimulatè ſe ſubduceret, atq; ita cæteros Iudæos, ipſumq; Barnabam in ſuam ſimulationem induceret: audiuitq; ab eo, non ex obſeruatione legis, ſed fide in Chriſtum contingere ſalutem. ac deinceps rurſum eccleſias ſuas viſitans confirmanſque, fortè etiam Corinthios ſimul cum Paulo docens, ac baptizans, (quòd aliquando factum liquet ex 1. Cor. 1. & 3. idemque teſtatur Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus) redijt Romam.

*Galat. 2.* Petrus à Paulo reprehenſus.

*Act. 18.* Iudæi Roma expulſi.

Anno 9. imperij ſui Claudius præcepit Iudæos omnes Roma decedere, eò quòd Agrippinam vxorem ſuam (teſte Ioſepho) ad ritus Iudaicos conuertiſſent. iuxta Suetonium verò, eò quòd impulſore Chriſto aſſiduè tumultuarent. anno proximo maxima fames Romam corripuit.

## Anno Chriſti 50.

*Act. 15.* Barnabas. *Coloſſ. 4.*

POSTHAEC Paulus cupiens viſitare gentes quibus prædicarat, diſcors cum Barnaba, diſcedunt ab inuicem: & Barnabas quidem aſſumpto Ioanne Marco conſobrino ſuo nauigat in Cyprum patriam ſuam, vbi circa ſeptimum Neronis annum martyrio coronatus eſt, 11. iunij. Paulus verò aſcito ſibi Sila, perambulat Syriam ac Ciliciam, confirmans Eccleſias, & præcipiens ſeruanda Apoſtolorum ſeniorumque decreta.

*Act. 16.*

Peruenit autem Derben & Lyſtram Lycaoniæ, vbi Timotheum probæ indolis iuuenem quoq; ſecum aſſumens, circuncidit eum propter Iudæos. cùm autem fructuosè prædicando pertranſirent ſuperiores ciuitates Lycaoniæ, tradebant ſeruanda, quæ Ieroſolymis ab Apoſtolis & preſbyteris decreta erant. ac peragrantes Phrygiam & Galatiam, veniunt in Myſiam. Prohibiti verò à Spiritu Sãcto prædicare in Aſia & Bithynia, peragrata Myſia deſcendunt Troadem: hic Paulus nocte per viſionem vocatus, vt euangelizet in Macedonia. nauigat cum ſuis, Luca comite, Samothracen inſulam, hinc Neapolim, inde Philippos Macedoniæ. Ibi diebus aliquot cõmorantes, Paulus ſabbato extra portam iuxta flumen ſedendo prædicans mulieribus, Lydiam purpurariam cum tota familia baptizat, eiuſque hoſpitio excipitur. Deinde puellam (quæ ſpirtu Pythonis obſeſſa, diuinando quæſtum magnum præſtabat domino ſuo) multis diebus clamantem ipſos eſſe ſeruos Dei excelſi, viam ſalutis annunciantes, liberat à dæmonio, quapropter cum Sila raptus in forum, iuſſu Magiſtratus publicè virgis atrociter cæduntur, & deinde coniecti in carcerem interiorem, pedes ligno ſtringuntur, vbi cùm media nocte orantes laudarent Deum, facto terræmotu, apertis oſtijs, ſolutiſque ipſorum vinculis exeuntes, cuſtodem carceris conuertunt, credentem cum omnibus domeſticis eius baptizant, appoſitaque menſa lætantur.

Paulus cum Sila prædicat inter gentes. *Act. 16* Pythoniſſa. *2. Cor. 11.* Paulus & Silas flagellantur & in carcerantur.

Diluculo eò quòd ſe Romanos dicerent, honorificè à magiſtratu educti; per Amphipolim & Apolloniam veniunt Theſſalonicã metropolim Macedoniæ: & hic Paulus ex more ſuo in ſynagoga Iudæorum per ſabbata tria Chriſtum annuncians, quamplurimos conuertit: nocte dieque manibus ſuis laborãdo, ſeque fatigando victum ſibi parans, ne cuiquam eſſet oneri. Concitato autem aduerſus eum à Iudæis tumultu, Iaſon ipſorum hoſpes pertrahitur in iudicium; Paulus verò cum Sila noctu à fratribus dimiſſus, profugit in Berream: vbi in Synagoga Iudæorum prædicans reperit promptos dociles ſque auditores. ſed & hic concitata à Theſſalonicenſibus Iudæis turba, Paulus Silam & Timotheum ibi relinquens, à fratribus deductus ad mare, nauigio fugit Athenas: vbi dum expectaret Silam & Timotheum, diſputans in ſynagoga cum Iudæis, ac quotidie in foro cum Epicureis & Stoicis, Philoſophis, deridetur. Abductus verò in Areopagum, capta occaſione ex ara Ignoto deo ſacrata, de Deo, & Chriſto & reſurrectione diſſerit: atque inter alios conuertit Dionyſium Areopagitam præſtabilem Philoſophum, quem poſtea Athenienſis Eccleſiæ Epiſcopum ordinauit.

*Act. 17.* *1. Theſſ. 2. 2. Theſſ. 3.* Paulus laborat manibus. *Act. 17* *2. Cor. 11.* Dionyſius Areopag.

Hic dum ageret Paulus, veritus ne Theſſalonicenſ. auditis quæ ipſe paſſus erat in prædictis ciuitatibus, à ſuſcepta fide deficerent, cùm ipſi non liceret illos inuiſere, permanens Athenis, miſit Timotheum, vt confortaret eos: ex quo reuerſo cùm didiciſſet, quòd etiam perſecutiones à ciuibus ſuis illatas conſtanter pertuliſſent, ſcripſit ad eos per Tychicum diaconum & Oneſimum acolytum ab Athenis binas literas: in quibus ipſos collaudat ac confirmat in fide, pleniuſque inſtruit de mortuorum reſurrectione, deque aduentu Chriſti & Antichriſti.

*1. Theſſ. 2. & 3.* Epiſtolæ Pauli ad Theſſalon.

## Anno Chriſti 51.

*Act. 18. 1. Cor. 4. 2. Cor. 11. & 12.* Paulus ſutor tabernaculorũ. *1. Cor. 1.*

POSTHAEC Paulus profectus Corinthum Achaiæ metropolim apud Aquilã & Priſcillam vxorẽ eius nuper cum cæteris Iudæis iuſſu Claudij Roma expulſos, artem ſcenofactoriã exercens, & opera manuaria ſe ſuoſque alens, ſingulis ſabbatis gratis prædicat in ſynagoga, ac Criſpum archiſynagogum, & Caium, & Stephanæ familiam per ſe, multoſque Corinthiorum per ſuos baptizat. Aduerſantibus autem ei Iudæis, confortatur nocte à Domino per viſionem, vt imperterritus hic euangelizet, multum enim ea in ciuitate populum conuertendum: quapropter manſit Corinthi annum & menſes ſex, apoſtolatus ſui edens ſigna & prodigia.

*2. Cor. 12.*

Lucas medicꝰ Antiochenus. ſectator Pauli, ordinatus ab eccleſijs, omnis peregrinationis eius comes indiuiduus in Achaiæ Bœotiæque partibus græcè ſuum ſcribit Euangelium, ſicut ab Apoſtolis acceperat.

*Coloſſ. 4. 1. Corin. 8.* Euangeliũ Lucæ.

## Anno Chriſti 53.

*Act. 18.*

PAVLVS autem Corinthi à Iudæis tumultu pertractus ad tribunal, coram Gallione procõſule Achaiæ accuſatur, & dimittitur. deinde poſt dies multos, comitantibus eum Priſcilla & Aquila, nauigans in Syriam, in Cenchreis ſuſcepto voto tondet ſibi caput, deuenitque Epheſum Aſiæ metropolim, vbi reliquit Priſcillam & Aquilam: ipſe verò ingreſſus ſynagogam diſputabat cũ Iudæis. (cõſtituitq; Epheſi per impoſitionem manuum ſuarum Timotheum epiſcopum) rogantibus

*1. Tim. 1.*

autem eis, vt diutius ibi maneret, valedicens
reſpondet:oportere ſe feſtum, quod inſtabat
agere Ieroſolymis,ſed breui rediturum.Inde
nauigat Cæſaream Paleſtinę,aſcendit Ieroſo-
Act.18. lymam,ſalutat eccleſiam, ibique agit feſtum
Pentecoſtes. Deinde deſcendit Antiochiam
Syriæ, vbi aliquamdiu commoratus, peram-
Act.18. bulat ex ordine Galatiam,ac Phrygiam, con-
firmans omnes vbiq; diſcipulos.

1.Tim.1. E Laodicæa metropoli Phrygiæ Pacatianæ
1.Tim.4. ſcripſit Paulus primam epiſt.ad Timotheum,
2.Tim.1. quem,quia iuuenem adhuc,iuſſerat remane-
Epiſt.1.ad Timoth. re Epheſi,vt ibi Eccleſię præſideret;ac per im-
poſitionem manuum ſuarum ordinauerat e-
um epiſcopum eccleſiæ Epheſiorum: per epi-
ſtolā inſtruit eum, quomodo epiſcopali mu-
nere bene beateque fungi debeat.

1.Tim.1. Indicans ſe Hymenæum & Alexandrū hæ-
reticos.excōmunicando,tradidiſſe Satanæ.Et
quia ait:Quemadmodum rogaui te,vt rema-
neres Epheſi,cùm proficiſcerer in Macedoni-
am:ita facito,hinc videtur epiſtolā hanc ſcrip-
tam eſſe quando Paulus ſecundo ex Epheſo
venit in Macedoniā,tuncq; reliquiſſe Epheſi
Timotheum,vt ibi præſideret Eccleſiæ.

Act.18. Inter hæc Apollos Iudæus Alexandrinus,
vir eloquens, cùm ſciret tantùm baptiſma
Ioannis, ab Aquila & Priſcilla Euangelium
Christi edoctus, primùm Epheſi, deinde Co-
Apollo. rinthi, ſtrenuè Chriſtum annunciat:rigans,
1.Cor.3. quæ Paulus plantarat, Deo dante incremen-
tum.

Act.19. Paulus autem peragratis ſuperioribus par-
tibus Aſiæ, venit Epheſum. hic fere 12. diſci-
pulos baptiſmate Ioānis baptizatos, baptizat
in nomine Ieſu: cūq; imponeret illis manus,
venit manifeſtè Spiritus Sanctus ſuper eos.
& loquebantur linguis ac prophetabant. At-
Act.20. que hic per triennium publicè ac priuatim
omnibus Aſianis magno cum fructu prædi-
cans,nocte & die non ceſſauit cum lachrymis
monere vnumquemque ipſorum:interim la-
Act.20. bore manuum ſuarum ſibi ſuiſque neceſſaria
comparans,tantaſque edēs virtutes, vt etiam
Miracula Pauli. ſudaria & ſemicinctia eius ſuper infirmos &
dęmoniacos delata,ipſos curarent. Iudæi au-
Act.19. tem quidam exorciſtæ tentantes, in nomine
Ieſu à Paulo prædicati,adiurare dæmonia,dæ-
moniaco ipſos inuadente,nudi vulneratique
effugiunt.multi verò credentium confitentur
peccata ſua:multique qui artes magicas exer-
cuerant,libros ſuos coram omnibus combu-
runt, vſque ad pretium 50. milium denario-
rum.

## Anno Chriſti 54.

PHILIPPVS Apoſtolus, cùm annos
circiter 20. Euangelium in Scythia prædi-
caſſet, & omnem ferè gentem illam ad veræ
pietatis cultum traduxiſſet, peſtemque à dæ-
monibus immiſſam,populo ſignum crucis e-
rigente & adorāte.depuliſſet, & multos ægro-
Philippus crucifixus. tos ſanaſſet,mortuoſq; ſuſcitaſſet, apud Hie-
ropolim Phrygiæ Aſiæ ciuitatem, dum Eu-
angelium populo nunciaret, ab Hebionitis
arreptus,cruci affixus & lapidibus obrutus eſt,
calendis Maij,anno ætatis ſuæ 87.

Poſt hæc Paulus in ſpiritu proponit tranſi- Act.19.
re Macedoniam & Achaiam:inde ire Ieroſo-
lymam,deinde Romam. Ob multitudinem
autem aduerſariorum,(quorum importuni- 1.Cor.16.
tate Epheſi beſtijs obiectus fuit)ipſe remanens 1.Cor.15.
Epheſi vſq; ad Pentecoſten,præmittit in Ma-
cedoniam Timotheum & Eraſtum, cum Epi-
ſtola priore ad Corinthios:quos de baptiſmo Epiſt.1.ad Corinth.
contendentes corrigit, fornicarium, qui no-
uerca ſua vxoris loco abutebatur, præcipit
publico Eccleſiæ conſeſſu tradi ſatanæ,corpo
raliter affligendum, quô ſpiritus saluus fiat.
ipſoſque plenius inſtruit,de matrimonio, vi-
duitate, virginitate,idolothytis, cæna Domi- Cap.16.
nica,donis ſpiritualibus,charitate; reſurre-
ctione mortuorum,ac diuerſa reſuſcitatorum
gloria.hortaturque vt quemadmodum ordi-
nauerat eccleſijs Galatiæ,ita & ipſorum quiſ-
que diebus dominicis apud ſe ſeponat pecu-
nias,perferendas Ieroſolymam ad ſubleuan-
dam inopiam ſanctorum.adijciens ſe ventu-
rum Corinthum, & apud ipſos aliquamdiu
permanſurum,vel fortè etiam hyemem tranſ-
acturum. Act.19.

Sub hæc Epheſi à Demetrio cæteriſque ar-
gentarijs grauis aduerſus Paulum excitatus eſt
tumultus,ob magnæ Dianæ templum cultum
que per ipſius prædicationem in nihilum re-
putandum: quo ægrè per ſcribam ſedato;
Paulus vocatis ad ſe diſcipulis valedicens(Ti- Act.20.
motheum Epheſi remanere iuſſit)inde anno 1.Tim.1.
Domini 54. Claudij 12.perambulat Macedo-
niam,exhortans fideles deinde venit in Græ- Prædicatio in Græcia.
ciam, vbi menſibus tribus prædicans, vſque ad Rom.15.
Illyricum per circuitum impleuit Euangeli- Tit.1.2.3.
um Chriſti,quib.in locis nemo Apoſtolorum Epiſtola ad Titum.
prædicauerat. Nicopoli autem Thraciæ hy-
bernans,inde ſcribit epiſtolam ad Titum, quē
reliquerat in Creta inſula, ibique Archiepiſ-
copum ordinarat,vt quod ipſe cæperat con-
ſumet, abſoluatque, ac per ſingulas ciuitates
(quas centum ea inſula habuiſſe memoratur)
conſtituat epiſcopos & preſbyteros. præſcri-
bens,quales cōſtituere, & quomodo ſubditos
docere debeat: iniungenſque vt veniat ad ſe
Nicopolim Thraciæ.

## Anno Chriſti 55.

POST HAEC Paulus obſtructas ſibi nauiga- Act.20.
turo in Syriam à Iudæis inſidias, reuertitur
per Macedoniam;comitantibus eum, Timo-
theo,Soſipatre, Ariſtarcho, Secundo, Caio,
Tychico & Trophimo. hi cùm præceſſiſſent
Troadem Phrygiæ,Paulus cum Luca Philip-
pis Macedoniæ feſtum Paſchæ celebrauit, 2.Cor.9.&
anno Claudij 13. huc Titus ad ipſum veniſſe
videtur, ex quo cùm intellexiſſet Corinthio-
rum deſiderium & fletum, quodque Titum Act.20.
humanè excepiſſent: ſcribit poſteriorem ad
Corinthios epiſtolam: in qua reddit cauſam Cap.1.
cur nondum inuiſerit ipſos, vt promiſerat. Cap.2.
Secundò fornicarium, quem anno proximo 2.Cor.8.9.
priore epiſtola excommunicauerat, iam e- Epiſt.2.ad Corinth.
mendatum,iubet amanter recipi in gratiam,
ne im-



Cap.8.9. ne immodico,dolore abſorbeatur. Tertiò
exemplo Macedonum(qui ſupra vires ſuas
contribuerāt)varijſque ſcripturis, prouocat
eos ad promptè & abundanter conferēdā
eleemoſynam pro fidelibus Ieroſolymæ de-
gentibus:ad quam coeligendam miſit cum
hac eadem epiſtola Titum & Lucam Euāge-
liſtam. Referens autem inter alia quæ quan-
taque ob Euangelij prædicationē perpeſſus
2.Cor.11. ſit mala, recenſet;quòd præter frequentes la-
bores, verbera, carceres, ac pericula mortis, à
Iudæis quinquies 39 plagas acceperit, ter vir-
gis cæſus ſit ſemel lapidatus, ter naufragium
fecerit, aliaque varia maris ac mortis ſæpiùs
Cap.12.& 13. pertulerit pericula. teſtaturque ſe denuo pa-
ratum inuiſere ipſos.

Poſt dies azymorum à Philippis nauigat in
tra dies 5. Troadem Phrygiæ, vbi demoratus
Act.20. diebus 7. die Dominico, cùm cōueniſſent diſ
cipuli in cœnaculo ad fragendum panem,
Suſcitatio Eutychi. Paulus diſſerebat eius vſque in mediam no-
ctem: & Eutychum adoleſcentem præ ſom-
no è feneſtra tertij cœnaculi delapſum ac
mortuum, vitæ reſtituit.

Act.20. Deinde Ieroſolymam ad feſtum Penteco-
ſtes celebrandum properat. atque ex hoc iti-
nere Paulus dictauit excipiente Tertio nobi-
lem illam epiſtolam ad Romanos, eamq; mi
Rom.c.1. ſit per Phœbem miniſtrā Eccleſiæ Cenchre-
enſis:in qua primò oſtēdit, Dei gratia iuſtifi-
cari hominem per fidem in Chriſtū, abſque
Rom.c.9. operibus legis Moſaicę, idq; comprobatum
Epiſtola ad Rom. exemplo Abrahæ, tum varijs ipſius legis teſti
Cap.12. monijs. deinde multa diſſerit de vocatione
gentiū, & de reiectione Iudæorum, quorū ta
men reliquias ſaluas fore ait. Tandem mora
lia quædam ſubijcit præcepta, ad informan-
Cap.15. dum iuſtificatorum vitam. Adijciens ſe nūc
proficiſci Ieroſolymam, vt collatam à Mace-
donibus & Achaicis eleemoſynā exhiberet
pauperib. ſanctis:hoc vbi perfecerit, ſe vētu-
rum Romam, atque inde profecturum in
Hiſpaniam.

Act.20. Diluculo Paulus à Troade per terram iter
facit Aſſon, hinc nauigio Mitylenē inſulam
ſequenti die venit contra Chium inſulā, po-
ſtridie appulit Samum: & commoratus Tro
gylij, proximo die venit Miletum, præterna-
Paulus properat Ieroſolymam. uigata iam Epheſo, ne tempus tereret in A-
ſia:feſtinabat enim, ſi fieri poſſet. vt diem Pē-
Act.20. tecoſtes ageret Ieroſolymis. A Mileto igitur
miſſis Epheſū nūcijs, accerſit ad ſe preſbyte-
ros Eccleſię, eoſque exhortatur vt vigilantes
ſint in regēda Eccleſia Dei, quam acquiſiuit
ſanguine ſuo, prædicēs poſt ſuum diſceſſum
exurrecturos ex ipſis lupos rapaces: ſe verò
nunc alligatum ſpiritu proficiſci Ieroſoly-
mam, Spiritu Sancto per ſingulas ciuitates te
ſtificante, ipſum illic vinciendum & affligen
dum. indicans & hoc, quòd non amplius fa-
ciem, eius eſſent viſuri.

Act.21. Poſthęc nauigat Coum, ſequenti die Rho-
dum, inde Pataram:hinc Cypro ad ſiniſtram
relicta appulit Tyrum. vbi diebus 7. manet a-
pud diſcipulos per ſpiritum dehortantes ne
aſcenderet Ieroſolymam. Inde nauigat Pto-
lemaidem, manet hic diem vnum:poſtridiè
venit Cęſaream Paleſtinę:vbi cùm apud Phi
lippum diaconum & euangeliſtam(cui erāt Virgines Propheti-
4. filię virgines prophetātes)moraretur dies ſæ.
aliquot, Agabus propheta cingulo Pauli ma
nus pedeſque ſibi alligans, per ſpiritum præ-
dicit Paulum ſic Ieroſolymæ â Iudæis alligā-
dum, & tradēdum gentibus:ideoque amicis
ne eò pergeret cū lachrymis rogantibus, re-
ſpondet:ſe nō ſolùm vinciri, ſed & mori pa-
ratum pro nomine Ieſu.

## Anno Chriſti 56.

HINC tandem peruenit Ieroſolymam, Act.21.
cōuerſionis ſuæ an. 2. Claudij 14. vbi (ex-
hibitis eleemoſynis(cùm, collecto poſtridie
cōcilio, ex Iacobi Epiſcopi Ieroſolymitani
ac preſbyterorū conſilio, vt & ipſe videretur
cuſtodire legem, aſſumptis. 4, viris votū ha-
bentibus, purificaret ſe iuxta ritū Nazareorū
in templo concitato à Iudæis tumultu, inibi Paulus capitur à iudæis.
apprehenditur, violēter templo extrahitur,
dirè percutitur:è manibus autē occidere vo-
lentium per Lyſiam tribunum vi militū Ro
manorum ereptus, alligatur catenis duabus,
ac ducitur in caſtra. Act.22.

Hic impetrata à tribuno dicendi facultate,
ſtans in gradibus caſtrorum, ordine refert ad
populū, quomodo olim & ipſe zelo legis a-
trociter credentes perſequens, cælitùs con-
uerſus ſit ad Chriſtum:quodque deinde cùm
Ieroſolymis in templo orās raperetur extra
ſe, miſſus ſit à Deo ad prędicandum gētibus.
Quo audito Iudæi iterum tumultuantes, vo-
ciferantur ipſum è viuis tollēdum, vnde iuſ- Paulus flagellis torquendus.
ſu tribuni ducitur in caſtra, loris adſtringi-
tur, flagris examinandus vt fateatur cauſam
clamoris: verùm vbi ciuem Romanum ſe eſ-
ſe indicaret, ſoluitur.

Poſtridie productus in concilium ſacerdo Act.23.
tum, coram eijs innocentem ſe declarās, A- Paulus in os cæditur.
naniæ pontificis iuſſu in faciem percutitur.
cumque ibidem diceret ſe Phariſæum, & ob
fidem reſurrectionis mortuorū iudicari:or-
ta ob id inter Phariſæos & Saducæos diſſen-
ſione magna, ita vt periculū eſſet ne Paulus
diſcerperetur, reducitur à militibus in ca-
ſtra. vbi nocte ſequēti aſſiſtens ei Dominus, A Deo cōfortatur.
ad conſtantiam ipſum exhortatur: prædicēs
quòd & Romæ eſſet de ipſo teſtificaturus.

Facto die Iudæi pluſquam 40. deuouerunt Act.23.
ſe nō eſuros, nec bibituros donec occidiſſent Cōiuratio in Paulum.
Paulum:quorum inſidijs per filium ſororis
Pauli detectis, Paulus iuſſu tribuni, 470. mili-
tibus ſtipatus, noctu abducitur Antipatridē;
inde Cęſareā Paleſtinę ad Felicem totius Sy-
riæ præſidem. ibique cuſtoditur in prætorio
Herodis. Act.24.

Poſt dies 5. coram Felice à Tertullo Iudæo-
rum oratore in concilio accuſatus, vt ſeditio
ſus, vt auctor ſectæ Chriſtianorum, vt profa- Paulus à Iudæis accuſatur.
nator templi;obiecta ſibi crimina ſtrenuè di
luit:confitetur tamen ſe Chriſtianum, ſeco-
lere Deum, ac credere futuram reſurrectio-
nem iuſtorum & iniuſtorum, vnde cauſa ip-
ſius in

ſius in aduentum Lyſiæ dilata, remiſſius cuſtoditur, permiſſo ſibi amicorum aditu ac famulatu.

*Act. 24.* *Paulus vinctus Cæſareæ.*

Poſt aliquod dies diſſerit coram Felice & Druſilla ipſius vxore Iudæa, de fide in Chriſtum, iuſtitia, temperantia, & iudicio futuro: vnde tremefactus Felix iubet eum reduci. frequenter tamen cum eo colloquens, ſpe accipiendę pecuniæ, ibidem biennio detinuit in vinculis.

## Anno Chriſti 56.

*Sueton. in vita.* *Nero.* *Ioſeph. 20. ant. 10.* *Roma incenſa.*

NERO Cæſar 6. imperat à 14. Octobris, paulo minus annis 14. principio honeſtè vixit annis 5. poſtea ob libidinem & tyrannidem ſceleratiſſimus fuit. matrem ſuam primùm inceſtu fœdauit, deinde illã, & vxorẽ ſuam, & ſororem patris. Item Senecam philoſophum præceptorem ſuum, multoſque præclaros ac nobiles viros interfecit. Senatui ac populo Romano vnam ceruicem, quam vnico ictu decuteret, optauit. Vt ſimilitudinem ardentis Troiæ conſpiceret, Romã incendit. quam dies 6. & noctes 7. ardentẽ ſpectans, lætans flammæ pulchritudine, habitu Tragico decantabat Iliadem Homeri. tandẽ cùm, à ſenatu publicus hoſtis iudicatus, quæreretur ad ſupplicium, è palatio fugiens extra vrbem ſeipſum interfecit.

## Anno Chriſti 57.

*Act. 25.* *Paulus appellat Cæſare.*

BIENNIO expleto, Paulus Cæſareæ coram Feſto, qui Felici ſucceſſerat, pro tribunali de multis & grauibus criminibus iterũ accuſatus à Iudæis, ſe excuſans, rationẽ reddit, ſe, neque in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæſarem, quicquam peccaſſe affirmans Ieſum defunctum viuere. Interrogante autem Feſto, num vellet remitti Ieroſolymam, & ibi de his iudicari; Cæſarem appellat.

*Act. 26.*

Hinc iubente Feſto coram Agrippa rege, & Bernice, & tribunis ac primatibus Cęſareę examinandus, religionis ſuæ cauſam dicens: declarat ſe ab adoleſcẽtia Ieroſolymis vixiſſe Phariſæum; deinde cum Chriſtum in ſanctis atrociſſimè perſequeretur, cælitùs conuerſum ad Chriſtianiſmum: atque exinde ſe Dei auxilio prædicaſſe Iudæis ac gẽtibus. vnde Feſtus ipſum ex nimia ſciẽtia inſanire ait: Agrippa verò oratione Pauli propemodum perſuaſus, vt & ipſe fieret Chriſtian⁹, iudicat Paulum poſſe dimitti, ſi non appellaſſet Cæſarem. Ideoque decretum eſt, vt mitteretur Romam ad Cæſarem.

*Act. 27.* *Paulus vinctus ducitur Romã.* *Naufragium.*

Traditus igitur Paulus cum alijs vinctis Iulio centurioni, perſeuerante ſecum Luca & Ariſtarcho, à Cæſarea nauigat Sidonẽ. inde præternauigãs Cyprum per mare Ciliciæ & Pamphiliæ venit Miram Lyciæ. deinde contra Gnidum, & præterlegens Salmonẽ Cretæ promontorium, appellit Pulchri portum iuxta Laſæam & Aſſon, vbi ipſe conſulebat hybernandũ, prędicens periculoſam fore nauigationem. ipſius autẽ conſilio ab alijs ſpreto, nauigat Phœnicẽ Cretæ itidem portum, hinc vi tempeſtatis in Claudam inſulam, deinde per Adriaticum, mare, vbi perſeuerãte dies noctéſque 14. vehementi tempeſtate ac inedia, deſperatis iã rebus, Paulus viros 276. qui ſecum nauigabant, conſolans, narrat ſe nocte ab angelo Dei edoctum, ipſos quidem naufragium paſſuros, at ſui gratia ipſorum neminem periturum: hortaturque ad cibũ ſumendum, quem cum ſumpſiſſent, mox naui arenis illiſa & fracta, cũ ſuis omnibus, partim natando, partim tabulis inhærendo, incolumis euadit in Meliten inſulam.

*Act. 28.* *Vipera.*

In qua humanè à Barbaris exceptus, viperam ipſius manum inuadentem ac mordentem excutit in ignem, nihilque mali patitur. atque hìc hybernans, patrem Publij primatis inſulæ à febribus ac dyſenteria ſanat: cęteroſque eius inſulæ infirmos curat.

## Anno Chriſti 58.

*Act. 28.* *Paulus venit Romã.* *Paulus habitat Romæ.*

POST menſes tres nauigat Syracuſas Siciliæ oppid. ibiq; manet triduo: inde Rhegium Calabrię oppid. deinde Puteolos Campaniæ oppi. vbi repertis Chriſtianis, rogatus manet dies 7. vnde tandem itinere terreſtri, occurrẽtibus ſibi fratribus è Roma, per forũ Appij ac tres tabernas, anno Neronis 2. poſt paſſionem domini 25. peruenit Romam. vbi die tertio cõuocatis Iudæorum primoribus, catena circundatur, ſuæ appellationis cauſã & fidei rationem reddit, ibidemque biennio ſolus cum cuſtodiẽte ſe milite in domo à ſe conducta manens, omnibus ipſum accedentibus cum omni fiducia Chriſtum prædicat, nemine id prohibente.

*Gal. 1. 4.* *Epiſtola ad Galatas.* *Cap. 4.* *Cap. 2.* *Cap. 5.*

Hic cùm intellexiſſet Paulus Galatas rectè à ſe inſtitutos, à pſeudapoſtolis ad circũciſionem & obſeruationẽ legis abductos: per Epiſtolam, quàm totam propria manu ſcripſit (cũ in cæteris ſoleat duntaxat ſubſcribere) ipſos ad veram fidẽ reuocat. in qua primò ſuã defendens autoritatem, oſtẽdit ſe nõ ab homine, ſed à Deo doctũ ac miſſum ad prędicãdum. deinde varijs argumẽtis probat iuſtificari hominem, nõ ex operibus legis iam abolitæ, ſed ex fide Chriſti per charitatẽ operante. Poſtremò hortatur, vt à ſeruitute legis in euangelij libertatem vocati, iã nõ ſecũdum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulent: beneficentes omnibus.

*Ad Philippenſes.*

Hic cũ in vinculis ageret Paulus, ſcripſit etiam Epiſtolam ad Philippenſes, miſitq; per Epaphroditum: per quem miſerãt Philippẽſes ei quæ ad vitæ neceſſitatem pertinebant: quod & ante ſemel atque iterum facerant, cùm Theſſalonicæ ageret.

## Anno Chriſti 59.

*Epiſtolæ è vinculis miſſæ.*

SCRIPSIT etiam Epiſtolam ad Epheſios Item Epiſtolam ad Coloſſenſes: quas ambas miſit per Tychicum, comitante eũ Oneſimo. quo tempore ſcripſit & Epiſtolam ad Philemonẽ Phrygem: qua, Oneſimum olim ſeruum fugitiuum & compilatorem, quem

Romæ



Romæ in vinculis genuerat Chriſto, remittit Philemoni hero ſuo, multumq; cõmẽdat, vt recipiat eum in gratiam.

*Acta Apoſtolorum.*

Quinetiam hoc tempore Lucas Romę Acta Apoſtolorum, ſicut ipſe præſens viderat, conſcribit. quem & effigiẽ B. Marię Virginis depinxiſſe teſtatur Damaſcenus, quæ etiamnum hodie Romæ oſtenditur. vixit cœlebs annos 84. obijt in Bithinia. ſepultus eſt Conſtantinopoli. ad quam vrbem 20. Conſtantij anno oſſa eius cum reliquijs Andreæ Apoſtoli tranſlata ſunt de Achaia.

## Anno Chriſti 60.

*2. Tim. 4.* *Paulus dimiſſus.* *Epiſtola ad Hebr.* *Rom. 15.* *Paulus prędicat in Occidente.*

BIENNIO exacto, Paulus dicta ſuæ defenſionis cauſa, à Nerone dimiſſus, liberè per annos 10. explet prędicationẽ inter gẽtes. ac diu Romę, & teſte Dionyſio Corinthiorũ Epiſcopo, ſimul cum Petro per Italiam verbum Dei ſeminat. Ex qua Hebraicè ſcripſit (cùm cæteras epiſtolas Græcè ſcripſerit) Epiſtolã ad Hebræos, in qua fuſius diſſerit de abrogatione ſacerdotij ac ſacrificiorũ legaliũ, atq; ſucceſſione ſacerdotij ęterni ac vnici ſacrificij Chriſti. quã alij à Luca, alij à Barnaba, vel Clemente Romano poſtea Põtifice Grecè tranſlatam ferũt. Deinde Paulum in Hiſpania, & Gallia, & reliquis Occidentis partibus Euangelium Chriſti prædicaſſe tradunt.

## Anno Chriſti 63. 64.

*Epiſtola Iacobi.* *Ioſeph. 20. ant. 16.* *Paſſio Iacobi.*

ANNO Neronis 7. Iacobus minor frater Domini, & re & nomine Iuſtus, cùm annos triginta Ieroſolymitanam rexiſſet eccleſiam: ac ſcripta ad 12. tribus paſſim diſperſas Epiſtola declaraſſet, nõ niſi per pia fidei opera iuſtificari hominẽ, Ieroſolymis iuſſus ab Anano pontifice, vt in feſto Paſchæ è pinna templi populum à cultu Ieſu oratione ſua auerteret, ipſe contra Ieſu maieſtatem palam confitetur, quapropter à Iudæis inde præcipitatus, lapidibus obruitur, atque inter lapidãdum ſuper genua, quæ illi ob aſſiduum orãdi vſum in camelorum duriciẽ occalucrant, ipſis id ignoſcendum orans, fullonis fuſte capite communito ſpiritum emittit, Calendis Maij, ſepultus prope templũ. corpus eius nũc Toloſæ eſt, caput verò Cõpoſtellæ, eo loco vbi ſepulchrum S. Iacobi maioris viſitatur.

*Euſeb. 3. hiſt. 26.* *Simon paſſus.*

In Epiſcopatu Ieroſolymitano ſuccedit frater eius Simon Apoſtolus Cleophę filius, qui hactenus Aegyptijs prædicarat. præfuit annis 74. deinde anno Domini 110. ætatis ſuæ 120. Traiano aduerſus Chriſtianos perſecutionem mouente ſub Attico conſulari, eò quòd de ſtirpe Dauid & Chriſtianus eſſet, à Iudæis diris ſupplicijs affectus crucifigitur die 18. Februarij.

*Præſagia excidij Ieruſalem.*

Poſt mortem Iacboi multa Iudæis futuri excidij præſagia præceſſerũt. Inter alia, viſæ acies bellatorum in aëre, ſtellaque gladio ſimilis toto ferme anno micare ſuper Ieruſalem, valuæ tẽpli media nocte apertæ, auditi ſtrepitus, voceſque dicentium: Migremus ab his ſedibus, quod S. Hieronymus ad Angelos refert.

*Ioſep. bell. iud. lib. 3. 4. 5. & 7. bell. 12.*

Plebius atiam quidam nomine Ieſus Ananiæ filius, cùm adhuc ciuitas in pace eſſet, in feſto tabernaculorũ clamauit per vrbẽ. vox à quatuor ventis ſuper Ieruſalem & ſuper tẽplum. Væ vę Ieruſalẽ. à quo clamore ne verberibus quidem potuit coërceri. Præterea quodã die Paſchę octauo Calen. Aprilis, per noctem mirabilis fulgor aram circumdedit, & ſtatim inter ſacrificãdum adhibita vitula agnum enixa eſt.

## Anno Chriſti 69.

*Iudæi rebellant Romanis.*

ANNO Neronis decimotertio Agrippæ 17. Veſpaſianus dux exercitus à Nerone contra Iudæos Romanis rebellãtes trãſmiſſus, plurimas vrbes Iudææ cæpit.

*Linus. Cletus. Clemens.*

Petrus Apoſtolus Linũ & Cletum Epiſcopos ordinauit ad explenda exteriora miniſteria. Poſtea Clementem coram omnibus cõſtituit ſucceſſorem. Ipſe tamẽ vſus ſingulari quadam modeſtia, Linum & Cletum ſpõte ſibi in honore põtificio prætulit.

*Apocal. 2.* *Nicolaitæ.*

Nicolaitæ, à Nicolao diacono ab Apoſtolis ordinato, erroris occaſione ſumpta, vt cętera bona, ſic etiam vxores communes habẽdas docent, amicorum omnia eſſe communia, & cõiuges ſingulorum omnibus eſſe debere communes.

*S. Tecla.*

Anno Chriſti 69. illuſtris virgo Tecla Corinthiorũ prima, quæ relictis omnibus, Paulum Apoſtolum ſecuta fuerat, apud Seleuciam plurima tormenta pro fide Chriſti & pudicitia ſuperans, quieuit in pace 9. Calen. Octobris.

## Anno Chriſti 99.

*1. Perſecutio Eccleſiæ.* *2. Tim. 1.* *Epiſtola 2o. ad Timot.* *2. Tim. 4.*

NERO Cæſarum primus primam perſecutionem in Chriſtianos mouens, Petrũ & Paulum Romæ conijcit in carcerem. vbi vinctus Paulus ſcribit Epiſtolã ad Timotheum ſecũdam: in qua ſuo exemplo ipſum exhortatur ad verbum Dei inſtanter prædicandum, & ſtrenuè martyrium pro Chriſto ſubeundum: apertè indicans ſe iam per paſſionem immolandum, ſeque accepturũ à Domino coronam iuſtitiæ.

*Paſſio Petri & Pauli.*

Itaque 29. Iunij feria ſexta iuſſu Neronis Romæ, Sanctus Petrus capite ad terram verſo, & pedibus in ſublime eleuatis, quod ſic petierat, crucifigitur. Eodẽ die Paulus gladio, fortè quod ciuis Romanus eſſet, capite trũcatur.

*Martyres.*

Quin etiã in prima hac perſecutione Romæ Proceſſus & Martinianus, à B. Petro baptizati, Torpes, Marcell⁹, & Apuleus: Mediolani, Nazarius & Celſus: Aquilæiæ, Hermagoras epiſcopus, Fortunatus diaconus, Felix cum Conſtantia: Rauennæ, Apollinaris epiſcopus. Item Potẽtiana & Praxedis virgines ſorores Timothei & Nouati. (Tecla virgo Pauli diſcipula) Vitalis, Geruaſius & Prothaſius, Martialis Epiſcopus Lemoniacenſis, Sa-

 uinianus

uiniamus Epiſcopus Zenonenſis, Potentianus, Altimus, Eodaldus, Serotinus, Flauius conſul, qui & Clemens Epiſcopus Metenſis patruus Clementis, Mennius Epiſcopus Catalaunenſis, Eucharius Epiſcopus Treuerenſis, Simiſius Epiſcopus Sueſſenenſis, Domicianus ſubdiaconus à Becato Mennio à morte ſuſcitatus, Trophimus Epiſcopus Arelatenſis, Titus Epiſcopus Cretenſium, Oneſimus Epiſcopus Epheſiorum, Creſcens Epiſcopus Galatenſis, Epaphras Epiſcopus Coloſſenſis, aliiq́ue plurimi pro Chriſto martyrio coronantur.

Neronis mors.

Poſt mortē Petri & Pauli tanta ſtatim peſtilētia Romam inuaſit, vt diebus paucis 30. millia morerentur. Sed & Nero menſe proximo à ſenatu publicus hoſtis iudicatus, cùm quæreretur ad ſupplicium, è palatio fugiens extra vrbem ſeipſum interfecit.

2. Tim. 4. Linus.

S. Linus natione Tuſcus Pont. 2. ſedit ann. 11. men. 3 d. 12. vir ſanctus, dæmones fugauit, mortuos ſuſcitauit: ſcripſit res geſtas B. Petri. inſtituit ne qua mulier niſi velato capite in Eccleſiam ingrediatur. tandē iuſſu Saturnini conſulis, cuius filiam à dæmonum vexatione liberauerat, obtruncatus eſt 23. Septembr.

Galba, Otho, & Vitellius, in diuerſis prouincijs ſimul Cæſares anno 1.

## Anno Chriſti 71.

Ioſeph. 3. bell. 14. Ioſephus hiſtoricus. Veſpaſianus. Calamitas in Ieruſalem. Ioſeph. 7. bell 7. 8. Ioſeph. 7. bell. 17. 18.

INTEREA Veſpaſianus dux exercitus à Nerone contra Iudeos Romanis rebellātes transmiſſus, cùm longa iam obſidione Iudęos ob feſtum Paſchę in Ieruſalem congregatos obſediſſet, fortiſſimumq́; ducem belli eorum Ioſephum ſacerdotem hiſtoriographum captum vinculis innodaret, audit ab eo: Quem nūc ligas priuatus, mox ſolues Imperator: Nā Nero mortuus eſt, & te ſenatus Romæ elegit in Imperatorem. cuius rei cauſa vitam dono accepit. Itaque mox Veſpaſianus ibidē & ab exercitu Cæſar ſalutatus, bello Tito filio ſuo commiſſo, redit Romā, laudabiliter imperatū Calen. Iul. annis ferè 10. Iudæi autem vrbe quaſi carcere concluſi, fame, peſte, gladio, ac inteſtinis cędib⁹ pereūt: matres pre fame coxerūt ꝓprios filios, quos tamen milites per vim ablatos deuorabāt, & matres interim inedia peribant. coria ſcutorum, ipſaque calceamenta propria cibi loco erant. vrbs tota facta ſepulchrū mortuorū.

## Anno Chriſti 72. 73.

Deſtructio Ieruſalem.

ANNO 2. Veſpaſiani ferè completo, Ieroſolyma à Tito capta & direpta, 10. die Aug. templum exuſtum, quo die fuerat olim à Chaldęis incēdio traditum; 8. die Septemb. ipſa vrbs euerſa ac ſolo æquata. ſcribunt 11. cētena milia Iudæorum toto bello fame, peſte, & gladio perijſſe. & alia cētum milia captiuorum publicè vēdita. 30. Iudęos vno denario venundatos, 16. milia Alexandria miſſa ad ſeruilia opera facienda, non aliter atq; mancipia. 2. milia à Tiro abducta, quos, Romam intrans, in triumpho oſtentauit, & in ſpectaculis publicis ferocibus beſtijs lacerādos obiecit. Hic regnum Iudæorum ceſſauit omnino: qui nunc vſq; dominis ſeruiūt alienis, quia Dominū ſuum Ieſum Chriſtū ſuſcipere noluerunt. Per hæc tēpora Bartholomæus Apoſtol⁹, cùm Licaoniā ſortitus, in Indiā citeriorem vſq; penetraſſet, & Euāgelio Matthæi in Indorum ſermonē cōuerſo, etiā Armeniam maiorem prædicādo ac miracula edendo perluſtraſſet, ibique Palemonium regem cum cōiuge & 12. ciuitatibus ad Chriſti cultū traduxiſſet: à Palemonij fratre, pontificum, qui dæmonibus ſeruiebant, ſuaſu, in Albano Armeniæ maioris vrbe excoriatus. capite cæditur pelle prius detracta, 24. Aug

Finis regni Iudaici. Bartholemæus excoriatus.

## Anno Chriſti 74.

Martialis.

S. MARTIALIS apud Lemonicas ciuitatē Galliæ defunctus eſt vltimo Iun. hic fuiſſe putatur paruulus ille, quem Dominus Ieſus in medio poſuit imitādum, dicens: Quicunque humiliauerit ſe, ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cælorum: quē tamen alij Ignatium fuiſſe aiunt.

Anno Chriſti 48. Claudij 6. Lazarus, Maria Magdalena, & Martha, cū Marcella pediſſequa, & item Maximino vno ex 72. diſcipulis, qui totam illam domum baptizauerat, & Cedonio, qui cœcus natus erat, aliiſque multis fidelibus in perſecutione Chriſtianorū à Iudæis comprehenſi, vetuſtæ naui ſine remige, ſine viatico, impoſiti mari committūtur, vt omnes vel inedia, vel naufragio perirent, ceterùm Deo gubernante, in Maſſiliæ portum incolumis appellit. quo miraculo, & ſua prędicatione Maſſilienſes primùm. deinde vicinos populos ad fidē Chriſti cōuertunt. Hoc loco dum biennium exegiſſent, S Lazarus illic Epiſcopus ſubſtitit. Ceteri Aquēſe territorium adeunt, vbi Maximinus Epiſcopus ſe continuit.

Anno Chriſti 50.

## Anno Chriſti 80.

CVM autem Lazarus circiter triginta annis Maſſilię prędicaſſet, tractus ab infidelibus procōſuli ſiſtitur, & vel ſacrificare, vel mori cogitur. Reſpondit ſe habere amicū, à quo fuerat ſemel de morte reſuſcitatus, pro quo denuo mori nō formidaret. Pectinibus itaque ferreis laceratus, ignita etiam lorica circundatus, & crate ferrea toſtus, cùm ſuperari non poſſet, iuſſus eſt ſagittis interfici, ſed illæſus perſeuerans, ad vltimum decollatus eſt anno Domini 80. 17. Septembris. celebratur paſſim 5, Decembris.

Paſſio Lazari.

Maria autem Magdalena, cùm ſua prædicatione ac miraculis Maſſilię multos conuertiſſet ad fidē (inter quos Trophimus princeps prouinciæ credidit) iam ſupernæ contemplationis auida, ſeceſſit in montem Balmam, ibique triginta circiter annis latens, vitam contemplatiuam ſanctiſſimè egit, in frequenti tamen Angelorum conſuetudine, & ab omni cibo corporali penitus abſtinēs, ſepties

Anno Chriſti 50. Maria Magdalena.



Anno Chriſti 81.

pties in die rapta choris interfuit angelorū: à quibus iam moritura in eccleſiam vrbis Aquenſis deportata fuit, vbi accepta die Dominica à S. Maximino euchariſtia, migrauit ad Dominum, anno ſalutis 81. 22. Iulij.

Martha.

Porrò Martha, conſenſu B. maximini & Mariæ ſororis ſuæ, dum fermè biennio cum eis māſiſſet, (Maſſilię omnium in ſe animos, propter eximiam ſanctitatem conuertiſſet) Taraſconi profecta eſt Arelaten & Auinionē ſuper Rhodanū, vbi mōſtruoſum quoddam miræ magnitudinis, & incolis ſummè nocuum animal ſuſtulit. Quod illic depictū in Eccleſia nunc vſque monſtratur. Mox ingēti Baſilica Dei genitrici extructa, magnam ſibi multitudinem virginum adunauit, quas quotidiano ieiunio, crebris genuflexonibus, Domino docuit famulari. quibuſcū in monaſterio, quod ipſa curauit ędificādum, ſanctiſſimè Deo ſeruiuit. obitum ſuum vno anno præſciuit, quo fermè toto febribus laborabat. mortem, multò ante à ſe præcognitā & miraculis illuſtratam, obijt ſeptimo poſt Magdalenam die, ętatis ſuę anno 70. 28 Iulij.

Anno Chriſti 81.

## Anno Chriſti 81. 82.

Titus.

TITVS Veſpaſiani filius, Cæſar imperat ann. 2. m. 2. d. 20. homo benignus adeò vt amor & delitiæ humani generis diceretur. poſt mortem decreto ſenatus inter Deos relatus eſt. obijt 13. Sept.

Cletus.

S. Cletus Romanus, Papa 3. ann. 12. ordinauit in vrbe 25. presbyteros. hic primus in literis verbis illis vſus eſt: Salutē & Apoſtolicā benedictionē. viſitationē Petri & Pauli, aliorumque ſanctorum approbauit: eam impedietes excommunicauit. ſub Domitiano in 2. perſecutione martyrio coronatus eſt. 26. Aprilis.

## Anno Chriſti 83. 84. 86. 88.

Domitianus.

DOMITIANVS Titi frater iunior, Cæſar imperat ann. 15. men. 5. moribus omnino fratri diſſimilis, quippe tyrannus in ſenatum, tyrannus & in eccleſiam. Multos ſenatorum & nobilium occidit, quoſdam verò in exilium miſit. templū extruxit ſine lignis, ac primus Deū ſe appellari iuſſit, ſtatuas aureas & argēteas ſibi in Capitolio poni iuſſit. occiſus eſt d. 18. Septemb. ann. 97.

Ann. Chriſti 94. Ann. Chriſti 95. 97. Euſeb. 3. hiſt. 2. 2. Perſecutio Eccleſiæ. Martyres.

Domitianus imperij ſui an. 14. ſecundam perſecutionē mouēs, toto orbe edictis vbiq; propoſitis, crudeliſſimè Chriſtianos perſecutus eſt. ſcribit Brutus, innumerabilē Chriſtianorum multitudinem ſub eo feciſſe martyrium. inter quos paſſi ſunt Romę Linus & Clet⁹, Eutyches, Victorinus & Maro: & multi alij. Apud Amiterniam vrbem Victorinus Epiſcop⁹. Flauia Domicilla Flauij Clemētis cōſulis ex ſorore neptis, quia ſe Chriſtianā eſſe teſtata eſt, in inſulam Pōtiam in exilium relegata cum multis alijs: quin & Ioānes Apoſtolus in oleum miſſus, ac in Pathmos inſulam relegatus, vt infra.

## Anno Chriſti 93. 94.

Philip. 4. Clemens. Anno Chriſti 99.

S. CLEMENS 1. Romanus, Pont. 4. ſedit annis 9. menſ. 2. die. 10. hic à Petro in Pontificatu ſucceſſor conſtitutus, Linum & Cletum ante ſe eam dignitatē accipere voluit. canones 30. Apoſtolorum (vt vocant) conſcripſit. Ordinauit 7. notarios, qui geſta Martyrum diligenter conſcriberēt. multa ſcripſit & ipſe accuratè & ſalubriter. ſtatuit quod baptizatus, prout citius poterit, cōfirmetur.

Cùm autem multos ad fidem cōuerteret, (inter quos Siſynnius & alij multi Neruæ imperatoris familiares conuerſi ſunt) iuſſu Traiani imperatoris in Cherſoneſem inſulam ad ſecanda marmora perpetuo exilio relegatur: vbi reperit pluſquā 2. milia Chriſtianorum ſimili cauſa exulantiū, ad ſecanda marmora damnatorum: quibus aquę penuria laborātibus, fontem aquę dulcis impetrauit à Domino: ac plures quingētis vno die baptizauit, qui idolorū phana deſtruētes, intra 1. annum 75. Chriſti Eccleſias extruxerūt. quapropter mādato Traiani alligata ad collum eius ancora, ibidem in mare Ponticū proiectus ſubmergitur an. Chriſti 102. Traiani 3. 23. Nouēb. Cuius corpus, per ſupplicationē populi, recedētibus aquis inuētum, in templo, codē loco, quo fons diuinitus emanauerat extructo, ſepultum eſt; idq;, ſub Nicolao primo delatum Romam, vbi nunc eius nomini conſtructa eccleſia frequentatur.

Paſſio Clementis.

## Anno Chriſti 96.

ANNO Domin 96. adhuc durante, ſcilicet Domitiani 14. iam incepto, Dionyſius Areopagita, Athenarū Epiſcopus, martyrio coronatus eſt, cùm Romam veniſſet, vt Petrum & paulum incarceratos inuiſeret: poſtea miſſus à Clemente Pontifice in Galliam ad prædicandum vnà cum Ruſtico presbytero & Elutherio diacono, vſque ad Pariſios venit; vbi cùm multos conuertiſſet, in perſecutione Domitiani captus cum ſocijs, à Feſcennino Siſynnio prefecto ipſe cum ſocijs vehemēter loris cæſus, poſtridie in craticula ferrea igne ſuppoſito imponitur: multiſque deinde ſupplicijs vnà cū ſocijs afficitur: quibus ſuperatis idem Dionyſius 90. ætatis ſuæ anno, cum ſocijs ſimiliter cruciatis capite truncatur. qui 9. Octobris, Dominica die, ſtatim vt decollatus eſt, erexit ſe truncus, & acceptum ſuum caput ſuſtulit, & manibus detulit ad 2. circiter miliaria, vbi nunc Francorum regum ſepulchra ſunt. Arcana autem quædam myſteria, quæ à Paulo didicerat, in ſcriptis reliquit.

Dionyſius Areopag. Dionyſij martyriū.

## Anno Chriſti 98.

IOANNES Apoſtolus Ieſu, iubente Domitiano ex Epheſo accitus Romam propter verbum Dei & teſtimonium Ieſu; cùm à Chriſti fide auerti nō poſſet, Romę ante portam Latinā in dolium feruentis olei miſſus eſt, ſexta Maij, die dominica, vnde cùm iuſ-

 ſus exi-

oannes exulat in Patmos. Tertul.de præſcript. hæreticor. Hieron.to.2.lib.1.aduerſus Iouinianum. Euſeb.3. hiſt.18. Apocalyp.2.& c. Creſ.7. cap.10. Apocalyp. oannis.

ſus exiſſet,in Patmos inſulam relegatur:vbi Dominico die Chriſto Ieſu per Angelum reuelāte Apocalypſin in ſpiritu videt,iuſſuſq́; ibidem conſcribit ac mittit 7. Eccleſijs Aſiæ minoris,nempe, Epheſi,Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ,Sardis,Philadelphiæ & Laodiceę, myſticè continentē afflictiones,quas Eccleſia paſſura ſit vſque ad finem mundi,quęque præmia receptura ſit,ſub typo Babylonis deſignans diabolum cum impijs cruciandos in ſtagnum ignis & ſulphuris:pios verò ſignū Dei in fronte gerētes,poſt iudicium in cœlo cum Chriſto regnaturos in æternum. Eodē anno 98. Domitianus philoſophos per edictum Roma expellit:Iudæos quoque qui de genere Dauid erant,occidi fecit,ne quis regni reliquus eſſet.eodem anno Domitianus & ipſe crudeliter à ſuis occiſus eſt,in palatio ſuo,14.Calen.Octobr.cadauer eius populari ſanda pila per veſpilones ignobiliter aſportatum,ignominioſiſſimè ſepultū eſt. Decreto ſenatus omnia quę ſtatuerat à ſenatu ſunt reſciſſa:Eius arma,clypeique & ſtatuæ vbiq; per vrbem deiectæ ſunt, & à populo per ignominiam publicè conculcatæ,

## Anno Chriſti 99.

Nerua.

NERVA Cocceius ſenex cæſar menſe Septembri imperat anno 1. menſ.4.die.10.hic primo edicto ſuo cunctos exules reuocauit.Itaque multi,quos iniuſtè eiecerat Domitianus,de exilio reuerſi:nōnulli bona propria receperunt:vnde & Ioannes Apoſtolus hac generali indulgentia liberatus ab exilio redijt Epheſum,ibiq; Druſianam inſigni religione mulierem nuper defunctam,ad vitā reuocat.vbi cùm in ipſius abſentia Cerinthi, Ebionis,Marcionis hęreſis,aſſerentiū Chriſtum ante Mariam non fuiſſe,pullulaſſet,rogatus ab Aſiæ Epiſcopis,lectis & approbatis Matthæi,Marci & Lucæ Euangelijs,indicto prius ſuis ieiunio & oratione,Epheſi in Aſia

uangeliū oannis,

vltimus omnium,ſuum ſcribit græcè Euangelium:Chriſti diuinitatem præ cæteris expreſſius declarās, & ab alijs Euāgeliſtis omiſſa ſupplēs Quinetiam eadem ratione(ſenior

Epiſtolæ Ioannis.

factus)tres ſcripſit Epiſtolas,quarum prima Chriſtianos omnes:ſecunda Electam Dominam & filios eius:tertia Caiū:in fide & charitate cōfirmat.ſubdens ſe illos breui inuiſurum Epheſi,ibique vſque ad Traianum principem perſeuerans,totas Aſiæ fundauit rexitque eccleſias.

Cerinthus ruina domus obpreſſus.

Cùm Ioannes Apoſtolus veniens aliquando in balneum reperiſſet Cerinthum hęreticum inter conſortium ſuum ſedentem,ac acerrimè diſputantem ac negantem Chriſtū Deum eſſe:ſurgens Ioannes monuit amicos ſuos,qui aſſidebant,vt vnà ſecum abirent,nā nōn velle Deum amplius ferre blaſphemias tam impudentes. Illicò verò cùm egreſſus eſſet, collapſa domus Cerinthum cum ſua cohorte extinxit.

Timotheus Epheſiorum Epiſcopus,cùm in feſto celeberrimo Dianæ populum Epheſinum Dianę immolantem ab impio ſacrificio conaretur auertere, à furente populo lapidibus obrutus eſt:vnde penè mortuus ſublatus à Chriſtianis, & ad montem vrbi vicinum delatus,ſpiritum emiſit:24.Ianuarij,vt ſcribit Polycrates.

Timothei paſſio.

## Anno Chriſti 100.101.

Traianum

TRAIANVS Hiſpanus Coloniæ à Nerua Cæſar cōſtitutus,imperat à Ianuario ann.20. vir optimus,probitate adeò ſpectata fuit,vt poſtea ſemper quoties imperator deſignaretur, publicis votis optari ſoleret, vt fœlicitate Auguſtum,& probitate Traianum adęquaret.defuncti oſſa Romę in vrna aurea in foro ſub columna ſepulta ſunt.

## Anno Chriſti 102.103.

Anacletus.

SANACLETVS Græcus Pont.5.ann.9.men.2.d.10. hic monuit clerum per epiſtolam ne comā nutriat.decreuit vt Epiſcopus non à paucioribus,quàm à tribus epiſcopis conſecraretur:ac vt clerici ad ſacros ordines publicè à proprio epiſcopo aſciſcerētur: vt in Miſſa peracta conſecratione quotidie omnes fideles cōmunicarēt, recuſantes aūt ab Eccleſijs eijcerentur,Per id tempus mirū in modū augeſcēte re Chriſtiana, Traianus metuens ne quid detrimenti imperium Romanum inde caperet, ex ſe benignus erga Chriſtianos,ex malorum inſtigatione tertiā perſecutionē in Chriſtianos cōceſſit.in qua Romę Anacletus martyrio coronatur 13.Iulij.Item Euariſtus ſucceſſor eius Ieroſolymæ ann.110.Simon Apoſtolus,vt ſup,alijque per multi.

Euſeb.3. hiſt.26.& 27. 1.Perſecutio Eccleſię

Ann.Chriſti 74.80.

Tempore Titi Cęſaris Andreas Apoſtolus cùm hactenus Scythiam Europæ,deinde Epirum ac Thraciam peragraſſet, ac Græciam miraculis ac prædicatione perluſtraſſet, ad Patras Achaiæ ciuitatem ab Aegea proconſule captus & incarceratus , cum multa in crucis laudem diceret,manus ac pedes fune ligatus crucifigitur, vltima Nouem. Anno Chriſti 75.Thomas Apoſtolus cùm Chriſtianam pietatem in Medos,Perſas,Hircanos, Brachmanas, & Indorum gentem longè lateq; propagaſſet,in interiora gentium prædicatione delatus,multis editis miraculis, in Calamina Indiæ ciuitate primùm eſt candētibus laminis aduſtus, deinde in fornacem coniectus,poſtremò lanceis confoſſus occubuit,21.Decembris.

Andreas crucifixus. Thomæ martyriū.

Iudas Thadæus Apoſt.frater Iacobi minoris,in Aſia minore,Perſide,Meſopotamia ac interioribus Ponti euangēlicans,feras & indomitas gētes ſancto dogmate mitigauit, & Chriſti iugo ſubiecit.ſcripſit paruam Epiſtolam Catholicam Chriſtianis in cōmune omnibus,in qua metu diſtricti Dei iudicij deterret à peccādo.tandem Ediſſæ,cùm idôlis ſacrificare nollet, gladio truncatus eſt 28. Octobris.

Epiſtolà Iudæ.

Ma-



Anno Chriſti 80. Paſſio Mathiæ.

Mathias Apoſtolus,cùm primùm in Macedonia,deinde in Iudæa,verbū Dei latiſſimè diſſeminaſſet,multoſq́; prædicatione & ſignis ad Chriſti fidem cōuertiſſet,à Iudęis Idęgrè ferētibus comprehenſus,lapidibus penè obrutus eſt,ac poſtremò ſecuri percuſſus,24. Februarij:cùm etiam iuxta quoſdam in AEgypto & in Aethiopia agreſtibus hominibus prędicaſſet:atq; ibi mortuus in regione,vbi eſt caſtrum Apſarus. De tempore, loco, & modo martyrij eius diuerſæ ſunt ſententiæ.

Hieron in Catal.

## Anno Chriſti 109.

obitus S. Ioannis Euangeliſtæ.

TEMPORE Traiani, Ioannes Euangeliſta,anno poſt paſſionem Domini 68.ſuæ verò ætatis 99.confectus ſenio, Epheſi virgo dormiuit in pace 8. calē.Iulij die Dominico, d.27.Decēb.Tum ſplēdor tumulo circumfuſus,loci hominiſq; aſpectum circumſtāibus ademit.quo poſtmodū remittentem,inane apparuit cōditorium,manna ſcaturiens:nec ipſe poſt id tempus in terris viſus eſt.In ſepulchro eius(vt fertur)non niſi manna inuenitur,ꝙ & ſcaturire cernitur.Hic dilectus Domini, virgo,Apoſtolus,Euangeliſta, Propheta,cuſtos virginis,& filius eius,infinita laude digniſſimus,etiam corpore iam glorificato, cum virgine matre triumphat in cæleſtibus.

# DE ANTICHRIſto, & nouiſſimis temporibus.

QVAECVNQVE à Moyſe , Prophetis,ipſoq́; Chriſto,& eius Apoſtolis ſpiritu prophetico ſunt prędicta,ea omnia verè in Chriſto ac ipſius Eccleſia ſunt impleta, hodieq́ue adhuc implentur:tantùm hæc ſubſequentia ſecundum Scripturas & fidē Catholicam in nouiſſimis temporibus ſub finem Mundi futura expectamus,quorum tempus ſolus Deus nouit.

Apoſtaſia à fide. Matt.24. Marc.13. Luc.17.18. & 21. 2.Cor.11. 2.Theſ.2. 2.Tim.4. 2.Tim.3. 2.Pet.2. & 3. 1.Ioan.2.4. 2.Ioan 1. Iuda 1.

Poſt prædicationem Euangelij in vniuerſo Orbe terrarum,exurgent multi,falſi Chriſti,falſiq; Prophetę,magiſtri mēdaces,miniſtri Satanæ,pręcurſores Antichriſti,ac ſeducent plurimos:quin & dabunt ſigna magna & prodigia,ita vt in errorem indacantur( ſi fieri poteſt)etiam electi:eorumq́; opera veniet ἡ ἀποςασία,diſceſſio & defectio à fide , refrigeſcet charitas multorum,ac abundabit iniquitas, atque oriētur diſcordiæ,ſeditiones,bella,fames,peſtilentiæ;piorumq́; odia, perſecutiones,afflictiones, & occiſiones.

Aduentus Antichriſti. Geneſ. 49. Gregor.3. moral. 2.Theſ.2. Danie.11. Antichriſti ſigna fallacia.

Deinde Antichriſtus,prout communiter fertur,in Babylone naſciturus de tribu Dan. adueniet, & reuelabitur homo ille iniquus, filius perditionis;venietq́; cum ſuis in Ieruſalem,Iudæis ſe Chriſtū eſſe aſſeret,blaſphemabit,& aduerſabitur Deo, ſeq́; magnificabit, & efferet ſupra Deum, & in templo Dei ſedebit,oſtētabitq́ue ſe ac coli faciet tanquā ſit Deus:quin & arte Diabolica edet per ſe ac ſuos virtutes,& ſigna,& prodigia mendacia, quibus ſeducet reprobos & iniquos:atq; à reprobis adorabitur, & blaſphemabit Deū, & calcabunt ciuitatem ſanctam menſibus 42. hoc eſt,annis tribus cum dimidio, & exibit, mittetq́; legatos per orbem ad ſeducendum gentes ſuper 4. angulos terrę.crudeliſſimeq́; perſequetur ſanctos vſque ad tempus,& tempora,& dimidium temporis,id eſt,annis tribus & ſemis,auferetq; iuge ſacrificium Miſſæ, quod interea ceſſabit publicè celebrari: occultè tamen fiet iuxta verbum Chriſti, & Apoſtoli,vſque ad cōſummationem ſęculi, & donec Dominus veniat ad iudicium.

Matt.24. 2.Theſ.2. Apoc.11.13.& 20. Antichriſti perſecutio. contra Eccleſiam. Dan.7.& 12. Apoc.12. Danie.8.11.12. Matth.28. 1.Cor.11.

Enoch & Elias. Malac.4. Apo.11.& 12.Gregor. homil.29.

Tunc venient è paradiſo terreſtri Enoch & Elias Prophetæ,duo teſtes Domini,& amicti ſaccis prędicabunt in Ieruſalem aduerſus Antichriſtū diebus 1260. hoc eſt,per annos tres & dimidium,edentq́ue ſigna vera cōtra ſigna Antichriſti mendacia.

Martyrium Enoch & Eliæ. Apoca.11.

Deinde occidentur ab eo, & corpora eorum iacebunt inſepulta in plateis Ieruſalem per dies tres & dimidium.Quarta die reſuſcitati à Deo,cunctis videntibus in nube aſcendent in cælum.

Dan.12. Antichriſti mors, Iſa.11. 2.Theſ.2. Apoca.12.

Die à morte Enoch & Eliæ trigeſimo Antichriſtus & ipſe conabitur è monte OlIueti ferentibus eum dęmonibus aſcendere ad cęlum.quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui,( dato ſcilicet ꝓcepto Michaëli Archangelo, & Angelis eius,qui ipſum in aere occident ac præcipitabunt.) eumq́; deſtruet ac damnabit illuſtratione aduentus ſui.

Danie.12. Conuerſio. Iudæorum Iſai.10. Pſal.58. Rò.9.et 11.

Poſt interfectionem Anthichriſti dabūtur 45.dies ante iudicū,vt decepti ab eo poſſint pœnitere. & tunc reliquię Iudæorū(qui modò circumeuntes ciuitatem,famem patiūtur vt canes)in Mundi veſpera conuertentur ad Chriſtum, & efficientur filij Dei, & reliquiæ filiorum Iſraël ſaluæ fient.

Signa præcedentia. iudicium. Iſa.2.et 13. Ierem.30. Ezech.32. Oſee 10. Ioel.2.3. Amos 5. Sopho.1. Matt.24. Marc.13. Luc.21.& 23. Ap.6.et.9.

Deinde terribilia erunt prodigia in cælo, terra, & mari: nā Sol obtenebrabitur, & fiet niger tanquam ſaccus cilicinus, & Luna fiet rubea ſicut ſanguis, & ſtellæ nigreſcent ac cadent de cælo, & virtutes cælorum mouebūtur,& aër tempeſtate commouebitur,& erūt terrę motus magni per loca,ipſiq́; homines tapeſcent & areſcēt præ confuſione ſonitus maris & fluctū, & præ timore abſcondent ſe in penetralibus & ſpeluncis, & dicent mōtibus, Cadite ſuper nos , & collibus, operite nos à facie Iudicis.& quęrent mortem,& fugiet mors ab eis.Eritq́; talis tribulatio,qualis non fuit ab initio Mundi,neque erit.

Mundi conflagratio & renouatio. Pſal.96. Iſai.65.& 66.Ioel.2. 2.Pet.3. Apoca.21. Iſai.30.

Poſthęc cælum, & cuncta elementa Mūdi, terra, & quæ in ipſa ſunt opera,atq; ipſū mare,per ignē conflagrationis magno impetu exurētur,qui & inflammabit in circuitu inimicos Chriſti:omniaq́ue ignis ardore purgabuntur, & clarius innouabuntur.Et erit cęlū nouum, & terra noua,atque noua omnia.ac dein terra fulgebit vt aurum,mare vt cryſtallum,aër vt cælū;ignis vt ſtellæ;Luna lucebit vt Sol,ſemper plena;Sòl verò ſepties clarius quàm nunc lucet:& quidem quò ad motum ceſſabunt, ſemper tamen fixi manebūt ad Dei gloriam & vniuerſi decorem.

Iob 19. Nouiſſimo ſæculi die, Michaële Archāge-
Iſai 26. lo & Angelis eius tuba canentibus, ilicò ad
Ezech.37. vocem tubæ homines mortui oēs diuina vir
Dani.12. tute rediuiui reſurgēt in perfecta ætate, ſcili-
2.Mac.12. cet iuuenili, ac in ſua quiſque ſtatura, anima,
Reſurrectio mortuorum. corpore, omnibuſq; mēbris integri, incorru-
ptis & immortales; & dabit terra, mare, & in-
Matt.1.13. ferunꝰ mortuos ſuos qui in ipſis erūt: & con-
Ioan.5. gregabūtur per Angelos à quatuor ventis ad
1.Cor.15. iudiciū in valle Ioſaphat, ante tribunal Chri-
Epheſ.4. ſti; & ſeparabuntur mali à iuſtis, & libri con-
1.Theſ.4. ſcientiarum aperientur iudicādi ex his quæ
Ioel.3.Daniel.7.Apoc.20. ſcripta erunt in eis. Et tunc parebit ſignum
Crucis in cælo, ipſeq; Chriſtus in forma hu-
Iudicium extremum. mana in aëre ſupra mnotē Oliueti omnibus
cōſpicuus ſedebit in nubibus cæli in throno
Matth.12.16.19.24.25. Maieſtatis ſuæ magna cum poteſtate & glo-
ria, ſtipatus omnibus Angelis & Apoſtolis
ſuis aſſeſſoribus: & manifeſtè iuſteq; iudica-
Marc.13. bit omnes & ſingulos ſecūdum opera, dicta
Luc.21. & cogitata eorum; ac finali irreuocabilique
Pſal.9.61.149.Sap.1.6.17.Rom.2.& 14. ſentētia pronūciabit impios in inferno igni-
bus æternis puniendos, pios verò in cælo vi-
ta æterna præmiandos.
1.Cor.3.4.15. Exacto iudicio, fiet executio, nam mox dā-
nati vnà cum Dæmonibus per Angelos de-
2.Cor.5. trudentur in ſtagnum ignis & ſulphuris. vbi
Gala.6. ſimul à viſione Dei excluſi, ac omni beatitu-
Deute.25. dine priuati, in mala voluntate obdurati, te-
Sap.5.6. tri ac deformes, in omni miſeria iuſtè pro
Iob.10.& 24. ſuo quiſque meritò diuerſa patietur tormē-
ta nam vermis eorum nunquam non cor ac
Pſal.74. cōſcientiam ipſorum acerbè punget ac com
Iſai.66. pūget, mordebit & remordebit; nec vermis
Matt.8.10.11.13.22.25. morietur vnquam, nec cor ipſorum abſu-
met vnquam, ſed perpetuo morſu ac remor-
Marc.9. ſu mentem eorum immortalem rodet & ar-
Luc.10.13.16. rodet, lacerabit atque laniabit.
Adhęc diro cum fletu & ſtridore dentium
Apo.14.18.20.21. in palpabilibus tenebris exterioribus tum te-
tro aſpectu & ciulatu ac blaſphemijs cōſor-
tium, tum fœtenti ſulphure, tum frigore in- Pœnæ inferni.
tenſiſſimo, tum igne flammaque atrociſſima
affligentur miſerrimè, ipſumq; Deum maxi-
mo odio blaſphemabunt: opprobrio & ama
ritudine ſaturabuntur, ac fece iræ Dei pota-
buntur. Nec vlla dabitur requies, nulla refo-
cillatio, ſed his varijs acerrimiſque cruciati-
bus punientur & torquebuntur; vrentur, ſed
non cōburentur; cruciabuntur & excrucia-
buntur vſque & vſque, & fumus tormento-
rum eorum aſcendet in æternum ſine fine. Beatitudo cæli.
Electi autē ſimul rapientur in nubibus ob- Sapi.5.
uiam Chriſto in aëre, ac vnà cum Angelis i- Dani.12.
būt in cæleſte palatium decoris & delitiarū. Iſa.25.33.35.49.64.
vbi ſimul ante thronum Dei, ab omni miſe-
ria liberi, in bona voluntate firmati, glorioſi Pſa.20.16.36.35.45.83.
in anima & corpore, in omni beatitudine iu
ſtè pro ſuo quiſque merito diuerſa afficietur
voluptate, nam mens & conſciētia ipſorum Prouer.15.
dulciſſima bene acti laboris, memoria maxi- Matt.8.12.22.25.
ma ſuauitate exultabit in Deo: eaq; recorda- Marc.12.
tio iugiter ac ſæpiſſimè nouo gaudio mentē Luc.13.16.20.22.
ipſorum reficiet & delectabit. Adhęc omnes
lachrymæ diuinitus abſtergētur ab oculis e- Ioan.14.
orum, & in ſplēdidiſſima cæli luce, perpetuò 1.Cor.2.13.15.
fulgētes ſicut Sol, glorioſiſſimam Dei Maie-
ſtatem, vultumque eius lucidiſſimum facie 1.Theſſ.4.
ad faciem clarè contemplabūtur, plenè cog- Apoc.7.21.
noſcent, perfectè amabunt, atque excellen-
tiſſimè laudabūt: ſummaq; gloria & gaudio
ſatiabuntur, ac fonte vitæ, torrenteq; volup-
tatis inebriabuntur. Nec hac beatitudinę pri
uabuntur vnquam, ſed his varijs iucundiſſi-
miſq; delitijs beatiſſimè fruentur ac perfru-
entur affatim in æternum, & vltra.

Ad quam beatitudinem perducere nos dignetur futuri ſeculi Iudex Chriſtus Ieſus, cui cùm Patre & Spiritu Sancto honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

CATA-

# CATALOGVS AVCTORVM QVIBVS VSI SVMVS, IN DESCRIPTIONE TERRAE SANCTAE, HIEROSOLYMAE, CHRONICI; VBI EXPONITVR ETIAM RATIO CITATIONVM, QVAE IN MARGINE, ET *in ignotis auctoribus non ita facilè poſſet intelligi.*

BIBLIA ſacroſancta Veteris & Noui Teſtamēti; quæ huius rei cauſa ter & ampliꝰ perlegi, omniaq; huc ſpectātia loca diligētiſſimè annotaui, annotata pōderaui, ponderataq; ſuo quęq; loco collocaui. Editio eſt Pariſiēſis Benedicti, cuius Indicem nominum Hebraicorum ſæpè cito.

Biblia correctiſſima aliquot tomis, ex editione Simonis Colynæi.

Biblia Hebraicolatina Xantis Pagnini.

Biblia Theologorum Louanienſium.

Poſtillę Nicolai de Lyra ſuper Vetus & Nouum Teſtamentum.

Fl. Ioſephus ſacerdos Iudęus, qui an. Chriſti 70. florēs, eadē ferè ipſa, q̄ in Biblijs, & multa prętereа alia hiſtorico ſēſu perſequitur, quē, vt & Biblia, harū ſaltem rerum cauſa ter perlegi, collatis etiam varijs eius trāslatoribus.

Ioſephi Gorionis de hiſtoria Iudaica libri.

Egeſippi hiſtoria.

Sulpicius Seuerus. Iuſtinus.

Q. Curtius de rebus geſtis Alexàndri.

Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebij, Socratis, Zoſomeni, &c.

Nicephori Callyſti hiſtoria eccleſiaſtica.

Hiſtoria Tripartita. Rufini hiſtoria.

Beroſi antiquitates, Philonis breuiarium, Manethonis, Metaſthenis libri illi, quos edidi Annius Viterbienſis.

Illuſtriſſimi Eccleſię Doctoris D. Hieronymi Stridonenſis diuerſa exemplaria tam excuſa, quàm manuſcripta, diligentiſſimè contuli, præſertim de locis Hebraicis.

Cl. Ptolomæi Geographiæ libri octo, emēdati per G. Mercatorem.

Iac. de Vtriaco, Roma. Eccleſiæ in terra ſācta legati, poſtea Epiſcopi Aconenſis, & tandē Cardinalis Rom. liber de terra ſancta, & de mirabilibus, quæ ibidē vidit. Floruit anno Domini 1231. cuius manuſcriptū exemplar, vnà cum deſcriptione Terræ ſanctæ authore Fretello Archidiacono Antiocheno ex inſigni Crucigerorū Coloniēſium bibliotheca vſui meo exhibuit M. Tilmanus Voſmerus Delphus, eiuſdē cœnobij lector digniſſimus.

Iac. Pātaleonis Galli Patriarchę Hieroſolymitani liber de Terra ſācta. Claruit an. 1247.

Deſcriptio vrbis Ieruſalem, & locorū terrę ſanctæ exactiſſima, auctorę Brocardo monacho, edita Baſileæ & Antvverpię. q an. Chriſti 1283. poſt multā & diligētē eius vrbis & terræ indaginē, ac antiquarum ruinarum inſpectionem, eam accuratiſſimè deſcripſit, diſtinxit opus ſuū per itinera, quæ ſūt loco capitū.

Deſcriptio Ieruſalem locorumq; ſacrorū Ioannis Mandeuille Angli, aliâs Mōteuillani, qui an. Domi. 1322. ſuam peregrinationē perfecit, & ſedulo perſcripſit. Impreſſ. Antvverpiæ per Nicol. VVouvver, anno 1564.

Vrbis Hieroſolymitanæ, totiuſq; Terrę ſāctæ perantiqua deſcriptio, ante an. 100. & vltra in mēbrana graphicè delineata & cōſcripta, quā opera Io. Huls ex bibliothec collegij S. Hieron. Delphorū Hollādiæ cōmunicauit mihi D. Antoniꝰ Pelt, eiuſdē Colleg. rector.

Hieroſolymitanæ vrbis templiq; in ea origo, & horum rurſus excidiū, an. 1476. per Rodolphum Langium Cano. Monaſterienſem deſcripta, impreſſa Coloniæ ab Eucha. Ceruicorno anno 1517.

Peregrinatio Hieroſolymitana, & mōtis Synai, Bernhardi de Bridēbach, Mogūtinæ eccle. decani, quam an. 1483. vnà cū Ioāne comite in Solms, & Philippo de Bickē milite peregit, & diligentiſſimè deſcripſit, addita ſimul viua pręcipuorū Terræ ſanctę & peregrinationis ſuę locorū imagine, quā inſigni cuiuſdā pictoris Vltraiectini manu vbiq; ex locorū intuitu depingi curauit. Impreſſa Moguntiæ an. 1486. diſtinxit opꝰ ſuū per dies, & itinera.

Deſcriptio Hieroſolymitani itineris anno 1520. per D. Gerardum Kuynretorff Campēſem, & D. Petrum Anholt Priorem in VVolzende, & Edo Rombes conſulem in Sneeck peracti, impteſſa Campis.

Delineatio ciuitatis Ieruſalem, quā an. 1521. D. Ioan. Schorel Cano. Vltraiectinus, idēq; pictor ſolertiſſimus ex oculari inſpectione ſedens in mōte Olíueti calamo ad viuū protraxit. quod ipſum exemplar mihi exhibuit eximiæ pietatis & eruditionis vir M. Ioānes Bollius Louanienſis, eccleſiæ D. Hyppoliti Delphis Hollandiæ vicepaſtor.

Deſcriptio Ieruſalem, & ſanctorum locorum Ioann. Heuteri prætoris Delphēſis; qui an. 1521. vnà cum prædicto Schorel, & M. Lāberto Varick S. Theolo. Licētiatio, & S. Hyppoliti Delphenſium paſtore peregrinationē ſuam abſoluit. cuius manuſcriptū commentarium D. Ioan. Heuter prędicti nepos mihi communicauit.

Itinerarij Ieroſolymitani & terrę ſāctę, inibiq; ſacrorū locorū ac rerum clariſſima deſcriptio per Bartho. à Saligniaco, ſedis Apoſtolicæ prothonotarium, equeſtris ordinis militē auratum, ac vtriuſq; iuris profeſſorē, quod an. 1522. expediuit ac deſcripſit. excuſa Lugduni an. 1526 diſtinxit opus ſuū in tomos (pro quibus vulgo ponimꝰ libros) & capita.

Peregrinatio cum exacta deſcriptione Ieruſalem, & locorō ſanctorum autore S. Theol. doctore Ioā. Paſcha Carmilita Mechliniēſ. quā ann. 1527. perfecit; impreſſa Louanij per Vellæum, ann. 1563.

Hiſtoriæ belli ſacri lib. 23. quomodo anno ſalutis 1099. Hieroſolyma, totaq; promiſſionis terra à Chriſtianis recuperata, & per ann. 84. poſſeſſa fuit; à VVilhelmo Tyrio, ſeu Tyrēſi Archiepiſ. regni Hieroſoly. Cācellario, & ſcriba Laterani Cōcilij, quod ann. Chriſti

1178. Ro.

1178. Romæ à trecentis patribus celebratum eſt, conſcripti; an. 1583. impreſſi Baſileæ.

De bello ſacro cõtinuatæ hiſt. li. 6. in quibus eadẽ Tyrij hiſtoria ad noſtra vſq; tẽpora extẽditur, Baſilio Io. Heroldo autore. Baſileæ.

Ciuitatis Ieruſalem, ac ſacrorum locorum vniuerſæ Paleſtinæ delineatio ac deſcriptio per Hermannum Borculoo. Impreſſa Vltraiecti anno 1538.

Deſcriptio Hieruſalem, & ſanctorum eius locorũ Bonauenturę de Mirica, Louanienſis Minoritę, qui Hieroſolymę ann. 1538. 1539. 1540. continuò habitauit, & poſtea ſecundò, iamque tertio eò profectus eſt; ex cuius etiã ore multa excepi.

Coſmographia Vniuerſalis Sebaſt. Mũſteri.

Vrbis Ieruſalem ac Paleſtinæ delineatio Vvolfangi Vveijſsẽburch, impreſſa an. 1542.

Locorum veteris ac noui Teſtamenti diligẽs deſcriptio ex optimis quibuſq; autorib⁹, Ptolo. Plinio, Põponio Mela, Strabone, Herodoto, Hieronymo, Ioſepho, Egeſippo, Stephano, Volaterrão, Lirano, Bocatio, & recẽtiorib⁹, Iacobo Zieglerò, Vuolphãgo Vueijſsẽburgio, & Andręa Althamero, viris in hac re diligentiſſimis collecta; Pariſijs impreſſa.

Delineatio & deſcriptio Ieruſalem, & Terræ promiſſionis accuratiſſimè per Bonauenturam Brocardum Bernaitam elaborata; excuſa Pariſijs, anno 1544.

Deſcriptio Ieruſalẽ, & locorũ eius, D. Gerardi Ioãnis Lugduni Batauorũ Monaſterij Abcou Cœnobiarchę, qui iter ſuum peregit an. 1544.

Peregrinatio, ſiue Itinerarium D. Pauli, in tabula & charta deſcripta per Petrũ Apianũ.

Ampliſſima Terrę ſanctę deſcriptio per Gerardum Mercatorem Rupelmundanum. Item charta totius Europæ eodem autore.

Terra ꝓmiſſionis topographicè, hiſtoriceq́; cõſcripta per Mich. Aitzing. edita Coloniæ.

Theatrum præcipuarũ vrbium totius mũdi, tomi tres, per D. Georgium Bruijn, Decanum ad gradus Mariæ Coloniæ.

Hieroſolymitanæ vrbis, tòtiusq́; Terrę promiſſionis tabula à Tilmãno Stella Sigenenſi cõfecta, & anno 1557. dedicata duci Saxoniæ; impreſſa Antvverpiæ.

Topographica delineatio ciuitatis Ieruſalẽ autore Fabio Licinio Veneto. Venetijs 1560.

Vrbis Ieruſalem delineatio per Adamum Reiſner in tabula protracta, & Auguſtę Vindelicorum ann. 1559. Ferdinãdo Imp. exhibita. excuſa Francofurti ad Mœnum.

Ieruſalem ciuitas ex ſacris literis & approbatis hiſtoricis primùm ab Adamo Reiſnero germanica lingua delineata, & nũc latinè per Ioã. Heidenum fuſius deſcripta; impreſſa Francofurti ad Mœnum. ann. 1563.

Via Caluarię D. Bethlehẽ ſacerdotis à Laurentio Surio latinè conſcripta: quã propria interpretis manu exaratã mihi exhibuit R. P. Adrianus Scyf ab Oudevvater Carthuſianorũ Colonienſiũ vicarius vigilantiſſimus.

Via crucis, à domo Pilati vſq; ad mõtem Caluariæ, ædita per Pet. Calẽtinum. impreſſa Louanij à Vellæo ann. 1568.

Itinerarium Ioan. Godſcalci Iſerman Delphenſis, quod ann. 1561. abſoluit.

Deſcriptio Ieruſalẽ & locorum eius Iſbrãdi Godefridi Delphẽſis, ſororis meæ mariti, qui ann. 1563. peregrinationem ſuã perfecit.

Iter nobilis & aurati militis Baptiſtę vã der Muelen Mechlinienſis, qui viua voce Hieroſolymã, omniaq́; eius loca an. 1567. exactè à ſe perluſtrata, ſæpiſſimè mihi deſcripſit.

Deſcriptio antiquę & nouę vrbis Hieroſolymorũ à Petro Lackſteijn cõfecta, & à Chriſtiano Sgrotheno geographicè depicta &c. excuſa Calcariæ Cliuorum an. 1570.

Topographica delineatio ciuitatis Ieruſalẽ Antonij de Angelis Minoritę, qui diu Hieroſolymæ habitauit, an. 1578. Romę in conuentu B. Marię in ara cęli ab eo in lucẽ ędita. quã honorabilis viri Erancíſci à Cruce filius D. Gaſpar⁹ à Cruce Antvverp. I. V. Doct. peritiſſimus, iam pridem Roma reuerſus, vnà cũ varijs eiuſdẽ vrbis antiquitatibus liberaliter mihi exhibuit.

Bina delineatio Vrbis Ieruſalem, quę eſt in Theatro præcipuarum vrbium totius mũdi, ædita per Georgium Bruijn, virum doctrina & eloquentia excellentiſſimum.

Hieroſolymitanę vrbis, totiusq́; Terrę ſanctę tabula ampliſſima, in membrana manu Bironij Galli graphicè delineata, viuidis coloribus auroq́; exornata, & gallicè deſcripta, q̃ an. 1582. Mich. Aitzingerus Auſtriacus diligẽtiſſim⁹ hiſtoriograph⁹ mihi cõmunicauit.

Chronicon Euſebij Cæſarienſis, Hieronymi, Palmerij, Contracti, &c.

Chronicon Prodigiorum ac oſtentorum, ab exordio mundi vſq; ad an. Domini 1557.

Emendatæ chronologiæ epitome à mundi exordio in hæc vſq; tempora manuſcriptum Hen. Syluij.

Gil. Genebrardi Theologi Pariſiẽſis Chronographiæ libri quatuor.

Gerardi Mercatoris Chronographia.

Chronicon Chriſtiani Maſſæi.

Chronica Amandi Zirixeẽnſis.

Chronica Carionis.

Ioan. Lucidi de emẽdatione tẽporũ libri.

Chronicon Iaco. Meeman manuſcriptũ. obijt Delphis an. 1517. Faſciculus temporum.

Chronicon Adriani Barlandi.

Chronica Hollandiæ.

Chronicon Onuphrij, cum catalogo Pontificum & Imperatorum.

Chronicon Ioan. Vaſæi.

Tomi Conciliorum omnium.

B. Platina de Vitis Pontificum.

Onuphrij commentaria Faſtorum.

Martyrologium P. Galeſinij.

Io. Heſſelij paſſionis & reſurrectionis dominicæ explicatio.

Corn. Ianſenij concordia Euangelica.

Hi ſunt ferè præcipui authores, ex eorum numero, qui hęc argumẽta ex profeſſo tractauerunt, & quorũ ſpecialẽ facio mẽtionem. Pluribus quidẽ vſus ſum, quorum non memini, quod eorum hoc calamitoſo tẽpore perditis libris, loca citanda deſcribere nõ potuerim. Scriptorum autem, qui quaſi aliud agentes, mihi ſcribẽdi materiã prębuerũt, longum foret catalogũ texere, ex ijs quibus annotantur locis, poterunt intelligi.

F I N I S.

# IN THEATRVM TERRAE SANCTÆ RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM INDEX.

## A.


AARON Moyſis frater Deum videt 212 b. Iſraëlitas numerat 214 b. ijs benedicit 213 b. inter eos viuos & mortuos ſtans plagam Dei auertit 125 a, 216 a. ab Iſraëlitis lugetur ibid. b. Leui pronepos 57 b. Leuitas conſecrat 215. a. ab ijs decimas decimarum accipit 216 a. mannam in arca reponit 211 b. Moyſis orantis manus ſuſtentat 211 b. ei occurrit 210 a. ſocius adiungitur ibidem. ab eo obiurgatur 212. b. quo anno, quo menſe & die obijt 216 b. Pontifex conſecratur 57 b. 213 b. Pharaonem adit 210 a. ſacrificat 213 b. virgam in ſerpentem conuertit 210 a. vitulum aureum conflat 124 b. 212 b. eius ætatis anni 216 b. diffidentia 117 b. 216 a. filij ſacerdotes conſecrantur 57 b. 213. b. mors 120 b. 130 a. 216 b. murmuratio contra Moyſem 117 b. 215 a. ſepulchrum 120 b. & ſequen. ſoror 216 a. virga in arca ſeruatur 159 a. floret 125 a. 216 a. Romæ in triumphum portatur 159 a. ſeruatur ibid. ei Eleazar filius ſuccedit 216 b
Aaſar vicus 38 b
Abacuc ab Angelo in Babylonem tranſfertur 173 b. 247 a. eius domicilium 55 b. prophetia 247 a. ſepulchrum 45 a. 46 b. 48 b
Abagarus Edeſſenorum toparcha Chriſtianus fit 275 b. Chriſti ad eum epiſtola 275 b
Abala ciuitas 132 b
Abana fluuius 75 a. 81 b. eius ſitus ibid.
Abarim mons 126 a. in eius ſpelunca ignis perpetuus cum altari Incenſi reconditur ibid. ad eum Iſraëlitarum 41. manſio 126 a. 216 b. ex eo Moyſes terram Chanaan proſpexit 126 a. 217 a. 218 a
Abdemelech propugnator & patronus Ieremiæ 244 b. liberatur à gladio Chaldæorum 244 b
Abdias propheta domus Achab regis diſpenſator 74 a. 233 a. b. Prophetas Domini abſcondit ibid. eius mons 74 a. prophetia 7 b. 233 a. ſepulchrum 29 b. 128 b. 265 a. vxor 235 a
Abdon Leuitica ciuitas 1 a
Abdon iudex in Iſrael 28 b. 192 b. 222 b. eius filij quot 222 b. patria 28 b
Abel Adami filius naſcitur 202 a. à Cain fratre occiditur 45 b. 202 a. à parentibus lugetur 39 a. ouium paſtor 202 a. eius ſacrificium 45 b. & ſeq. 57 a. 202 a. Deo gratum 202 a
Abel Ammonitarum ciuitas 31 a
Abel Bethmaacha, Abel domus Maacha, ciuitas 101 a
Abel Ammonitarum ciuitas 31 a. 75 a. 229 a.
Abela Galilææ vrbs 75 a. 101 a. b. capta à Benadad Syriæ rege 101 a. à Teglatphalaſar Aſſyriorum rege ibid. à Ioab obſeſſa ibid. Iſraëlitarum metropolis ibid.
Abela villa 31 a
Abelina villa 137 a
Abelmaacha, Abelmachea ciuitas 101 a
Abelmaen ciuitas 101 a
Abelmagnum vrbs 21 b. vnde nomen habet ibidem. prius Bethſames dicta ibidem
Abelmaim ciuitas 101 a. à Benadad Syrię rege capta 101 a
Abelmaula vrbs 70 a
Abelmea villula 70 a
Abelmeula vrbs 70 a. 233 b. Helizæi Prophetæ patria 70 a
Abelſathaim Iſraëlitarum 42. manſio 126 a. vnde nomen ſortita ibid.
Abenboen 14 a
Abenezer locus, in quo Iſraelitæ à Philiſtæis profligati 23 b
Aber Cinæi tabernaculum 3 b. 102 b. 114 b. 115 b. 138 b. vxor Siſaram ducem occidit 102 b. 114 b. 138 b. 221 a
Abes ciuitas 35 a
Abeſſan Bethleemita Iſraëlis Iudex 192 b. 222 a. eius patria 41 a. 137 a. quàm numeroſa proles 41 a. 222 a. ſepultura 41 a
Abia Roboam filius rex Iuda 193 a. 232 a. Aſia filium regni ſucceſſorem reliquit 232 b. Ephron ciuitatem Iſraeli eripuit 26 b. eius cum Ieroboam bellum 232 b. proles quàm numeroſa ibid. victoria 30 a
Abia Samuelis prophetæ filius Iſraelem iniuſtè iudicat 133 a
Abiathar Ahimelech filius ſacerdos effugit manus Saulis 226 a. confugit ad Dauid in Ceilam ibid. Dauidis comes ibid. 228 b. cum Adonia ſe coniungit 229 b. amouetur ſacerdotio 230 a
Abibonis ſepulchrum 152 a
Abietes Hermon 89 b. Libani 110 b. Sanir 89 b
Abigail vxor Nabal Dauidi nupta 45 a. 226 a. eum muneribus placat ibid.
Abila ciuitas 31 a. 75 a. 126 a. Cœleſyriæ vrbs Epiſcopatu nobilis 101 a
Abilene & Abilina regio 101 b
Abimelech Gedeonis filius Baal phanum deſtruxit 221 b. 70. ſuos fratres occidit 72 b. 221 b. rex Iſraëlitarum 29 a. 192 b. 221 b. rex Mello 28 b. Sichẽ euertit 30 b. 221 b. eius mors 74 b. 221 b
Abimelech Geraræ rex Abrahæ Saram raptam reddit 205 b. cum eodem fœdus init 133 a. 205 b. cum Iſaac 133 a. 206 b
Abimelech Philiſtæorum reges dicti 116 b
Abimelech ſacerdos à Saule occiſus 19 a. 226 a
in Abinadab domo arca Dei repoſita 224 a. 227. b
Abiron Moyſi rebellans à terra abſorptus 125 a. 216 a
Abiſag Sunamitis virgo Dauidem calefacit 37 b. 229 b. eius patria 37 b
Abiſai fortitudo 229 a
Abiu Aaron filius Deum videt 212 b. igne abſumitur 214 a
Abner præfectus militum Saulis 226 b. Iſboſeth regem Iſraël creat 89 a. 227 a. paciſcitur cum Dauid 227 a. occiditur à Ioab 54 b. 227 a. 230 a
Abora vrbs 116 a
